2·0-a-1-4

Nº 1
12-2974

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala 11
Estante 32
Número 4

ANTIQVITATES
ET
ADMIRANDA
VRBIS ROMÆ.

R-10559

# CIVITATUM
ET
# ADMIRANDORUM ITALIÆ
## PARS ALTERA;
in qua
## URBIS ROMÆ ADMIRANDA
Ævi veteris & hujus seculi continentur.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

AMSTELÆDAMI,
Typis IOANNIS BLAEU,
MDCLXIII.
*Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.*

# IN TITULUM.

*GRande Vetustatis, Lector, certamen & Artis,*
*Aspice, Palladis hinc, Temporis inde manu:*
*Cunctaque, in exigua quamvis collecta tabella,*
*Cernere te mundi fata vicesque puta.*
*Nam licet, Occasum propriè quæ spectat & Ortum,*
*Limitet his medium vita duobus iter;*
*Et studii fœtum celeris rota terminet horæ,*
*Artificisque vorax destruat usus opus;*
*Raraque sit tanti structura laboris, edaci*
*Quæ non annorum dente subacta cadat.*
*Luctatur tamen ingenium cum viribus ævi,*
*Vividaque Ars aliquid Tempore majus habet.*
*Illa suas rebus vitas & robora sæpe,*
*Falcibus ætatis non resecanda, dedit:*
*Sæpe quoque in melius vidit mutata, rotantis*
*Perdere quæ secli non valuêre minæ.*
*Ne premar exemplis: celeberrima sortis imago,*
*Vix aliquid formæ, Roma, prioris habet.*
*Non Fora, non Circi, non Amphitheatra supersunt,*
*Non idem Imperii est, qui fuit ante, modus.*
*Ipsa deûm evertit delubra, hominumque sepulcra,*
*Et mortis morti mors monumenta dedit.*
*Si tamen antiquas conferre recentibus ædes,*
*Fanaque quæ nunc sunt, quæque fuere, libet,*
*(Ut taceam fulvo splendentia templa metallo*
*Ausaque sceptriferas ora ligare manus.)*
*Non nisi privatas habitasse fatebere reges,*
*Privatos regum nunc habitare domos.*
*Hoc opus est Mentis: quæ fortior omnibus ævis*
*Subjicit arbitrio Temporis arma suo.*

# PARTIS SECUNDÆ SECTIO PRIMA, IN QUA

# CIRCI, ET OBELISCI,

Circorum olim ornamenta,

NECNON

# THEATRA, AMPHITHEATRA, ET NAUMACHIÆ

DESCRIBUNTUR.

# ROMA VETUS.

*Vrbis Conditor quis.*

DE Vrbis Conditore & nominis ratione variæ veterum auctorum sunt sententiæ; Antigonus, pervetustus Historiæ Italicæ scriptor, Romum quendam, Iovis filium in Palatio urbem condidisse, nomenque à se dedisse affirmat; nonnulli tradunt Pelasgos Sicyone Thespiâque Græcis civitatibus ob domiciliorum inopiam profectos, post longos toto terrarum orbe errores, plurimasque nationes bello domitas, tandem eam Italiæ partem tenuisse, ubi nunc Roma est, vocatosque à longis erroribus Aborigenes; hosce vero in Palatino monte urbe condita, eam ob pugnandi robur Romen appellasse; à juventute vero Latina Valentiam dictam fuisse à viribus gentis; nomen vero illud adventu Evandri & Æneæ in Italiam, cum magna Græcè loquentium turba interpretatum, servataque significatione primi nominis Romam iterum pro Valentia dictam fuisse. Aristoteles Stagirita Philosophus scribit Achæorum partem à bello Trojano redeuntem, circum Maleam navigantes tempestate correptos, atque per altum diu ultro citroque jactatos, tandem appulisse ad eam Etruriæ oram, cui tunc Opice nomen erat, nunc Latium vocatur, & Tyrrheno mari adluitur; cumque exoptati littoris desiderio naves subduxissent, ibi hyemem exegisse, ineunte vere cursum persequi paratos; sed cum naves nocturno incendio operâ captivarum Iliensium, metuentium ne se domum in servitutem abducerent, conflagrassent; adempta profectionis commoditate, necessitate coactos circa Palatium positis sedibus struxisse mœnia, oppidumque à rei auctore, nobilissima captivarum, Româ denominasse. Callias Agathoclis rerum gestarum scriptor ait, Romam quandam Trojanam feminam, cum cæteris Trojanis delatam in Italiam, nupsisse Latino Aboriginum Regi, eique peperisse Remum & Romulum filios; à quibus conditæ Vrbi nomen Matris impositum: Xenagoras vero Historicus ait Vlyssis & Circes tres fuisse filios, Romum, Antium & Ardeam, qui quum tres Vrbes ædificassent, iis à se nomina indiderunt. Damastes Sigensis aliique nonnulli referunt Æneam cum Vlysse è Molossis in Italiam delatum, Vrbem condidisse, nomenque à quadam Iliensium feminarum Roma indidisse. Cephalon Gergithius antiquissimus scriptor, Vrbem, ait, conditam secunda post bellum Trojanum ætate, ab iis qui cum Ænea ex Ilio se proripuerant; conditorem vero & coloniæ ducem fuisse Romum Æneæ filium: quatuor enim filios Æneam habuisse scribit: Ascanium, Euryleontem, Romulum & Romum: Dionysius Chalcidensis consentit quidem de Romo conditore, sed eum Ascanii filium fuisse ait. Plures adhuc Græcorum scriptorum de Vrbis conditore sunt sententiæ, quas brevitatis causa non proferam. Sed nec Romanorum eadem est sententia: quidam enim volunt conditores Romulum & Remum Æneæ filios fuisse; alii ex filia nepotes; verior tamen & receptior illorum est sententia, qui referunt Romulum ex Ilia Virgine Vestali furtivo concubitu natum Vrbem condidisse, nomenque suum ei imposuisse. Romam autem non Romulam eam vocavit, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora Vrbi suæ ominaretur. Plinius atque Solinus referunt alterum quoque Vrbis nomen proprium fuisse, quod publicari vetitum nefasque fuit: quandoquidem quo minus id enuntiaretur, cæremoniarum arcana sanxerant: Valerium quoque Soranum, quod nomen id optima atque salutari fide abolitum enuntiaverit mox pœnas luisse. Quemadmodum vero de Conditore, sic & de tempore Vrbis conditæ variant autores; quorum senten-

*Nomen.*

*Tempus Vrbis conditæ.*

ROMA VETVS.
MONS QVIRINALIS.
MONS VIMINALIS.
MONS ESQVILINVS.
MONS CŒLIVS.
MONS PALATINVS.
MONS AVENTINVS.
MONS CITATORIVS.
COLLIS HORTVLORVM.
VILLA PVBLICA.
MONS TESTACEVS.
IANICVLVM.
MONS VATICANVS.
Tyberis fluvius
Amphitheatrum Tauri
Circus Agonalis
Pantheon
Theatrum Pompeji
Theatrum Marcelli
Circus Flaminius
Circus Adriani
Sepulchrum Adriani
Circus Neronis
Naumachia
Therme Aureliane
Therme Septimii
Therme Antoniane
Templum Bonæ Deæ
Templ. Iunonis Reginæ
Sepulchrum Cestii
Porta Trigemina
Septizonium Severi
Sepulchrum Augusti
Sepulchrum Domitiorum
Agua Martia, Tepula, Iulia
Nobilissimo, Prudentissimoque Domino,
D. SIMONI VAN HOORN,
CONSVLI & SENATORI URB. AMSTELÆD.
nuper Ordd. Belg. fœd. nomine ad Mag. Brit. Regem
LEGATO EXTRAORDINARIO,
Tabulam hanc D.D.
I. BLAEV

ſententias refert Dionyſius Halicarnaſſæus, & inter neotericos Onuphrius Panvinius. Summi ſcriptores olim tradiderunt, quibus omnes fere Chronologi aſſentiunt, Romulum anno ætatis ſuæ duodeviceſimo; primo autem VII Olympiadis fundamenta Vrbis jeciſſe; quod affirmat Dionyſius Halicarnaſſæus auctor accuratiſſimæ diligentiæ libro 2. Roman. Origin. *Vrbs igitur condita eſt annis poſt Trojæ excidium* CCCCXXXII, *ſeptima Olympiade ineunte.* Eorum ſententiæ ego quoque libens aſſentior, quamvis non ignarus ſim omnes fere Romanos auctores cum M. Tullio, & poſt Cæſarem Dictatorem Populum Romanum communiter ſenſiſſe ſextæ Olympiadis anno tertio Romam conditam fuiſſe. Dies autem quo urbis fundamenta à Romulo jacta fuerunt, fuit XI. Kal. Maji, qui Parilia vel Palilia vocabatur, propterea quod Pales paſtorum Deæ erant feſta. Propertius lib. IV.

*Vrbi feſtus erat, dixere Palilia patres.*
*Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

*Forma, ambitus, & augmentum.*

Illo tempore & die Romulus Vrbis novæ mœnia deſignare incepit; condidit vero eam forma quadrata cum tribus portis: quo autem ſpatio, quibuſve terminis clauderetur variant autores. Livius lib. I. Hiſt. ait: *Palatinum Romulus primum, in quo ipſe educatus fuerat, muniit.* Gellius ſcribit Romuli antiquiſſimum pomerium tantum Palatini montis radicibus terminatum fuiſſe: Quorum ſententias quoque affirmat Cornelius Tacitus lib. XII. hiſce verbis: *Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus poſuerit noſcere haud abſurdum reor. Igitur à foro Boario, ubi æreum tauri ſimulacrum aſpicimus, quia id genus animalium aratro ſubditur, ſulcus deſignandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram complecteretur. Inde certis ſpatiis interjecti lapides per ima montis Palatini ad aram Conſi, mox ad curias veteres, tum ad ſacellum Larum: forum enim Romanum & Capitolium non à Romulo, ſed à T. Tatio additum urbi creditur.* Ex hiſce verbis poſtremis Onuphrius Panv. lib. I. deſcr. Vrbis, conjectura aſſequitur, Tatium jam æquo jure à Romulo in regnum aſcitum, ambitum murorum una porta addita hoc modo ampliaſſe. *Capitolii eam* (dicit) *partem quæ nunc novam Vrbem & Pantheum reſpicit, ubi nunc extat ſtatua M. Aurelii Imperatoris, muro circumdedit; deinde ductis mœnibus à rupe Tarpeia, ultimaque Capitolii parte, ubi paulo ante noxii plecti ſolebant, in occaſum ad viam qua itur ad Circi maximi partem extremam, Tiberim verſus ſe extendit. Inde ad aliam Circi maximi noviſſimam partem verſus Septizonium retorquens, mox in Orientalem partem parum ultra Titi Amphitheatrum ſe convertit, hincque verſus Septentrionem paulo ultra viam Sacram uſque ad Nervæ forum reverſus eſt, poſtremo parvo tractu flectens ipſum murum cum altera Capitolii parte conjunxit: atque hac ratione Palatium primo, mox Capitolium urbi addidit.* Quamvis vero Livius, Dionyſius Halicarnaſſæus, & Plutarchus, in vita Romuli, adfirment, ante Tatii atque Sabinorum in urbem adventum Capitolium à Romulo fuiſſe munitum, arce Romanâ ibidem locatâ, quam cum Tarpeiæ proditione poſtea Sabini cepiſſent, ex eo loco nunquam à Romanis pelli potuere; nihil huic ſententiæ obſtare videtur, cùm hac reſponſione omnis controverſia tolli videatur, Romulum ſcilicet, cum Vrbem conderet, tantùm Palatium primo pomerio clauſiſſe, Ovid. 3. Triſt. 1.

---- *Porta eſt, ait, iſta Palatî:*
*Hic Stator; hoc primo condita Roma loco.*

Sed ne finitimi colles ab inimicis occupati Vrbis oppugnandæ commoditatem iis præberent, Capitolium primo, mox Quirinalem etiam & Cœlium colles proximiores Vrbi, foſſa ſive aggere, vel muro firmaſſe, præſidioque locato tanquam arces muniiſſe, quum nihilominus extra Vrbis mœnia pomeriumque eſſent. Atque hæc Vrbis origo & prima facies; poſtea pro Reipublicæ incrementis pomerium ſæpius prolatum eſt, multique vicini colles additi. *Qui Vrbis mœnia protulerint:* Secundus autem qui pomerium protulit fuit Numa Pompilius, *Numa,* rex ſecundus, qui Quirinalem collem Vrbis pomerio incluſit, teſte Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Livius vero adjectionem Quirinalis Servio Tullio attribuit. Tertius à Romulo Tullus Hoſtilius *Tullus Hoſtilius,* Rex tertius Alba Longa diruta, Albaniſque in civitatem receptis, Cœlium montem muro communiens Vrbi addidit, ut refert Dionyſius Halicarn. lib. III. Orig. Rom. quamvis Strabo Ancum Mar-

Martium; Tacitus L. Tarquinium Priscum montem hunc pomerio inclusisse tradant. Quartus Ancus Martius Politorio Latinorum urbe excisa, Latinisque in civitatem adscitis, Aventinum montem iis habitandum dedit, fossaque & muro communivit, non tamen urbis pomerio inclusit, quum esset malis auspiciis ominosus: *Quod eo monte* (ait Gellius l. 14, c. 13,) *Remus Vrbis condendæ gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque in auspicio à Romulo sit. Idcirco* (*ut apud eundem* ait Messala) *omnes qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscœnis ominosum.* Pomerium tamen protulisse quartum à Romulo, Ianiculo & trans-Tyberina regione Vrbi adjunctis, facto super Tiberim ponte sublicio, affirmat Onuphrius; cui adversatur Donatus in lib. de Vrbe Roma, motus auctoritate Dionysii & Gellii, affirmantium Comitia Centuriata intra pomeria fieri fas haud fuisse, quia extra Vrbem exercitum imperari oportet; atqui imperabatur comitiis centuriatis, & collocabatur in Ianiculo custodiæ gratia, atque per vices ibant in suffragia. Livius quoque lib. 1. ait, *Ianiculum adjectum non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset, muniit.* Igitur secundum Donatum Ancus Martius Ianiculum & muro muniit, sed extra pomerium reliquit; cujus sententiæ hanc quoque reddit rationem, quod insula Vrbem & trans-Tiberinam regionem intermedia fuerit olim extra pomerium, teste Plutarcho in qu. Rom. q. 94. aliisque autoribus, quos lib. 1. cap. VI recenset; igitur multo magis, infert, trans-Tiberina regio & Ianiculum. Fossas vero Ancus Martius circum urbem fecit, quæ Quiritium appellatæ sunt. L. Tarquinius Priscus pomerium, vetere contentus, non auxit, quamvis perduelles vicisset, multoque agro ab hostibus capto imperium propagasset, muros tamen Vrbis hucusque ruderibus, vilibusque structuris ædificatos, primus cæpit saxis ingentibus Albano, Tiburtino, Prænestino ad regulam formatis extruere, sed morte præventus, operis perfectionem Servio Tullo successori reliquit. Qui Quirinalem, Viminalem & Esquilias colles urbi junxit, eamque aggere, fossis & muro lapideo circumdedit. L. Tarquinius Superbus, Latinorum cæterorumque hostium incursiones veritus, urbem ab Oriente ingenti aggere communiit. Onuphrius Panvinius supra citatus illa ætate, ultimis videlicet Regum, primisque Reipub. temporibus, ambitum Vrbis hunc fuisse existimat; scilicet Muros haud longe à Ponte, qui nunc Sixti dicitur, versus Tarnesiorum Palatium inchoasse, ex adverso murorum ab Anco Martio in regione trans-Tiberina extructorum, & portæ nunc Septimianæ, eosque inde per mediam Vrbem planam circa Campos Floræ & Agonalem & Pantheum usque ad Quirinalis radices fuisse protensos, illincque gyrasse paullo ultra thermas Diocletiani, & circa Basilicam S. Mariæ Majoris, secundum ipsos Tarquinii aggeres, prope arcum Gallieni, ædiculam S. Matthæi, & Basilicam Lateranensem; hinc vero per dorsum Cœlii montis paulo ultra formas aquæ Claudiæ prope templum S. Stephani in monte Cœlio, S. Mariæ in navicula, Piscinam publicam, thermasque Antoninianas usque ad Circum maximum ductos, finiisse vero ultra pontem sublicium, è regione murorum trans-Tiberim ad navalia positorum. Donatus vero lib. 1. cap. VII, hoc modo Vrbis magnitudinem, situmque describit: *Ducendi*, inquit, *muri sunt à Tiberi juxta Theatrum Marcelli ad saxum Tarpeium; tum in colle Capitolino per ejus crepidinem, qua vergit ad planitiem Romanam; inde Columnam Trajanam versus, quæ pars collis Quirinalis olim fuit. Hinc ad ejus collis jugum versus Palatium Pontificium: tum ad S. Susannæ templum. Hæc enim crepido montis perpetuo decurrens, imminet subjectæ valli; quanquam aliqua nunc molliori petantur clivo, quæ olim abrupta & aspera fuere. Vltra ædem S. Susannæ Collina porta, quæ & Salaria secundum Viam Numentanam: à qua ad portam Esquilinam directus est agger Tarquinii Regis nongentos circiter passus; ut murus, qui nunc flexuris, angulisque conversus amplius spatium complectitur, recta producatur. A porta Esquilina versus Basilicam S. Mariæ Majoris mœnia deducta tendebant in Cœlium Montem, ejusque dorsum insidebant, usque ad eam partem, quæ devexa est, ultra hortos Matthæiorum: tum delapsum in valles pomerium*

*Ancus Martius.*

*Servius Tullius.*

*Vrbis facies tempore Tarquinii Superbi.*

*merium juxta viam Appiam per radices Aventini montis, extra, ipso relicto, recurrebat in Tiberim. Quanquam & Aventinus suo cinctus muro Vrbi munimento fuerit.* trans-Tyberina Vrbis mœnia ab Anco Martio condita quamvis sæpius restaurata, tamen iisdem fere locis quo tum fuere credit Onuphrius. Dionys. Halicarn. lib. IV. Orig. Rom. ait à Servio Tullo rege usque ad Sullæ Dictatoris tempora non fuisse producta mœnia, sed suburbia fuisse late Vrbi circumfusa, multa & magna, sed immunita, hostiumque incursionibus obnoxia; Vrbi vero adeo connexa, ut siquis ea aspiciens, Romæ magnitudinem exquirere voluisset, maxime errasset; haud enim facile tum dignosci potuisse, quousque urbs se extenderet, & ubi urbs esse desineret, ob urbanorum cum suburbanis ædificiis connexionem, quæ in infinitam porrectæ Vrbis longitudinem aspicientibus existimationem præbebat. Siquis vero mœnibus, tum temporis, propter ædes ea undique complectentes, inventu difficillimis, vestigia autem nonnullis in locis structuræ veteris servantibus, eam metiri velit; non multo capacior Athenis Romæ inventus fuisset ambitus. Seneca, Tacitus & Gellius prodiderunt L. Cornelium Syllam Felicem Dictatorem Reipub. constituendæ caussa L. Valeria creatum, Mithridate victo multisque Asiæ & Græciæ populis bello victis, & factione Mariana ad internecionem usque cæsa, primum post Servium Tullum pomeria urbis protulisse. Diserte *Tacitus* lib. XII. Annal. his verbis: *Nec tamen duces Romani quanquam magnis nationibus subactis jus proferendi pomerii usurparunt, nisi L. Sulla, & Divus Augustus, &c.* Iulium quoque Cæsarem post Syllam pomerium protulisse, auctores sunt Dio, & Gellius lib. 14. c. 14. Cicero quoque lib. XIII epist. ad Atticum de ampliando pomerio urbis sub Cæsare mentionem facit. Donatus tamen. c. 12. lib. I. Cæsarem non auxisse, sed augere Vrbem voluisse existimat, inter cætera hoc loco Suetonii in vita Cæsaris motus: *Nam de ornanda, instruendaque Vrbe plura ac majora in dies destinabat. Talia agentem, atque meditantem mors prævenit.* Divum autem Augustum pomerium protulisse, docet Tacitus loco supra citato, & vett. lapidum inscriptiones. Quam vero urbis partem, Sulla, Cæsar, vel Augustus ampliaverint, incertum est. *Pomerium urbis* (inquit Tacitus lib. 12. Annal.) *auxit Claudius Cæsar more prisco, quo iis qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Et quos tum Claudius terminos posuerit facile cognitu, & publicis actis perscriptum.* Gellius vero lib. XIII. cap. 14. ait se in Elidis Grammatici veteris commentario hæc verba offendisse: *Aventinum antea sicut diximus, extra pomerium exclusum, post auctore Divo Claudio receptum, & intra pomerii fines observatum.* Ex quibus locis videtur Claudius à porta Capena ad Tiberim usque pomerium protulisse. Flavius Vopiscus quoque in vita Aureliani Imperat. refert Neronem Ponto Polemoniaco & Alpibus Cottiis imperio Romano adjectis, urbis pomeria protulisse. Neronem autem voluisse augere, vel potius mutare Vrbem, diserte testatur Suetonius in ejus vita hisce verbis: *Destinarat etiam Ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Vrbi inducere.* Quanta vero urbs evaserit post tot pomerii prolationes ut liqueat, nec non Vrbis facies, Vespasiani Cæsaris tempore, locum è Plinii lib. III cap. V adducere visum est: *Mœnia ejus* (Vrbis scilicet) *collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno conditæ* DCCCXXVIII. *passuum* XIII M CC. *complexa montes* VII; *ipsa dividitur in regiones quatuordecim; compita earum* CCLXV. *Ejusdem spatii mensura currente à milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quæ sunt hodie triginta septem; ita ut duodecim portæ simul numerentur, prætereanturque ex veteribus septem quæ esse desierunt, efficit passuum per directum* XXX M D CC LXV. *Ad extrema vero tectorum cum castris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius septuaginta millia passuum. Quod siquis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe ei potuisse comparari.* Huc usque Plinius. Trajanum quoque Vrbis mœnia dilatasse, refert Vopiscus in vita Aureliani. In Romanâ ut puto planitie post Daciam armis subactam, postquam forum suum complanato Quirinali clivo ex-

*L. Cornelius Sylla.*

*D. Iulius Cæsar.*

*D. Augustus.*

*Claudius Cæsar.*

*Nero Cæsar.*

*Vrbis facies tempore Vespasiani Cæsar.*

*Trajanus.*

extruxit; sed quo modo, incertum est. Post Trajanum nullus Romanorum Principum usque ad Aurelianum pomerium protulit. Fl. Vopiscus sic in ejus Vita: *Iis actis quum videret posse fieri ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio Senatus, muros Urbis dilatavit, nec tamen pomerio addidit eo tempore, sed postea:* nam confectis bellis maximis, & universo Orbe pacato, cum ad Urbem triumphans rediisset, tum demum eodem referente: *Muros Urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitu contineantur.* cum Onuphrio & Donato existimo ab eo mœniis inclusum Campum Martium, ductumque murum à Porta Collatina per longitudinem collis hortulorum, flexumque ad Tiberim eo in loco ubi & hodie murus obliquus, vulgo *Muro torto,* conspicitur. Constantinus creditur quoque Urbem auxisse additis castris prætoriis, quæ à Tiberio monitu Ælii Sejani cohortium prætoriarum Præfecto fuere extructa; à reliqua autem Urbe solo muro, & munitionum turribus secernebantur. Post Constantini vero tempora nemo Urbis ambitum auxit, muros tamen fuisse interdum refectos constat; quemadmodum de Arcadio & Honorio id testatur vetus inscriptio, quæ usque ad hæc tempora super Portuensem Portam in Trans-Tiberina regione legitur:

*Aurelianus.*

*Constantinus.*

*Muri Urbis restaurati.*

S. P. Q. R.
CÆS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO. VICTORIBVS. ET. TRIVMFATORIBVS. SEMPER. AVGG. OB. INSTAVRATOS. MVROS. ET. TVRRES. EGESTIS. IMMENSIS. RVDERIBVS. EX. SVGGESTIONE. V. C. ET. INLVSTRIS. MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQVE. MILITIÆ. FL. STILICONIS. AD. PERPETVITATEM. NOMINIS. EORVM. SIMVLACRA. CONSTITVIT. CVRANTE. FL. MACROBIO. LONGINIANO. V. C. PRÆF. VRBIS. D. N. M. Q. EORVM.

Muros dein vetustate collabentes diligenter instauravit Theodoricus, post Bellisarius *eam partem quam Totilas diruerat, lapidibus in unum coacervatis nulloque ordine dispositis, nec ulla prorsus intermixtis materia, ut cui cæmenti nihil præsto esset* (verba sunt Procopii lib. 3.) *nec ejusmodi aliud quidpiam. Sed id duntaxat efficere nitebatur, ut ædificii saltem facies servaretur. Exteriori vero ex parte ingentem vim sudium fixit. Adhæc accedebat, quod fossam & hanc quidem profundiorem circa muros produxerat. Unde totius exercitus incredibili promptitudine operantis per dies continuos quindecim, quod muri fuerat per Totilam disturbatum reficitur.* Cumque dein frustra Barbarus Urbem tentasset, Tyburque cum copiis sese recepisset, deinde iisdem terminis muros instauravit, non vero dilatavit, nec omnino contraxit. Atque hæc de mœnibus murisque sufficiant.

Quot portæ urbis Romuli fuerint, Plinius docet lib. 3. c. 5. *Urbem,* inquit, *tres portas habentem Romulus reliquit, aut, ut pluribus tradentibus credatur, quatuor.* Prima, quæ fuit, teste Dionysio Halic. l. 2, prope templum Iovis Statoris, ducebatque è Sacra via in Palatium, dicta est *Mugonia* sive Mugionis, à boum mugitu, qui ex ea emittebantur. Altera *Romanula* sive Romana dicta est, *instituta à Romulo in infimo Clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est,* ut ait Varro lib. primo: sita autem fuit, ut vult Donatus, in altero latere Palatini collis contra Aventinum, & Circi Maximi vallem spectans. Tertia porta *Ianualis* est, dicta, ut refert Varro lib. 1. *ab Iano, & ideo positum Iani signum, & institutum à Numa Pompilio, ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit.* Sed ubi fuerit, incertum disputatur. Onuphrius putat fuisse in foro Romano. Macrobius collocat ad radices collis Viminalis, qui locus tamen ab urbe Romuli non parum aberat. Ovidius inter duo fora collocat lib. 1. Fastor. Donatus lib. 1, c. IV. templo Iani eam propinquam fuisse autumat sub Palatino colle, qua spectat Capitolium. Quarta est *Carmentalis*, ad radices Capitolii, & Forum, quod nunc Montanarium vulgo dicitur; fortasse Ianualis etiam dicta, ut tres tantum fuerint. *Saturnia*, quæ postea Pandana dicta est, quamvis Urbe Romuli aucta & Capitolinum clivum complectente esset usui, non censetur tamen in Romanarum portarum numero,

*Portæ Urbis Romuli.*

mero, quod ex vetere oppido in Capitolio sito, quod Saturnium dicebant, supererat. Hæ autem fuere portæ Vrbis à Romulo extructæ; sed paulatim accrescente urbis circuitu, necesse fuit & alias aperiri portas, numerumque earum ad majorem civium commoditatem augeri. Quot autem fuerint, nobis indicare videtur locus Plinii supra citatus, ubi sic infit: *Mensura currente ad singulas portas quæ sunt hodie numero triginta septem, ita ut duodecim portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt.* Hunc locum depravatum esse unanimiter fere affirmant authores; Onuphrius vult legi, quæ sunt hodie numero XXXIV, ut & Alex. ab. Alexandro genial. dier. lib. 4. c. 16. Marlianus legit XXIV. Lipsius verba hæc *numero* XXXVII præterit, quamvis omnes Codices Vaticani habeant XXXVII. Donatus Plinii mentem se assequuturum fortasse existimat legendo: Portæ duodecim semel numerandæ, id est pro una habendæ sunt, septemque prætereundæ, quæ jam desierunt; atque sic ex 37. relinquerentur 19, quod cum Procopio lib. 1. de bello Goth. consentit. *Habet autem*, ait ille, *circumjectus Vrbi murus portas quatuordecim, portulasque alias quasdam.* Cum vero ætate Procopii paulo plures quam quatuordecim fuerint, non video quam ob causam, si Plinii XXXVII ævo erant, esse desierint; cum majora deinceps incrementa Vrbs ceperit: acceperit vero nunquam gravia ædificiorum, murorumque usque ad Bellisarium detrimenta. Verior igitur numerus portarum, quas vidit Procopius, eumque adhuc retinet idem murorum fere ambitus; præter suburbanas & in trans-Tiberina regione recenter additas. Prima à Tiberi porta est Flumentana antiquitus dicta, quod eâ Tiberis partem fluxisse affirmant; fuit olim ad Tiberim è regione muri in Ianiculo ab Anco Martio extructi; unde post ab Aureliano Imperatore, cum Campum Martium Vrbi includeret, translata. Flaminiæ nomen obtinuit, à via cui est imposita, à C. Flaminio strata. Varios nacta est locos, pro vario murorum ambitu, nunc verò populi dicitur. Proxima est Pinciana Procopii tempore à proximis Pinciorum ædibus sic dicta, antiquitus vero Collatina, quod Collatiam Sabinorum oppidum mitteret: supra hanc aliam portulam fuisse ait Procopius, sed jam omnino esse desiit. Tertia est Collina sive Salaria, à Collibus Quirinali & Viminali æquata ibi planitie compunctis. Salaria postremo appellata est, *quoniam illâ sal in Sabinos portari consueverat*, ut ait Plinius. Primo vero Agonia dicta est, quia inundante Circensem planitiem Tiberi, agonales ludi in eo celebrari solebant. Dein *Quirinalis* dicta est à proximo Quirini sacello: celebratur imprimis hæc porta ab Historicis ob res celeberrimas apud eam gestas. Huic succedit proxima Viminalis, à colle quem occupat sic denominata, quæ tempore Regum in aggere Tarquinii erat; eadem hæc Catularia dicebatur; *quia non longe ab ea*, ut ait Festus, *ad placandum Caniculæ sydus frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.* Numentana quoque olim, hodie S. Agnetis & Pia denominatur. Sequitur Esquilina, hodie S. Laurentii: alii Tiburtinam denominant, alii Næviam sequentem Esquilinam vocant, sed perperam, uti late demonstrat Donatus l. 1. c. 20. Taurina quoque olim dicta est, à capite Tauri insculpto, & Libitinensis, ut volunt nonnulli, quod per eam cadavera mortuorum è plebe efferrentur ad sepulchra. Quæ proxima est Esquilinæ, atque hodie sita in formis Aquæ Claudiæ, Major dicitur, Nævia à plerisque dici solet, à Nævia sylva juxta urbem olim sita; Fulvius hanc olim Labicanam, & Prænestinam quoque dictam affirmat; Onuphrius Esquilinam vult esse, motus autoritate Strabonis, qui ortum Prænestinæ & Labicanæ viæ à porta Esquilina deducit. Cœlimontana ab antiquis dicta est quod in Cælii montis clivo sita est; antiquissima vero ejus denominatio est Querquetulana. Sequitur in murorum angulo porta sed clausa, quam Marlianus à plerisque Gabiusam existimari affirmat: quia mittebat Gabios, via Gabinâ. Latina, quæ sequitur, inde nomen assecuta est, quod mittat in Latium: Ferentina quoque dicta

*Portæ Vrbis florentis.*
*Flumentana sive Flaminia.*
*Pinciana.*
*Collina sive Salaria.*
*Viminalis.*
*Catularis.*
*Esquilina.*
*Nævia.*
*Cœlimontana.*
*Gabiusa.*
*Latina.*

dicta à Ferentino oppido ad viam Latinam sito. Non longe à Latina sequitur Capena, à Capena civitate juxta Albam ab Italo rege ædificata; aut à Camœnis, quarum extra Portam & lucus, & ædes fuit; vel à Capenatibus populo Latiæ; sive à Capenate fluvio sic dicta; nunc S. Sebastiani dicitur; celeberrima est, & apud Historicos & Poëtas frequens ejus est mentio; Propertius lib. IV.

*Capena.*

*Armaque cum tulero Portæ votiva Capenæ.*

Ovidius:

*Lux eadem Marti festa est, quam prospicit extra*
*Appositum rectæ Porta Capena Viæ.*

Appiam enim reginam Viarum ab ea initium habuisse constat. Trigemina subsequitur, sic appellata quod eâ contra Curiatios tergemini Horatii exierint, antiquitus ad Aventini radices erat sita, non longe à S. Mariæ in Cosmedin. Livius ait, *Ædiles extra portam Trigeminam in Aventinum portum struxisse.* Sed prolato dein ab Imp. Claudio pomerio, receptoque intra id Aventino, ad radices ejusdem montis, ait Onuphrius, ubi Testacei planities primum intrari incipit, translata est: post à Bellisario eo quo nunc est locata fuit. Frequens quoque ejus apud veteres scriptores mentio. Plautus in Captiveis:

*Trigemina.*

*Vel extra portam ire Trigeminam ad saculum licet,*
*Quod mihi ne eveniat nonnullum periculum est.*

Hæc ab Ammiano Marcellino, Procopio aliisque ejus ætatis scriptoribus, à Via Ostiensi, quæ ab ea initium ducebat, Ostiensis dicitur; nunc S. Pauli, à proxima ejusdem Sancti Basilica. Trans Tiberim portæ sunt tres: Portuensis, sic dicta quod ad portum Romanum perducat, antiquitus Navalis à proxima navium statione, ut docet Sextus Pompejus: Ianiculensis in dorso Ianiculi est, nunc S. Pancratii, cujus frequens apud Procopium mentio. Aureliam hanc fuisse dictam, omnes fere Antiquarii, & cum iis Onuphrius, affirmant; sed ego cum Procopio eam statuo prope molem Adriani ac S. Petri Basilicam. Tertia Septimiana est, à Septimio Severo Imperatore, qui, teste Spartiano, Thermas Septimianas in trans-Tiberina regione ad portam sui nominis ædificavit, sic dicta; hanc nonnulli Fontinalem antiquitus dictam affirmant; alii Capenæ hoc nomen tribuunt; sed cum incertum sit, aliquid definire supersedeo. Has portas ævo suo fuisse notat Procopius, præter portulas quasdam minoris notæ, quarum unam fuisse denotat prope Collatinam; cujus hodie nullum apparet vestigium: inter Viminalem vero & Esquilinam, vel, ut Onuphrius vult, Viminalem & Tiburtinam prope murum Castri Prætorii porta visitur jam dudum clausa. Hanc Onuphrius Querquetulanam vocat, motus loco Plinii l. 16. c. 10: *Fagutali Iovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem vimina petebantur*; ergo in Viminali porta Querquetulana fuit, hæcque eadem, infert; sed ego Donati sententiam amplector, qui in Cœlio monte Querquetulanam collocat, cui suffragatur Tacitus lib. 4. Annal. *Haud fuerit*, inquit, *absurdum tradere, montem eum* (Cœlium) *antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis sylvæ frequens, fœcundusque erat: mox Cœlium appellatum, &c.* Plinii vero locum idem Donatus sic interpretatur: Scribit Plinius de lucis in urbe, aitque, *Sylvarum certe*, Roma scilicet, *distinguebatur insignibus: Fagutali Iove, etiam nunc ubi lucus Fageus fuit*; hoc est enim unum è sylvarum insignibus. Tum pergit: *Portâ Querquetulanâ*; alterum id insigne, ubi lucus fuit querceus: pergit, *Colle, in quem Vimina petebantur*: tertium sylvarum insigne, Collis Viminalis; quæ & mihi interpretatio adhiberi commode posse videtur; portam autem hanc olim Viminalem fuisse antiquitus, & inter aggeres, sed clausam ædificatione Castrorum propter propinquitatem, atque eo translatam ubi nunc Viminalis conspicitur. Inter aggeres dici, affirmat Pomponius Lætus his verbis: *Inter hanc portam, Tiburtinam* vult, *& Viminalem, erat porta quæ vocabatur inter aggeres, quæ nunc est clausa; ubi erat satis mun ta.* Piacularis & Minucia ubi fuerint, fateor me ignorare; sed cum superioribus potius numerandas, quam separandas existimo. Sangualem cum Collina eandem arbitror. Aureliam collocat Pro-

*Portuensis.* *Ianiculensis.* *Septimiana.* *Aurelia.*

Procopius haud procul ab Adriani ponte & ſepulchro, Apoſtolique, D. Petri ſcilicet, Templo omnium propinquiorem, ſic ut fuerit ad caput Pontis Ælii. Triumphalem à ſuperioribus diverſam Onuphrius collocat ſub Vaticano trans Tiberim juxta viam & pontem ſui nominis. Donatus inter Capitolium & Tiberim locat Carmentali propinquam; ſane & ego exiſtimo fuiſſe Triumphalem haud longe à Capitolio, & ultra Campum Martium poſitam; cum certum ſit tempore Ciceronis Portam Triumphalem in Vrbe fuiſſe; quo Campus Martius, locuſque, ubi portam hanc ſtatuit Onuphrius, longè extra Vrbis mœnia fuit. Dion Caſſius, lib. 2, *Caſtra metantes extra Vrbem in Campo Martio, qui petunt Triumphum.* Vbi vero conſtituenda ſit, haud ſatis clare video, quamvis Donati opinio ſat probabilibus videatur niti fundamentis: affirmat idem ſolum ad Triumphorum uſum patuiſſe, aliis temporibus clauſam & obſeratam; ſed de hiſce in noſtro de Triumphis tractatu latius.

*Triumphalis.*

SEPTEM MONTES VRBIS.

Omnes Autores antiqui Romam ſeptem in montibus ſitam pronuntiant. Plinius l. 3. c. 5. *Complexa montes ſeptem ipſa dividitur in regiones quatuordecim.*
Ovid. 2. Triſt.

*Et quæ de ſeptem totum circumſpicit Orbem*
*Montibus.*

Propertius. 3. eleg.

*Septem Vrbs alta jugis, toti quæ præſidet*
*Orbi.*

*Palatinus.*

Sunt autem ii montes in circulum quaſi diſpoſiti; Palatino centrum obtinente; in eo autem, ut ſupra diximus, Vrbis jecit fundamenta, ſedemque ſuam fixit Romulus; quare à Trebellio Pollione & Romulius dictus eſt. Variæ de nominis origine autorum ſententiæ: Varro l. 4. de lingua Latina ait Palatium dictum fuiſſe, quod Palantes cum Euandro in illum locum venerint: aut quod Palatini, qui & Aborigenes, ex agro Reatino, qui vocatur Palatium, ibi conſederint; mox addit, alios à Palatio uxore Latini dictum hunc montem tradidiſſe; alios à pecore balante: quod Feſtus approbat in hæc verba ſcribens: *Palatium mons Romæ appellatus eſt, quod ibi pecus paſcens balare conſueverit, vel quod palare, id eſt, errare, ibi pecudes ſolerent:* ſubjungit deinde alios exiſtimaſſe, quod Hyperborei filia Palanto ibi habitaverit, quæ ex Hercule Latinum peperit: alios, quod Pallas Hercule & Dyna Euandri filia procreatus, ibi ſepultus ſit. Solinus c. 2. ſcribit, quoſdam autores eſſe Palatium à Pale Dea nomen adeptum. Pars autem ejus Germalus dicebatur, alia vero Velia. Romulus autem eum primus inhabitavit, deinde Tullus Hoſtilius: & poſt D. Octavium Auguſtum omnes Imperatores; adeo ut in hoc monte fuerit Sedes Imperii Romani. Habet autem hic mons ad Ortum Suburram & Cœlium: ad Occaſum Forum Romanum, & Capitolium: ad Meridiem Circum Maximum & Aventinum: ad Septentrionem Viam Sacram, & Templum Pacis.

*Capitolinus.*

Sequitur Capitolinus, qui tribus inſignitus eſt nominibus, Capitolii, ſc. Montis Saturnii, & Tarpeii: Saturnium autem dixerunt, quod in eo Saturnum habitaſſe, urbemque Saturniam condidiſſe crederent. Ennius apud Varronem ab hoc monte toti Italiæ nomen inditum diſerte canit:

----- *Saturnius illi*
*Nomen erat, de quo late Saturnia terra.*

Tarpejus vero dictus eſt à Sp. Tarpejo arcis præfecto, ut innuit Propertius 8. eleg.

*A duce Tarpeio mons eſt cognomen adeptus.*

Vel à Tarpeja Virgine Veſtali, quam ibi Sabini armis injectis necarunt & ſepelierunt: cujus nominis monumentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes, Saxum Tarpejum nuncupatur; è quo noxios præcipitare ſolebant: quare partem hanc montis, *ut funeſtum locum noluerunt cum reliqua Capitolii parte conjungi*, ut ait Plutarch. in Vita Romuli. Capitolium dictus eſt, quod cum fundamenta in eo foderentur ædis Iovis, caput humanum inventum fuerit; Arnob. lib. 6. ſcribit Toli cujuſdam caput fuiſſe, montemque ab eo Capitolium denominatum. Habet autem hic mons ad Ortum forum Romanum & montem Palatinum: ad Occaſum urbem planam; ad Aquilonem forum Trajani & Quirinalem, ad Meridiem, Aventinum, Tiberim, & Theatrum Marcelli.

Qui-

*Quirinalis.* Quirinalis ab Oriente Esquilias & Viminalem habet; ab Occasu Vrbem planam & Campum Martium: à Meridie Nervæ & Trajani fora atque Capitolium; à Septentrione collem hortulorum, & portam Viminalem. Dictus est authore Varrone, à Curetibus, qui cum T. Tatio Romam venerunt, ibique castra habuerunt. Festus scribit ante Agona vocatum fuisse, hisce verbis: *Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes post fœdus inter Romulum & Tatium ictum, à quo hanc appellationem sortitus est; quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino ita dictum.* Ovid. 2. Fast.

*Templa deo faciunt, Collis quoque dictus ab illo est.*

Dionys. Halicarn. l.2. eum Agonalem quoque vocat; Salutaris, Latiaris, & Mutialis quoque vel mons ipse, vel partes ejus nuncupatæ fuerunt. Fuit vero in hoc Colle præcipua sextæ regionis pars, quæ Alta Semita dicebatur.

*Cœlius.* Cœlio monti nomen dedit, (ut tradit Varro lib. 4. de lingua Lat. Dionys. Halicarnas. & Festus) Cœlius Vibennius Tuscus Dux nobilis, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Querquetulanus olim appellatus fuit testante Tacito lib. 4. Augustus postmodum dictus est, cum Tiberius Cæsar, ædificia in eo ab incendio consumta instauraverat. Suet. in vita Tiberii: *Quod tamen* (inquit) *beneficium tanti æstimavit, ut montem Cœlium appellatione mutata vocari Augustum jusserit: Quod is post incendium, quibusdam dominis insularum, quæ incendio in monte Cœlio flagraverant, pretium restituerit.* Nusquam alibi me legisse memini montem hunc Augustum dictum; sane prior appellatio ad hæc nostra tempora perdurat, atque hodie Cœlius adhuc appellari solet. Habet hic mons ab Oriente Vrbis mœnia, terminumque regionis Esquilinæ & portam Esquilinam; ab Oriente Suburram & montem Palatinum: à Septentrione Carinas, Cæliolum & Esquilias: à meridie piscinam publicam, & planitiem illam, quæ ante viam Appiam à Septisonio Severi versus portam Capenam protenditur.

*Esquilinus.* Esquilinus mons nomen accepit, ut plerique existimant, ab excubiis, quas Romulus in monte habuit, cum T. Tatio parum fidens, infidæ societatis suspectum haberet. Ovid. 3. Fast. agnoscit quoque hanc etymologiam, dum ait:

*Adde quod excubias ibi rex Romanus habebat,*
*Qui nunc Esquilias nomina Collis habet.*

Alii non ab excubiis, sed ab quisquiliis dictum montem putant, quod aucupes ibi sparsis quisquiliis aves illuderent. Nonnulli quod exsultæ quisquiliæ à Rege Tatio in illo monte fuerint. Variis porro nominibus colles nonnulli hujus montis fuere denominati, alius Cispius, alter Oppius, Septimius alius, teste Varrone, l.4. de ling. Lat. Habet ab Ortu mons hic urbis muros, versus castrum Prætorium: à Meridie viam, quæ vulgo Labicana dicitur: ab Occasu vallem inter Cœlium & Palatinum longe lateque patentem; à Septentrione Viminalem collem.

*Viminalis.* Viminalis mons, ut vult Varro, sic dictus est à Jove Viminio, quod ibi aræ sint ejus; aut quod vimineta ibi fuerint. Festus astipulatur ei, cum ait: *Viminalis & collis & porta appellabantur, quod ibi viminum sylva fuisse videtur, ubi ara est in Vimino consecrata.* & Iuvenalis Satyra tertia:

*Esquilias, dictumque petunt à Vimine collem.*

Tendens hic mons in ortum habet campum Esquilinum, & Vrbis muros cum Castris prætoriis; in Occasum vero Quirinalem, falsam Suburram, & vallem planam interjectam: in Meridie Esquilias, viamque intermediam: à Septentrione Vrbis muros versus portam Viminalem. Constituit autem cum Esquiliis quintam Vrbis regionem.

*Aventinus.* Aventinum montem aliquot de causis sic dictum affirmat Varro, scilicet; vel ab Aventino Rege Albano illic sepulto, vel ab adventu hominum, quod ibi commune Latinorum Dianæ Templum sit constitutum; vel ab advectu, quod cum à cæteris mons iste paludibus esset disjunctus, ex urbe ratibus eò vecti homines essent; cui sententiæ ipse accedit Dionys. Halic. Livius, Ovidius & Festus docent ab Aventino Albanorum Rege montem fuisse denomina-

minatum. Alii ab Avente Sabinorum fluvio dictum volunt, quibus in Vrbem receptis Romulus Aventinum habitandum dedit: ut tradit Varro in libro de gente Populi Romani. Virgilius vero & Ovidius docent montem hunc & ante Euandri & Herculis in Italiam adventum, Aventinum dictum fuisse; ab avibus scilicet, quæ sese à Tiberi in eum ferrent. Murcium quoque dictum fuisse asserit Festus à Sacello Deæ Murciæ, quod sub eo monte fuit. Item collis Dianæ, à Dianæ templo quod in eo extitit. Martial. l.12:

*Quum tu forsitan inquietus erras*
*Clamosa Juvenalis in suburra:*
*Aut collum Dominæ teris Dianæ*

& libro 7. ad Maximum:

*Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ.*

Celeberrimus autem fuit hic mons, primo auspicio Remi; quare eum ut obscœnis avibus ominosum, omnes Pomerio Vrbis includere supersederunt usque ad Tiberium Cæsarem, qui eum Vrbi inclusit: deinde celebratur quoque Aventini, Remi & T. Tatii Regum sepulchris; atque secessione plebis in eum facta; de qua Dionysius & Livius fuse. Decima tertia regio Vrbis constituitur quæ ad ortum in Meridiem declinantem respicit Vrbis muros; ad Meridiem planiciem Testaceo monti subjectam: ad Occasum Tiberim; ad Septentrionem montem Palatinum. Atque ii sunt septem illi colles, & quibus gentium Domina Roma à Græcis ἑπτάλοφος, à Latinis Septicollis, & Septemgemina appellata est: præter hos autem crescente populo, & Imperatorum Vrbis augendæ desiderio alii quoque colles pomerio Vrbis fuere inclusi, qui fuerunt; Hortulorum, Ianiculus, & Vaticanus.

*Reliqui Vrbis Colles.*

*Collis Hortulorum.*

Collis Hortorum, sive Hortulorum, denominationem accepisse videtur à proximis Salustii hortis, vel ab hortis quibus forsitan fuit consitus: usque ad Aureliani Imperatoris tempora, qui eum Vrbi inclusit, extra Vrbis fuit mœnia; nihilominus & ante id tempus celeber, tum ob gentile Domitiorum monumentum, in quo Nero Cæsar sepultus, ut testatur Suetonius in ejus vita; cum quod Candidatis (ut ait Macrobius,) *usus erat in Comitium nundinis venire, & in hoc Colle consistere: unde ab universis possent videri, & inde Campum Martium, petitum Magistratum, descendere.* Pincius postmodum dici cœptus est à nobilissima Pinciorum familia, quæ circa tempora Constantini in Vrbe floruit. ab Oriente habet Quirinalem, à quo via tantum, qua ad portam Collatinam itur, discernitur; ab Occidente Campum Martium, viamque Flaminiam; à Meridie viam, quam veteres Pilam Tiburtinam nominarunt; à Septentrione Vrbis mœnia.

*Ianiculum.*

Ianiculum sic dictum ait Festus, quod per eum tanquam per Ianuam, populus Romanus primitus transierit in agrum Etruscum: Virgilius lib. 7 Æneid. ab oppido, quod Ianus in eo condidit:

*Hic duo præterea, disjectis oppida muris*
*Relliquias, veterumque vides monumenta virorum,*
*Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,*
*Ianiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.*

Macrobius à Iano quod ibi sepultus, vel habitaverit, sic dictum existimat; ex hoc autem Roma maxime conspicua, quamvis sit infrequentior ob cœli gravitatem, quod utrumque testatur Martialis:

*Longo Ianiculi jugo recumbit*
*Et planus modico tumore vertex,*
*Cœlo perfruitur sereniore:*
*Hinc Septem dominos videre Montes,*
*Et totam licet æstimare Romam.*

Fuit clarus hic mons atque Numæ, & Statii Cæcilii Poëtæ sepulchris celebris; tum etiam à secessione in eum plebis facta, cum à Q. Hortensio Dictatore revocaretur; teste Plinio lib. 16. ab Ortu autem atque Meridie prata Mucia, portam Portuensem & fluvium respicit; ab Occasu habet campos, Vrbis muros, & portam Ianiculensem; à Septentrione respicit Vaticanum, & Campos Neronis.

*Vaticanus.*

Trans-Tiberim quoque est Vaticanus, olim inhabitatus, nec ad Vrbem pertinens; Gellius lib. 16. c. 17. ait agrum Vaticanum & ejusdem agri deum præsidem sic appellatum à Vaticiniis, quæ vi atque instinctu ejus dei in

in eo agro fieri solita essent. Varro apud eundem eodem loco hanc tradit esse nominis rationem: *Nam sicut Ajus,* inquit, *Deus appellatus, araque ei statuta est quæ est infima Nova Via, quod in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia. quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est, idcircoque vagire dicitur exprimente verbo sonum vocis recentis.* Festus scribit, eum sic appellatum fuisse, quod eo potitus sit populus Romanus Vatum responso, expulsis Etruscis. Martialis sæpius hujus Montis meminit, affirmans vina ejus pessima fuisse. Spectat autem ad ortum Campos Vaticanos, & Molem Adriani, atque flumen; ad occasum Campos Neronianos; ad Meridiem Ianiculum; & ad Septentrionem prata Quinctii & Montem Marii.

*Tres monticuli minores.* Sunt præterea Romæ tres monticuli sive colles minoris notæ, nec adeo ut dicti celebres, Testaceus, Citatorius, & is quem plerumque Villam publicam ab antiquariis nominari video: inter *Testaceus.* hos Testaceus celebrior, quem è sordibus fragmentisque fictilium ibi ab opificibus conjectis crevisse affirmant plerique: Nam, ait Marlianus, illud opificum genus in uno loco habitare, atque sordes, inutilia, & fragmenta in unum locum projicere jussum; ne ea in campos jacta infrugiferos eos, sterilesque redderent, neve in aquam projecta alvei tandem expleti flumen redundaret; sed cum nullibi apud autores veteres id me legere memini, cum Donato miror unde tanta figulinorum operum copia, ut inde collis excreverit. Conspiciuntur tamen congestæ fictilium ibi reliquiæ, sed unde illuc conjectæ fuerint nescio. Dolioli nomine à quibusdam insignitur: Marlianus altitudinem ejus centum sexaginta pedum esse affirmat. Situs vero est non longe à Porta Trigemina, prope Tiberim in planitie, quæ Aventino, Vrbis muris, & fluvio circumscribitur.

*Citatorius.* Citatorius monticulus erigitur prope viam Flaminiam & Columnam Antonini, qui vulgo nunc Citorius dicitur; appellatum eum existimant antiquarii à Citandis Centuriis, ac Tribubus in Comitiis. Non longe à Ponte Ælio urbs è planitie paululum assurgit, nunc montem Iordanum nuncupant; sed an natura loci, vel ruinis ædificii cujusdam excreverit, nescio; sane nulla ejus apud veteres autores mentio.

Vrbem Romam in tres partes, quas etiam tribus appellavit, & triginta curias Romulus divisit, ut tradunt Dionys. & Livius: hæ fuerunt Tatiensium, Rhamniensium, & Lucerum; prima à T. Tatio Rege, altera à Romulo, tertia à luco nomen consecutæ; cumque hæc Tribuum quæque proprium locum in Vrbe occuparet, ut testis est Ovidius 3. Fast. *Regiones Vrbis.* *Tres sub Romulo.*

*Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,*
*Quosque vocant Rhamnes, Luceribusque dedit.*

Rhamnenses scilicet Palatium & Cœlium montes; Tatienses Capitolium & Quirinalem; Luceres loca inter Palatium & Capitolium plana atque circa forum; in totidem regiones urbem divisisse Romulum recte affirmari puto. Servius Tullius postquam septem montes uno muro complexus esset, Vrbem in quatuor partes divisit à collibus cognominatas, Palatinam, Suburranam, Collinam & Esquilinam; è tribubus tribus quatuor quoque efficiens: duravit autem hæc Vrbis in quatuor partes divisio, usque ad Cæsarem Augustum, qui urbe maxime aucta, ejus *Spatium,* ut ait Suetonius in ejus vita, *in regiones* XIV, *vicosque divisit, instituitque ut illas annui Magistratus sortitò tuerentur, &c.* Tacitus quoque lib. 15. Annal. loquens de incendio Neronis, sic ait: *in regiones* XIIII. *Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta.* Sextus Rufus, & P. Victor ex professo quatuordecim hasce regiones descripserunt, quorum libellos sexcentis à se locis auctos descriptioni Vrbis suæ interserit Onuphrius Panvinus, & Rosinus Antiq. Rom. lib. 1. Nos, ne in librum evaderet hæc descriptio, descriptionem contractam Regionum breviter ex eod. Onuphrio adferemus. Prima itaque Vrbis regio denominata est Capena, à porta proxima; obtinebat autem omnia loca, quæ tunc circa eam partem erant tam in Vrbe, quam extra, *IV. Sub Servio Tullio.* *XIV. Sub Augusto.* *I. Capena.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

usque ad Basilicam S. Sebastiani. in ambitu continebat pedes tredecies mille & ducentos viginti tres. Habebat autem ab Oriente Cœlimontium, ab Occidente Aventinum, ab Aquilone Piscinam publicam, à Meridie Circum castrensem, Viam Appiam, & Suburbia. Divisa erat in Vicos novem. Habebat Vicomagistros triginta sex, Curatores duos, Denuntiatores duos, Lucos tres, Ædes sex, Ædiculas decem, Areas septem, Aras duas, Lapidem Manalem, Circum Caracallæ cum Obelisco, Senaculum ad Portam Capenam, Mutatorium Cæsaris, Campum Ridiculi, Hortos Terentianos, Tabernas Sedicias, Thermas Commodianas & Severianas, Balinea publica sex, privata absque nomine octuaginta duo, Lacus Fund. octuaginta tres, Arcus quatuor. Sepulcra plurima, Horrea quatuordecim, Pistrina duodecim, Domus centumviginti unam: Insulas, quater mille ducentas & quinquaginta.

II. *Cœlimontium.* Secunda Regio denominata est Cœlimontium à Cælio monte, vicinas regiones habens à Meridie, Capenam & Piscinam publicam, ab Occidente Palatinum, à Septentrione Regionem Isidis & Serapidis Monetæ, & Esquilinam. Complexa ipsum montem Cœlium, Suburram celeberrimam inter urbanas Viam, & Cœliolum; in ambitu vero pedes tredecies mille & ducentos. In hac regione fuerunt vici duodecim. Vicomagistri triginta duo. Denuntiatores duo. Cohortes Vigilum quinque. Caput Africæ. Arbor Sancta. Mica aurea. Spolium Samarium. Luci Duo. Templa quinque. Ædiculæ octo. Statua equestris M. Antonini Imp. Ludi duo. Regia Tulli Hostilii. Armamentarium. Castra peregrina. Mansiones Albanæ. Campi tres. Thermæ publicæ. Balineæ privatæ octuaginta. Lacus Fund. sine nomine sexaginta quinque. Macellum Magnum. Horrea viginti tria. Pistrina viginti tria. Domus centum triginta tres. Insulæ ter mille & ducentæ.

III. *Isis & Serapis Moneta.* Tertia Vrbis Regio dicta est Isis & Serapis Moneta, à Templo Isidis & Serapidis: includitur regionibus Cœlimontio; Palatino; Via Sacra, & Esquilina: in ambitu habet pedes duodecim mille quadringentos & quinquaginta. Sunt vero in ea: Carinæ, locus in Vrbe celeberrimus. Vici octo. Vicomagistri triginta duo. Curatores duo. Denunciatores duo. Caput Suburræ. Tribus Gratiæ aureæ. Summum Choragium. Caput Viæ Sacræ. Prætura præsentissima. Lucus Cuperius Scholæ Capulatorum. Templa duo. Ædiculæ octo. Porticus duæ. Amphitheatrum Vespasiani. Ludi tres. Castra duo. Scholæ tres. Thermæ Cæs. tres. Balineæ privatæ septuaginta. Lympheum Tib. Cl. Cæs. Aug. Lacus Pastoris, & sine nomine sexaginta quinque. Horrea viginti novem, vel novemdecim. Pistrina viginti tria. Domus centum sexaginta. Insulæ bis mille octingentæ septem.

IV. *Via Sacra.* IV. Vrbis Regio à Via Sacra nomen habet, & quandoque Templum Pacis dicitur; vicinæ ei sunt Regiones: Forum Romanum, Via Lata, Alta Semita, Isis & Serapis, nec non Palatina; continet ambitu pedes quater decies mille, alias octodecim mille: sunt vero in hac regione: Via Sacra. Ad Cornetа. Vici octo. Vicomagistri triginta duo: Curatores duo. Denuntiatores duo: Carinæ Caput. Æquimelium. Bucena aurea. Sororium Tigillum. Meta Sudans. Caput Lynco. Busta Gallica. Templa decem. Ædes tres. Ædiculæ octo. Volcanale. Sacriporticus. Porticus absidiata. Areæ duæ. Sacellum Deæ Strenuæ. Colossus Solis. Apollo Sandaliarius. Odeum. Fora duo. Basilicæ duæ. Secretarium Pop. Rom. Balneum Daphnidis. Balineæ privatæ septuaginta quinque. Lacus sine nomine septuaginta novem. Arcus tres. Horrea octodecim. Pistrina viginti quatuor. Domus centum triginta & octo. Insulæ bis mille & septingentæ quinquaginta octo.

V. *Esquilina.* Regio v. Esquilina cum Turri & Colle Viminali: regiones adjacentes sunt: Alta Semita, Isis & Serapis & Cœlimontium; ambitu continebat pedes quindecim mille nongentos & quinquaginta. Sunt in ea Montes Esquilinus & Viminalis. Aggeres Tarquinii. Clivus Vrbicus. Vicus Patricius. Figlinæ duæ. Vici quindecim. Vicomagistri sexaginta. Curatores duo. Denuntiatores duo. Stationes Cohort. septem Vigilum. Tabernola. Tres-Tabernæ. Luci octo. Templa sex. Ædes sex.

ſex. Ædiculæ ſedecim. Sacella tria. Aræ duæ. Hercules Silvanus. Iſis Patricia. Amphitheatrum Caſtrenſe. Circus Aureliani cum Obeliſco. Forum Eſquilinum. Baſilica Sicini. Campi duo. Horti tres. Caſtra Prætoria. Vivarium. Thermæ duæ. Balineum Pauli. Balinea privata ſeptuaginta quinque. Nympheum Alexandri Imp. Lavacrum Agrippinæ. Lacus Promethei ſecund. Caſtellum aquarum Marciæ, Iuliæ, Tepulæ. Arcus Gallieni. Macellum Livianum. Horrea viginti tria. Piſtrina vigintiduo. Domus centum octuaginta. Inſulæ bis mille octingentæ & quinquaginta.

VI. *Alta Semita.* Regio Sexta Alta Semita dicitur; Vicinæ ei ſunt Eſquilina; Iſis & Serapis & Via Lata. Complectitur ambitu quindecim mille & ſexcentos pedes; ſunt vero in hac Mons Quirinalis. Campus Sceleratus. Clivus publicus. Vici ſeptendecim. Vicomagiſtri quadraginta octo; alias quinquaginta duo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Cohortes Vigilum tres. Capitolium Vetus. Malum Punicum. Decem Tabernæ. Ad Gallinas Albas. Pila Honoris. Templa quindecim. Ædes Divi Fidii. Ædiculæ ſedecim. Sacellum Quirini. Porticus duæ. Area Callidii. Statuæ quinque. Circi duo. Fora duo. Senaculum Matronarum. Horti Saluſtii. Thermæ Diocletiani. Thermæ Conſtantini in Colle. Balnea Pauli. Balnea privata octuaginta quinque. Bibliotheca Vlpia in thermis Diocletiani. Horrea novendecim. Piſtrina viginti tria. Domus centum quinquaginta quinque. Inſulæ ter mille quingentæ & quinque.

VII. *Via Lata.* Regio ſeptima erat Via Lata inter Altam Semitam, Circum Flaminium, Forum Romanum & Viam Sacram. continebat ambitu viginti tres mille & ſeptingentos pedes. In hac erant Vici quadraginta. Vico-Magiſtri centum ſexaginta. Curatores duo. Denuntiatores duo. Cohortes ſeptem Vig. prim. Pila Tiburtina. Ad manſuetos. Lapis pertuſus. Templa tria. Ædicula Capraria. Porticus Conſtantini. Sacellum Genii Sangi. Equi ænei Tiridatis. Fora duo. Caſtra Gentiana. Campus Agrippæ. Horti Argiani. Balinea privata ſeptuaginta quinque. Nympheum Iovis. Lacus Ganymedis. Lacus ſine nomine ſeptuaginta ſex. Arcus tres. Piſtrina ſeptendecim. Horrea viginti quinque. Domus centum viginti. Inſulæ ter mille trecentæ octuaginta quinque.

VIII. *Forum Romanum.* Octava Regio Forum Romanum eſt, habens circumjacentes Regiones, Viam Latam; Circum Flaminium; Circum Maximum; Palatinam & Viam Sacram. Continet ambitu pedes quatuordecim mille octingentos ſexaginta ſeptem. Sunt in ea Mons Capitolinus. Porta Stercoraria. Via Nova. Vici duodecim. Vicomagiſtri quadraginta octo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Cohortes Vigilum ſex. Vmbilicus Vrbis. Milliarium Aureum. Porta Carmentalis. Puteal Libonis. Lacus Curtius. Pila Horatia. Scalæ Annulariæ. Sub Novis. Ad Iunium ſecundum Tiberim. Luteolæ ad Iani templum. Marſias. Faviſſæ Capitolinæ. Lucus Veſtæ Cuperius. Templa viginti & unum; in quibus Statuæ & Signa plurima. Ædes viginti & una cum ſignis aliquot. Ædiculæ duodecim. Porticus novem. Iani duo, celebris Mercatorum locus. Atria tria. Areæ tres. Sacella quatuor. Delubra duo. Aſylum inter duos Lucos, Arcemque & Capitolium. Domus Div. Tatii. Doliola. Sepulcrum Romuli & Accæ Laurentiæ. Vicus Ruminalis. Lupercal Virginis. Germalus. Aræ quatuor. Signa & Statuæ Deorum plurimæ. Simulacra hominum plurima, quæ vide apud Onuphrium. Leonis. Equi quatuor. Elephas herbarius. Æreum Tauri ſimulacrum. Signum anſeris argenteum in Capitolio. Clypeus Martis cum imagine Haſdrubalis. Ænearum tabularum publicarum tres mille. Ludus Æmilius. Fora ſeptem. Curiæ tres. Regia Numæ. Senaculum aureum. Baſilicæ ſeptem. Comitium, in quo ficus Ruminalis. Roſtra Vetera P.Rom. Roſtra nova. Græcoſtaſis. Carcer à Servio Tullio ædificatus. Stationes municipiorum. Ludi Litterarii. Schola Xantha. Horti Aſiniani. Septem tabernæ argentariæ. Balineum Polycleti. Balineæ privatæ ſexaginta ſex. Lacus Iuturnæ. Lacus ſine nomine centum viginti. Biblio-

bliothecæ duæ. Arcus quatuor. Fornix Sertinii in foro Boario. Columnæ sex, quarum duæ rostratæ. una Cochlidis Trajani. Sepulchrum C. Poblicii Bibuli ædilis plebis. Macellum. Horrea viginti octo. Pistrina triginta. Domus centum viginti. Insulæ ter mille octingentæ sexaginta septem.

IX. *Circus Flaminius.* Nona urbis Regio Circus Flaminius dicitur, qui in circuitu continet pedes triginta mille quingentos sexaginta. adjacent Via Lata, Alta Semita, Circus maximus; in hac fuerunt Collis hortulorum, Campus Martius, Viæ Fornicata, & Recta. Vici triginta. Vico-Magistri centum viginti. Curatores duo. Denuntiatores duo. Palus Caprea. Minutia vetus. Minutia frumentaria. Crypta Balbi. Ciconiæ nixæ. Meleagricum. Fregellæ. Luci quinque. Templa octo. Ædes viginti. Ædiculæ triginta. Porticus duodecim. Delubra tria. Ara Neptuni. Minervium. Odeum. Minerva Vetus cum luco. Iupiter Pompejanus. Colossus Apollinis. Equiria. Circi duo. Stadium. Obeliscus pro gnomone in Campo Martio, Stabula quatuor factionum. Theatra quatuor. Amphitheatrum Statilii Tauri. Naumachia Domitiani. Forum Ahenobarbi. Basilicæ tres. Curiæ duæ. Septa Agrippiana & Trigaria. Ovile. Diribitorium. Villa publica. Carcer centum virorum. Horti duo. Schola Porticus Octaviæ. Thermæ quinque. Balnea privata sexaginta quatuor. Lavacrum Apollinis. Lacus. Fons Scipionum. Bibliotheca porticus Octaviæ. Arcus bini. Columna Cochlidis Antoniniana. Columna index belli inferendi. Sepulcra Augusti, Domitiorum; & alia plurima in Campo Martio, Pistrina triginta duo. Horrea triginta duo. Domus centum sexaginta. Insulæ ter mille septingentæ octuaginta & octo.

X. *Palatium.* Regio Decima Palatium dicitur, & includitur Foro Romano, Circo Maximo, Cœlimontio & Via Sacra. In ambitu continet pedes undecies mille & sexcentos. In hac sunt, Mons Palatinus. Via Nova. Prata Bacchi, Clivus Victoriæ. Vici septem. Vico Magistri viginti octo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Sedes Imp. Rom. Velia. Summa Velia. Ad capita Bubula. Sicilia in Palatio. Ad Mammam. Lucus Larum. Templa decem. Ædes novem. Ædiculæ septem. Porticus Templi Apollinis. Area ejusdem templi. Sacella duo. Delubra quatuor. Pentapylon Iovis Arbitratoris. Auguratorium. Iovis Cœnatio. Curia Saliorum. Sacrarium Saliorum Palat. Lupercal in Theatro. Casa Romuli. Tugurium Faustuli. Aræ duæ. Colossi duo. Fortuna Respiciens. Victoria Germaniciana. Statua aurea Britannici Cæs. Theatrum Statilii Tauri in Palat. Curiæ Veteres quatuor. Balineæ Palatinæ. Privatæ quindecim. Arcus Octavii. Bibliothecæ Palat. duæ. Biblioth. Domus Tiber. Septisonium Severi Imp. Sepulchrum Cinciorum. Pistrina duodecim. Horrea sedecim. Domus centum octoginta novem. Insulæ mille sexcentæ.

XI. *Circus Maximus.* Regio undecima, Circus Maximus dicta, includitur Aventino, Piscina Publica, Palatino & Foro Romano. In ambitu continet pedes undecies mille & sexcentos. In hac fuere Vici octo. Vico-Magistri triginta duo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Porta Trigemina. Salinæ ad eam. Velabrum majus & minus. Argiletum. Luci duo. Templa quatuor. Ædes viginti duæ. Ædiculæ octo. Areæ duæ. Sacraria duo. Sacellum Iovis Conservatoris. Aræ quatuor. Apollo Cœlispex. Hercules Triumphalis. Signa Dearum in Circo Max. Circus Maximus. Circus intimus. Forum Olitorium, Basilica Caij & Lucii Cæs. Campus Trigeminorum. Tabernæ Bibliopolarum Argiletanæ. Emissarium Cloacæ Maximæ in Tiberim. Balineæ privatæ quindecim. Fornix Sertinii in Circo Max. Columna Lactaria in foro Olitorio. Lupanaria. Horrea sedecim. Pistrina duodecim. Domus centum octoginta novem. Insulæ mille sexcentæ.

XII. *Piscina Publica.* Duodecima Vrbis Regio, quæ Piscina Publica dicitur, adjacentes habet regiones, Cœlimontium, Portam Capenam, Aventinum, Circum Maximum & Palatinum: continet ambitu suo pedes duodecim mille. In hac fuere Vici duodecim. Vico magistri quadraginta octo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Cohortes Vigilum tres. Caput

caput Viæ Novæ. Fons Lollianus. Ædes duæ. Ædiculæ duodecim. Area Radicaria. Ara Lavernæ. Fortuna Mammosa. Isis Athenodora. Signum Delphini. Campus Lanatarius. Horti Asiniani. Thermæ Antoninianæ. Balineæ privatæ sexaginta octo. Lacus octuaginta. Septisonium Vetus. Horrea viginti octo. Pistrina viginti quinque. Domus centum viginti octo. Insulæ bis mille quadringentæ octuaginta sex.

XIII. *Aventinus.* Regio decima tertia, quæ Aventinus dicitur, adjacentes habet regiones: Portam Capenam, Piscinam publicam & Circum Maximum; continet autem in ambitu pedes sedecim mille trecentos. fuere in hac Mons Aventinus. Clivus Publicii. Vici septemdecim. Vicomagistri sexaginta octo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Clivus Publicus. Caput Armilustri. Doliolum. Remuria. Scalæ Gemoniæ. Lauretum. Mappa Aurea. Spelunca Caci. Platanon. Luci sex. Templa sex. Ædes octo. Ædiculæ septemdecim. Porticus duæ. Atria duo. Sepulchrum Divi Tatii. Areæ duæ. Ara Iovis Elicii. Vortumnus. Fortuna horreorum Galbianorum. Statua Minuci Augurini Præf. annon. Odeum. Naumachia. Forum pistorium. Campus pecuarius. Schola Cassii. Thermæ duæ. Balineæ privatæ septuaginta quatuor. Lacus sexaginta octo. Fons Silvani. Emporium extra portam Trigeminam. Sepulchrum C. Cestii. Columna P. Mancini Præf. annonæ. Horrea triginta sex. Pistrina triginta. Domus centum & quatuor. Insulæ bis mille quadringentæ octuaginta octo.

XIV. *Trans-Tiberim.* Regio Vrbis decima quarta à situ Trans Tiberim dicitur; & in ambitu complectitur pedes tricies ter mille & quadringentos octuaginta novem. In hac erant Ianiculus & Vaticanus montes. Insula. Navalia. Vici viginti tres. Vico magistri nonaginta duo. Curatores duo. Denuntiatores duo. Cohortes Vigilum septem. Caput Gorgonis. Luci duo. Templa tria. Ædes sex. Ædiculæ viginti duæ. Ianus Septimianus. Areæ duæ. Ara Martis. Statuæ tres. Divæ Corniscæ. Hercules Cubans. Hippodromus. Circi duo. Stadius publicus. Obeliscus Magnus in Insula. Naumachiæ duæ. Tribunal Aurelium. Castra duo. Campi tres. Horti quinque. Albiona. Prata Mucia. Prata Quinctia. Nosocomion in insula. Thermæ duæ. Balinea Ampelidis. Prisciliani. Privata centum triginta sex. Lacus centum octoginta. Sepulchrum Numæ in Ianiculo, Cæcilii Poëtæ, & Adriani Imp. Horrea viginti duo. Pistrina triginta duo. Domus centum quinquaginta. Insulæ ter mille quadringenta novem.

*Viæ in Vrbe.* Vrbs cum conderetur, & sub Regibus augeretur, Vicos Viasque meliori forma directas habuisse quam post Gallicum incendium, equidem crediderim: cum in initio, quamvis tenues essent opes, non prohiberent tamen quominus justa dimensione per collium acclivia, valliumque ima viæ producerentur: cum vero colles cæteri adjecti, urbisque mœnia fuere prolata, receptis in Civitatem finitimis devictis, eorumque opibus traductis: tum muro lapideo, aggere, fossa in planioribus locis munita est: exsiccata & purgata cloacis minoribus primum, dein maximâ; ex quâ publicorum operum curâ liquido constare existimo Viarum Vicorumque ornamenta haud fuisse prætermissa. Sed post cladem Gallicam, *Festinatio*, ut ait Livius ad finem lib. v. *curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificant; ea est causa, ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta: formaque urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis.* Tacitus ait libro XV, Vrbem veterem fuisse *arctis itineribus, hucque & illuc flexis atque enormibus vicis; domus vero post Gallica incendia nulla distinctione & passim erectas.* Quam deformitatem Nero Cæsar post decantatum illud incendium, forte vel dolo ejus, quod magis credibile, excitatum, ut Tacitus lib. XV scribit, sustulit, *Dimensis Vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibitâ ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus quæ insularum frontem protegerent.* Eorum tamen vicorum angustias Neronem sustulisse crediderim, circa quos incendium ædificia depopularat. Subdit Tacitus eodem loco: *Erant tamen qui crederent, veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum, & altitudo*

*tudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem & nulla umbra defensam, graviore æstu ardescere.* Quo ex loco patet conspicuam sane post memoratum incendium fuisse relictam Vicorum latitudinem, magnificumque decus Vrbi, si non salubritatem attulisse. Livius lib. 41. ait: *Censores Vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substernendas, marginandasque primi omnium locaverunt*: idque accidisse anno post Vrbem conditam DLXXI. An igitur per quingentos & quod superest annos Viæ in urbe nullo lapide stratæ fuere? mihi sane id haud credibile videtur; cum difficile atque impeditum peditibus præbuissent iter: nam & postquam silicibus essent stratæ, propter angustias tamen, planitiem, hominum, jumentorum, vehiculorumque multitudinem cœnosas lutulentasque fuisse demonstrat Martialis l. 6. ep. 60.

*Et Prætor medio cogitur ire luto.*

Et alibi:

*Et nunquam sicco sordida saxa gradu.*

Vix quoque probabile est Ædiles Curules de Viis extra urbem silice sternendis cogitasse, in ipsa vero urbe cœnosas, lutulentas, incessuque difficiles relinquere voluisse; cum tamen constet ex Liv. lib. 9. anno ab V.C. quadringentesimo quinquagesimo nono *ab ædilibus curulibus viam à Martis silice ad Bovillas perstratam fuisse.* Crediderim certe, his rationibus motus, vias in Vrbe si non omnes, præcipuas saltem & maxime frequentari solitas, glarea sive lapillis minutissimis, aliave materia duriore fuisse substratas; Censores vero deinceps silice eas stravisse majoris & ornamenti & commoditatis gratia. Silex autem non erat, ut nunc mos est, particulatim diffractus & concisus; sed crassus & in fronte latus binos, ternos, quaternosve, ut notat Donatus, pedes; multiplici ferme angulo perpolitus, ut aliis inæqualis crassitudinis facile committeretur, nec se commissura laxaret.

*Via Sacra.* Inter vias autem, quæ in Vrbe fuerunt, maxime celebratur Sacra, sic dicta vel quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium, ut affirmat Dionys. Halicarn. vel quod eo itinere utantur Sacerdotes Idulium, Sacrorum conficiendorum gratia. Ovid. trist. lib. 3. eleg. 1.

*Hæc est à Sacris quæ via nomen habet.*

Initium hæc habuit prope Amphiteatrum Titianum, illincque recta juxta templum Pacis & Faustinæ in Capitolium tetendit per Septimii Severi arcum juxta Templum Iovis Statoris. Per hanc viam triumphantes in Capitolium aliquando ascendisse nos docet Propertius l. 2.

*Actiaque in Sacra currere rostra via.*

Certe in ea deambulasse homines plerumque animi gratia ex Horatio in sermonibus apparet, Sat. 9.

*Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos.*

Maxime frequentatam fuisse tam situs loci indicat, quam quod in ea res viles veniebant, ut poma, tali, flabella, tesseræ; autoribus Ovidio, Varrone, & Propertio:

*Et cupit iratum talos me poscere eburnos*
*Quæque nitent sacra vilia dona via.*

Pueri autem rogare solebant, da mihi sacram viam. Ovidius:

*Si tibi nil dederit, sacra roganda via est.*

Hincque est quod auræ popularis studiosi in hac sese populo ostentare solebant, ut de Mena Pompeii Magni liberto Horatius in epodis 4.

*Videsne Sacram metiente te viam*
*Cum bis ter ulnarum toga,*
*Vt ora vertat huc & huc euntium*
*Liberrima indignatio.*

Propertius vilitatem scorti ostendere volens, de ea sic infit:

*Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco*
*Nec sinit esse moram, siquis adire velit*

E quibus patet eam celeberrimam & frequentissimam fuisse:

Via Nova jungebatur foro secundum radices Palatii, supra ædem Vestæ, in Velabrum autem desinebat. *Via Nova.* Varro: *Accæ Laurentiæ sacrificium fit in Velabro, qua in Novam Viam exitur, ut ajunt quidam ad Sepulchrum Accæ.* Præterea hujus viæ meminit situmque indicat Ovid. 6. Fast.

*Forte revertebar festis Vestalibus illac,*
*Qua Nova Romano nunc via juncta foro est.*

Livius quoque lib. 1. histor. his verbis: *Ex superiore parte ædium per fenestras in Novam Viam versas (habitabat enim Rex ad Iovis Statoris) populum alloquitur.* Ex quo

quo loco apparet Novam æque ac Sacram prope Iovis Statoris aut incepisse, aut saltem transiisse. Spartianus in vita Antonini Caracalli meminit alterius Viæ Novæ, quam Caracallus munivit, *quæ est sub ejus thermis*, Antoninianis scilicet; *qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam invenias.* De hac Pomp. Lætus quoque scripsit. Fuerunt præterea aliæ nonnullæ Viæ, quas Novas vocarunt, quas recensere difficile esset: volui tamen lectorem monitum, ne existimet ea, quæ de diversis sæpe dictum inveniet, de una eademque scripta fuisse.

*Altera Via Nova.*

*Via Lata.*

Via lata & hodie vetus nomen retinens, celeberrima superest à Macello corvorum ad Columnam Antoninianam; in hac lacus Ganymedis, Solisque & Spei ac Fortunæ templa in magno cultu fuere, ut ait Alex. ab Alex. l. 2. c. 18. In Campo Martio tres Viæ secundum ejus longitudinem fuerunt, Fornicata, Flaminia & Recta.

*Via Fornicata.*

Fornicata sic dicta quod tecta esset fornicibus & porticu, hanc à porta Flaminia usque ad fontem hodie Trivii duxisse juxta hortulorum collem existimo: cum prope dictum fontem hodie colatur Templum D. Mariæ in Fornica, cognomine procul dubio ab hac Via derivato. Meminit hujus Livius lib. 22. c. 36, hisce verbis: *Et in Via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti, exanimatique fuerunt.* Hodie Via Græcorum dicitur à templo nationis Græcæ in ea sito.

*Via Flaminia sive Media.*

Flaminia, quæ & Media dicebatur, propior erat Tiberi, medio fere campo, hancque hodie il Corso appellant vulgo. Meminit hujus inter alios Suetonius in Aug. c. 100. de Mausoleo Augusti verba faciens. *Id opus*, inquit, *inter Flaminiam Viam & ripam Tiberis, sexto suo consulatu extruxerat.*

*Via Recta.*

Definebat in Via latâ Via Recta, quæ proxima Tiberi strata est: desiisse eam in Tiberim Donatus existimat priusquam ad Mausoleum Augusti perveniretur; motus hoc loco Senecæ in ludo de morte Claudii Imp: *Inter Tiberim & Viam Rectam descendit ad inferos.* Ast ego potius crediderim productam in aliis viis finiisse, cum alioquin haud magni usus fuisset Via adeo celebris. Martialis hanc quoque prope Flaminiam locat lib. 8. epigr.

*Dum reperit sera conductos nocte penates*
*Lingonus à Rectâ, Flaminiaque recens.*

*Via Alta.*

Via alta, quæ & alta semita dicebatur à D. Augusto una quatuordecim regionum urbis instituta, in dorso Quirinalis erat lapide quadrato strata; protendebatur autem à loco ubi nunc equi marmorei visuntur usque ad portam Viminalem.

*Esquilina & Cœlimontana.*

Esquilinæ & Cœlimontanæ quoque meminit Alex. ab Alex. gen. dier. l. 2. c. 18. easque denominatas ait, ut verisimile, quod in Cœlium & Esquilinum montes ferent.

*Suburrana, Piscinaria, Ælia.*

De Viis Suburrana, Piscinaria & Æliâ nulla fere apud veteres autores mentio; Suburranam ego mediam Suburram transiisse credo, fuisseque à foro Romano ubi Suburra incipit per forum Nervæ usque ad clivum Suburranum extensam. Sane inter primas & celebres Viarum habitam una cum Carinis existimo cum Alex. ab Alex. l. 2. De cæteris urbis viis nihil fere reperire est.

*Vici Vrbis.*

Vrbis Vici præcipui partim à conditoribus, partim ex variis eventis nomina sumserunt.

*Vicus Thuscus.*

Vicus Thuscus, à Thuscis habitatoribus sic denominatus est; cum enim Porsena Rex Vrbe relicta contra Aricinos copias admovisset, prælioque essent fusi Hetrusci, atque Romæ hospitaliter excepti, curatique; amore Vrbis hospitumque moti, locum quem incolerent petierunt, *his locus ad habitandum datus quem deinde Thuscum Vicum appellarunt*, ut tradit Livius 2. hist. Dionys. Halicarn. l. 5. *His Senatus locum in Vrbe ad ædificandum dedit, Vallem inter Palatinum & Capitolinum colles, quatuor ferme stadiis protensam; qui usque ad nostram ætatem Vicus Thuscus Romana lingua vocatur, qua transitur à foro in Circum Maximum.* Alii huic vico appellationem factam ajunt, quod sedem illic acceperit Cœlius Vibenna Hetruscæ gentis Dux, à Prisco Tarquinio ob suppetias ei latas. Tacit. lib. 4. Annal.

*V. Thurarius sive Iugarius.*

Huic vico in Velabro jungebatur Vicus Thurarius sive Iugarius, qui à porta Carmentali secundum radices rupis Tarpejæ, & Capitolii mittebat in forum. *A Porta Carmentali Iugario Vico in forum venere.* Liv. 3. dec. l. 7. &. l. 35. *Saxum ingens in vicum Iugarium ex Capitolio procidit.* Vertumni autem statua erat

erat in fine utriusque Vici ubi jungebantur. Iugarius autem dictus est, quod in eo esset ara Iunonis Iugæ, quam præesse matrimonio putabant, autore Festo; ad quam nonnulli scribunt veteri ritu nubentes vinculis junctos fuisse, in omen futuræ concordiæ. Thusco & Iugario vicis vicinus erat Melius, quod patet è Livio: *Lupus*, inquit, *Thusco Vico atque inde Melio per portam Capenam prope intactus evaserat*; hinc non longe fuit locus in media Vrbe, qui Busta Gallica dicebatur; ubi Gallorum, qui Romam occupaverant, cadavera combusta atque sepulta sunt; è Vico Thusco & Velabro per forum Boarium in Vicum Publicum flectebatur, qui à dicto foro incipiebat, & in Aventinum ad Iunonis Reginæ Templum ducebat. Vicus Patricius inter Viminalem & Esquilias est, ubi nunc Ædes D. Laurentii in Fonte, & D. Pudentianæ, sic dictus, quod regnante Servio Tullio, quum timerent Patres ne quid Romana Nobilitas moliretur, locus iis in urbe semotus, quem incolerent, datus fuit. Meminit hujus vici Martial. 7. epigr. 72.

V. Melius.

V. Publicus.

V. Patricius.

*Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,*
*Et tua Patricius culmina Vicus habet.*

Præter hunc vicum fuit & angiportus Patricius ad ædem Dianæ, ad quem viros ingredi religio non sinebat. In ascensu Esquiliarum est Vicus Cyprius, à Cypro sic dictus, quod, teste Varrone, *ibi Sabini Cives additi consederunt, qui à bono omine id appellarunt; nam Cyprum Sabinè bonum est.* Erat autem Vicus hic è Sacra Via in ipsa planitie Suburram versus protensus. Cum hoc Sceleratum eundem facit Dionys. Halicarn. l. 4. *Is Vicus Cyprius ante dictus, ex atroci isto & abominabili casu Sceleratus Romana voce dictus est.* Et eum secutus Alex. ab Alex. 2. gen. dier. 18. Ego tamen cum Varrone, & ex recentioribus Donato, utrumque diversum esse existimo; Vicumque Sceleratum ad caput Cyprii Vici incepisse, illinc extensum secundum radices Esquiliarum: causam & originem nominis his verbis tradit Livius; *Cum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium Vicum, ubi Dianium nuper fuit: flectente carpentum dextrâ in Virbium clivum, ut in collem Esquiliarum eveheretur, restitit pavidus, atque inhibuit frenos is qui jumenta agebat, jacentemque Dominæ Servium trucidatum ostendit. Fœdum, inhumanumque inde traditur scelus, monumentoque locus est: Sceleratum vicum vocant, quo amens agentibus furiis, sororis ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur.* Hunc locum integrum adferre placuit, quod ex eo apparere existimo vicos hosce fuisse diversos, sed junctos eo loco ubi clivii Virbii in Esquilias incipiebat adscensus. Vicus Mamurii erat ante forum Salustii, ubi nunc ædes S. Susannæ non procul à porta Salaria: sic autem dicta à statua ejusdem Mamurii, insignis fabri, qui ancilia tempore Numæ regis confecerat plumbea; Vicinus autem huic erat Malum Punicum, Vicus natalibus Domitiani Cæsaris celebratus. Sueton. in Vit. Domit. *Natus est regione Vrbis sexta, ad Malum Punicum, domo quam postea in templum gentis Flaviæ convertit.* Videtur autem Vicus is ita fuisse appellatus ab arbore quæ illic speciosa succreverat; fuit vero circa ædem S. Susannæ, vel in septis monialium, vel in hortis Barberinorum. In sexta regione quoque erant vici, ad Capita bubula, ad Pirum, & Scalas Annularias. Vicus publicus incipiebat à foro Boario. Alex. ab Alexandro commemorat Vicum Aphricum, atque eum dictum fuisse quod in eo ex Aphrica divertebant hospites, quique obsides dati erant: Fregellæ vero vicum dictum, quod ea loca Fregeæ civitatis hospites incolerent: Sobrium, vel quod nulla ibi caupona foret, aut officina vinaria; vel quia lacte, non vino Mercurio litabatur, nomen vendicasse: Longum à longitudine nomen fecisse, in cujus summa parte, Febris phanum, & ara Pudicitiæ plebejæ, quam Virginia Auli filia nupta plebejo, templo sacravit, fuisse traduntur. Sandalarius vicus in quarta Vrbis regione ab autoribus ponitur; nomen vero habebat ab Apolline Sandalario, cujus effigies Sandalio, quod est calcei muliebris genus, induta, in ea colebatur; mentio hujus vici in lapide antiquo.

V. Cyprius.

V. Sceleratus.

V. Mamurii.

V. Malum Punicum.

V. Aphricus.

V. Fregellæ.

V. Sobrius.

V. Longus.

V. Sandalarius.

GER-

GERMANICO. CÆSARE.
C. FONTEJO. CAPITONE. COS.
KAL. IVN. SEIÆ. FORTVNÆ.
AVG. SAC. SEX. FONTEIVS.
L. TROPHIMVS. CN. POMPEIVS.
CN. L. NICEPHORVS. MAG.
VICI. SANDALIARI. REG. IV.
ANNI. XVIII. D.D.

*V. Histrius.* Histrii etiam vici meminit Livius, cum in eo secundo bello Punico aquarum magnam vim erupisse commemorat. *Cosconius.* Cosconium quoque fuisse tradit Alex. ab Alex. Sed qua urbis regione ignorare me fateor. Reliquos Vrbis Vicos sua quosque in regione positos scire qui desiderat, adeat Onuphrii Panvinii descriptionem regionum Vrbis Romæ.

*Clivi Vrbis.* Antequam ad vias extra Vrbem pergam, exponendi sunt *Clivi* in auctoribus celebres, qui nihil aliud, quam viæ quædam sunt ad collium altitudinem deducentes; unde etiam nomen consecuti.

*Clivus Capitolinus.* Capitolinus is est, qui è Foro Romano, à Saturni templo, juxta Concordiæ, Iovis Tonantis, duxit in Capitolium, hic à Servio *Clivus Vetus*: & quia sacrificaturi per eum ascenderent triumphantes, ab Horatio *Sacer* appellatur:

*Trahet feroces*
*Per sacrum Clivum, merita decorus*
*Fronde Sicambros.*

Fuit silice stratus & porticu decorus, ut testatur Livius: *Censores vias sternendas silice in Vrbe, & Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad Senaculum.*

*Publicus.* Publicus est qui è velabro, & foro Boario in Aventinum deduxit; secundum Varronem, hunc & Publicium dicebant ab ædilibus plebis Publiciis, qui eum publice ædificarant, ut in Aventinum vehiculi Velia venire possent. Ovidius 5. Fast.

*Parte locat Clivi, qui tunc erat ardua rupes,*
*Vtile nunc iter est, Publiciumque vocant.*

*Palatinus.* Palatinus, ab æde Vestæ tendens in Palatium: hunc quoque Sacrum nominavit Martialis lib. 1.

*Inde Sacro veneranda petes palatia Clivo.*

Scauri, à Circo in eundem montem tendit, adeptus nomen ab auctore Scauro. *Scauri.*

Suburanus dicebatur, quo è Suburra in Esquilinum itur. Mart. lib. 5. *Suburranus.*

*Alta Suburani vincenda est semita Clivi.*

Virbii Clivum fuisse vico Cyprio propinquum, quidam tradere non verentur. Quod si auctorem habent, tum è Carinis duxit in Esquilinum, juxta templum S. Petri cognominati in Vinculis. Apud Persium ultima Satyra: *Virbii.*

*Accedo Bovillas*
*Clivumque ad Virbi.*

Victoriæ Clivus erat in Palatino, Amphitheatrum versus. *Victoriæ.*

De Martis Clivo nihil extat præter inscriptionem. *Martis.*

Sed cum Vrbis magnificentia non minus in Viis extra Vrbem ipsam per totam Italiam, magno viatorum commodo stratis, appareat, quam in Vrbanis ædificiis publicæ civium commoditatis gratia constructis; adeo ut Dionysius tria in Romanis fabricis se admirari dixerit, Aquæductus, Vias & Cloacas: non absque ratione duxi, si & earum, in hac Vrbis descriptione breviter meminerim. *Viæ extra Vrbem.* Cum Romani, ut jam retuli, commoditatis publicæ essent studiosissimi, viarum curam semper præcipuam habuere, atque iis reficiendis semper primarios nobilissimosque civium præposuerunt. Primo Censores à Senatu præpositi, dein cum ii aliis rebus occupati, huic muneri sollicite vacare non possent, ex S. C. speciatim alius magistratus hanc ob causam creatus est; qui Quatuor-Viri viarum curandarum vocabantur. Postremo cum cresceret viarum numerus, pro necessitate, singulis, binis pluribusque viis singuli cives præpositi, qui curatores viarum dicebantur; Cæsar Augustus vero hunc magistratum è temporaneo ad ordinarium reduxit. Viæ autem hæ per totam Italiam silice erant stratæ, & dimenso viarum spatio, singulis intervallis columnæ lapideæ dispositæ, quæ signum intervallorum præ se ferebant. Earum vero Flaminia, Prænestina, Lavicana, Campana, Appia & Ardeatina in ipsa Vrbe initium habuerunt, reliquæ omnes à portis incipiebant,

bant, & extra portas protendebantur. Inter eas autem præcipua, maxima & laudatissima Appia, &, ut Statius ad Pollium:

*Via Appia.*

*Appia longarum teritur regina Viarum.*

Quæ in urbe ipsa à Septisonio Severi initium ducens, per Capenam portam exit: hanc munivit M. Valerio & Pub. Decio Coss. anno ab Vrbe Condita CCCC XLII Appius Claudius Censor à quo & nomen consecuta est. Frontinus ait eam Capuam usque fuisse perductam. Tacitus vero & auctor libri de Viris illustribus affirmant eam Brundusium usque fuisse deductam; sed quid vetat nos dicere ab Appio quidem Capuam usque fuisse perductam; cum ejus tempore Romanorum ditio, non ad Brundusium, sed vix usque Capuam se extendebat; sed dein à Cæsare Dictatore Brundusium productam; cum Plutarchus in Vita Cæsaris dicat, eum, quum illi hujus viæ cura esset commissa, ingentes prodegisse pecunias. Longitudo ejus est millium passuum circiter CCCL. Ducit autem, ut ex Itinerario Antonini liquet, ab Vrbe Albam & Ariciam, Tres Tabernas, Appii Forum, Privernum, Terracinam, Fundos, Formias, Minturnas, Sinuessam, Capuam, Nolam, Neapolim, Nuceriam, Salernum, &c. usque Brundusium. Dio prodit Trajanum eam restituisse, & desiccatis paludibus Pontinis, excisis collibus, aggeratis vallibus ac pontibus extructis permeabilem fecisse. Antoninus quoque Pius eam Capuam versus restituit, ut inscriptio pontis super Vulturnum docet. Libet hic adferre locum Procopii lib. I. de bello Gothico; ut ex eo lectori appareat viæ hujusce magnificentia, ejusque & ceterarum admirabilis structura. *Tum ille* (inquit) *via Latina exercitum ducit, Appia ad lævam dimissa, quam Appius Censor nongentis ante annis construxerat, exque se illi indiderat nomen. Appiæ viæ longitudinem quinque dierum spacio emetiri expeditus vir aliquis poterit, ab Vrbe Roma hæc Capuam pertinet, sed ea latitudine patet ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia libere hac queant pervadere, & sane hæc est præter cæteras omnes via quidem spectatu dignissima. Appius siquidem ex alia & longinqua tunc regione, ut reor, excisos lapides, & hos quidem siliceos, ac suapte natura durissimos, in hanc viam vehendos curavit, quos complanatos & læves postea redditos, quadratosque circumcidendo factos, invicem collocavit metalli nihil, vel rei alterius inserendo. Sunt autem ita connexi & inter se tam valide condensati, ut speciem præ se ferant visentibus, non compositos esse, sed natura sic editos: & quamvis diuturno hi tempore atterantur, plaustrisque frequentibus, & quibusvis animantibus continenter pervii sint, suo tamen nexu ne parumper quidem discedunt, vel comminuti franguntur, nec sui quidquam amittunt nitoris.* Hæc accurate & vere Procopius, cum in hunc usque diem plerisque in locis, magna cum iter facientium admiratione, Romam & Neapolim inter, pæne integra post tot exactas ætates, hæc via appareat. Fuere autem in hac via Templum Martis extramuranei: Manalis lapis: Vicus & ædes Camœnarum, ædes Honoris & Virtutis, & Tempestatis. Templum Ridiculi: Horti Terentiani: Circus, quem vulgo Caracallæ dicunt, &c. Sepulcra quoque plurima; è quibus Cicero connumerat Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum. Viam Numiciam Appiæ Vicinam, eaque Brundusium iter fuisse testatur Horat. lib. I. Epist.

*Via Numicia.*

*Brundusium Numici melius via ducat,*
*an Appi?*

In Appiam quoque incidebat Via Setina, à Setia urbe Campaniæ sic dicta. *Via Setina.*

Domitianam quoque viam in Appiam incidisse testatur Statius Papin. & in procem. IV. lib. Silvarum, ejus his verbis meminit: *tertio Viam Domitianam miratus sum, qua gravissimam harenarum moram exemit, cujus beneficio tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro à Neapoli scribo.* *Domitiana.*

Flaminia quoque in urbe à porta Flumentana initium ducebat. Hæc autem strata est à C. Flaminio iterum Cos. Qui ad Lacum Trasimenum bello Punico Secundo ab Hannibale cæsus est, ex hostium Gallorum, de quibus triumphavit, manubiis, in censura quam cum L. Paullo gessit, anno V. C. DXXX. L. Veturio & C. Lutatio. Coss. ut autores Livius, Festus Pompejus, & Cassiodorus; Strabo vero contra horum sententias ab ejus filio C. Flaminio Consule stratam affirmat hisce verbis: *Via Flaminia.*

bis: *in eodem Consulatu* (qui incidit in annum ab V.C. DLXIII) *M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuere, Victores autem Ligurum stravere; hic quidem Flaminiam è Roma per Tusciam & Vmbriam, usque Ariminum: alter &c.* Crediderim ego à Patre inchoatam, & postmodum à filio perfectam. Crebra hujus viæ apud veteres autores mentio; Augustus, (ut ait Tranquillus in ejus vita) *quo facilius Vrbs undique adiretur, desumpta sibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus Viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* Multa vero & in hunc usque diem per Vmbriam & inter Otriculum & Romam videntur ejus vestigia. Ductus ejus, secundum Antoninum in Itinerario, hic erat. Ab Vrbe Rostratam villam, hinc Otriculum, deinde Narniam, post Interamnam, Spoletium, Forum Flaminii, Helvillum, Callem, Forum Sempronii, Fanum Fortunæ, & postremo Arimini desinebat.

*Via Æmilia Lepida.*

Hanc Arimini excipiebat Æmilia Lepidi, ad differentiam alterius Æmiliæ Scauri sic dicta, quam stravit M. Æmilius M. F. Lepidus, in primo consulatu, quem cum C. Flaminio anno V. C. DLXIII gessit; ut testatur Strabo: *Eodem in Consulatu M. Lepidus & C. Flaminius collegæ fuere, Victores autem Ligurum stravere; hic quidem Flaminiam è Roma per Tusciam & Vmbriam Ariminum usque. Alter reliquam porro usque Bononiam, & ex ea in Aquileiam, prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Antoninus Pius in itinerario hunc ejus tractum tradit. Arimino Cæsenam, deinde Forum Livii, post Faventiam, post Forum Cornelii, Clacerinam, Bononiam, Mutinam, Regium, Tanetum, Parmam, Fidentiolam, Placentiam, Laudem, Mediolanum, Bergonum, Brixiam, Syrmionem, Veronam, Vicentiam, Patavium, Altinum, Concordiam, & postremo Aquilejæ desinebat.

*Æmilia Scauri.*

Æmilia altera, quæ Scauri dicebatur, per Pisas, Lunam, Sabbatios, Dertonam usque pertinuit; hanc stravit M. Æmilius Scaurus de hostium manubiis.

*Viæ in Flaminiam incidentes. Cassia.*

In Flaminiam nonnullæ aliæ incidebant viæ, inter quas prima Cassia dicta, à Cassio qui eam stravit, ut autor est Festus. Hæc à Flaminia extra pontem Milvium divisa, Sutrium, Viterbiumque & Vulsinios mittebat. Cicero Philippica 12. ejus meminit his verbis: *Tres Viæ sunt ad Mutinam: à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.*

*Via Clodia.*

Clodiam quoque in Flaminiam incidisse Ovidius testatur lib. 1. de Ponto:

*Nec quos pomiferis positos in collibus hortos*
*Spectat Flaminiæ Claudia juncta Viæ.*

Inchoabat à Roma, atque Lucam hac ratione, ut docet Antonini Itinerarium, ducebat: Roma Baccanas, dein Sutrium, Forum Cassii, Vulsinios, Clusium, Ad statuas, Arretium, ad fines sive Cæsarianas, Florentiam, Pistorium, & postremo Lucam.

*Via Annia.*

Anniam etiam vel Flaminiæ conjunctam, vel ab ea incepisse credit Onuphrius ex ordine in quadam antiqua, quam adfert inscriptione Auximate, observata. CVR. VIAR. CLODIÆ, ANNIÆ. CASSIÆ. & CIMINÆ. &c. Nec non ex alia veteri in Vrbe Castellana existente, & non longe eo translata:

HONORI.
IMP. CÆSARIS. DIVI. F.
&c. Sequitur.
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA.
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD.
CERERIS. SILICE. STERNENDAM.
CVRARVNT. PECVNIA. SVA.
PRO. LVDIS.

*Via Augusta.*

Ex eadem inscriptione Onuphrius Viam Augustam in Faliscis fuisse non procul Flaminia, & in Anniam incidisse colligit.

*V. Cimina.*

Via Cimina Flaminiæ & Cassiæ erat propinqua petens colles, Lacusque Ciminos haud procul Viterbio sitos.

*V. Amerina. V. Sempronia. Postumia.*

Amerina ex Via Flaminia discedens Ameriam ducebat. Sempronia oriebatur in Vmbriæ oppido Fulgineo, à Flaminia vero protendebatur Forum Sempronii usque. Postumia erat in Gallia Togata non procul à Bebriaco, Hostilia & Cremona, versus Flaminiam & Æmiliam strata.

*Via Salaria.*

Salariam viam Romæ sic denominatam fuisse, quod illa sal in Sabinos portari consueverat, affirmant Festus & Plinius lib. 31. c. 7. hæc porta Collina exibat, cui postea Salariæ nomen imposuit;

posuit; in hac erat templum Honoris extra portam, Sepulcra plurima, inter quæ insigne & magnificum illud Augusti tonsoris Licini; de quo Varro hoc epigrammate:

*Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo:*
*Pompejus nullo. credimus esse deos.*

C. Marii quoque ad Anienis ripas; nec non pons Salarius etiam à via dictus supra Anienem, quem à Totila disjectum restituit Narses. Tractum hujus viæ sic describit Antoninus in Itinerario: Ex urbe Heretum, Vicum Novum, Reate, Cutylias, Inter Ocream, Falacrine, Vicum Badies, Ad centesimum. In Salariam haud procul ab Vrbis porta Collina, qua exit, incidit Via Collatina, à Collatio, quo tendebat sic dicta. Quinctiam & Iuniam vias non longe ab hac via fuisse nonnulli affirmant. In Salariam quoque incidit Via Nomentana, apud Heretum Sabinorum oppidum, ut ait Strabo, super Tiberim jacens, incipiebat vero à porta Viminali, nomen consecuta, quod ea iter erat Nomentum Sabinorum oppidum: alio nomine, teste Livio lib. III. Ficulnensis fuit appellata; frequens autem hujus Viæ apud veteres autores, & in inscriptionibus mentio.

*V. Collatina.* *Quinctia & Iunia.* *V. Nomentana.*

A porta Latina initium habet via ejusdem nominis, sic dicta quod in Latinos populos duceret; à Poëtis modo Latia, modo Ausonia appellari solet; crebra autem ejus Viæ, cum fuerit celeberrima, apud autores mentio; Strabo eam ad Cassinum conjungi Appiæ scribit, à Capua XIX stadiis distans; quod & affirmatur ex Antonini Itinerario, ubi hujus Viæ tractum hoc modo delineat: Ab Vrbe ad Decimum, Roborariam, ad Pictas, Compitum, Anagniam, Ferentinum, Frusinonem, Fregellas, Fabrateriam, Aquinum & postremo Cassinum, inde Beneventum, sic Venafrum, Theanum, Alifas, Telesiam, inde Beneventum. Excipiebat hæc Via Prænestinam Anagniæ; quæ ortum habebat à Suburrâ, ducens per Gabios Præneste, & illinc Anagniam; hujus viæ intra Vrbem adhuc ex lapide quadrato extant vestigia, & in frutetis extra Vrbem, à Tusculo Præneste euntibus.

*Via Latina.* *V. Prænestina.*

In Prænestinam vero incidebat Gabina à porta Gabina exordium ducens. Labicana inter Esquilinum & Cœlium per Esquilinam (ut ait Strabo) portam exiens, vel, ut ego malo, per, Næviam deduxit ad Lavicorum oppidum, inde per Quinctanas ad Pictas perveniens in Latinam incidebat.

*V. Gabina.* *Labicana.*

A porta Cœlimontana incipit Via Campana, cujus meminit Suet. in Aug. *ad quartum lapidem Campanæ Viæ, in nemore prandenti, ex improviso aquila panem ei è manu rapuit.* & hæc Inscriptio, quæ Neapoli in marmore est:

*Via Campana.*

HVIC. MONVMENTO. ITVS.
ADITVS. AMBITVS. DEBETVR.
EX. SENTENTIA. EROTIS.
AVG. L. IVDICIS. A. VIA. CAMPANA. PVBLICA.

Ab eadem porta, vel non longe ab ea ex Via Campana exibat Tusculana, quam una cum Albana sub Augusto Cæs. instauravit M. Messalla. Vnde Tibullus lib. I.

*Tusculana.*

*Nec taceam monumenta Viæ, quæ Tuscula tellus,*
*Candidaque antiquo detinet Alba lare.*
*Namque opibus congesta tuis hic glarea dura*
*Sternitur, hic apta jungitur arte silex.*

P. Victor prodit binas Valerias fuisse, novam unam, alteram veterem; de quarum altera sic Strabo: *Præclarissimæ sunt viæ Appia & Valeria, una quidem ad mare Latinæ partes superans, altera in Sabinos usque ad Marsos. Inter has media Latina est*: cepit vero initium à Tiburtinâ. Hæc autem extra Esquilinam Tibur mittebat. De hac Horat. I. serm.

*Valeria.* *Tiburtina.*

*Cum Tiburte via Prætorem quinque sequuntur.*

Vetus inscriptio Auximas meminit trium Trajanarum Viarum.

*Trajanæ.*

CVR. VIAR.
CLODIÆ. ANNIÆ. CASSIÆ.
CIMINÆ. TRIVM. TRAIANARVM.

Sed unius tantum situm & iter deprehendi: Dio scribit Appiæ Viæ partem versus paludes Pontinas à Trajano restitutam, eamque Trajanam appellatam. Via Ardeatina ex Aventino juxta Antonini thermas, principium habebat, tendebat autem Ardeam usque. Asinaria inter Latinam & Appiam erat.

*Ardeatina.* *Asinaria.*

*Laurentina.* Via Laurentina ex eodem Monte Laurentum ducebat. Ovid. 2. Fast.

*Est via quæ populum Laurentes ducit in agros.*

*Ostiensis.* Aulus Gellius lib. 10. eam inter Ostiensem & Latinam ponit. Ostiensis Ostiam mittebat. *Portuensis.* Portuensis ultra Tiberim exiit à Porta Portuensi, & ducebat ad portum Ostiensem totius Orbis amplissimum, per hanc autem viam secundum Tiberim fuerunt horti Cæsaris Dictatoris. *Vitellia.* Vitellia à porta Ianiculensi exibat usque ad mare inferum, itemque coloniam ejusdem nominis, teste Suet. in. A. Vitellio. *Aurelia.* Aurelia exibat portâ ejusdem nominis; maritima vero Tusciæ ora, per agros sylvasque Pisas extensa; fuit & ab instauratore Trajana dicta. Cic. XII. Philippic. ejus meminit, *Tres viæ sunt ad Mutinam, à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* In veteri quadam inscriptione Tiburtina Veterem & Novam Aureliam fuisse didici. Antoninus in Itinerario à Pisis Arelatem usque viam Aureliam perducit. *Cornelia.* Corneliæ quoque viæ eadem meminit inscriptio; eam vero mediam inter Aureliam & Triumphalem ponunt aliqui. *Triumphalis.* De Triumphali in nostro de Triumphis tractatu latius.

AQVÆDVCTVS. Aquæductus Vias hic excipient, cum Viæ sint aquarum Vrbem subeuntium: ex hisce uti & Viis stratis & Cloacis maxime apparere amplitudinem Romani Imperii, autor est Dionys. 1. & Plinius l. 36. c. 15, *Siquis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis suburbanis, villis, spatioque advenientes, extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in Orbe terrarum.* Nec sine ratione; cum numero essent plurimi; & eorum nonnulli sexaginta amplius passuum millia producerentur; cum flumina integra (ut passim tradunt autores) reciperent, ac redderent; montibus quoque magnis effossis sub terra essent substructi, supra terram in imis vallibus arcuationes immanibus pilis fultæ, elatæque; quarum ingentes reliquiæ non sine stupore intuentium & extra Vrbem, & intra ejus mœnia in hunc usque diem conspiciuntur. Cassiodorus. 7. var. ep. 6. sic infit: *In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina, quasi constructis montibus perducantur, naturales credas alveos, soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis tot seculis firmiter potuit sustineri.* Procopius ait sua ætate Romæ fuisse Aquæductus quatuordecim, cocto ex lapide per priscos homines ædificatos, *ea latitudine ac simul profunditate, ut equester vir aliquis ipso cum equo per eos superne evadere liberius queat.* Tutelam horum ductuum antiquitus gerebant Censores & Ædiles. Primus Agrippa post Ædilitatem, operum suorum perpetuam curam ipse suscepit. Dein instituti sunt Curatores aquarum.

Aqua Virgo, sic appellata à puritate aquarum, quæ nullis sordibus polluuntur; vel quod virgo eam prima monstraverit; vel quod Herculaneum rivum vicinum effugiat; à M. Agrippâ Augusti genero propriis sumtibus, post tertium Consulatum suum, in Vrbem adducta est, ab octavi lapidis diverticulo II. millia passuum Prænestina via; teste Plinio l. 31. c. 3. Anno Vrbis Conditæ DCCXXXV. C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. Front. l. 2. *Arcus autem Virginis* (verba sunt Frontini) *initium habent sub hortis Lucullianis* (qui erant in Colle hortulorum) *finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum.* *Aqua Virgo.*

Aquam Iuliam Agrippa quoque in Vrbem deduxit ad milliarium ab Vrbe duodecimum Via Latina anno Vrbis C. DCCXXI. nomen Iuliæ ab inventore inditum; hæc quindecim millium passuum, prope portam Næviam parte sui effundebatur, altera pars in Viminalem. *Aqua Iulia.* Cn. Servilius Cepio & L. Cassius Longinus Censores Tepulam ex agro Tusculano collectam, in Vrbem perduxerant; hanc Iuliæ miscuit Agrippa. *Aqua Tepula.*

Aqua Martia, Plinio autore lib. 31. c. 3. *Clarissima aquarum omnium in toto Orbe, frigoris salubritatisque palma, præconio Vrbis, inter reliqua Deum munera Vrbi tributa,* ad milliarium XXXIII concepta in Pelignis, nomine quondam Aufeja, ductu passuum LXMDCCX & semis corrivata est; emergebat autem cum Iulia & Tepula ad Viminalem portam; & parte sui post hortos Pallantinos in Esquiliis mixta rivo Herculano dejicie- *Aqua Martia.*

bat se per Cœlium. Perducta est etiam in Cœlium & Aventinum; sed postquam in eos montes à Nerone Claudia deducta est, exclusa ab his erant Martia & Iulia. *Quo fiebat* (teste Frontino l. 2.) *ut quoties defectio aliqua intervenisset Aquæ Claudiæ, celeberrimi colles sitirent:* quare Trajanus ampliore opere his collibus Martiam reddidit, & in suas Thermas induxit.

*Aqua Claudia.* Aqua Claudia, Martiæ bonitate proxima, sed altior, à Cajo Caligula inchoatis binis ductibus, à Claudio perfectis per millia passuum XLVI, subterraneo & arcuato opere cum Aniene Novo perducta est. *Anio Novus.* Anio autem Novus ad discrimen veteris sic dictus est; ejus ductus efficiebat passuum LVIIIM DCC opere omnium altissimo, qua arcuatum attollebatur; hic Claudiæ mixtus eam sæpius turbidus limo vitiabat, ut & cæteras, in quarum specus, quod altissime flueret, deducebatur ab aquariis; donec Nerva Imperatore tam Anio, quam reliquæ inter se discretæ fluxerunt. Claudia vero & Anio Novus post hortos Palantianos in Colle Esquilino finitis arcubus, fistulis per Vrbem distribuebatur, sed ante partem sui ad Portam nunc majorem transferebat in Cœlium arcubus Neronianis, quorum ingentes in dorso Cœlii & hodie spectantur reliquiæ; illinc partim in Aventinum, partim in Palatinum deducebatur.

*Anio Vetus.* Anio Vetus cura M. Curii & L. Papyrii Cursoris Censorum A. V. C. CCCCLXXXIX in Vrbem deductus est, ex Aniene fluvio, à vigesimo supra Tibur milliari; effluebat autem in Salinas prope portam Trigeminam; & alia sui parte intra portam Esquilinam per altiores Vrbis partes distribuebatur; sed postea, quod turbulentus & minus salubris esset, in hortorum rigationem & ipsa urbis sordidiora ministeria destinatus est.

*Aqua Alsietina.* Aqua Alsietina, quæ & Augusta dicebatur, quod Augustus eam providisset, omnibus erat humilior & parum salubris, inserviens Naumachiæ ab Augusto trans Tiberim extructæ, hortis subjacentibus, & usibus privatorum.

*Herculaneus Rivus.* Herculaneus Rivus supra Anienem novum conceptus, ei postea jungebatur, gratiam splendoris amittens, cum natura esset purissimus; in Vrbe etiam Martiæ junctus Cœlium irrigabat.

Appia deducta est ab Appio Claudio Cæco, M. Valerio Maximo & P. Decio Mure Coss. anno Vrbis CCCCXLII; inter milliarium autem VI & VIII. concepta, passuum amplius undecim millibus derivata, effundebatur prope portam Capenam & Trigeminam ad Salinas, fluens ad Campum Martium humilis & subterraneo rivo. *Aqua Appia.*

Aquæ autem universæ quæ in Vrbem Romanam fluxerunt, hæ sunt: Appia: Anio Vetus & Novus: Martia, cui addita Augusta & fons Antoninianus; Tepula, cui mixta & Iulia: Alsietina: Crabra, quæ primum pro voluntate Aquariorum, deinde tota jussu Imperatoris exclusa est: Aqua Virgo: Claudia, quæ triplex, Albudina, Curtia, Cærulea; demum Herculaneus rivus. Hisce autem, prout ab insequentibus Imperatoribus aut restitutæ, aut ad Thermas, Balneave sua fuere deductæ, varia indita nomina: adferuntur vero præter dictas, Sabatina, Alexandrina, de qua Lampridius: *Thermas sui nominis fecit* Alexander, *juxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ nunc Alexandrina dicitur.* Septimiana. Severiana. Cimina. Annia. Algentina. Damnata. Aurelia. Autoniniana.

A Tarquinio Prisco rege primum ad munditiem Vrbis, sordesque omnes, vel abluendas, vel evehendas Cloacæ extructæ fuerunt. *Cloacæ.* Plinius ait Cloacas istas, lapidibus sectis & ad normam positis suffultas, spatium etiam currui fœno onusto ad transitum præbuisse. Enimverò Marlianus, insignis Romanarum antiquitatum scrutator, qui dimensus est, prodit, pedum XVI. se latitudinem reperisse. Strabo l. 5. cum aquæductus, vias stratas & Cloacas admiretur, ait: *Cloacæ, quibus civitatis sordes in Tiberim eluerentur, duro cameratæ lapide pervias carris stramentorum semitas reliquerunt.* Et Dionys. 3. Rom. antiq. *Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquæductus, Viæ stratæ, & Cloacæ, reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem;*

*dinem; quam vel hinc licet conjicere, quod ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando Cloacas, & non transmittentes aquas, Censores mille talentis purgandas locaverint*: hoc est sexcentis millibus aureorum. Quod Plinius ait, *Corrivatos septem amnes*; hoc de septem præcipuis Cloacis intelligitur. Nam tot fuere quot sunt montes, ex quibus defluebant, & derivabantur aquæ, & sordes, & in magnam unam confluebant, quæ è fastigio ducta sordes omnes in Tiberim, præter alias minores Cloacas, avehebat.

TIBERIS FLUVIUS. Tiberis ex Appennino profluens, tenuis primo, tum infra Clanium duobus & quadraginta fluviis auctus, & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, Etruriamque ab Vmbris, Sabinis, & Latio, ipsamque Vrbem in partes duas secans, in mare Tyrrhenum evolvitur; *latitudo ejus*, ut ait Dionys. l. 8, *est quatuor ferme jugerum: profunditas navibus etiam magnis meabilis; fluxus concitatus & verticosus siquis alius.* Olim in foro Romano, & Velabro, & maxime in proxima Valle Circi Maximi inundantes aquæ Tiberis stagnabant: Propertius 4. el. 10.

*Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque*
*Nauta per Vrbanas velificabat aquas.*

Hæc autem stagna & paludes egregio opere substructis Cloacis Tarquinius Romanorum Rex quintus exsiccavit; simul repurgato laxatoque alveo, ne fluvius effunderetur. Augustus postea, referente Suetonio, alveum rursus repurgavit, laxavitque; & Aurelianus postea spondas ripis addidit, ut auctor est Vopiscus. Stratus erat in Vrbe pontibus septem, & non longe extra Vrbem Milvio, horum antiquissimus erat

PONTES.

*Sublicius.* Sublicius, ab Anco Martio Quarto Rege è trabibus, tabulisque iliceis extructus; Ovidius Roboreum vocat, cum ne unum quidem clavum ferreum ei infigere permissum esset, postquam Horatio Coclite vim Etruscorum irrumpentium solo sustinente, ægre fuisset disruptus; Victor Æmilium vocat. Situs erat ad radices fere Aventini ultra

*Senatorius sive Palatinus.* pontem nunc S. Mariæ dictum, qui olim Senatorius, & Palatinus nominari solebat: existimant antiquarii de hoc ponte loqui Livium: *M. Fulvius plura, & majoris locavit usus, portum, & pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus, & L. Mummius censores locaverunt imponendos.*

*Fabricius.* Fabricium, Insulam Vrbi jungentem *L. Fabricius, C. F. Cur. Viar. faciundum curavit*, ut in utroque fornicis arcu inscriptum est.

*Cæstius.* Cæstius Insulam & Transtiberinam Vrbis regionem jungebat, Esquilinus olim dicebatur.

*Ianiculensis.* Ianiculensis erat ubi nunc is est, quem à conditore Sixtum vocant.

*Vaticanus.* Vaticanus, ubi hodie in Tiberi ad S. Spiritus Nosocomium conspiciuntur reliquiæ.

*Ælius.* Ælium fecit Adrianus Imp. ad sepulchrum suum, qui hodie adhuc extat.

*Milvius.* Milvius ultra primum ab Vrbe lapidem in Via Flaminia est ab Æmilio Scauro conditus.

INSVLA TIBERINA. Insulam Tiberinam pulso rege Tarquinio (post quem Consularis dignitas suprema fuit) ex abjectis in Tiberim Tarquinii segetibus, quas ad usum conferre abominabantur, aliisque deinde sordibus longa collectione natam, sunt qui asserant: industria tandem hominum redditam habitabilem. Longitudo ejus se ad 250 passus; latitudo vero ad 50. tantum extendit. Ipsa porro insula lapidibus olim instructa in modum puppis, præter templum Iovis, Æsculapii, Fauni; insignem fertur habuisse statuam Iulii Cæsaris, ac semel, quod scribit Tacitus lib. 1. histor. *In Insula Tiberini amnis sereno & immoto die ab Occidente in Orientem conversam.* Eodem loco Simoni Mago statuam Ethnici posuerunt, ut narrat Eusebius Ecclesiast. Histor. lib. 2. cap. 12.

CAMPI VRBIS. Campi in Vrbe fuerunt planicies vacuæ ab ædificiis, qui aut spectaculorum caussa habebantur, certorumque conventuum, aut usibus civium necessariis addicti erant. Agam de singulis, ducto exordio à Campo Martio, qui ob longitudinem, amœnitatem, aliasque rationes dicendas principatum tenet.

*Campus Martius.* Campum Martium ab Aureliano primum in Vrbem receptum Onuphrius existimat: at extra Vrbem olim eum fuisse, paulo eruditioribus adeo notum est, ut supervacuum videatur exponere. Nam Dionys. scribit: *Erat Campus situs inter Fluvium & Vrbem.* A vicinitate fluvii, cui à Septentrione adjacet, etiam Tiberinus appellatus: Mar-

Martius autem, quod Marti sacer esset; quem Tarquinius contempta religione suis oppleverat segetibus; post ejus exactionem ad priorem statum rediit. Quamvis mœnibus septus suam tamen adhuc viriditatem atque amœnitatem retinuisse probabile est: perpetuis enim semper antea fuerat obsitus herbis, & gramine; quare Dionysius eum vocat *Pratum equis, & juventuti exercendæ accommodum.* Campi Martii nomine intelligitur, quidquid interjacet Fluvium, Capitolium, Quirinalem, & Pincium, latiore nimirum significatione: pressa vero, & astricta, quod solum Tarquinii possederunt, & Marti postea, cui ante dicatum erat, rursus dicatum fuit. Hunc Romani veteres vicinum Tiberi delegerunt, ut juventus post exercitium armorum, sudorem, pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret. Marlianus refert, præter nativam loci amœnitatem, etiam ornamenta, & statuas illustrium virorum in Capitolio erectas, illuc ob Capitolii angustias ab Augusto translatas. Tumultu exorto delectus in eo habebatur, & hic Campus fere schola erat militiæ Romanæ, ubi juventus omni genere armorum exercebatur, caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius, quam cæsim feriendo; & interim tamen assidue se protegendo, item jaculando. Pars ibi Tyronum pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu jaculandis exercebatur: tum vero saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superante. Erant etiam equi lignei in Campo, ut insilire, desilire, dextera, læva, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret: veros etiam equos domaret, & futuris præliis assuefaceret.

*Septa.* Erat in eo locus, cui includebatur populus, donec de creandis Magistratibus suffragium tulissent, cui nomen esse voluerunt Septa, aut Ovilia, ut bene Servius ad Eclogam Virgilianam: *Septa proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans Pop. Romanus suffragia ferre consueverat; sed quoniam hæc Septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponunt.* Hic locus primo ligneis cancellis, postea marmoreis septus est. Vocatus autem ad comitia populus, & distributus in Tribus, vel Centurias, manebat in Campo, postea, ut quæque Centuria latura erat suffragium, introducebatur in Septa per angustum pontem, neque tunc aliis licebat esse intra Septa: quam ob rem Marius in Præturæ petitione ambitus suspicionem dedit, quia ejus servus intra Septa est deprehensus. Liv. Decad. 3. lib. 6. *Citatis Centuriæ senioribus, datum secretum in Ovili, cum hic colloquendi tempus.*

Ædificia seu fabricas Campi Martii sub titulo Ædificiorum perstringam, ratus id hic me facturum loco alieno, ob varietatem ac confusionem rerum, quas uno de loco possem commemorare.

Martialis Campus in Cœlio monte, à Martio denominatus, vacuus ab ædificiis in dorso montis non longe à Lateranensi Basilica. Tiberi autem Martium inundante, in Martialem, hoc est, è plano Vrbis loco in magis editum, ludorum pompa transferebatur. Auctores sunt Festus, & Ovidius 3. Fast. *Martialis Campus.*

*Altera gramineo spectabis Equiria campo,*
*Quem Tiberis curvis in latus urget equis.*
*Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,*
*Cœlius accipiet pulverulentus equos.*

Esquilinus, inter aggeres Tarquinii, & Vrbis mœnia, Septentrionem versus. In eo ante Augusti Principatum cadavera cremabantur; à Mecœnate conversus in hortos, & his temporibus vinetis consitus. *Campus Esquilinus.*

Viminalis, post Diocletiani thermas, porrectus ad muros: hodie Vivarii campus, partim consitus, partim vastus, & repletus varii generis viminibus. *C. Viminalis.*

Campus Agrippæ erat inter Capitolium, Campum Martium stricte sumtum, & Tiberim; vocabaturque ad discrimen Martii, Minor Campus. Catullus: *C. Agrippæ.*

*Te quæsivimus in Minore Campo,*
*Te in Circis.*

In hoc erant Thermæ Agrippæ.

Vaticanus, planicies illa patens & à Ianiculo ad Tiberim diffusa, protensaque in longum, à sinistra mœnibus cincta: nunc ex magna parte habitata. *C. Vaticanus.*

Figulinus, ad Aventini latus, quo fluvium spectat, lata planicies, in qua hodie Equiria, ut olim in Campo Martio, fiunt *C. Figulinus.*

fiunt. In hoc mons Testaceus conspicitur.

*C. Sceleratus.* Sceleratum, quem Plutarchus describit, non ponam, quoniam supplicii locus fuit, & extra Vrbem. In hoc enim incestæ Vestales vivæ sepeliebantur. Livius Dec. 1. l. 8: *Minucia Vestalis, facto judicio, viva sub terram ad portam Collinam, dexterâ viâ strata defossa Scelerato Campo. Credo ab incesto id ei loco nomen factum.* Ratio prædictæ pœnæ, quod terra hujusmodi libidinosa corpora purgari crederentur.

*C. Floræ.* Campus Floræ, à Flora Pompeji liberta, vel (ut alii) Pompejo cara. In hoc Campo Pompejani theatri extant vestigia.

*C. Agonalis.* Agonius, de hoc in Roma Nova. Situs est inter Vallem Martiam, & Circum Flaminium.

*Fora.* Fororum ut formam aliquam capias, ambitus fororum porticibus claudebatur, viis relictis, & spatiis ad intrandum: exterius deinde templa, & ædificia circumponebantur. Lipsius ait: Nonne *Bursam*, ut vocant, Antverpiensium vidisti? fac majorem, & oblongam esse: habes (quod ad porticus attinet) imaginem prisci alicujus Fori. Fuerunt alia ad splendorem Vrbis, alia ad civium necessitatem facta. Illa delectationis dici possunt; hæc negotiorum; quibus carere nulla civitas potest.

*Romanum.* Inter fora primi generis Romanum est, à dignitate Vrbis sic dictum, quod præ cæteris esset ornatissimum, propter ædificia: & frequentissimum propter Iudicia, ut suo loco dicam. Hoc à Romulo quidem institutum; sed ævo illius simplex fuit planities; L. Tarquinius Priscus postea exornavit, & tabernis, ac porticibus cinxit. Alii deinde alia ornamenta addiderunt, & varia in ambitu templa, palatia. Idem apud Poëtas forum Latium appellatur, & forum magnum, Ovid. 3. Fast.

*Cujus in ingenio est patriæ facundia linguæ,*
*Qua prior in Latio non fuit ulla foro.*

Hoc forum Plautus in tres partes dividit, & varia in iis hominum studia describit in Curculione:

*In foro infimo boni homines atque dites ambulant.*
*In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri,*
*Confidentes, garrulique & malevoli. Supra lacum,*
*Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,*
*Et qui ipsi sat habent, quod ipsis posset verè dicier.*

Per Lacum significat Curtium, quem describit 6. Fast. Ovid. Circa forum undequaque fuerunt tabernæ, per pilas distinctæ, quæ aut nomen habuerunt ab opificibus, aut à positu atque numero. Catullus:

*Tu ô taberna, vosque contubernales*
*A pileatis nonâ fratribus pilâ.* id est nona taberna. In parte Fori fuerunt Rostra ad radices Palatii, & Statua Marsyæ coronati, ad quam homines litigantes conveniebant. Horat. 1. Serm.

----- *Non sollicitus, mihi quod cras*
*Surgendum sit mane, obeundus Marsya.*

Occasione Fori Romani nonnihil de Rostris dicendum. Rostra quæ Iulia dicebant sive nova. Nam vetera illa non in tanto honore vel usu sunt. Rostra igitur nova sic Lipsius explicat. *Rostra in foro.* Rostra ingens sunt suggestus, in quem gradibus ascendebatur, quorum basis, sive ima, ornata rostris navium, ex Actiaca victoria: & inde Rostrorum nomen. Eadem dicebantur Consulum suggestus: quia initio magistratus eo conscendere solebant, & populum salutare: eodem iterum, cum deponerent magistratum. Plinius de Trajano: *Iam toties procedere in Rostra, hic suscipere, hic ponere magistratus, quam dignum te fuit?* Magistratus sedisse illic in sella curuli videntur, & sic se ostendisse quasi auspicii caussa. In Rostris etiam ferebantur leges, agebantur causæ, & Conciones habebantur. Ante Rostra stabat quasi populus quidam statuarum, (ut Lipsii verbis quæ non hic, sed alio loco de statuis in Vrbe adhibet, utar.) Illud autem memorabile de Rostris: quod Antonius occisi Ciceronis caput præcisum, & ad se allatum, inter duas manus in Rostris poni curaverat, ubi ille sæpe Consularis, eo ipso quoque anno adversus Antonium quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat, ut ex

Livio, Plutarcho, & aliis. Nunc ad alia fora.

*Forum Salluftii.* In monte Quirinali, quo in loco nunc ædes S. Sufannæ, Salluftii erat Forum. Hoc forum Salluftius poft Africanam Præturam emit, una cum hortis, qui & nunc Salluftiani appellantur.

*Forum Cæfaris.* Cæfaris, poft templum Pacis & Fauftinæ, juxta Viam Sacram: Ovidius Faft.

*---- hæc funt Fora Cæfaris, inquit,*
*Hæc eft à Sacris quæ via nomen habet.*

ædificatum à Cæfare de Gallicis manubiis, area coëmta fextertiûm millies, id eft, 2500000 aureorum; locus autem fuit inter ornamenta Vrbis perfpicuus. Dion lib. 43. *Forum (* Cæfar *) extruxerat, quod ab ipfo nomen obtinuit, Romano pulchrius.* Hoc reftituit Domitianus, & nominavit Palladium: Martial. lib. 1.

*Limina poft Pacis Palladiumque forum.*

Fuerunt in eodem, ut in Romano, tabernæ, teftante eodem Martiale:

*Contra Cæfaris eft forum taberna.*

*Forum Augufti.* Augufti Forum fuperiori vicinum, turrim Comitum verfus: Templo Martis Vltoris, & coloffo Augufti confpicuum. In fuo foro Auguftus in altera porticuum ordine omnes Latinos Reges à capite, & principe Ænea; in altera Romanos Reges, aut Duces claros, à Romulo ipfo ftatuit triumphali effigie ex ære, cum titulis etiam, & columnis. Hoc forum inter Vrbis miracula refertur à Plinio. Reftitutum ab Hadriano eft, tefte Spartiano. Latini Scriptores cum de tribus foris loquuntur, Romanum, Cæfaris, & Augufti intelligunt: & per triplices thermas, Agrippæ, Neronis, & Titi. Quod interpretes raro obfervarunt. Seneca de Ira: *Adjice nunc publica perjuria gentium, circumfcriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina non fufficiunt fora.* Mart. in Epigr.

*Cauffas, inquis, agam Cicerone difertius ipfo,*
*Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

*Forum Nervæ.* Nervæ, poft templum S. Hadriani, quod templum inde à tribus foris dictum eft; hoc ad Quirinalem ufque montem, parte ejus aliqua complanata, pertinuit. Tranfitorium dictum, quod inde in tria fora tranfitus pateret. Hoc excitavit Domitianus, ut eft apud Suetonium in ejus vita: *Excitavit*, inquit, *forum, quod nunc Nervæ vocatur.* Nerva enim fucceffor occifo antequam perficeret forum Domitiano, perfecit ac dedicavit. In eodem Severus Imp. Turinum fumi venditorem, qui falfo Cæfaris nomine gratiarum litteras conceflerat, fumo necavit. De hoc foro Victor clarè: *Nerva imperio fe abdicavit, dedicato prius foro, quod appellatur pervium: quo ædes Minervæ eminentior confurgit, & magnificentior.*

*Forum Trajani.* Vlpium, five Trajani inter Capitolinum, & Quirinalem, locus antea montofus fuit: fed quanta altitudo columnæ eft, tanta montem perfodit, & in planum redegit. In hujus medio pulcherrima Cochlis, è faxo folido fundata, & compacta fine cæmentis & calce, ita ut non artificiofa, fed naturalis videatur. Alta eft pedes 128, ut Marlianus: vel pedes 140, ut Eutropius, quem fequitur Platina. Sed alter à columna, alter à bafi initium fumpfit. Gradus habet 187, feneftellas 44 latitudine palmi & dimidii intra ædificium, quæ in valde anguftum contrahuntur, ut foris acceptum lumen intus diffundant. Columna ipfa pario marmore incruftata, in qua res geftæ Trajani, & præcipue bellum Dacicum eft expreffum. In hoc foro Poëtæ Aufonii ftatua fuit, de qua Sidonius Apollinaris:

*Plaufores cui fulgidam Quirites,*
*Et carus popularitate Princeps*
*Trajano ftatuam foro locarunt.*

Idem etiam de fe ipfo canit:

*Quod legimur medio confpicimurque foro.*

In eodem foro M. Antonius proponi edictum mandavit, in quo Chriftianos pœnarum crudelitate exemit, eofque vocari in jus propter religionem prohibuit: delatorem vero ipforum cremari vivum præcepit.

*Forum Boarium.* Boarium, in Velabro, inter Palatinum montem, fcholam Græcam, & Ianum quadrifrontem. Ovid. 1. Faft.

*Area quæ pofito de bove nomen habet.*

In eo templum nunc eft S. Georgii, corrupto nomine ad Velum aureum: item arcus Boarius. In eo arcu cernuntur taurorum immolationes, & victimarii facrificuli cum inftrumentis, malleo, cultro, fecuri, aheno, capide, pateris, flagello, candelabro, linteis, & qui-

quibusdam aliis ad sacrificia pertinentibus.

*Forum Suarium.* Suarium, in quo sues vendebantur, ad radices Quirinalis, prope Clivum, qui ducit ad Caballos marmoreos. De eo foro cognominatum templum S. Nicolai de porcilibus.

*Forum Piscarium.* Piscarium, proxime ædem S. Angeli in Piscina, ubi olim Mercurii porticus stetit. Vetus forum piscarium inter templa nunc S. Mariæ in Porticu, & S. Mariæ Ægyptiacæ.

*Forum Olitorium.* Olitorium piscario erat propinquum, quamvis extra Vrbem; Livius ait: Ædem Spei, quæ in foro Olitorio est, fulmine ictam; eam autem extra portam Carmentalem fuisse, alibi affirmat.

*Fora Pistoria.* Pistorium unum inter Capitolium, & Palatium, juxta ædem Vestæ: alterum in Aventino.

*Forum Cupedinis.* Cupedinis, in quo esculenta, & poculenta delicatiora vendebantur: alii in Cœlio, alii in Esquilino, nonnulli in Suburra statuerunt, eo in loco, in quo olim Numerius Equitius Cupes habitavit. Nam ante illum ad Corneta appellatum fuit: utriusque rei testis Varro. Vetus nomen mutavit Æmilio, & Fulvio Coss. ut Festus, & Plutarchus.

*Forum Suburranum.* Suburranum, in quo res ad victum necessariæ, à rusticis importatæ vendebantur. Martialis lib. VII.

*Quidquid villicus Vmber, aut colonus,*
*Aut rus marmore tertio notatum,*
*Aut Tusci tibi, Tusculique mittunt,*
*Id tota mihi nascitur Suburra.*

Hunc locum Vrbis habitaverunt qui mercede inhonesta vivebant, ut tortores, lenones, tonsores, meretrices. Vnde de impudica canit Poëta vetus:

*Nota Suburranas inter Theletusa puellas,*
*Vt puta de quæstu libera facta suo.*

Et magistram Suburranam Martialis lenam nominat: nec caret totus locus ille Satyricorum reprehensione. Et Propertius lib. 4. *Vigilantis furta Suburræ*; inquit.

*Forum Archemorium.* Præterea in regione septima Viæ Latæ post Suarium recenset P. Victor Forum Archemorium, ubi nunc est ædes S. Nicolai de Archimoniis: recenset præterea Fora Diocletiani, Gallorum & Rusticorum.

*PORTICVS.* A Foris ad Porticus non male, quæ jure inter clara Vrbis ædificia numerantur, fuerunt autem vel ædibus sacris, vel illustrium virorum domibus, vel publicis ædificiis annexæ, aut necessitatis, aut ornamenti voluptatisque gratia constructæ; nomina passim acceperunt, aut à Deorum templis, ut Concordiæ, Quirini, Herculis; aut ab auctoribus, ut Pompeja, Octavia, Livia, item Nasicæ, Metelli: aut ab ædificii qualitate, ut longa, curva, milliaria, stadiata, porphyretica, Corinthia: aut ab hominum actionibus, ut Margaritaria apud Victorem, Argentaria apud Vitruvium: aut à picturis, ut Isidis, Europæ, Argonautarum: aut à locis adjunctis, ut porticus Amphitheatri, porticus Circi, porticus Septorum, porticus Campi Martii. Hujus ædificii magnificentia Vrbem in primis ornavit Augustus, vel extruendo novas, vel instaurando veteres porticus. In porticibus interdum res seriæ agebantur, ut cum in iis haberetur Senatus, cum jus diceretur, cum publica acta notarentur, cum Legati gentium externarum exciperentur, cum sponsalia fierent: Iuvenal. Sat. 2.

*officium cras*
*Primo sole mihi peragendum in Valle Quirini.*
*Quæ causa officii? quid quæris? nubit amicus,*
*Nec multos adhibet.*

Interdum in iis lucri gratia consistebant, qui res preciosas, gemmas scilicet, tabulas, signa, toreumata, aulæa venderent. Plerunque animi caussa, æstivis præsertim caloribus, ad captandam umbram ibidem inambulabant. Enumerabo hic eas quæ separatæ ambulationibus, actis publicis, Senatui habendo inserviebant; eas, quæ ante Templa deorum, vel privatorum ædes fuere suo loco recensurus.

*Porticus Quirini.* In ea Quirinalis parte, quæ Viminalem attingit; juxta templum Quirini erat insignis porticus, quo homines vel otiandi, vel negotiandi causa conveniebant. Martial. 11. ep. 1.

*Vicini pete Porticum Quirini,*
*Turbam non habet otiosiorem*
*Pompejus, vel Agenoris puella.*

*Porticus Philippi.* In aditu Circi Flaminii, æde Herculis Musarum instaurata, Martius Philippus Augusti vitricus ingentem nobilemque

que Porticum extruxit, quam non templi pronaum, sed civium commoditati decorique Vrbis erexit: in medio ejus erat statua Herculis locata. Martialis lib. v.

*Vites censeo porticum Philippi:*
*Si te viderit Hercules, peristi.*

Hanc Plinius laudat propter Apellis & Antiphili pictorum opera.

*Porticus Concordiæ.* Concordiæ Porticus sub Capitolio Forum versus, de qua octo adhuc columnæ altissimæ extant, brevi inter se spatio disjunctæ. Hanc pene integram se vidisse scribit Poggius, & fuisse columnas ad calcis usum suo tempore disjectas: id quod non raro fit in Vrbe in præclaris, & maximis ædificiis antiquis.

*Porticus Veneris Erycinæ.* Veneris Erycinæ Porticus ante portam Collinam, ejus deæ templo conjuncta. Hujus Porticus mentionem facit Strabo lib. 6. *Est & Romæ ante portam Collinam Deæ hujus ædificium, quod Veneris Erycinæ dictitant; cui cum Æde Sacra insignis adjacet Porticus.*

*Porticus Libertatis.* Libertatis in Palatino, quam domo Ciceronis eversa fecit Clodius, sed eadem paulo post sublata.

*Porticus Nasicæ.* Scipionis Nasicæ Porticus ab æde Saturni extensa ad Capitolinum, quam inter magnificas enumerat Vellejus.

*Porticus Metelli.* Metellus Macedonicus fecerat porticus, quæ erant circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ postea Octaviæ porticibus ambiebantur.

*Porticus Octaviæ.* Cn. Octavii Porticus duobus nominibus ab aliis fuit appellata: à structura, Corinthia: à pictura, Persea. Nam Cn. Octavius de Perse Macedoniæ rege triumphum agens, ex manubiis porticum condidit, & res suas gestas in ea depingendas curavit. Vnde merito amœnissima à Vellejo habetur: Plinius ait eam ad Circum fuisse Flaminium, in Campo Minore, sive Flaminio extra Vrbem. Extant vestigia inter ædem S. Nicolai de Chalcaria, & turrim Argentinam, columnæ semiobrutæ cum capitellis Corinthiis. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus Plinio, & Victore. Ab Augusto, cum esset incendio deformata, in formam meliorem reducta est. Erat & alia Octaviæ porticus in Vrbe, ubi nunc templum Virginis cognomento à Porticu, quam Octavia soror Augusti fecerat, non minus molitione quam ornamentis insignis.

*Porticus Catuli.* Q. Catulus eversa M. Flacci domo, qui Gracchanas partes contra Remp. foverat, porticum extruxit in Palatio de Cimbricis manubiis. Eam postea prolapsam Coss. ex S. C. restituendam locarunt, & quanquam ad tectum pæne perducta, dejecta iterum à Clodio, refecta tamen, & perfecta tandem est.

*Porticus Balbi.* Balbi Porticus fuit ejus contigua theatro, circa illum locum, qui nunc Apothecarum obscurarum nomen habet.

*Porticus Æmilii.* Æmilii porticus erat inter portam Trigeminam, & navalia. Hanc incendio absumptam Augustus restituit, ut Suetonius auctor est.

*Porticus Faberii.* Faberii Porticus erat in Aventino, auctore Vitruvio. Corrupte apud Victorem Fabraria, pro Faberia legitur. Faberii scribæ multa apud Ciceronem mentio.

*Porticus Numitii.* Numitii in foro Romano circa rostra & ædem Veneris Genitricis. In hac Antonius Lupercus auream coronam Cæsari imposuit, ut est in secunda Philippica.

*Porticus Pompeji.* Pompeji porticus fuit ad ejus theatrum versus ædem, quæ nunc S. Caroli dicitur, omnium sumptuosissima, primum columnarum varietate & multitudine: etenim ἑκατόνστυλος, seu (ut quidam) Centenaria dicta est: tum platanorum ex utraque parte nemoris modo ipsam ambientium diffusa umbra: postremo aquarum illuc deductarum amœnitate, quæ singula prædicat lib. 2. Propertius:

*Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis*
*Porticus, aulæis nobilis Attalicis;*
*Et creber pariter platanis surgentibus ordo*
*Flumina sopito quæque Marone cadunt.*

Et Martialis lib. 3.

*Inde petit centum pendentia tecta columnis,*
*Illinc Pompeji dona, nemusque duplex.*

*Porticus Augusti.* Augusti, plures: una in Campo, cujus solum lithostrotum, & latera myrto, lauro ac buxo circumdata, perpetuæ viriditatis. Alia duplicata in ipsius foro, in qua statuæ virorum illustrium triumphali habitu collocatæ erant.

Livia

*Porticus Livia.* Livia Porticus, quæ & Claudia dicebatur, erat ultra templum Pacis & forum Cæsaris, propinqua Esquiliis; arsit autem tempore Neronis, sed restituta à Claudio Nerone; priori Liviæ nomini Claudiæ additum; ædificarat hanc Livia in honorem C. & L. Cæsarum. Martialis à Tito, & Domitiano fratribus indicat Claudiam restitutam. Nam postquam de amphitheatro Titi, & thermis ejusdem locutus est, addit:

*Claudia diffusas ubi Porticus excipit umbras,*
*Vltima pars aulæ deficientis erat.*

Ad eam porticum quondam terminabatur Domus aurea Neronis.

*Porticus Neronis.* Neronis Porticus intra ipsius domum æneo colosso addita. Triplex fuit, & singuli ordines M. pass̃. complexi sunt, ut ex Suetonii verbis licet intelligere. Alii Milliariam à spatio vocant.

*Porticus Nervæ.* Nervæ Porticus in ipsius foro, cum columnis excelsis, partim rotundis, partim quadratis, quarum adhuc aliquæ relictæ sunt, olim laminis ex orichalco tecta.

*Porticus Trajani.* Trajani Porticus ejusdem foro adjecta, cui columnarum altitudine nulla ullius ætatis in Vrbe par fuit. Hæc eadem est de quâ canit Sidonius:

*Vlpia quod rutilat Porticus ære meo.*

Rutilasse autem ære, propter statuas in eâ positas, ait.

*Porticus Gordiani.* Gordiani Porticus in Campo Martio sub colle, longa ped. M. in cujus lateribus viridaria ex lauro, myrto & buxo fuerunt: in capite vero ejus erat Basilica pedum quingentorum: ut est apud Capitolinum.

*Porticus Galieni.* Galieni Porticus in eodem Campo usque ad pontem Mulvium extensa, dicta πεντάστιχος, propter quinque ordines, quorum primus ex pilis, reliqui quatuor ex columnis fuerunt. Dicta etiam Flaminia propter viæ vicinitatem.

*Porticus Capitolii.* Porticus Capitolii. Hæ fuerunt in latere Clivi Capitolini, per quem ex Velabro ascensus in Capitolium fuit: consumptæ sunt incendio factionis Vitellianæ: auctor Tacitus.

*Porticus Septorum.* Septorum porticus primùm extructæ à Lepido, deinde à M. Agrippâ exornatæ fuerunt, ambientes Septa, in quibus populus magistratuum creandorum caussa conveniebat; & quoniam hæ porticus amplissimæ erant, Spectacula in eis ab Augustis non raro data: erat porro in eis quotidiana mercium pretiosarum præcipue venditio, ut innuit Martialis 9. epig. 60:

*In Septis Mamurra diu multumq; vagatus,*
*Hic ubi Roma suas aurea vexat opes.*

*Porticus Europæ.* Europæ porticus Septis erat propinqua, sub colle hortulorum, sic dicta, quod ibi pictura referebat in taurum conversum Iovem Europam ferre; nonnulli hujus autorem referunt Augustum; alii Polam Agrippæ sororem: fuit amœnissima, & frequentabatur maxime ob amœnitatem ambulantium turbarum. Martial. 11. epigr. 1.

*Turbam non habet otiosiorem*
*Pompejus, vel Agenoris puella.*

*Porticus Neptuni sive Argonautarum.* Argonautarum, à picturâ sic dicta, à Campo ad Septa extensa. Post Quirini, Pompeji, & Europæ; tanquam præcipuam hanc extollit Martial. lib. 3.

*Hinc si recessit, porticum terit Templi,*
*Aut carpit lentus Argonautarum.*

Hæc porticus Neptuni fuit, quam propter navales victorias extruxit M. Agrippa, & picturâ decoravit ad amœnitatem porticus. Adsitum ei erat Lauretum; hinc opacæ & amœnæ civium hic ambulationes: dicta quoque est Vipsania, à M. Vipsanio Agrippa conditore, & Laurus Vipsanæ. Martial. 1. ep. 109:

*At mea Vipsanas spectant cœnacula Lauros.*

*Porticus Isidis.* Isidis porticus erat in hortis Commodianis, à formâ dicta Curva: à pictura, Isidis. Nam Commodus Imperator cum Pescennio Nigro, qui postea ad Imperium aspiravit, in ea depictus fuit, quasi præses sacrorum Isidis. Non solum autem pictura, sed & musivo opere insignis fuit, ut ait Spartianus.

*Porticus Milliarensis.* Milliarensis altera erat in Hortis Sallustianis, exornata ab Aureliano, qui secessu illorum hortorum delectabatur: ut est apud Vopiscum. Egnatius à mille passuum longitudine vult Milliariam dici: quod nomen & Neronis porticus habuit, inter Palatinum, & Esquilinum, de qua paulo ante. *Longa.* Longæ Porticus mentio apud Capitolinum, quæ an eadem cum superiore fue-

fuerit, non constat, quia locum non expressere auctores. In ea fictis Maxentii literis Vitalius interfectus est.

*Porticus Porphyretica.* Porphyretica, & hæc memoratur à Vopisco. In ea actorum publicorum scribæ versati sunt. Videtur juxta *Concordiæ* ædem fuisse, in qua sæpissimè Senatus habebatur. Nam prope ædem triplicis porticus fundamenta superioribus temporibus effossa constat.

*Porticus reliquæ.* De Constantini Porticu nihil aliud, quam quod in regione viæ Latæ fuerit, ut ait Donatus: Georgius Fabricius eam in Capitolio ponit. Referuntur præter has, & aliæ, ut *Severi*, gesta ejus, & triumphos ac bella exprimentes, à Spartiano; *Minutii* à Vellejo; *Neronis* per totam Vrbem, à Suetonio; *Vipsanii* à Tacito; *Reguli* à Plinio Iuniore; *Asidata* à Victore; *Stadiata* à Vitruvio; *centum columnarum* à Martiale: quarum quia locus incognitus est, nomina saltem ex auctoribus nota esse volui.

CVRIÆ. *Curiæ* erant loca, in quibus vel Sacerdotes convenirent, ut in Calabrâ, & Veteri: vel Senatus consultaret, ut in Hostilii, Pompeji, Octaviæ: vel populus universus aliquid decerneret, ut in Curia Septa.

*Curia Calabra.* Curia Calabra à Romulo in eâ parte Capitolini montis facta, ubi nunc Romani Senatoris domus est. Hæc à calando dicta Calabra, quia in eam minor Pontifex populum vocabat, ut dies festos ac mensium initia atque progressus denunciaret.

*Curia Vetus.* Curia Vetus, juxta forum Romanum, ubi nunc collapsum templum Pacis est. Hanc alii non recte ponunt in Carinis. Augustum Cæsarem scribit Servius natum Curiis Veteribus, & nutritum Lautis Carinis. M. Crassum Oratorem caussas sub Veteribus egisse, scribit lib. 35. Plin.

Tatii Curia à rege Tatio Romuli consorte dicta: cujus locus nescitur.

*Curia Hostilia.* Duæ Curiæ Hostilii fuerunt: una, ubi antea fuerat curia Romuli, quæ ab Hostilio renovata, & amplior reddita est: altera in monte Cœlio, ubi nunc S. Ioannis & Pauli templum, quod ex iis ruinis ædificatum. Nam fornices collapsi ante templi introitum, fundamenta in cœnobio, & horto extant. Iuxta etiam in vineto grandia, & speciosa marmora effodiuntur. Fons in eodem cœnobio profundus, qui ex aqua Claudia, ut opinio multorum est, remansit.

*Curia Nova.* Curia Nova, erat proxime compitum Fabricium, ait Festus, fortasse à Curiis veteribus non diversa, sed augustius exstructa, atque splendidius ampliata. De hac Propert. lib. 4.

*Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,*
*Pellitos habuit rustica corda patres.*

Dicit eam nitere, quæ antea culmo tecta, & arundinibus horruerit: altam esse, quæ prius fuerit humilis: Senatores nunc capere purpuratos, quæ olim simplices agricolas habuerit. In Veteribus Sacerdotes res divinas curasse, scribit Varro: Novam autem statuisse Senatui, ex Propertio liquet.

*Curia Saliorum.* Saliorum Curia in Palatino, ut Cic. 1. de divinatione. In ea Romuli lituus asservatus, cum Curia deflagrasset, integer inventus est. Salii autem Sacerdotes Martis à saliendo dicti, quod saltus armati in comitiis exercebant. Hæc curia dicata Auguribus fuit, quam nonnulli suspicantur Tatii fuisse.

*Curia Pompeji.* Curia Pompeji erat è regione theatri, ab eodem extructi, insignis & splendida, & è lapidibus quadratis facta. Hanc suspicor à Suetonio in Caligula dici Curiam Iuliam. Nam Iulius Cæsar in ea interfectus est, & ante basim statuæ, & simulachri Pompeji corruit.

*Curia Octaviæ.* Octaviæ Curia juxta porticum Octaviam. Nam hanc cum basilica Marcelli eandem fuisse sentio. De Curia Septa supra in descriptione Campi Martii locutus sum.

SENACVLA. Senacula erant loca non nisi Senatoribus assignata; interdum autem Senatorum conventus in templis fiebant, ut in Iovis, Concordiæ, Telluris, aliorumve; & inde est, quod Templum Iovis, Curiam Sallustius; Concordiæ Lampridius, nomine eodem appellat.

*Senaculum Aureum.* Senaculum Aureum, prope Lacum Curtium, in foro: ibi nunc hortulus est, & columna Domitiani. *Concordiæ.* Concordiæ erat in eodem foro sub Capitolio, in quo solebant magistratus cum senioribus deliberare, ut ex quodam Titinnio refert Festus.

*Mulierum.* Mulierum in Quirinali, restitutum ab Heliogabalo; fuerat autem locus,

in

in quo ante ipsius tempora convenire certis, statisque diebus mulieres solebant: *Fuerunt tria alia Senacula propter exteros Legatos facta; unum in Vrbe, Græcostasis in Palatino supra Comitium*, quod in eo Græci, quasi aliis honoratiores consisterent. *Duo extra Vrbem*, in quibus, Legatis, quos admittere in Vrbem non placebat, aut commodum non erat, Senatus dabatur: unum extra portam Flaminiam; in campo Martio, intra ædem Bellonæ: alterum extra Capenam, in via Appia, intra templum Martis.

BASILICÆ.

Basilicæ erant amplissima & ornatissima ædificia columnis & simulacris ornata, ubi Senatores non modo deliberare, sed etiam Iudices omnis generis caussas cognoscere, & clientibus Iurisperiti respondere solebant; mercatores & nummularii in iis negotia sua tractabant; hincque Basilicæ argentariæ in sexta Vrbis regione meminit P. Victor. antiquitus tres tantum fuere, Porcia, Sempronia, & Oppimia.

*Basilica Porcia.*

Porcia in areâ domus Mœnii, à M. Porcio Catone Censore sumptu publico ædificata in foro sub Palatio. Plutarchus in Catone: *Multum etiam ei obstrepuit, cum Basilicam faceret, quam pecunia publica sub Curia foro adjunxit, & Basilicam Porciam appellavit.* Multis post annis facta est Basilica Sempronia in Vico Tusco, & multo post Opimia in foro prope Curiam & Græcostasin, facta ab Opimio post cædem C. Gracchi.

*Sempronia.* *Opimia.*

*Basilica Æmilia.*

Æmilia in medio foro (ut Cicero ad Atticum XIII.) à Paulo Æmilio condita: fuit inter præclara, & magnifica urbis opera, columnis phrygiis mirabilis, ut Plinius, & Victor. Hanc igitur Regiæ comparat, ad nomen Basilicæ alludens, Statius lib. I. Silv.

*Belligeri sublimis Regia Pauli.*

Hanc de Iulii Cæsaris pecuniâ factam, tradit Plutarchus.

*Basilica Marcelli.*

Marcelli, juxta ejusdem Theatrum, cujus mentio apud Asconium, qui in eam quatuor columnas marmoreas, insigni magnitudine, ex atrio domus Scauri translatas scribit. Confunduntur sæpè nomina in operibus Octaviæ & Marcelli: quia secundùm Propertium, *Per maternas omnia gesta manus*: unde quam Regiam Marcelli Asconius, hanc Curiam Octaviæ dicit Appianus: & quam Octaviæ porticum Plinius, eandem Marcelli Florus. Hanc diversitatem qui observat, errorem facilè vitabit, ne eadem quæ sint diversa faciat, in interpretandis Poëtis & Historicis.

*Basilica Caji & Lucii Cæs.*

Caji, & Lucii in Campo Esquilino, ubi antea Licinii palatium: quam in honorem suorum nepotum fecit Augustus, hæc à Plinio Iuniore dicitur Iulia. De eâ adhuc fornix superest concameratus & collapsus in vineto Comitis Philiberti Vizzanii, tantâ altitudine, ut, nisi in Pantheo, nullus extet similis.

*Macidii & Martiani.*

Macidii, & Martiani: in novâ regione à Victore recitantur hæ duæ Basilicæ. Ponit idem alias quoque, quarum locus ignoratur, & nomina alibi non reperiuntur.

*Neptuni.*

Neptuni, ad ripam Tiberis, ab Hadriano Imp. refecta & instaurata.

*Vlpia.*

Vlpia, in Viminali, prope suas thermas, ab Vlpio Trajano extructa.

*Constantini.*

Constantini, prope viam Novam ponitur à Victore.

ÆDIFICIA PVBLICA, *ad necessitatem Reip. constructa.*

De publicis Vrbis ædificiis, ad splendorem, ambulationes, jus dicundum, & negotiationes extructis & comparatis huc usque: nunc quæ ad necessitatem utilitatemque populi Romani excitata in Vrbe ædificia fuere, nostræ orationis commendationem præstolantur. Sunt verò publicorum numero ædificiorum censenda Ærarium, Armamentarium, Asylum, Athenæum, Carceres, Diribitorium, Græcostasis, Horrea publica, Macella, Secretarium, & Villa publica.

*Ærarium Publicum.*

Primum populi Romani Ærarium auctore Valerio Publicolâ eo loco fuit ædificatum, ubi hodie Ædes S. Salvatoris in Ærario conspicitur. Augustus verò ille, qui valdè rem Romanam auxit, ærarium militare ædibus novis ædificatis instituit, & ad id implendum reditus novos, & certos: quod solis stipendiis militum constitutum quis neget ab ærario veteri Reip. fuisse discretum? De Ærariis Suetonius ita: *Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit: definitis, pro gradu cujusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum, ne aut ætate, aut inopiâ solicitari ad res novas possent. Vtque perpetuo, ac sine difficultate sumptus*

*Militare.*

ptus

*ptus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis instituit.*

*Armamentarium.* Ædificia, in quibus publica arma (nam privatis arma habere non licebat) servabantur, Armamentaria appellabant, erantque templo Pacis contigua. Ex his iturus ad bellum miles Romanus arma promebat, redux verò è bello eadem suis locis reponebat: erat autem ad Telluris, & meminit ejus Cicero in Orat. de Haruspicum responsis.

*Asylum.* Asylum fuit in Capitolii edito illo intermontio, seu area, ubi nunc equestris Antonini statua erecta cernitur, quam totam lucus asyli cum templo non implevit, sed Forum Romanum versus, ubi pars ædium postica Senatoris, modica latitudine, paulo ampliore longitudine, fuit protensus; hoc Romulus extruxerat, ad multiplicandam Romanam gentem; ut quisquis advena illò confugisset, in Civitatem reciperetur. Ovid. 3. Fast.

*Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,*
*Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.*

Cæterum jus asyli an ademptum aliquando Vrbi fuerit, jure ambigitur. Nam Suetonius de Tiberio, *Abolevit*, inquit, *jus moremque asylorum, quæ usquam erant.* Sed Tacitus quæstionem agitatam refert in Senatu de externis asylis. *Crescebat enim*, inquit, *Græcas per urbes licentia, atque impunitas Asyla statuendi, complebantur templa pessimis servitiorum.* Nec plane apud eundem constat, quid à Patribus decretum sit. Quare si Tiberius asyla abolevit, ea de quibus agebatur, abstulit. Nihil de Romano decrevit, de quo nihil quæsitum erat.

*Carceres.* Duo olim Romæ Carceres fuere, ad terrorem increscentis audaciæ ædificati: quorum unus, diversus à Tulliano, quando exædificatus fuerit, non constat. Tullianus quidem media Vrbe in regione octava fori Romani ad radices Capitolii: in quem SS. Petrus & Paulus Apostoli conjecti sunt; alter in regione nona Circi Flaminii à Claudio Decemviro ædificatus. Porro Tullianus carcer à parte sui, à Tullio rege ædificata, nomen accepit. Hanc partem ita Salustius describit: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum descenderis ad lævam, circiter viginti pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapides fornicibus juncta, sed inculta tenebris, & odore fœda, atque terribilis ejus facies est.* Tulliano carceri Mamertini quoque nomen Ecclesiastici Scriptores imponunt. Alter à Claudio ædificatus fuit eo loco ubi nunc Ecclesia S. Nicolai in *Carcere* appellata cernitur, quemadmodum patet ex inscriptione, quæ in marmorea tabula prope templi fores hodieque legitur: *Ego Romanus Presbyter Divinæ dispensationis gratia sanctissimi Confessoris Christi Nicolai, & Ecclesiæ, quæ in Carcere dicitur, Procurator & Rector.* De templo deæ Pietatis C. Quintio, & M. Attilio Coss. postea ibidem condito, ejusque condendi causa, scilicet quod famelicam in carcere matrem suis filia lactarat uberibus, in templorum descriptione loquar.

Diribitorium in Campo Martio fuisse certum est. In eo censebantur milites, & illis solvebantur stipendia, inde exortum nomen; *diribere* enim distribuere est. Ludi interdum propter loci laxitatem in eo facti, Dion: *Tum primum Senatoribus pulvinaria subdita, usúsque pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne Solis ardore laborarent; qui sicubi esset vehementior, Diribitorio foris, & tabulatis instructo usi sunt.* Fuit autem domus omnium earum, quæ unquam uno culmine fuerunt, maxima, tectoque ejus semel diruto, rursus committi inter se non potuit. Diribitorium ipse Augustus primùm dedicavit. *Diribitorium.*

Pont. Maximus domo publica in Sacra via habitabat, teste Dione: *Augustus*, inquit, *cum esset creatus summus Pontifex, neque domum publicam accepit: sed cum omnino publicam esse Pontifici Maximo habitationem oporteret, suarum ædium partem ipse publicam esse jussit, ac regis sacrificuli domum virginibus Vestalibus dedit, quoniam earum ædibus contigua erat.* Igitur Augustus domum dedit Vestalibus, quæ ut Pontifici Maximo illi obvenerat, eamque ipse habitare noluit: ac deinceps Pontificibus in Palatio domum paravit. *Domus publica Pontificis Maximi.*

Græcostasis ædificium erat, in quo nationum subsistebant Legati ad Senatum Romanum missi, præcipuè vero Græci, queis major cæteris honos habebatur. Ejus germanus locus positusque *Græcostasis.*

ad

ad Palatini montis radices forum Romanum versus constituitur. Opimius in eo ædiculam æream Concordiæ fecit pecunia ab usurariis damnatis tributa.

*Villa publica.* Villa publica Septis Campi Martii proxima fuit, publica scilicet extra Vrbem domus pro Legatis hostium, quos intra mœnia admitti nolebant. Livius: *Macedones deducti extra Vrbem in Villam publicam, ibique iis locus & lautia præbita.*

*Horrea publica.* Inter Aventinum vero Testaceumque montes, & Tiberim extructa fuere ædificia centum & quadraginta, horrea publica, & horrea populi Romani appellata. Cujus rei fidem inventi eo loco lapidis facit inscriptio:

NVM. POM. AVG. SACRVM. GENIO. CONSERVATORI. HORREORVM. GALBIANORVM. M. LORINVS. FORTVNATVS. MAG. S. P. D. D.

In his ædificiis frumentum populi Romani servabatur. Præter hæc & Vrbis apothecæ frumentariæ fuerunt ducentæ & nonaginta. Mos autem fuit apud Romanos menstruum distribui frumentum in pauperes cujusque mensis exordio, sive Nonis, ut Suidæ visum, unde idem & Annonas derivat: hæc autem distributio, quoniam per tesseras fiebat, quique eas habebat, ad Curatores frumenti dividendi ibat, munus ab Augusto institutum: quatuor enim viri erant, iique ex honestioribus, & qui ante quinquennium Prætura functi essent, quod Dio notavit lib. 54. Præfectus etiam Annonæ proprius, qui de advehendo, & adservando in horreis satageret, non proprie de distribuendo frumento.

*Macella.* Macella erant ædificia publica carnibus vendendis ædificata, in quibus etiam præter carnes cætera quoque obsonia, & omnia quæ ad victum usui sunt, divendebantur. Plautus in Aulularia:

*Venio ad Macellum: rogito pisces: indicant*
*Caros: agninam caram, bubulam,*
*Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia.*

Macellum, magnum cognomento, P. Victor in regione II. Cœlii Montis constituit. Varro aliud Macellum prope viam Sacram ponit. *Exædificatus*, inquit, *vicus, & inter Sacram viam, & Macellum editus.* Idque forsitan ad *Corneta* dictum à *Cornis*, quæ abscissæ loco reliquerunt nomen. Idem enim alibi scripsit: *ubi variæ res venduntur, dicitur ad Corneta.*

*Secretarium Pop. Rom.* Secretarii vox varie usurpatur. Quod si jura consulas, & Iureconsultos; pro loco in quo judices causas cognoscunt, jusque reddunt, sumitur. At Iacobo Gretsero placet, σέκρετον, quod quidem non differt à Secretario, significare tam locum ubi Senatus cogitur, quam ipsum cœtum, vel Concilium Senatorum. Bullengerius locum, in quo principum virorum cœtus habentur, potiori jure Secretarium nominat. Ecclesiasticis Secretarium locus dicitur, in quo sacra vasa ponuntur. Iam statuendum de Secretario populi Romani, quod ædificium fuisse videtur, in quo omnia Senatus-Consulta, Plebiscita, Privilegia, leges, & alia Patrum, populi, & Principum decreta servabantur. Extructum fuit ad radices Capitolii eo loco, quo hodie ædes S. Martinæ conspicitur.

*Taberna meritoria.* Taberna meritoria ædificium fuit eo loco, ubi nunc ædes S. Mariæ trans-Tiberim. In eo ægrotantes, mutilati, seniove confecti milites populi Romani alebantur. Ob id genus officii ipsa præclara nocte Natalis Domini nostri oleum ex hac taberna solido die fluxisse, Ecclesiastica monumenta prodidere: & constans fama; designatusque in templo maximam sub aram locus, veterique hoc titulo notatus Fons Olei, abunde testantur.

*Athenæum.* Adrianus Cæsar Gymnasium bonarum literarum, quod Athenæum vocabant, instituit. Porrò Athenæum erat in Capitolio; ut constat ex Codice Iustin. lib. 11. tit. 18. de studiis liberalibus Vrbis Romæ. Docebant autem ibi sub Theodosio II, Oratores tres, Grammatici decem, Sophistæ quinque, Philosophus unus, Iurisconsulti duo. Ex quâ docendi, discendique exercitatione appellationem loci dimanasse, Dion tradit, *Athenæum dictum, ab exercitatione eorum, qui in eo erudiuntur.* In eodem Poëtæ, & Oratores sua recitare scripta solebant, audientibus interdum Augustis, ut Lampridius in Alexandro Severo: *Ad Athenæum audiendorum &*

*Græcorum, & Latinorum Rhetorum, vel Poëtarum causa frequenter processit.* Athenæum tamen non in Arce Capitolii; non enim tot ædificia capere potuit, sed in alio Capitolii vertice statuendum est; ubi scilicet & Bibliotheca statuenda erit, si addita Athenæo ad Adrianum referatur. Aliud Gymnasium Dion in Trajano commemorat. *Eò*, inquit, *divitiarum Suras Licinius processerat, ut Gymnasium populo Romano suis impensis struxerit.*

BIBLIOTHECÆ. Post Athenæum subjungam Bibliothecas. Paulus Æmilius superato Porsenna Macedonum rege primus in Vrbe Romana instruendæ Bibliothecæ fuit auctor, ad quam deinde Lucullus ingentes fecit accessiones, ut auctor Plutarchus in ejus vita: *Commendanda est Luculli, & perhibenda in librorum supellectilem impensa. Multos enim, & eleganter descriptos cumulavit. Erat etiam eorum usus, quam comparatio liberalior; quod Bibliothecæ omnibus paterent, atque in adjectas ambulationes, scholasque reciperentur omnes Græci, velut ad Musarum hospitium divertentes.*

*Bibliotheca Cæsaris.* Iulius Cæsar Pompejo Marco Bibliothecas ordinandas delegavit. Scatebat autem Bibliotheca Iulii Cæsaris manuscriptis Græcis Latinisque, cui cum Faustus ex Ciceronis intimis unus præesset, Fausti Bibliothecam Cicero appellavit lib. 4. Ep. 9. ad Atticum. *Ego hic pascor Bibliotheca Fausti.* Hanc flamma irrecuperabili damno posteritatis totam absumpsit.

*Asinii Pollionis.* Augustus inter alia ornamenta Vrbis, & Imperii, hoc quoque plurifariam adjunxit. Nam eo invitante atque incitante, Asinius Pollio Orator, & Senator nobilis, Atrium libertatis extruxit, atque in eo Bibliothecam publicam publicavit. Plin. eodem plane sensu lib. 35. cap. 11. inquit: *Asinii Pollionis hoc inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum Rempublicam fecit.* Locus hujus Bibliothecæ erat in monte Aventino.

*Palatina.* Palatina quoque ejusdem Augusti fundata auspiciis in templo Apollinis montis Palatini, C. Melisso curam ejus gerente. *Tiberii Cæs.* Tiberius statim post Augustum in ipso Palatio etiam Bibliothecam posuit, ea parte qua Viam sacram spectat, ut auctor est Gellius lib. 16. noct. Att. Hic Imp. Bibliothecario usus L. Hymenæo Medico: *Vespasiani.* Vespasianus quoque magnificam in Templo Pacis post Neroniana incendia Bibliothecam condidit, quam Gellius lib. 13. cap. 16. Pacis Bibliothecam nominat.

*Domitiani.* Domitiani Bibliothecam in Capitolio extructam, quorundam auctorum sententia est. Cæterum Domitianus liberalia studia initio imperii neglexit, postea Bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent.

*Vlpiana.* Vlpiana fuit ab Vlpio Trajano instauratore suo appellata. Ejus initium fuit in foro Trajano: translata postmodum in Viminalem collem, ut Diocletianis thermis esset majori ornamento. Vopiscus in Vita Aureliani Imp: *Hæc ego à gravibus viris comperi, & in Vlpiæ Bibliothecæ libris relegi.* Idem alibi: *Habet Bibliotheca Vlpia in armario sexto, librum Elephantinum.* *Gordiana.* De Gordiana Bibliotheca Iulius Capitolinus sic loquitur: *Q. Serenus Ammonicus Medicus libros patris sui, qui censebantur ad* LX *& duo millia*, GORDIANO *minori moriens reliquit, quod eum ad cœlum tulit. Siquidem tantæ Bibliothecæ copia, & splendore donatus in famam hominum litteratorum ore pervenit.*

*Ciceroniana.* De sua ipse Tullius ad Atticum lib. 1. Ep. 5. *Velim cogites, quemadmodum Bibliothecam nobis conficere possis; omnem spem delectationis nostræ, quam, cum in ocium venerimus, habere volumus in tua humanitate positam.* De eadem Ciceronis Bibliotheca testimonium Plin. perhibet lib. 13. cap. 1.

*Epaphroditana.* Epaphroditus Cheronæus Grammaticus sub Nerone ad Nervæ imperium vixit, & assidue libros emens usque ad triginta millia Romæ collegit, optimorum quidem & selectorum. Hæc de antiquorum Romanorum Bibliothecis, quantum proposita nobis brevitas concedit. Nunc ordine transibimus ad ea loca, in quibus Spectacula publice exhiberi solebant. Sed cum de iis ex professo tractet primus Antiquitatum Romanarum liber, contenti erimus nomina locaque eorum solum indicare; incipientes à Circis antiquissimis eorum, utpote in quorum prima Romulus Spectacula populo præbuit in ipso CIRCI.

Vrbis

Vrbis initio. Variis autem in locis Circi in Vrbe fuerunt positi, prout varii in honorem Deorum Ludi fuere decreti; in universum autem decem numerantur, inter quos & antiquitate & magnitudine præcellebat *Circus Maximus.* is, quem Maximum vocabant; designavit hunc primum Tarquinius Priscus, V. Romanorum Rex, inter Aventinum & Palatium in valle Murtiâ. Fuitque processu temporis, ut testatur Dionys. Halic. 3. Antiq. Rom. numeratus inter opera totius Vrbis pulcherrima. Huic Circo proximus antiquitate & usu erat *Flaminius.* Flaminius in pratis Flaminiis, quæ sub Capitolio & secundum illi adjuncta mœnia jacebant; cujus ad hæc usque tempora apud Apothecas obscuras conspiciuntur ruinæ. *Agonalis.* Circus Agonalis extructus vel instauratus ab Alexandro Imperatore, plateam illam omnem, quam nunc vulgo Navoniam corrupta voce appellant, occupabat. Quartus erat *extra portam Næviam.* extra portam Næviam, ut ex nonnullis vestigiis adhuc deprehenditur, à tergo cœnobii S. Crucis, & juxta viam Labicanam, atque formas aquæ Claudiæ. *Caracallæ.* Quintus lateritius viâ Appiâ hodieque visitur, extantibus adhuc spinâ secundum Circi longitudinem producta, metarum signis & post caveam acclivis sedilibus. Sextus *Floræ.* est Floræ inter Quirinalem & Pincium montes: *Neronis.* Septimus Neronis in Vaticano ad sancti Petri. *Adriani.* Octavus Adriani in hortis post sepulchrum ipsius; quod nunc Castellum sancti Angeli dicitur. *Salustii.* Nonus Sallustii, cujus in hortis prope portam Collinam conspiciuntur reliquiæ. Decimus autem quis fuerit, nescire me fateor: Sed cum OBELISCI. Obelisci Circorum essent ornamenta, librum de Obeliscis, ei qui de Circis agit immediate subjicere visum est, itaque & hic breviter eos recensere est animus. P. Victor numerat Obeliscos *Majores.* majores Romæ sex; quorum duo fuere in Circo Maximo, tertius in Vaticano, Quartus pro gnomone in Campo Martio; Quintus & Sextus in Mausolæo Augusti; Minores numerat quadraginta duos; quorum loca non indicat; sed ait plerasque notis Ægyptiorum fuisse insignitas. In Circo Antonini Caracallæ fuit unus, qui nunc translatus ab Innocentio X. Pont. Max. in foro Agonali conspicitur. Alter fuit in Circo extra portam Næviam; reliqui vel in reliquis Circis, vel ad ornatum Vrbis in locis publicis fuerunt dispositi. Sequuntur Amphitheatra, quæ fuerunt quasi è duobus Theatris compacta, ad ludos gladiatorios: AMPHITHEATRA. olim in Vrbe fuere temporaria, quod putarentur hæ fabricæ bonis moribus nocere; primus lapideum ac *Statilii Tauri.* stabile posuit Statilius Taurus, cum Augustus Viros Principes hortatus esset, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis & excultis Vrbem adornaret. Fuit in Campo Martio, &, ut annuit P. Victor, in regione nona Circi Flaminii. *Castrense.* Alterum fuit lateritium in regione quinta Esquilina, quod Victor Castrense vocat, nunc partem muri urbis constituit ad templum S. Crucis in Hierusalem, extatque stantibus adhuc pilis, & parietibus. Tertium est *Flavium.* Flavium sive Colossæum, quod Vespasianus *fecit Vrbe media* (ut ait Suet. in ejus Vita) *ut destinasse compererat Augustum:* Titus vero edito munere apparatissimo, largissimoque dedicavit. Præter illa tria unum fuit à Cajo Caligula inchoatum juxta Septa, quod à Claudio erat omissum, sed non perfectum est. Alterum à Trajano in Campo Martio positum Adrianus destruxit. THEATRA. Theatra in quibus ludi dramatici exhibebantur, etiam in urbe fuere tria. *Marcelli.* Marcelli, quod Augustus condidit non longe à Capitolino monte, ubi antè Iulius Cæsar destinaverat. *Balbi.* Theatrum Balbi, L. Cornelii Balbi viri triumphalis magnis in Africa rebus gestis clari filius, extruxit suasu Augusti juxta Circum Flaminium, ut plerique existimant. *Pompeji.* Theatrum Pompeji primum omnium dicatum est, quod Pompejus extruxit reversus è bello Mithridatico, vel, ut mavult Dion Cassius, Demetrius Pompeji libertus.

ODÆA. Odæum, publicum ædificium erat, in quo, ut in Xysto athletæ, in lanistæ ludo gladiatores, ita citharœdi, & tibicines à musico, & reliqui actores Scenici ab Histrione exercebantur, ante

antequam in Theatrum prodirent: fuerunt in Vrbe quinque: Vnum, in monte Aventino, de quo ad Atticum loquitur Cicero: *Monumentum illud* (inquit) *quod tu tollere laudibus solebas, ut Odeum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus.* Alterum inter Palatinum & Cœlium, propè Metam Sudantem (quæ nunc inter Amphitheatrum Titi, & Arcum Constantini collapsa cernitur) Tertium prope Theatrum Pompeji. Quartum, Odæum inter cætera opera mirabilia, & memorabilia fecit Domitianus, ut in vitâ ejus Suetonius tradit: quamvis non planè indicet extruxeritne, an instauraverit. Quintum à Trajano extructum cum Gymnasio juxta suum forum; idque factum operâ Architecti Apollodori, scribit è Dione Xiphilinus.

STADIA, & XYSTA.

Stadium locus cursoribus destinatus, qualem extructum à Domitiano Suetonius testatur. Etsi autem ubi fuerit, & unumne an plura fuerint, nesciatur: tamen inter maxima, & præcipua Vrbis loca poni, ex Marcellino, & Lampridio discitur. De hoc Martialis lib. 3. ad Matronam:

*Gymnasium, thermæ, stadium est: hac parte recede:*
*Exuimur; nudos parce videre viros.*

Xysta erant loca appellatione Græcâ sic dicta, in quibus sub tecto, hyemis tempore, versabantur athletæ. Vt autem Odæum Theatri, Stadium Circi, ita Xystus forma porticus erat exstructus: inde & hypæthras, hoc est (ut vertit Plinius) subdiales ambulationes, neutro genere Xysta appellârunt Romani.

NAVMACHIÆ.

Naumachiæ erant ædificia pro navalibus pugnis. Eas Romani, postquam cognoverunt externas gentes navali prælio plurimum posse, primo bello Punico instituerunt: ut auctor est Servius. In his navalium pugnarum, ut pedestrium in Campo, Circo, aut Theatro edebantur spectacula. Vnde Martialis:

*Quicquid & in Circo spectatur, & Amphitheatro,*
*Dives Cæsarea præstitit unda tibi.*

Fuerunt Naumachiæ quatuor: *Circi Maximi*, quæ & vetus à Suetonio nominatur: ea occupavit vallem inter Palatinum, & Aventinum. 2. *Cæsaris Augusti*, in valle Martiâ juxta ejusdem numinis Campum: de qua Ovid. lib. 1. de Arte; & Martialis:

*Hanc norint unam secula Naumachiam.*

3. *Neronis*, inter Ianiculum, & Vaticanum. De qua Corn. Tacitus. 4. *Domitiani*; hanc collocant auctores in Campo Martio ad Cœnobium Monialium S. Sylvestri, eo in loco quo fuit Augusti; sed ab illo repurgata, & effosso circumductoque ex Tiberi lacu ampliata. De hac apud Suetonium, & Martialem.

THERMÆ.

In nullis autem antiquorum operibus plus luxus, & insaniæ cernitur, quam in Thermis Imperatorum: quas in provinciarum modum fuisse constructas, Ammianus conqueritur; & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Eas primus omnium secundum Dionem extruxit Mecœnas. Fuerunt autem vel Æstivæ, vel Hyemales, quales uno eodemque in loco, extruere instituerat Gordianus: sed morte præventus, non absolvit. Hyemales trans-Tiberim Aurelianus fecit. Primùm servierunt Imperatoribus privatim, postea vulgatæ sunt & populo; aliquando patebant interdiu, corruptioribus temporibus etiam noctu. Consueto more mixtæ & communes non fuerunt: quod tamen malorum Principum culpâ aliquoties factum est. Thermis, ut & aquæductibus, adjuncta erant castella, & subjuncti canales, per quos caduca aut inutilis aqua efflueret. Castella in Vrbe sunt quatuor: unum in Cœlio: tum alia duo, prius sub thermis Titi, alterum sub Diocletiani: quartum inter portam Næviam & Statilii Theatrum. Eorum parietes malthati sunt, tam tenaci & durâ materiâ, ut vix ferro frangatur; Thermas ipsas breviter recensebo, pleniorem singularum descriptionem libro 3. Antiquitatum Rom. daturus.

*Thermæ Agrippæ.*

Agrippæ Thermæ, quas inter præcipua Vrbis ornamenta effert Plinius, arcus, & pavimenta habuerunt ex vitro: Sitæ sunt inter templa S. Mariæ Rotundæ & S. Mariæ supra Minervam. Mart. lib. v.

*Lassus ut in thermas decimâ vel seriùs horâ.*
*Te sequar Agrippa.*

Ante has signum Apoxyomeni fuit, quod

quod cùm Tiberius in cubiculum ſuum tranſtuliſſet, magnis populi in Theatro clamoribus eſt reponere coactus: teſtis Plinius.

*Neronis.* Neronis Thermarum fornices & arcus altiſſimi extant prope S. Euſtachium. de iiſdem Martial. lib. 7.

*Quid Nerone pejus?*
*Quid thermis melius Neronianis?*

*Titi Veſp.* Titi Thermarum ruinæ in Vineto S. Petri in Vinculis, & juxta S. Martini ædem multæ, magnæque apparent. Martial lib. 3.

*Titine thermis, an lavatur Agrippæ?*

Eas breviſſimo temporis ſpatio in tantam amplitudinem extructas, idem prodidit lib. 2.

*Hic ubi miramur velocia munera, thermas,*
*Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.*

Nam in parte domus aureæ Neronianæ ſteterunt. Harum thermarum caſtellum, vulgo ciſternas capaces, & ſeptem ſalas nominant. Sunt autem novem ſub terra cameræ fornicatæ, quarum una quævis portas aliquas habet, & per unam introiens, ſimul per multas ei oblique oppoſitas uno ordine oculos inferre potes.

*Domitiani.* Domitiani Thermæ fuere inter portas Flumentanam & Pincianam. Cernuntur in parietinis picturæ, vetuſtate nondum plane abolitæ: in iis thermis Silveſtrum Pont. ædificaſſe templum, ſcribit Petrus Bibliothecarius.

*Trajani.* Trajani Thermarum ruinæ in Aventino, in vineto quodam prope templum S. Priſcæ monſtrantur. Aliæ ejuſdem in Eſquilino, ubi primum ſepultura hominum plebejorum, tum horti Mecœnatis fuerunt. Id quod liquet ex Porphirione. *Commodi.* Commodi Thermæ fuerunt ad radices Viminalis, in quibus ædificatum nunc eſt S. Pudentianæ templum: in ejuſdem templi pavimento adhuc teſſellæ ſunt, quibus ſola thermarum ſternebantur. *Severi.* Thermæ Severi in regione trans-Tiberina prope S. Chryſogonum, & S. Cæciliam. *Antonini.* Antonini in latere Aventini, via Ardeatina; ab Oriente adjacet templum SS. Nerei, & Achillei: à Septentrione, S. Priſcæ, juxta viam S. Balbinæ, è regione S. Sixti: tanta mole, & artificio ſtructæ, ut etiam docti architecti tales fieri poſſe negarent, ſi Spartiano creditur. Habuerunt ſellas mille ſexcentas, è polito marmore factas. Videntur earum incredibiles ruinæ, parietinæ ingentes, altiſſimi fornices, pulcherrimæ columnæ ſemiobrutæ, maxima peregrinorum marmorum fruſta projecta, pavimentum teſſellatum albi, nigrique coloris, varia & ampla conclavia, & in aliquot locis profunda aqua, ex ductu Appiæ fœdato & obruto adhuc reliqua.

Varii Thermæ in Aventino circa Trajani, & Decii thermas. *Varii.* Has neſcio quo auctore Syriacas dictas, ſcribit Albertinus. Commemorat eas Victor, & repetit Volaterranus. Alexandri Thermæ, quæ juxta Neronis fuerunt, *Alexandri.* & habuerunt adjunctum nemus, auctore Lampridio. Alii Neronis, & Alexandri eaſdem fuiſſe ſcribunt, quod alter fecerit, alter reſtituerit.

Gordiani leguntur duplices Thermæ; *Gordiani.* Priores in monte Eſquilino, quarum ruinæ jacent prope S. Euſebium, via Præneſtina. Eæ fuerunt ſumptuoſiſſimæ, adeo ut Capitolinus ſcribat, tales præter Vrbem, nuſquam orbem terrarum habuiſſe. Poſteriores in Campo Martio, quas cum Miſitheo extruere voluit: ſed morte præventus non fecit.

Philippi Thermæ erant in Eſquilino, *Philippi.* poſt Titi thermas, inter ortum, atque occaſum. Decii vero fuerunt in Aventino, *Decii.* Orientem verſus, in quarum ruinis nunc S. Priſcæ dicitur templum extructum. Aureliani erant trans Tiberim, *Aureliani.* infra Ianiculum, in ea valle, ubi nunc S. Franciſci templum eſt. Diocletiani, in Viminali, quæ bonam montis partem occupant. *Diocletiani.* Earum ruinæ tantæ cernuntur, quantæ maximæ eſſe poſſunt, fornices altiſſimi, columnæ admirabiles, ædificia concamerata ampliſſima: quorum duo pene integra extant, unum prope S. Suſannam, alterum verſus vallem Eſquilinam, ad quod ex interiore parte per XL. gradus aſcendimus. Hæ thermæ habuerunt ſellas (alii ſolia maluerunt reddere) ter mille ducentas: quid niſi igitur tot perſonæ inibi lavari potuere? Caſtellum harum thermarum figuræ mathematicæ, quæ ſcalenos dicitur, formam habet, pilis quadratis fultum:

in prima ſerie pili quindecim, totidem in ſecunda: in tertia decem, in quarta quinque. Videntur in iiſdem thermis ambulationes, Xyſti, & varia conclavia ad delectationem facta. De his ipſis thermis Flav. Blondus; qui conſtanter aſſerit, quatuor maxima Italiæ palatia, ſimul juncta non poſſe illas unas Diocletiani thermas adæquare.

*Conſtantini.* Conſtantini, in Quirinalis deſcenſu, è regione S. Silveſtri, Septentrionem verſus, ex ſententia Læti, & Marliani. Earum magnæ ruinæ, ædificia quædam quadrata, quædam rotunda, altiſſimis fornicibus extant: quorum unum per centum fere gradus aſcendiſſe ſe, refert Georg. Fabricius in ſua Roma. Antequam de thermis concludam, & ad balneas proficiſcar, exponam neceſſe eſt, quid propria thermarum ſignificatione veniat. Thermæ igitur calida dicuntur loca, in quibus non ſolum aqua, ſed etiam vapore halituque corpora exſiccantur. Θερμὴ enim calor eſt, unde ædificiis adhæſit nomen; quanquam in iis etiam frigida perfunderentur.

*BALNEÆ.* Balneæ in Vrbe plurimæ fuerunt, cum privatæ in locis diverſis, tum publicæ in ſingulis regionibus. Si quibus autem locis deeſſent, aut corruptæ eſſent, eas antiquitus Ædiles ſuis temporibus vel addiderunt, vel reſtituerunt Severus, & Gordianus Impp. inprimis populares, & lavationum ſtudioſi. Cum enim apud Romanos eſſet lini uſus rarior, ſudorem, ſordeſque corporis ſæpius abluere neceſſe habebant. Vſitato more ante cœnam balneis utebantur: item poſt ambulationes, exercitationes, operas, ſæpe neceſſitatis, ut dixi, cauſſa, non raro voluptatis: ſiquidem Commodum octies; Gordianum, & Galienum juniores, & Rhemnium Grammaticum ſepties die lavaſſe, legimus. Balneas mixtas haberi Severus prohibuit: quod Commodus non vetuerat, Varius permiſerat. Triſtibus Reip. temporibus balneæ clauſæ tenebantur. Sola, & parietes balnearum unguentis illinebantur: idque non modo potentiores factitarunt: ſed in privato quoque homine, ac demum in ſervo Plinius notavit: & Seneca aquam argenteis epiſtomiis fundi in plebeis fiſſuris, & in libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. Valerius, & Macrobius Sergium Oratam, hominem voluptuarium, etiam penſiles inſtituiſſe balneas, commemorant.

Balneæ Palatinæ fuere à loco ſic dictæ: nam in dorſo Palatini fuerunt, quarum veſtigia cum parietinis & fornicibus collapſis in hunc uſque diem videntur. Pavimentum ex duriſſimis lapillis quadratis, nigri coloris, teſſellarum more compoſitis. *Palatinæ.* Domitii Balneæ proſpexerunt viam Sacram, ut eſt apud Senecam. *Domitii.* Neronis vero intra ipſius domum, marinis & Albulis fluentes aquis, ut inquit Suetonius. *Neronis.* Agrippæ Balneæ, quas moriens Agrippa populo legavit, de ſuo nomine dictas: locus non ponitur à Dione. *Agrippæ.* Agrippinæ Balneæ à matre Neronis ædificatæ fuerunt, in colle Viminali, qua reſpicit ædem S. Agathæ, Quirinalem verſus. *Agrippinæ.* Ex iis labri marmorei ingentis fragmentum, in viâ projectum aliquando Romæ viſum. Stephani Balneæ in valle collis Hortulorum. Martial. l. XI. *Stephani.*

*Octavam poteris ſervare, lavabimur unà:*
*Scis quam ſint Stephani balnea juncta mihi.*

Octavâ igitur horâ lavabant, & lavabant exiguo precio, nempe quadrante, quod ex Horat. & Iuvenale notum eſt. Novati Balneæ in Viminali, ubi nunc templum S. Pudentianæ, in quo & canales fuliginoſi, & ſolum thermarum more teſſellatum. *Novati.* Olympiadis Balneæ fuerunt in eodem monte, propè S. Laurentium in Paniſpernâ, in vineto quodam. *Olympiadis.* Balneæ Pauli erant in clivo Quirinali, ubi nunc Monaſterium eſt, quod corruptâ Romanorum linguâ, *Bagna poli*, quaſi balneæ Pauli dicitur. Iuvenal. Sat. VII. *Pauli.*

*Dum petit aut thermas, aut Pauli balnea.*

prope has in projecto lapide, forma ſtrigilis & ampullæ exſculpta dicitur. Strigili utebantur ad fricandum, purgandumque corpus: ampullâ ad abluendas infuſione ſordes. Strigilis loco balneatores Italos uti vidi Chirothecis ex ſerico factis, cùm ad eliciendum, tum ad abſtergendum ſudorem. Balnea Polycleti, erant propè ludum Æmilii Lepidi gladiatoris: de quibus Helenius, & Porphyrio. *Polycleti.*

Clau-

*Claudii Hetrusci.* Claudius Hetruscus, libertinus homo, qui Claudii Imp. dispensator fuit, balneas extruxit. Profusissimus earum sumptus ex Statio, & Martiale cognoscitur, qui eas & à marmorum pretio, varietateque, & ab ædificii magnificentiâ, & à luminis immissione, & ab argenteis fistulis laudant. Vtriusque versus aliquot subjiciam, Martial. vi Epigram.

*Nusquam tam nitidum micat serenum,*
*Lux ipsa est ibi longior, diesque*
*Nullo tardiùs à loco recedit.*
*Illic Taygeti virent metalla,*
*Et certant vario decôre saxa, &c.*

Statius I. Silv.

*Effulgent cameræ, vario fastigia vitro*
*In species animosque nitent, stupet ipse beatas*
*Circumplexus opes, & parcius imperat ignis.*
*Nil ibi plebejum, nusquam Temesea notabis*
*Æra, sed argento felix propellitur unda,*
*Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat,*
*Delicias mirata suas, & abire recusat.*

NYMPHÆA. Zonaras Monachus, qui de Græcorum Imperatoribus scripsit, in Leone Magno, Nymphæa esse vult Palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarent angustius, aut domus proprias non possiderent. Alii Nymphæa putant esse loca publica, delectationis gratiâ facta, in quæ non ut in balneas, aut thermas, propter usum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum, atque amœnitatis caussâ: & à Nympharum statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verùm ut de formâ, aut usu illorum operum non satis constat: maxime insignia fuisse, vel illud declarat, quod aut ab ipsis Imperatoribus construerentur: ut de Nymphæo Marci, ambitiosi operis, scribit Ammianus: de Alexandri Victor, de Gordiani Capitolinus: Aut ab Vrbis præfectis, quale Clearchus Valentiniano & Valente Impp. extruxit Constantinopoli, & Flavius Philippus reparavit Romæ: sed quo tempore, incertum est; neque ullum eorum vestigium ad nostra aut patrum nostrorum pervenit tempora.

PALATIA CÆS. Medium quendam inter publica ædificia ac domos privatorum locum occupant Cæsarum ædes. Cæterum Imperatoris ædes Palatium nominatur, non quod ita aliquando decretum fit, sed quod in Palatio Augustus Cæsar habitabat, ibique prætorium ejus erat, ac domus ejus ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitabat; multum splendoris accepit; At Cæsarum ædes modicæ primo, sub Augusto, postea in eximiam amplitudinem à successoribus auctæ sunt. & cum forte Palatium incendio periisset, refecit domum Augustus. Post Augustum auctum est Palatium domo TIBERIANA, quam Tiberius Cæsar habitavit, aut etiam struxit. Post Tiberium Caligula maximè Palatium amplificavit. Arsit Palatium sub Nerone, qui Cajo successerat. Tum Nero qui domum Auream, & multa in Vrbe suâ pecuniâ exstruxit, Palatium quoque magnificentissimè reficiendum curavit. Domitianus Palatium in immensum amplificavit exornavitque. *Domus Tiberiana.*

*Domus aurea Neronis.* Domus aurea Neronis cum Domino stetit; bis à Nerone ædificata, bis conflagravit. Semel communi totius Vrbis incendio, quod ipse excitavit. Iterum ab ejus obitu, cum aliis ædificiis locum dedit. Eusebius scribit Romæ auream Domum incendio conflagrasse sexto Trajani anno, ut stetisse triginta sex annos velit. Tanta fuit ejus laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad Vrbium speciem: rura insuper arvis, atque vinetis & pascuis sylvisque variâ cum multitudine pecudum atque ferarum, ut merito de eâ dictum:

*Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites;*
*Si non & Vejos occupet ista domus.*

De ornatu hujus domus Sueton. *Cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis, versatilibus, ut flores: fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice Mundi circumageretur. Balneæ marinis & albulis aquis fluentes.* Iam quæ de cœnationibus, conclavibus, parietibus domus Aureæ dicta sunt, quanquam admirationis modum excedunt; tamen, ut refert Tacitus, *gemmæ & aurum haud perinde miranda fuerunt, solita pridem, & luxu vulgata, quam arva & stagna, & in modum solitudinum hinc sylvæ, inde aperta spatia & prospectus.*

Pu-

DOMVS PRIVATORVM.

Publius Victor Romanâ in Vrbe numerat mille septingentas domos splendidiores, & quadraginta millia domorum ad privatos cives spectantium. Fuêre autem hæ domus magnificæ, ornatæ, instructæ columnis, marmore, auro, statuis, & quidquid excogitare ambitio aut luxuria poterat.

*Turris Mœcenatis.*

Ob singularem vero structuram altitudinemque eminuit inter privatorum domos palatium sive Turris Mœcenatis, in quâ stetisse Nero dicitur, & præparatum à se Vrbis spectasse incendium. Mœcenas hoc mirabile genus ædificii non tam habitationem sibi, quam amicorum suorum hospitium extruxit. Forma ejus pyramidalis ferè; sed quod in circularem rotunditatem terminaretur. Partibus quatuor constitit, infimâ, secundâ & tertiâ quadratis; supremâ vero rotundâ. Prima secundam capacitate vicit, & tertia postremam.

*Ædes Gordianorum.*

Gordianorum domus viâ Prænestinâ fuit haud procul ab æde S. Eusebii, ut ex ruderibus colligitur: ducentas columnas habuit, quarum quinquaginta Christeæ; Claudianæ quinquaginta, Numidicæ pari numero. In eâ Basilicæ centenariæ tres. Cætera huic operi convenientia, & Thermæ, quales nusquam in Orbe Terrarum.

*M. Scauri.*

*Domus M. Scauri in ea parte fuit Palatii, quæ cùm ab Sacra via descendens, & per proximum vicum, qui est à sinistra parte, prodieris, posita est*: ait Asconius. In ea solarium erat columnis admirabili magnitudine ornatum. In cavedio columnæ spectabantur altitudine pedum triginta quatuor. Vnde magnificentia hujus ædificii facile potest æstimari.

*Pomponii Attici.*

Pomponii Attici domus cum esset amœnior, & cincta nemore; remotiorem à foro, & Vrbis frequentia, probabile est, prope quatuor nunc fontes, sitam fuisse. Fuit hæc domus appellata Pamphiliana, quod Atticus eam ab Quinto Cæcilio avunculo hæreditate relictam accepisset.

*Pompeji.*

Pompejus usque ad tertium triumphum mediocriter & simpliciter habitavit. Pòst autem, cùm Romanis splendidum illud, & celebre theatrum extruxit, ædificavit domum priore splendidiorem, sed ne hanc quidem invidiosam: ut ille, qui dominus ejus post Pompejum fuit, eam ingressus obstupesceret, & quæreret ubinam Pompejus Magnus cœnasset. Erat autem hæc domus in Carinis paulum ultra Amphitheatrum in quarta regione, ornata rostris navium, sed marmoreis, ut opinor, in memoriam devictorum piratarum.

*C. Marii.*

Caji Marii domus recenseri quoque ex privatis ædificiis potest. Hanc Cajus Marius extruxit propter forum Romanum, ne clientibus ejus, ut Plutarchus inquit, esset longius ire grave; vel quod ea re crederet fore, ut plures alii domum suam celebrarent.

*Valerii Poplicolæ.*

De Valerii Poplicolæ domo Dionysii verba hæc sunt: *Post mortem Bruti Collegæ ejus, Valerius plebi suspectus fit, tanquam sibi regnum comparans, quia domum sibi loco invidioso extruebat, collem eligens imminentem Foro, valde altum & præruptum, quem Romani Veliam vocant.*

*Clodii.*

Publius Clodius, Ciceronis inimicus, quem Milo occidit, sestertium centies & quadragies octies, id est, trecentis septuaginta millibus aureorum, domo habitavit: quod equidem, ait Plinius, non secus ac Regum insaniam miror.

*Livii Drusi.*

M. Livius Drusus, ut Vellejus lib. 2. refert, *cum ædificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis*, (Crassum omisit, qui ante Ciceronem possedit) *mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est; promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus hominibus esset, neque quisquam in eam despicere posset; Tu verò, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit.*

*Crassi Oratoris.*

Crassi domus in Palatino, ut illis temporibus, magnifica. In ejus atrio, cum in publico nondum ullæ marmoreæ essent columnæ, Hymettiæ quatuor, ut Plin. lib. 17. vel, ut idem 36. bis prodidit, sex fuerunt, non longiores duodenûm pedum; cum tamen ideo Cn. Domitii, & M. Bruti reprehensionibus non caruerit.

*Crassi Divitis.*

Alii in Viminali ponunt: sed ea fuit Crassi cognomento Divitis, de qua Persius Sat. 2.

—— *Nunc Crassi mittit in ædes.*

*Calvi.*

Calvi Oratoris, & Poëtæ domus erat prope forum Romanum, supra scalas Anu-

Annularias; eam primum habitavit Aug. Cæsar. Philippi domus erat in Carinis sub Esquilino. Horat. 1. Epist.

*Strenuus & fortis, caussisque Philippus agendis*
*Clarus.*

Hortensii domus erat in Palatino, quam Domum secundam possedit Augustus, non procul ab æde nunc S. Anastasiæ. Ciceronis, in eodem Palatino, supra ædem Iovis Statoris: quam incensam à P. Clodio, magnificentius publico sumptu ædificavit Senatus. Sallustii in Quirinali, cujus ruinas supra hortos ejusdem in valle subjecta extare ajunt. Qui de vita ipsius scripserunt, prope Minervæ ædem, quæ hodie S. Mariæ sacra est, volunt habitasse. Quod si ita est, hæc prima fuit: altera post Præturam Africanam ab ipso culta. Attici in eodem monte, ubi nunc S. Vitalis, templum fuit, situ, & silvâ amœnissima. C. Aquilii Iurisconsulti, in dorso montis Viminalis, omnium consensu pulcherrima. Plin. lib. 17. M. Manilii Iurisconsulti celebris, & prudentis Oratoris, in Carinis. Cicero in Paradoxis. L. Annæi Senecæ in Palatino Cœlium versus, supra balneum: de cujus domus incommodo, & non quieto situ, ipse scribit lib. 7. ad Lucil. Ep. 57. Plinii Iunioris Oratoris, supra Suburam in Esquilino: quod ipse in epistolis, Martialis in Epigrammatis testatur. Ennii Poëtæ in monte Aventino, juxta Tutulinæ fanum: ut ex Porcio tradit Varro. Virgilii in Campo Esquilino, juxta Mecœnatis Hortos, qui erant juxta aggeres Tarquinii, & Vrbis mœnia. Præter jam dictas ab ornatu suo nomen invenere domus Ælianorum, Cornificiorum, Lateranorum, Erginianorum, Parthorum, Telianorum, Aquilii equitis Romani, Ancarii, Avidii, Q. Cæcilii Metelli, Catonis Censorii, Q. Catuli, Catilinæ, Crispini, Mamurræ equitis Romani, Milonis, Pincii Senatoris, Stellæ Consulis, Vedii Pollionis, Tremelli, Rutilii, Torquati Montani, aliorumque.

HORTI. Poterant ædificiis horti tanquam appendices conjungi; sed visum est eos seorsim inspicere, ordine temporum, quo quisque in pretio fuit, conservato. Horti quidem Numæ regis referuntur ab Ovidio; sed ubi fuerint non constat, nisi forte in Quirinali, ubi quædam alia hujus regis, aut sub Aventino collocandi sunt. *Numæ.*

Viridarium deinde Tarquinii Superbi in Vrbe fuit, in quo inambulans rex, consulenti per nuncium Sexto filio nihil respondit; sed ut olim Periander Corinthiorum Tyrannus in re non dissimili eminentiores spicas contrivit: sic Tarquinius rex summa papaverum capita decussit, auctore Livio, & Dionysio. Et horti fuerunt in Esquiliis, ubi Rex, Solino teste, habitabat. *Tarquinii Superbi.*

Luculliani deinde se offerunt spectandi. Singularem verò loci amœnitatem testatus est Plutar. *Quando*, inquit, *vel hac ætate ita gliscente luxu, horti Luculliani inter sumptuosissimos habentur.* Horti isti venerunt in potestatem Augustorum Claudio Imperatore, cum à Valerio Asiatico secundùm Consule magnificentiores, pulchrioresque factos Messalina Claudii uxor concupivit; Frontinus situm horum indicat: *Arcus Aquæ virginis initium habent sub hortis Lucullianis, finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum.* *Luculli.*

Minus celebres horti Pompeji sunt, quos in colle Pincio prope Lucullianos fuisse arbitror. *Pompeji.*

Horti Sallustiani in Quirinali ad Salariam portam fuêre. Auctor eorum Crispus Sallustius; qui ex Africæ Præturâ, quam à Cæsare acceperat, refertus pecuniâ Romam reversus, eam partem Quirinalis montis delegit, in quâ hortis pretiosissimis, & loco amœnitatem, & sibi scriptis historiis perpetuum nomen daret. *Sallustii.*

Servilianorum hortorum neque auctor, neque certa sedes proferri potest. Servilia quidem gens Romæ clarissima plurimos Romæ Consules dedit. Hi horti in deliciis fuêre Neroni Cæsari. De iisdem Sueton. *Nunciatâ exercituum defectione, Nero transiit in hortos Servilianos:* Ibique desertus ab hominibus, *procurrit*, inquit, *quasi præcipitaturus se in Tiberim.* Qui locus admonet, ut hortos Servilianos Tiberinæ ripæ adsitos putem in Minore Campo non longe à Ponte, qui nunc Sixtus dicitur. Horti Caji, & Lucii Cæsarum, nepotum Au- *Serviliani.* *Caii & Lucii Cæs.*

 gusti

gusti ex Iulia filia, & M. Agrippa in Esquiliis fuerunt.

Agrippæ. Agrippa, horum Cæsarum pater, nobiles & ipse hortos paravit in Vrbe, quos moriens populo legavit. Dion: *Moriens Agrippa etiam populo hortos, & balneum à se denominatum legavit.* Qui locus indicat hortos Agrippæ ejus thermis fuisse conjunctos inter Pantheon ædemque S. Andreæ.

Mecænatis. Horti Mecænatis fuerunt in Esquiliis, latissimoque ambitu à templo circiter S. Martini in montibus, Orientem versus, ultra S. Antonii ædem processère.

Neronis. Horti Neronis in Vaticano fuère. Constat ex Obelisco, qui propè Sacrarium Templi S. Petri à Sixto V erectus, medium olim hortorum Circum, in quo fuerat positus, designabat.

Senecæ. Floruit sub Nerone Seneca, cujus & amœnos hortos Roma celebravit. Criminabantur invidi, teste Tacito, quod hortorum amœnitate, & villarum magnificentiâ quasi Principem supergrederetur. Vbi fuerint, non facilè assererem; diversos enim fuisse à fundis, & agris suburbanis, probabile est, inter quos fuit Nomentanus.

Domitiæ. Memorantur etiam à Scriptoribus horti Domitiæ. Vopiscus de Aureliano: *Placebat ei in hortis Sallustianis, vel in Domitiæ vivere.* Præter hos, Domitiæ alterius hortos reperio. Nam Capitolinus in vitâ Marci: *Adoptatus ab Adriano jussusque è privatâ in Adriani domum migrare, invitus de maternis hortis recessit.* At Marci mater, ut idem Capitolinus, vocata est Domitia Calvilla, Calvisii Tullii secundùm Consulis filia.

Gallieni. Habuit & hortos Gallienus Cæsar. Iulius Capitolinus: *Cum,* inquit, *iret ad hortos nominis sui, omnia Palatina officia sequebantur.* De loco non constat; constat tamen Gallieno Esquilinum collem carum summopere fuisse. Non sum nescius alios aliorum hortos memorari à Scriptoribus, Cn. Dolabellæ, Argianos, Asinianos; à P. Victore, Torquatianos, Epaphroditianos à Frontino, Antonini Pii à Iulio Capitolino, Antheri à Lampridio, Statilii Tauri à Tacito, Scipionis à Cicerone; sed de hortis hæc ipsa sint satis.

TEMPLA. Complexus jam Vrbem muris, eosque dimensus, Portas numeravi, Montes, Valles subjectas, Campos, Fora, descripsi; Vias tam intra quam extra Vrbem monstravi, ædificia publica & privata ob oculos posui, nunc ad Templa me conferam, quæ Romæ fuisse quadringenta viginti quatuor Lipsius asserit; ego eorum nomenclatorem ordine alphabetico duntaxat hic adferam, descripturus pleraque singillatim in secundo de Admirandis Romæ libro. Ea autem quæ asterisco notata conspiciuntur, ex Antiquitate restant, & sunt conversa in templa Sanctorum: cætera apud Veteres fuisse leguntur, sed nunc nulla sunt.

*Adonidis* Templum refertur ab Ovidio in arte amandi, sed loco non expresso.

* *Æsculapii* Templum erat in insula Tiberina, & in eo incubabant ægroti valetudinis causâ, nunc S. Ioannis Colevitæ.

* *Æsculapii & Salutis* in fine fori Romani, ex cujus ruinis ædificatum templum S. Mariæ Novæ.

*Æternitatis Augustæ*, ex nummis Cæsarum.

*Æternitatis Flaviorum.*

*Annonæ*, fuisse in Capitolio conjicio ex inscriptione, quæ nunc ibidem legitur:

ANNONÆ. SANCTÆ. HÆLIVS. VITALIO. MENSOR. PERPETVVS. CORPORIS. PISTORVM. SILIGINARIORVM. D. D.

* *Antonini & Faustinæ* in Sacra via, cujus porticus ingentibus columnis fulta adhuc miraculo est, extant quoque templi parietes; estque nunc D. Laurentio dicatum.

* *Apollinis Capitolini*, nunc S. Mariæ sub Capitolio.

* *Apollinis ad Circum Flaminium*, hoc Flavius Blondus, & Pompejus Sabinus nunc S. Apollinaris esse sentiunt.

*Apollinis Palatini* excitavit in Palatio Augustus, occasione Actiaci belli.

* *Apollinis Vaticani* juxta viam olim Triumphalem, nunc S. Petronillæ.

*Apollinis Paciferi*, ubi fuerit nescio, sed fuisse, indicat inscriptio antiqua Romæ:

DEO.

DEO. SANCTO. APOLLINI. PACIFERO. EX. VOTO. LIBENS. SOLVIT. MIL. COHORTIS. X. PRÆTORIÆ.

*Apollinis Tortoris* Templum Suetonius in vita Augusti in Vrbis quadam parte locat, ſed ubi, non exprimit.

*Apollinis in porticu Octaviæ.*

*Augusti* templum in Palatino, quod Livia Augusti conjux fecerat, Veſpaſiani dominatu, publico conſumptum incendio: alterum erat in foro à Tiberio factum, ut indicat ejus nummus, & à C. Caligula perfectum & dedicatum; autores Suet. in Vitis Tiberii, & Caji. atque Dion l. 59. Porro hoc templum Antoninus Pius inſtauravit, ut conſtat ex ejus nummis.

✱ *Bacchi*,, extra portam Viminalem viâ Nomentanâ, forma ſphærica, nunc S. Conſtantiæ. Dion lib. 76. meminit alterius templi eidem Deo dicati, *Tam Baccho, quam Herculi templum maximum Severus dicavit.* Sed locum neſcio. In Palatino monte quoque fuiſſe Bacchi templum, ex Martialis epiſtola 71, diſco, ubi aliquot Palatii ædificia recenſens, tandem ait:

*Flecte vias hac, qua madidi ſunt tecta Lyæi.*

Sed de ejus fundatore vel forma nihil eſt quod dicam.

*Bellonæ* templum extra Vrbem in Campo Minore juxta Circum Flaminium, fuit ab Appio Claudio extructum.

✱ *Bonæ Deæ*, in Aventino, nunc S. Mariæ Aventinæ.

*Boni Eventus* Templum P. Victor ponit in regione nona à tergo Panthei.

*Camœnarum* templum extra portam Capenam extruxit, & luco inſtruxit Fulvius nobilior.

*Cæſaris Dictatoris* propinquum templo Caſtoris P. Victor in Foro collocat.

*Cæſarum*, ubi communiter colerentur, extruxit Tacitus Imperator.

*Carmentæ*, ſub rupe Tarpeja.

*Carnæ Deæ*, quæ credebatur conſervare humana viſcera, & præeſſe cardinibus, Brutus primus Conſul in Cœlio monte extruxit.

*Caſtoris* in foro ab Aulo Poſthumio Dictatore dicatum, à L. Metello Dalmatico inſtauratum eſt; aliud *Caſtoris* templum fuit in Circo Flaminio.

*Cereris*, ad Circum Maximum.

*Clatræ Clatrorum & Cancellorum Deæ & Apollinis* fuit in ea parte Quirinalis, ubi imminet Regioni & fontibus Trivii.

✱ *Claudii Cæſaris* in Cœlio monte, ab Agrippina cœptum, à Nerone funditus deſtructum, à Veſpaſiano refectum; nunc S. Stephani, vulgo à forma ſphærica, Rotunda dicitur.

*Clementiæ Cæſaris* templum fuiſſe oſtendunt nummi Veteres, & auctor eſt Plutarchus.

*Commodi Imp.* de quo Vopiſcus in Aureliano, *Commodi templum aſcendit.*

*Concordiæ* templum ad Clivum Capitolinnm, & radices Capitolii prope arcum Septimii Severi: aliud Concordiæ templum in ipſa ara Capitolina fuit, ad ipſos Monetæ gradus: tertium erat in area Vulcani, quod *ſumma invidia Nobilium Flavius dedicavit*, Livius. Fuit quartum in foro, dictum Vecordiæ.

*Cybeles* ſive Matris Deûm, fuit in Palatio.

*Dianæ*, in Cœliolo juxta viam Latinam.

*Dianæ, in Aventino* celeberrimum, impellente Servio Tullo Rege populi Latini cum Populo Romano fecere; ab hujus fani nobilitate Aventinus Dianæ Collis dictus eſt.

*Dianæ, in Circo Flaminio*: plura ejusdem Deæ Romæ fuerunt templa, quorum periit memoria.

*Fidei* in Capitolio, vicinum Iovis. Aliud P. Victor in Palatio ſtatuit.

*Fidii*, in Quirinali. Ovid. 6. Faſt.

*Flaviæ gentis*, quod inter pulcherrima Vrbis opera cenſebatur, in Quirinali ad Malum Punicum excitavit Domitianus. Sueton.

*Fortunæ*, in foro Boario.

✱ *Fortunæ virilis*, ad ripam Tiberis juxta pontem Palatinum, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ.

*Fortunæ muliebris*, extra Vrbem in Viâ Latinâ ad quartum lapidem, ut ait Val. Max.

*Fortunæ Bonæ.*

*Fortunæ Equeſtris*, magnificentiſſimum fecit Q. Fulvius Flaccus Cenſor anno Vrbis D LXXXI.

*Fortunæ Malæ*, in Eſquiliis.

*For-*

*Fortunæ Primigeniæ*, *Viscosæ*, *Obsequentis*, & *Privatæ* in Capitolio, à Servio Tullo Rege ædificata fuere templa.

*Fortunæ Fortis*, in regione trans-Tiberina, in hortis Cæsaris Dictatoris.

*Fortunæ Primigeniæ* in Quirinali, quod P. Sempronius Sophus vovit, Q. Martius Ralla triumvir ad id creatus dedicavit.

*Fortunæ Publicæ* in Quirinali.

*Fortunæ Reducis* in regione Altæ semitæ; alterum ab hoc & diversum erat, quod causa reditus Domitiani posuit Populus Romanus. De quo Martialis lib. 8.

*Hic tibi Fortunæ Reduci fulgentia late*
*Templa patent, felix area nuper erat.*

*Fortunæ plebeiæ* à Servio Tullo Rege extructum.

*Fortunæ Mammosæ* in Capite Viæ novæ.

*Fortunæ Masculæ* prope ædem Veneris.

*Fortunæ Barbatæ*, in regia Servii Tulli Regis.

*Fœlicitatis*, in Curia Hostilia.

*Genii Popularis*, hujus mentio apud Dionem, sed locus ignoratur.

*Herculis* Rotundum in foro Boario.

*Herculis Custodis* in Circo Flaminio, à Sylla conditum.

*Herculis Musarum* in eodem Circo, quod struxit Fulvius Nobilior, restauravit Martius Philippus Augusti vitricus.

*Herculis* extra portam Collinam.

*Herculis*, quod teste Dione Severus ædificavit, sed locus nescitur.

* *Herculis Victoris*, nunc S. Alexii in Aventino. ad Occasum Tiberim & portam Trigeminam versus.

*Herculis & Silvani*, P. Victor communem ædem statuit in eodem Aventino.

*Honoris & Virtutis*, ad portam Capenam in via Appiâ M. Marcellus extruxit, restituit Vespasianus; aliud ab hoc diversum structum à C. Mario memoratur, sed de loco non constat.

*Honoris* extra portam Collinam.

*Hortæ*, Deæ ab hortando dictæ, ideoque semper apertum, quod hortaretur ad honestas actiones.

*Iani Gemini*, fecerat Numa juxta theatrum Marcelli, quod Nerva dein in forum suum transtulit.

*Iani Quadrifrontis*, adhuc hodie conspicitur in foro Boario juxta ædem S. Georgii.

*Iani Curiatii*, prope Iunonis Sororiæ.

*Iovis Capitolini*, fuit in Arce, & ad rupem Tarpejam, extruxit id Tarquinius Rex Quintus, vovitque Iovi, Iunoni, & Minervæ, incensum dein Sylla restituit: arsit iterum sub Vitellio, refecitque Vespasianus: rursus incendio correptum Tito imperante instauravit Domitianus. Silius de eodem:

*Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,*
*Et junget nostro templorum culmina cœlo.*

* *Iovis Feretrii*, primum omnium in Capitolio & in Vrbe sacratum est, teste Livio; erat perexiguum primo, sed auxit id Ancus Martius Rex, & vetustate dilabens Augustus refecit, hortatu Attici. Fuit in ea Capitolii parte, ubi nunc S. Mariæ in Ara Cœli conspicitur Templum. In eodem Capitolio aliæ duæ fuere Iovis ædes, quarum unam voverat L. Furius Purpureo, Prætor Gallico bello, alteram Consul dedicavit Q. Martius Ralla Duumvir, teste Livio.

*Iovis Custodis* templum Domitianus excitavit in Capitolio juxta Capitolini Iovis ædem, non longe à rupe Tarpeja.

*Iovis Arbitratoris*, ponitur in X. Vrbis regione à P. Victore.

*Iovis Conservatoris*, Sacellum cum ara extruxit Domitianus juxta Velabrum, ut auctor est Tacitus.

*Iovis Fagutalis*, in Viminali, sic dicti à luco fageo: de quo Varro, Plinius, Festus, Victor. ubi nunc est Ecclesia D. Bartholomæo sacra.

* *Iovis* quoque templum fuit in Insula Tiberina.

*Iovis Inventoris* Sacellum fuit juxta Salinas.

*Iovis Invicti*, locus nescitur.

*Iovis Mariani*, in Esquiliis à C. Mario cum cæteris monumentis conditum.

*Iovis Prædatoris*, in quo prædam hostibus ereptam ponebant.

*Iovis Propugnatoris*, in Palatio.

*Iovis Sponsoris*, in Capitolio, dicatum à Sp. Posthumio, ut auctor est Dionysius.

*Iovis Statoris*, quod Romulus extruxit, inter forum Boarium & Piscarium; aliud ab hoc diversum ponit Varro in Circo Flaminio.

*Iovis*

*Iovis Tonantis*, ad dexteram Clivi Capitolini, extruxit Augustus *liberatus periculo*, ut ait Suetonius, *cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset.*

*Iovis Victoris* in Palatio, quod bello Samnitico, in quo P. Decius filius se pro legionibus Romanis devovit, votum est ab ejus collega Q. Fabio.

*Iovis* in Campo à Metello extructum.

*Isidis* in Minore Campo cis Campum Martium prope Pantheon.

*Isidis & Serapidis*, ubi in hunc usque diem in hortis S. Mariæ Novæ conspiciuntur ingentes ruinæ duarum ædium simul junctarum & parium; ab hisce tertia Vrbis regio nomen assumsit. Habuerunt quoque templum conjunctum in Capitolio.

*Isidis* in via Appia non longe à porta Capena.

*Isidis* juxta Ovilia sive Septa.

*Iunonis* in porticibus Metelli juxta Campum Minorem.

✝ *Iunonis Lucinæ*, in Campo Martio, ubi nunc templum S. Laurentii in Lucina; habet columnas ophiticas & porphyreticas.

*Iunonis Capratinæ*, extra Vrbem ubi fuerit nescio, huic Deæ sub caprifico sacra faciebant mulieres, ex eadem arbore virgas ramosque circumferentes.

*Iunonis Martialis*, fuisse apparet ex nummis Cæss. sed locus nescitur.

*Iunonis Matutæ*, in foro Olitorio.

*Iunonis Monetæ*, hæc Dea à monendo sic dicta est à priscis; templum vero erat in summa arce, quam L. Furius Camillus M. F. cum Auruncis bellum gerens, inter ipsam dimicationem vovit, ut autor est Livius.

*Iunonis Reginæ*, fanum celebre erat in Aventino; hoc captis Vejis, & asportato Iunonis simulacro ex præda Vejentana Camillus condidit, fuit prope templum S. Sabinæ. Diversum ab hoc aliud Iunonis Reginæ templum fuit in Circo Flaminio, quod Marcus Æmilius vovit bello Ligustico, & octo post annos dedicavit.

*Iunonis Sospitæ*, in Palatio prope ædiculam Victoriæ Virginis.

*Iunonis Sororiæ*, prope Carinas ad clivum Suburranum.

*Iuventutis* in Capitolio.

*Iuturnæ* in Campo Martio.

*Larium* permarinùm, fuit in eodem Campo, hanc vovit L. Æmilius Regillus navali prælio adversus præfectos Antiochi; quadraginta post annos dedicata est, ut autor est Livius: erat & Lararium in Palatio, cujus Lampridius in Alexandro meminit.

*Lavernæ* extra portam Collinam via Salariâ.

*Liberi Liberæque*, juxta Circum Maximum, hoc vetustate collapsum restituit Augustus, dedicavit Tiberius.

*Libertatis* Templum cum atrio in Aventino statuit P. Victor.

*Liviæ Augustæ* in foro Romano.

*Lunæ* templum in Aventino diversum à celebri illo Dianæ fano constituit P. Victor. Ovidius:

*Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis*
*Finit Aventino Luna colenda jugo.*

*Martis* in Campo Martio, antiquissimum fuit, & ab eo templo campus denominatus est.

*Martis* in Circo Flaminio.

*Martis extramuranei* Via Appia extra portam Capenam.

*Martis Vltoris* ædem Augustus in medio foro suo posuit votum Philippensi bello, quod cum Bruto & Cassio gesserat, patris ulciscendi causâ. Ovid. Fast. 5.

*Templa feres, & me victore vocaberis Vltor,*
*Voverat, & fuso lætus ab hoste redit.*

*Martis Bisultoris*, ab eodem Augusto in Capitolio extructum, ad imitationem Iovis Feretrii; causam reddit Ovid. carmen supra citatum prosequens:

*Nec satis est meruisse sui cognomina Martis,*
*Persequitur Parthi signa retenta manu.*
*Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus;*
*Pignora jam nostri nulla pudoris habes.*
*Rite Deo, templumque datum, nomenque Bisultor,*
*Emeritus voti debita solvit honor.*

*Matidiæ*, non longe à Pantheo in regione nona, ad quod insignes ex aqua Virgine mittebant aquæductus, quos describit Donatus p. 292.

*Mentis*, in Capitolio, quam Attilius Prætor vovit; T. Otacilius dedicavit.

* *Mercurii* in foro Piſcario, nunc S. Angeli in Piſcinâ.

*Minervæ* delubrum in foro collocat Sext. Rufus, ſed quonam loci in foro fuerit, non liquet. Minervæ Templum in Aventino quoque fuit, ſed incerta ejus ſedes. Ovid. 6. Faſt.

*Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt,*
*Cœpit Aventina Pallas in arce coli.*

*Minervæ* aliud templum incerto loco ſtatuitur in Vrbe juxta portam Capenam.

* *Minervæ* Templum Pompejus extruxit, & in eo rerum ab ſe geſtarum inſigne monumentum poſuit non longe à Pantheo, ubi nunc templum S. Mariæ cognominatæ ſupra Minervam. non longe ab hoc intra ambitum Collegii Romani nuper repertam aliam Minervæ Ædiculam alte ſub terra defoſſam, auctor eſt Donatus.

*Minervæ Chalcidicæ* templum Victor in nona Vrbis regione ſtatuit, quod Dion Auguſtum ædificaſſe tradit.

*Minervæ Captæ* delubrum fuit in ſummo clivo Cœlii montis; & ibi Quinquatria fiebant XIX Martii die. Ovid. 3. ſitum indicat ſuis verſibus:

*Cœlius ex alto, qua mons deſcendit in æquum,*
*Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via.*
*Parva licet videas captæ delubra Minervæ,*
*Quæ dea Natali cœpit habere ſuo.*

*Minervæ Medicæ* Templum ſtatuit P. Victor in nonâ Vrbis regione; nonnulli Antiqur ii exiſtimant ſphæricum illud ædificium, quod in Vinea Coltella extat, fuiſſe Templum Minervæ Medicæ; ſed, meo judicio, falluntur, cum ibi Baſilicam & porticum Caji & Lucii Cæſarum fuiſſe exiſtimem.

*Næniæ Deæ*, quam cantu querulo advocabant, ut adeſſet funeribus, ſacellum erat extra portam Viminalem.

*Nemeſis* templum prope forum Trajani.

*Neptuni* templum erat ad porticum Argonautarum, ſive Neptuni juxta Septa in Campo Martio; aliud Neptuni Templum nonnulli ſtatuunt ad ripam Tiberis in Minore Campo, ubi nunc templum S. Blaſio ſacrum.

*Neptuni Equeſtris*, qui & Conſus Conſiliorum Deus dicitur, templum ſtatuunt nonnulli ad radices Palatini ante Circum Maximum, ubi nunc S. Anaſtaſiæ.

*Opis*, Saturni conjugis ædes in Capitolio erat.

*Pacis* templum non longe ab Amphitheatro extruxit, poſt multa bella civilia, Veſpaſianus Auguſtus, opus, ut ait Herodianus, cunctorum tota Vrbe maximum atque pulcherrimum: hujus templi ingentes adhuc videntur reliquiæ, quæ cum ſtupore conſpiciuntur. Nummi Veteres oſtendunt templum *Pacis Perpetuæ*, ſed ubinam fuerit nullibi reperi.

*Palladis*, à Domitiano in foro quod deinceps Nervæ dictum eſt, ædificatum, unde & forum Palladium appellatur à Martiale 1. Epigr. 2.

*Limina poſt Pacis, Palladiumque forum.*

**Pantheon* celeberrimum templorum, quodque in hunc diem pæne integrum extat, extruxit Marcus Agrippa tertio ſuo Conſulatu, & Iovi Vltori dicavit, nunc D. Mariæ ſacrum eſt.

*Penatium Deorum* ædes fuit in ea Palatini montis parte, quæ reſpicit ædem SS. Coſmæ & Damiani, *non procul foro*, ut ait Dionyſius, *in loco obſcuro propter circumjecta ædificia, qui Romanis ſub Olivis dicitur.*

*Pietatis* templum erat in foro Olitorio, ubi poſtea extructum Theatrum Marcelli.

*Portumni*, ad Pontem Sublicium ſtatuit P. Victor, in regione ſecunda Circi Maximi.

*Pudicitiæ Patriciæ*, in foro Boario condidit Æmilius.

*Pudicitiæ Plebejæ* ſtruxit Virginia plebeia in Vico Thuſco.

*Quietis* ædes fuit extra portam Collinam; diverſum ab hac fuiſſe fanum Quietis Via Labicana, ſcribit Livius lib. 4.

*Quirini*, extruxit Numa, teſte Dionyſio, extra mœnia in monte Quirinali, ut indicat Martialis 10. Epigr. 59.

*Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri,*
*Vicinosque tibi ſancte Quirine lares.*

**Quirini*, aliud templum nobile fuit in valle Quirinali, in qua nunc templum S. Vitalis, hoc L. Papyrius, L. Papyrii Curſoris fil. Conſul à Patre votum dedicaſſe, ſcribit Livius l. 10. Auguſtus quoque, ut refert Dion l. 54. templum Quirini de novo ædificatum dedicavit, ſed quo loco non indicat.

*Robi-*

*Robiginis*, extra Portam Collinam.

*Romæ* templum Adrianus fecit, eique templum Veneris adjunxit; Claudianus lib. 2. in Stilicone templi ſedem & pulchritudinem his verſibus indicat:

*Eluſæ, dominæ pergunt ad limina Romæ*,

Et

*Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent*

*Monte Palatino.*

erat autem in Palatino, qua devexus eſt in Viam Sacram prope arcum Titi.

✶ *Romuli & Remi* ædes duplex, ſphærica una, quæ nunc alterius eſt veſtibulum; quadrata altera prope templum Pacis, nunc SS. Coſmæ & Damiano ſacræ, adhuc conſpiciuntur.

*Salutis* juxta portam Collinam, ab hoc templo Salutarem dictam, hoc Iunius Bubulcus Cenſor, Conſul bello Samnitico vovit, Cenſor locavit ædificandum, Dictator dedicavit. Fabius Pictor id pinxit, teſte Plinio, lib. 35. c. 4. hoc idem templum eſſe quod Ovidius 3. Faſt. Romanæ Salutis vocat, exiſtimo:

*Ianus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,*

*Et Romana Salus, araque Pacis erit.*

forſitan & idem cum æde Salutis publicæ, quam ab Auguſto ſtatuis ornatam me legiſſe memini.

*Sangi*, locus ignoratur.

✶ *Saturni* ædem cum ærario plerique ex Antiquariis male locant ſub Saxo Tarpejo, ubi nunc templum S. Salvatoris in Statera eſt, quemadmodum recte demonſtrat Donatus lib. 2. de Vrbe Roma, c. 14. fuit vero ante clivum Capitolinum Concordiæ templo proxima, ubi nunc ædes S. Adriani.

✶ *Saturni & Opis*, nunc S. Mariæ in porticu dici nonnulli volunt.

*Segetiæ* in Circo Maximo; hæc Dea frumentis ſupra terram præerat.

*Silvani* P. Victor ædem diverſam ab ea quæ Herculi & Silvano conjunctim erat dicata, ſtatuit in Aventino; fuiſſe autem in eo montis vertice, ubi nunc templum S. Balbinæ, conjici poteſt ex pervetuſti lapidis, ibi juxta thermas Antoninianas à paſtinatoribus inventi, inſcriptione, quam adfert Donatus lib. 3. cap. 13.

*Solis*, ſive Heliogabali, templum juxta Palatium, ut teſtatur Lampridius in ejus vita. Alterum Solis vetus templum apud Circum à Tacito refertur 15. Annal.

*Solis* templum prope Thermas Conſtantini, in Quirinali monte; cujus ingentes ruinæ in hortis Columnenſium nuper dirutæ fuerunt.

*Spei* Ædes fuit in foro Olitorio, teſte Livio; præter hanc alia ab Antiquariis conſtituitur in Vrbe prope portam Capenam; ſed locus non indicatur.

*Spei Veteris* ædes erat ad Portam Næviam, ubi incipiunt arcus Neroniani, qui tranſeuntes ab Eſquiliis in Cœlium montem, ad D. Stephani terminantur.

*Streniæ*, in via Sacra.

*Veneris* ædem prope Circum Maximum, ex matronarum mulctaticio ære Q. Fabius Gurges faciendam curavit, teſte Livio lib. 10.

*Veneris Murtiæ* ædes prope eundem Circum fuit.

*Veneris Genitricis* templum medio ſuo foro extruxit Cæſar Dictator, votum ante prælium Pharſalicum.

*Veneris Victricis* ædem Pompejus Magnus, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Theatro ſuo impoſuit, ſecundo Conſulatu, editisque ſumptuoſiſſimis ludis dedicavit.

*Veneris Cluacinæ*, à cluendo, quod antiqua lingua purgare ſignificat, ſic dictæ, ædem ſtruxit T. Tatius Rex in foro ubi pax inter Romanos & Sabinos icta fuerat.

*Veneris Erycinæ* in Capitolio, hanc Fabius Maximus Dictator vovit & dicavit; fuit & alia ædes *Veneris Erycinæ* extra portam Collinam, celebris & porticu inſigni conſpicua. Ovid. 2. de remed. Am.

*Eſt prope Collinam templum venerabile portam,*

*Impoſuit templo nomina Celſus Eryx.*

*Veneris Calvæ*, de hac Lactantius lib. 1. cap. 20. *Vrbe à Gallis occupata obſeſſi in Capitolio Romani, cum ex capillis mulierum tormenta feciſſent, ædem Veneri Calvæ conſecrarunt.*

*Veneris in hortis Salluſtii*, in ipſo erat Circo.

*Veneris Libentinæ* ædis meminerunt, Cicero, Varro, aliique, ſed nullibi locus exprimitur.

*Vene-*

*Veneris Verticordiæ* ædes extra Collinam Via Salariâ facta, cum tres Vestales uno tempore incestum commisissent, ut puellarum animos lascivos ad castitatem verteret. Ovid. 4. Fast.

*Roma pudicitiâ proavorum tempore lapsâ*
*Cumæam veteres consuluistis anum.*
*Templa jubet Veneri fieri, quibus ordine factis,*
*Inde Venus verso nomina corde tenet.*

*Vestæ* ædem Numa rex condidit ad imam partem Palatii prope suam domum cognomento Regiam in Sacra via sitam; erat huic adjunctus lucus, servabaturque in ea ignis sacer. Ovid. 3. Trist. 1.

*Hic locus est Vestæ, quæ Pallada servat & ignem.*

Aliud Vestæ templum in Augusti Palatio dedicatum est ex decreto & autoritate Senatus. Ovid. 4. Fast.

*Aufert Vesta diem, cognati Vesta recepta est*
*Limine, sic justi constituere Patres.*
*Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit,*
*Quod superest illis, tertius ipse tenet, &c.*

*Victoriæ* bina fuere templa, unum in Aventino ab Arcadibus conditum, teste Dionys. alterum in Palatino; sed loca nullibi inveni.

*Viriplacæ Deæ*, Sacellum erat in Palatio, in quo conjuges simultates deponebant.

*Vulcani* ædes in nummis Valeriani. alteram ejusdem ponit Victor in Circo Flaminio, in qua referunt, canes fuisse pro æditituis, & sacrilegis tantum allatrasse.

SEPVLCHRA.

Templis sepulchra subnecto. In Vrbe olim, more Atheniensis populi, & lege XII. tabb. sepelire neminem licebat: quæ leges cum aliquamdiu neglectæ fuissent, post Consulatum Duillii sunt renovatæ. Ius autem in Vrbe sepeliendi honorificum, solummodo obtinebant Vestales, aut Imperatores, qui legibus non tenebantur: aut ii, quibus id honoris virtutisque caussa tribuebatur, ut Val. Publicolæ, & P. Posthumio Tuberto contigit. C. quoque Fabricius juxta Veliam in foro sepulchrum habuit. C. Poblicius sub Capitolio. Claudia familia sub eodem Capitolio. Serv. Sulpitius in Campo Esquilino. Reliqui aut privatim in agris suis condebantur: aut in viis extra portas, tumulos habebant: recensebo præcipua sepulchrorum suo loco diffusius.

*Mausoleum Augusti,*

Mausoleum Augusti Cæsaris extructum est in campo Minore inter viam Flaminiam, & ripam Tiberis. Moles rotunda ex immensis aggeribus marmore olim Lunensi incrustata, cum circumjectis sylvis & amplis deambulationibus. Ad latera positi erant bini Obelisci, quorum unus in via projectus fractusque jacet. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem, quorum adhuc post ædem S. Rochi apparent vestigia.

*Hadriani Cæsaris,*

Alterum sepulchrum spectabile in Vrbe fuit Hadriani Cæsaris, de quo Procop. lib. 1. de bello Goth. inquit: *Hadriani Romanorum Imperatoris sepulchrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis jactum à mœnibus extructum, spectatu procul dubio dignum: pario namque ex lapide ædificatum est, saxa quadrata illi invicem nexa alia nulla intermixta materia. Statuæ quoque ex eodem pario marmore virorum, equorumque miro artificio factæ desuper insident.* Hæc Procopius; nunc Sepulchrum arcis S. Angeli partem præcipuam constituit.

*C. Cæstii,*

Pyramis sepulchralis C. Cæstii ex quadratis constat marmoribus, decrescente paulatim, & in acumen desinente structura: C. Cæstio condita est ex eorum collegio proxime portam Ostiensem inter montem Aventinum, Testaceum, ac Tiberim, qui, quod epulare Sacrificium in ludis facerent, Epulones dicti: duplex in ea titulus. Alter:

C. CÆSTIVS L. F. PVB. EPVLO
PR. TRIB. VII. VIR EPVLONVM.

Alter vero:

OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX ARBITRATV PONTI P. F. CLAMELÆ HÆREDIS ET PROTHI L.

*Severi,*

Septizonium *Severi Sepulchrum* erat permagna moles, quæ septem veluti zonis sive columnarum ordinibus ambiretur. De septena columnarum serie, ex qua hæc moles assurgebat, erant patrum memoria tres series adhuc reliquæ, sed has Sixtus V. Pontifex sublatas, quod ruinam minarentur, in

usum fabricæ melioris convertit. Hoc Septizonium fuit inter Cœlium, & Palatinum montes in medio, nempe summo loco, statuam Severi positam sustinens, tabernaculi pyræve forma extructum, seu pyramidis aut obelisci more ex quadratis lapidibus assurgens, opus sane mirum & magnificum.

*Scipionis Africani.* Sepulchrum Scipionis Africani sub pinu ænea honorarium: nam Liternenses hospites de vero Scipionis tumulo se merito jactant. Dicitur autem in Vaticano pinus altissima ænea fuisse erecta, Carthaginem versus: de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, in hortis Pontificiis cernitur, vetusti operis, & inaurata. Hæc sunt sepulchra insignia illustrium virorum intra Vrbem; addam pauca de sepulchris extra Vrbem.

*Sepulchra extra Vrbem.* Galba Imp. via Aurelia sepultus in privato monumento. S. Petrum via Latina, & S. Paulum via Ostiensi sepultos tradit Abdias, qui Apostolorum scripsit historiam. Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum: item Ennii & Archiæ Poëtarum sepulchra via Appia fuere. Hunc in Metellorum monumentis conditum scribit Cicero: illum inter monumenta Scipionum situm testatur Ovidius:

*Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,*
*Contiguus poni Scipio Magne tibi.*

Fuit in hac ipsa via sepulchrum Pomponii Attici, quinto ab Vrbe lapide. Gallienus Imp. in hac via Appia nono lapide sepultus fuit. Thessalus Neronis Medicus in eadem. Domitianus Imp. via Latina sepultus à Phyllide nutrice. Favonius Iucundus in eandem testamento inferri voluit. Item Sempronius Tuditanus. Didius Iulianus Imp. sepultus via Labicana, ut in ejus vita scribit Ælius Spartianus. Pallantis, Claudii Cæsaris liberti sepulchrum fuit via Tiburtina intra primum lapidem splendidum, & arrogantissimo titulo, de quo lib. 7. & 8. Plin. Iunior ad Montanum. Licini tonsoris Augusti sepulchrum magnificentissimum via Salaria fuit ad secundum lapidem, quod Varro hoc epigrammate perstrinxit:

*Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato parvo;*
*Pompejus nullo: credimus esse Deos?*

Itaque monumenta & sepulchra passim ad vias assita, latus utrumque prætexebant. Quam pulcher ille (inquit Lipsius) aspectus viantibus? quanta & seriorum & jocorum materies? illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria & inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum superba monumenta. Illud hic serio monendum, omnium illorum qui disparibus monumentis teguntur, parem in exitu sortem fuisse. Æquat omnes cinis. Impares nascimur, pares morimur.

Tot tantisque rebus atque ædificiis decorata VETVS ROMA triumphum mihi agere videtur. Itaque Arcus Triumphales parandi. Triumphus autem maximus omnium honorum fuit. Qui triumphabant apud Romanos equis albis vehebantur, curru inaurato, capite coronato lauro, præeunte Senatu & vinctis ante currum hostibus. Capitolium ascendebant in templum Iovis. Ante eos simulachra captorum opidorum portabantur, item aurum, argentum: Legati & Tribuni erant in equis: subsequebatur clamor militum,&c. Arcus etiam triumphales erigebantur honoris virtutisque caussâ iis, qui externis gentibus domitis singulares victorias patriæ suæ pepererant. Ii primùm rudes, & simplices fuerunt, cùm præmia virtutis essent, non ambitionis lenocinia: seculo insolentiore monumenta victoriarum, & triumphorum pompa, in iis incisa. Erant aut latericii, ut Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: aut ex marmore, ut Cæsaris in foro: Drusi cum trophæis in viâ Appiâ: Trajani in ejusdem foro: Gordiani in Viminali: Gratiani, item Theodosii non longè à viâ Triumphali: deinde etiam reliqui, quos jam nominabo. De iis enim tantùm, de quibus restat aliquid, tractabo. De Germanici, & Neronis, Tacitus. *Novitium hoc inventum* ait Plinius, non quod arcus antè Cæsarum tempora non fuerint, sed quod tali ornatu non fuerint. Antiquissimi, de quibus extat aliquid, sunt tres: novitii autem à Plinio, melius veteres dicti, quinque. — ARCVS TRIVMPHALES.

Arcus Romuli vestigia inter S. Mariam de gratia, & S. Mariam de inferno, conspiciuntur. Bini fuerunt, quos, etsi — *Arcus Romuli.*

O late-

lateritii erant, tamen in marmoreos Romani non mutarunt, ne conditoris sui memoria, & priscæ frugalitatis monumentum interiret. Hos suâ tempestate primùm collapsos affirmat Blondus.

*Camilli.* Camilli Arcus à viâ latâ eunti versus S. Mariam in Minervâ, ex lapide quadrato, rudi, & nullorum ornamentorum, inclusus parti ædificiorum apparet.

*Fabii.* Fabii arcus fuit in Viâ Sacrâ, cujus fundamenta prope S. Laurentium in Mirandâ ante annos centum plus minus effossa sunt. In eo scuta & signa victoriæ fuerunt sculpta.

*Titi.* Arcus Titi marmoreus, inter Forum Romanum & Amphitheatrum, adjunctus templo S. Mariæ Novæ. In eo ab unâ parte sculptus de Iudæis triumphus: Imperator in curru sedens, ab alatâ Victoriâ coronatur. Currui præfertur Arca fœderis, præcedentibus duodecim fascibus Consularibus. Ab alterâ parte candelabrum aureum cum septem lucernis, tabulæ Mosaicæ, mensa aurea, & varia templi Hierosolymitani vasa. In medio arcus fornice, Titus sedens aquilam alis expansis utraque manu sub genibus tenet. In frontibus, Iudæi vinctis post tergum manibus captivi aguntur.

*Domitiani.* Domitiani, Titi Fratris, Arcus in via Flaminia, inter S. Silvestrum, & S. Laurentium in Lucina, quatuor columellas habet in prima fronte. In eo Vrbis imago, & Victoriæ: & Domitianus nudus sedens, corpore procero, & dormienti similis, à Minerva fovetur. Mart. lib. 8.

*Stat sacer, & domitis gentibus arcus ovans.*

Extruxit plures per omnes Vrbis regiones, ut scribit Suetonius: & insignem in via Appia, de quo Statius in Silvis.

*Septimii Severi.* Septimii Severi arcus ad radices Capitolii, propemodum è regione arcus Titi. Visuntur in eo navales & terrestres pugnæ, cum machinis bellicis, variisque armorum generibus. Ex utraque parte victoriæ, & milites trophæa gestantes. Ad ejus superius spatium per gradus quinquaginta ascenditur.

*Gallieni.* Gallieni arcus in Cœlio monte, conjunctus templo S. Viti, nullis ornamentis ex lapide Tiburtino, integer adhuc extat.

*Constantini.* Constantini arcus in Palatini radicibus, ad caput viæ Appiæ, multi ornatûs, & artificii; res à Constantino gestæ in eo expressæ, & inprimis bellum contra Maxentium: cui etiam jacenti admisso equo insultans minitatur. Fuerunt superne circumquaque impositæ statuæ, quæ partim mutilatæ, partim collapsæ.

And. Fulvius lib. 2. quem carmine scripsit, plures recenset Arcus, quorum ne vestigia quidem relicta sunt.

*TROPHÆA.* Trophæa sunt trunca corpora cum spoliis; quorum ea, quæ Marii dicuntur, pulcherrima è marmore in Capitolio conspiciuntur. Eorum alterum thorace squammoso indutum, cum ornamentis militaribus & clypeis, ante se habens juvenem captivum, brachiis ad tergum revinctis, & undique alatas victorias. Alterum armis militaribus ornatum, inter quæ clypei inæqualiter rotundi, galea aperta cum cono & cristis, & altera sine cristis clausa. In eodem inest forma chlamydis, & alia quædam, quæ marmore detrito & corrupto cognosci satis non possunt.

*STATVÆ.* Nullum publicum opus, quodcunque nomines; nullus adeo locus publicus, aut vacuus, ubi non Statuarum ornamenta. Et credo equidem nihil magis in tota Vrbe admirandum elegantioribus ingeniis fuisse. Earum originem, & augmentum breviter in Cassiodoro habes. Ammianus, *Vrbs*, inquit, *Statuis implebatur; quia licebat cuique passim in Tabula, Ære, & Marmore, se publicare: quod Claudius Imp. vetuit, edixitque nequis in posterum privatus poneret, nisi Senatus permissu.* Statuas primum Thusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas, pene Parem Populum Vrbi dedit, quàm Natura procreavit. Statuarum igitur incredibilis multitudo, pretium, speciesque consideranda. De multitudine Cassiodorus dixit. Iam de pretio statuarum, quod tetigi, quis non vel è materie cernat? Omitto marmoreas illas, & æreas infinitas: dico argenteas, aureas, eburneas fuisse. Et argenteæ quidem sub Augusto maxime increbuerunt. Domitianus autem (ut Suetonius scripsit) statuas sibi in Capi-

Capitolio non nisi aureas argenteasque poni permisit, ac ponderis certi. Nota materiem, nota pondus, fortasse in his Statianis versibus expressum:

*Da Capitolinis æternum sedibus aurum,*
*Vt niteant sacri centeno pondere vultus.*

Ad species Statuarum quod attinet, fuerunt eæ variæ: colossææ, curules, equestres, pedestres, & habitu variante & diverso. Quid quod equorum, leonum, sphyngum, & variorum animalium? Ne autem his pretiosis statuis de nocte (nam in die civitas se ipsa custodit) quis abradere, vel resecare aliquid posset, certus Præfectus huic statuarum custodiæ designatus, quem Comitem Romanum appellabant, quia Romam & ejus opera servabat per militem suum, quem noctibus invigilare compellebat. Nam populus ille copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum (quæ verba ex quadam comitiva Romana Cassiodorus refert) tali erant cautela servandi, quali & cura videbantur affixi.

COLVMNÆ. Statuis non minorem ornatum Vrbi conciliabant Columnæ diversis locis vel in honorem cujusdam, vel usus alicujus gratia dispositæ, præter eas quæ partem ædificiorum constituebant: inter has antiquissima ea est, quæ inter *Bellica.* ædem Bellonæ & Circum Flaminium in Campo Martio extra Vrbem à Sexto Pompejo & Victore fuisse dicitur, index belli inferendi, & Bellica dicebatur: Ovidius 6. Fast.

*Prospicit à tergo summum brevis area Circum:*
*Est ibi non parvæ parva columna notæ.*
*Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,*
*In regem & gentes, cum placet arma capi.*

Dion lib. 61. de M. Antonino: *Cumque hæc dixisset, hastam cruentam, juxta Bellonæ templum in hosticum contorsit.* Hanc sequitur aurea illa Columna, quæ mil- *Milliaris.* liarium aureum dici solebat, quod in eam, ut ait Plutarchus in Othone, omnes viæ Italiæ desinebant; erat in capite fori Romani, sub ædem Saturni, ut Tacitus & Suet. Marlianus statuit prope arcum Septimii Severi: Vocabatur autem locus is umbilicus Vrbis, quod ab eo mensuræ viarum currerent, & in media Vrbe sive loco ejus celeberrimo esset. Lactaria Columna erat *in foro Olitorio, dicta*, ut scribit *Lactaria.* Festus, *quod ibi infantes alendos deferebant.* In Foro Romano quoque erat Columna ænea pro solario Horologio *pro Horologio.* statuta secundum Rostra, & ex Sicilia deportata, ut auctor est Plinius 34. Hist. 5. atque hæ quidem usus alicujus gratia fuere erectæ: quæ sequuntur, in honorem Virorum illustrium, sive Imperatorum fuerunt positæ. In Foro Romano quidem ea, quæ à C. Mœnio, qui Latinos devicit, Mœnia di- *Mœnia.* cta est, & procul dubio in ejus honorem erecta. Altera è candido marmore posita C. Duillio, qui primus nava- *Duillii.* lem triumphum egit de Pœnis, quam Plinius loco citato, adhuc suo tempore in foro conspectam tradit. De hac Silius Italicus lib. 6.

*Æquoreum juxta decus, & navale Tropæum*
*Rostra gerens, niveâ surgebat mole columna;*
*Exuvias Marti, donumque Duillius alto*
*Ante omnes, mersa Pœnorum classe, dicabat.*

Suetonius in vita Cæsaris tradit: *Cæsaris.* Populum Romanum solidam columnam prope viginti pedum, lapidis Numidici Cæsari in foro statuisse, scripsisseque PARENTI PATRIÆ, & apud eam longo tempore sacrificasse. Præter hanc Cæsar Dictator (auctore Servio in 3. Georg.) Rostratas honori *Rostratæ.* suo Romæ posuit; unam in Rostris, alteram ante Circum in parte Ianuarum. Augustus Cæsar quoque postquam multa de navali certamine sustulisset rostra, iis conflatis, quatuor ex ære fecit columnas, quas Domitianus postea in Capitolio locavit. Alterius quoque rostratæ meminit Livius lib. 42. quam bello Punico priore posuerat M. Æmilius Coss. atque eam totam mox ad imum fulmine discussam tradit. Omnes has mole & artificio superant Trajani & Antonini in foris eorum Imperatorum erectæ; ea quæ Trajano erecta est à Senatu populo- *Trajani.* que Romano, cochlis est, & insculpta rebus Dacicis, alta pedes CXXVIII. hanc inscriptionem fert basis:

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. IMP. CÆSARIS. D. NERVÆ. F. TRAIANO. AVG. GERM. DAC. PONT. MAX. TRIB. POT. XVII.

XVII. IMP. VI. COS. VI. PP. AD DECLARANDVM. QVANTÆ. ALTITVDINIS. MONS. ET. LOCVS. TANTVS. EX. COLLIBVS. SIT. EGESTVS.

Dion tradit ejus ossa ibi condita fuisse ab Antonino.

*Antonini Pii.* Columna Cochlis Antonini, in ejusdem foro erecta est ejus honori post mortem à Senatu. P. Victor eam altam dicit pedes CLXXV, habere intus gradus CCVI, & fenestellas LVI. in hac insculptæ imagines Marcomannici belli, quod Marcus gessit, acta repræsentant.

Atque hæc quidem est Romæ Veteris imago, pro brevitate instituti nostri tibi descripta, quam communi præconio Terrarum Dominam, Reginam, Deam, Virtutum omnium Domicilium, Mundi Asylum, Immortalem, Orbem Orbis Terrarum nuncupabant: hanc Constantinus Augustus ingressus, quam nunquam ante viderat, cum per otium spectaret, questus est famam, cum cætera omnia falsis ferme vocibus augeret, solam ejus amplitudinem diminuere. Hujus admiranda singillatim descripturus, priusquam ad Circos me conferam, Claudiani hoc elogio descriptionem meam concludere libet:

*Hæc est exiguis quæ finibus orta tetendit*
*In geminos axeis: parvaque à sede profecta*
*Dispersit cum Sole manus. hæc obvia fatis*
*Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,*
*Hispanas caperet, Siculas summitteret urbeis,*
*Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,*
*Nunquam succubuit damnis, & territa nullo*
*Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat:*
*Et cum jam premerent flammæ, murumque feriret*
*Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos.*
*Nec stetit Oceano, remisque ingressa profundum,*
*Vincendos alio quæsivit in Orbe Britannos.*
*Hæc est in gremium victos quæ sola recepit*
MATRIS *non Dominæ ritu, civeisque vocavit*
*Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.*
*Hujus pacificis debemus moribus omnes*
*Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,*
*Quod sedem mutare licet, quod cernere Thulem*
*Rursus, & horrendos quondam penetrare recessus.*
*Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem,*
*Quod cuncti gens una sumus.*

# DE CIRCIS ET LVDIS CIRCENSIBVS ROMANORVM.

Antiquitatis amor per abdita nos & errantia nonnunquam vestigia ad ipsa rerum cubilia haud raro perducit: Quapropter mentem nostram tangens, pungensque, non formas tantùm & imagines operum proponi, aut ex confusa locorum facie, informibusque egregiarum structurarum cadaveribus & umbris vultum verum erui, desiderat; sed juxta quoque comprehendi, quæcunque ad illustriorem cognitionem & interpretationem luculentiorem quicquam conferunt. Circos igitur Veterum descripturis, valde pro bono nobis videtur, & pro necessario, ubicunque æquum fuerit, de ludis in Circis factis nonnihil immiscere; atque cum ipsa locorum forma & architectura, cum ipsis ruinis ruinarumque veneratione rituum quondam rationem, ac ludicrorum religionem conjungere; adeoque imaginem, faciem, habitum omnem tam locorum quam spectaculorum exprimere, tuæque memoriæ, Lector studiose, quàm possimus apertissime interpretari. *Circus, & Ludi Circenses, apti inter se & cohærentes.* Alterorum enim ratio ita implicita cum alteris est, ut unorum rudis ac ignarus ambo hallucinetur, animoque caligante hæsitet, atque etiam quæ scire se arbitratur nesciat. Alternis iccirco vicibus, quasi ludum suggerentes, Ludicrorum genera omnia enarrabimus; singula tamen, quoad fieri possit, cohibiliter; nempe non tanquam opus, sed ut operis accessionem pertractantes.

*Exordium ab origine & progressione Ludicrorum Romanorum inductum.* Et ipsum quidem initium Circorum altiùs ordiri cogimur, atque inde ex Ludorum in Urbe exordio primo repetere. Ii enim, quibus postea opulentius edendis Circus extructus est, Romæ primi omnium, aut in primis fuerunt. Omnes autem ludos, & multos alios ritus, aut à Græcis fluxisse, & ad Latinos Hetruscosque, ab his verò ad Romanos deductos esse; aut ab Ænea Troio, post Ilium crematum in Italiam profecto, in Quirites descendisse, veteres auctores prodidere. *Ludi à Græcis ac Trojanis ad Latinos & Romanos deportati.* Quanquam Græci sua certa ac propria Ludicra, Latini & Romani sua sibi quoque habuerunt. Dicuntur autem Timæo Siculo in Commentariis, Ludi à Lydis, qui ex Asia Tyrrheno duce (is regni partem, quæ ei obtigerat, fratri Lydo concesserat) in Hetruriam concedentes inter cætera sacra, Ludorum etiam spectacula, non voluptatis sed religionis nomine, instituerunt; quæ Deorum sacrificiis postmodum adjunxere. *Vocabuli originatio.* Nam quum Romani ex Hetruria peritissimos Ludorum artifices, Ludiones & Histriones, ut Romæ spectacula ederent, evocassent; ea ab auctoribus Lydis, Lydos primùm, deinde mutata more Romano litera y in v, Ludos appellavere. M. Varro Ludos à verbo Ludo denominatos arbitratur; quod in Ludis homines ludendo discurrerent; ut Lupercalibus, quibus ludendo per Vrbem juvenes nudi cursitarent. *Ludorum Romanæ Vrbis genera summa.* Romanorum verò ludicra, ex vetustis Latinorum Græcorumq; monumentis accuratiùs perspectis, duorum præcipuè generum fuisse, deprehendimus: Circensium scilicet, quæ à Circo; & Scenicorum vel Theatralium, quæ à Scena vel Theatro appellationem sortita sunt. Vniversam omnium rationem, artem atque partem peritissime complectitur M. T. Cic. libro de Legibus secundo: *Quum Ludi publici sint Caveâ Circoque divisi, sint corporum certationes cursu, & pugillatione, luctatione, curriculisque equorum usque ad certam victoriam Circo constitutis; Cavea cantu, voce, ac fidibus, & tibiis.* Gladiatorum ergò, singulare genus spectaculorum, dictis hisce non accen-

censetur; quoniam non Ludi, sed Munera dicebantur. Iis verò, ut & Scenicæ artis partibus, hîc jure bono præteritis; Circensium Ludicrorum apparatus & genera omnia, quorum nonnulla, postquam in Circi sede diu hæserant, ad Amphitheatralem pulverem deducta invenimus, unà cum Circi & ipsius postea Amphitheatri descriptione, quam altero libro promittimus, luculenter expediemus.

*Consualiorum sive Circensium origo ultima, quæ est apud Græcos.* Ludi autem, quos antiquissimi Romani Consuales, posteriores verò Circenses appellaverunt, originem à Græcis ducunt. Primus enim Oenomaus, rex Eliorum, apud Elidem Arcadum oppidum, deorum monitu, & Pelops Tantali Phrygum regis & Tagyetæ filius, eosdem instituisse traduntur. Nam cum Oenomaus Pisæ rex ab oraculo didicisset, se nempe moriturum, ad filiæ nuptias; multis illam petentibus, proposuit certamen, quo victus interficeretur, victor virginem duceret uxorem. Curule autem certamen, & ad Neptuni aram in Isthmo Corinthiaco, institutum est. Quam aram multihospitam vocat Pindarus, ob decertantium nempe concursum. *Ode. 1. olymp.* Quum verò plures velocitate equorum, quos pernicissimos habebat, superasset, victosque occidisset Oenomaus, Pelops tandem curuli certamine congressus, vicit ipsum, abduxitque ex pacto uxorem. Aliter paullo Pindari Scholiastes: Oenomaus pater Hippodamiæ, filiam ob pulchritudinem deperiens, nec verò procis in uxorem tradere volens, eosdem ad certamen curule provocabat, confisus interim pernicitate currus, quem nemo assequi poterat: dabat tamen, ut curru, cum aurigarent, Hippodamiam veherent proci; sed si qui vincere videbantur, hos ipse contorta illico hasta necabat. Cum autem plurimos ita interemisset, à Pelope est occisus; nam pecunia corruptus Myrtilus Oenomai auriga, illi axes machina quadam corrupit, ut vinceretur à Pelope. Alludit ad hoc Sidonius: *in Panegyr. ad Antem. Augustum.*

*Græcia ni pudor est, reparatis Pisa quadrigis*
*Suscitet Oenomaum, natæ quem fraude cadentem*
*Cerea destituit resolutis axibus obex.*

Primum autem currum, dicunt aliqui, mortalibus ostendisse Pelopem, qui à Neptuno acceperat. Eusebius, Apollonius, & alii originem Ludorum curulium ad Herculem referunt; Idæum *Dissensio inter Authores.* scilicet. Alterum verò, & communem illum Herculem, dicunt Solinus & alii, hos ludos instituisse, & manibus Pelopis dedicasse, qui erat Herculi per Alcmenam genere conjunctus. Hinc Stat. Theb. lib. VI,

*Primum Pisæa per arva*
*Hunc pius Alcides Pelopi sacravit honorem,*
*Pulvereumq; fera crinem detersit oliva.*

& Ausonius:

*Tantalidæ Pelopi mæstum dicat Elis honorem.*

Diodorus Siculus, ab Hercule editum primò, sed Iovis patris honori exhibitum, prodit; ex quo hi versiculi explicantur Ausonii:

*Primus Olympiacæ sacravit festa coronæ*
*Juppiter Argivi spatia ad longissima Circi.*

Vellejus Paterculus autem sacros hos ludos primum fecisse Patri Pelopi, dicit Atreum; in quo quidem omni certaminum genere Hercules victor extitit. Tanta est authorum diversitas & differentia! Verùm hæc certamina curulia, ut multa alia mutuati à Græcis Itali; tandemque & Romulus, raptis virginibus Sabinis, Consualium nomine celebravit. *Consualiorum institutio media, apud Latinos,* Hinc Cassiodorus, postquam de Oenomao locutus est, *Hos ludos*, inquit, *postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificiis, ruraliter ostentavit Italiæ.* Nempe quum à finitimis populis, recens Vrbe condita, uxores ipse pro Romanis impetrare non posset, *in Vrbe Romana, proxima.* verbisque injuriarum plenis ab iisdem fuisset lacessitus, animi ægritudine dissimulata, Ludos olim à Græcis inventos, Neptunoq; Equestri solennes, se etiam Romæ exhibiturum, finitimis populis ex industria indixit; quum paullo ante, quo rei majorem fidem faceret, aram subterraneam, in ejusdem dei honorem ab Euandro olim constructam, se invenisse finxisset. De his Virgilius: *Lib. VIII Æneidos.*

*Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas*
*Consessu caveæ magnis Circensibus actis*
*Addiderat, subitoque novum consurgere bellum*
*Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.*

Vbi

Vbi notandum, *magnos* fuisse, quantum ad pristinam paupertatem pertinet. Insuper illud scitu dignum, Virgilium ad sua tempora respexisse, quum eos *Circenses* appellaverit. Nam ante Prisci Tarquinii regnum, à quo Circus iis edendis extructus fuit, jam inde à Romuli tempore *Consuales* dicebantur, à *Conso* deo, cui (ut Pedianus & Servius auctores sunt) Romulus, quando ludos eos primum fecit, sacravit. Is Consilii deus putabatur, & præsertim ejus quo tunc Romulus, Sabinarum virginum raptu, Romanis suis matrimonia invenit, & à quo opem consiliumque in difficultate conjugiorum petierat. Vnde D. Cyprianus ait: *Consus, quem fraudis veluti consiliorum deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum præsidia procuret*, &c. Huic deo postea, in ejus raptus memoriam, quod excogitata prospere successissent, eos Ludos Romulus dicavit. Ita ludos hosce Consualiorum appellationem sortitos esse, ferunt; quos Romæ solennes ac statos Romulus voluerit.

*Consus deus consilii.*

Erat autem certamen Consuale equorum, vel (ut ait Servius) *propter equorum inopiam, aliorum animalium*, singulorum, vel ad currus junctorum, cursus. Sextus Pompejus refert, *Mulis celebratos Ludos in Circo Maximo, Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui vehiculoque adjungi.* Et hoc solum certamen Ludicrum Romæ celebratum fuit initio: verùm aucta religione & delectatione Ludorum, Romulus Martis etiam cultui, quem patrem profitebatur, addixit, solennesque instituit; quæ Equiria, ab equorum forte cursu tantùm, appellata sunt. Post Romulum, crescente superstitione, primùm sub cæteris Regibus, deinde Reipublicæ tempore, demum sub Imperatoribus; pluribus primò, omnibus posteà fere aliis, publicis privatisque, ordinariis, & extra ordinem sive votivis, populi Rom. solennitatibus (quæ vel deorum venerationi, vel hominum honori, vel publicarum victoriarum recordationi, vel mortuorum memoriæ celebrabantur) antiquis post recentiores Ludos adjunctos permanentibus, facti sunt. Numa Pompilius, post Romulum Rex, eos Marti Gradivo, alio ab Equiriis die, & Robigini (nam & Robiginem deam finxerunt, cujus festum, Robigalia, VII Kal. Maji colebant;) Tullus Hostilius Veneri Cluacinæ; reliquorum deorum multitudini Ancus Martius, & qui post eum Reges fuerunt, solennes dedicârunt atque exhibuerunt. Sic Consuale certamen ludicrum, quod antea erat proprium uni deo dicatum, commune deinceps factum pluribus numinibus & diversis diebus celebratum fuit. Omnium vero Ludorum, qui singulis diis speciatim attributi erant, certamen Equestre fuit & Curule: quod quum adhuc à Circo denominationem non haberet, ab ejus dei vocabulo, cui sacrum erat; aut à rebus & causis adjuvantibus obtinuit: primum tamen, Consualiorum, præcipue in usu erat. Rudis autem vetustas ludos hos locis virentibus atque herbosis, in litore fluminum agebat, unde Virgilius:

*Equiria, sive Martialia, in honorem Martis facta.*

*Robigalia in honorem Robiginis.*

*Ruralis & inconditus Ludorum locus.*

*Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

*Lib. III. Georgicor.*

Ovidius id, lib. artis suæ primo, clariùs expressit:

*Primus sollicitos fecisti Romule ludos,*
*Cùm juvit viduos rapta Sabina viros;*
*Illic, quas tulerant nemorosa palatia, frondes*
*Simpliciter posita; scena sine arte fuit.*
*In gradibus sedit populus de cespite factis,*
*Quolibet hirsutas fronde tegente comas.*

Post Romulum quintus Romanorum rex, L. Tarquinius Priscus, *bellum primum cum Latinis gessit*, tradente Livio, *& opidum ibi Appiolas vi cepit, prædâque inde majori, quàm quanta belli fama fuerat, revectâ, Ludos opulentius instructiusque, quàm priores Reges, fecit.* Nam illa certamina ruraliter primò tenuiterque à Romulo instituta, incompta & confusa, exornavit atque distincta fecit, additisque aliquot Ludicris, speciosiora reddidit: curribus scilicet in bigas, trigas, & quadrigas, ab equorum quibus juncti erant numero, distributis; cursusque equis in singulares, & desultorios dispertitis; additoque, Græcorum more, post cursum certamine Gymnico, sive athletico, eorum scilicet, qui corporibus certabant, in tria athletarum genera distincto, cursorum, pugilum, & luctatorum. Eo modo insigniores editos Ludos Iovi, Iunoni, Minervæque consecravit, ac sanctissimos maxima cum cærimo-

*Ludi Magni, sive Romani celeberrimi.*

*Currus & equi in certa genera dispensati.*

*Gymnici certaminis distinctio.*

rimonia Romæ statuit, qui primi Romani sunt nominati; permanseruntque annui, maxima cum dignitate ac religione, in aliquot secula; quosque ipse demum Cicero designatus Ædilis antedictis numinibus fecit. Ipsi, sive quod magnorum honori deorum, sive quod magnis dati impensis, Magni appellati sunt: quapropter, ut cum Magnis his Ludis etiam Consuales, [& ipsi magnis diis, Consiliorum nempe secretorum deo, & Laribus urbis Romæ dati,] Equiria, Martiales, Robigales & ejusmodi, commodius & speciosius exhiberentur, magnarumque rerum arcana, quæ significabant, elegantius perfici possent, quum antea populus Romanus non sine magno incommodo sub tabernaculis ligneis, aridis harundinibus fultis (ut ait Dionysius,) stans spectaret, ab eodem Rege Prisco, tum primum Circo (qui certus in gyrum ambitus erat, postea Maximus dictus) fuit designatus locus; ut cum Livio Dionysius tradit. A quo Circo postea omnes Ludi in eo, quibusvis diebus & quacunque de caussa celebrati, ex Consualibus, vel si quo alio nomine antea appellarentur, Circenses sunt dicti; quod deinde nomen iis perpetuum Romæ fuit. Tertullianus eos à Circe dictos existimat, atque ita scribit: *Spectaculum* (Circensium Ludorum) *primùm à Circe habent, Solique patri, ut volunt, suo editum affirmant.* Ab ea quoque & Circi appellationem alii quærunt, simili conjectura; sed & aliâ alii prosequuntur: nempe Servius super III Georgicor. & VIII Æneidos, eoque prior M. Varro in libris de gente populi Romani: *Circenses* (inquiunt) *sine Ludorum adjectione* (hoc est, sine illo vel illo ludicro accepti) *dicti sunt vel à circo eundo, vel à circuitu, vel ab ensibus, quod exhibebantur in circuitu ensibus positis. Vbi enim nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur.* Nam inculta vetustas, ut ante narravimus, in litore fluminum Ludos agebat, in altera parte repositis gladiis; ita ut enses aliquando & flumina, vel, ubi non erant flumina, enses tantùm metarum locum obtinerent, ut ignavis in circumeundo, utraque parte præsens esset periculum. Alii demum ideo ipsos Circos, Circensesque ludos

*Ludi Romani quare Magni appellati.*

*Circus conditus.*

*Circus & Circenses unde dicantur.*

dici putant, quod circum metas in eo existentes ferretur Ludorum pompa, ac populus circumfusus spectaret ludicra. Circum Græci ab equorum cursu Hippodromum & Catadromum, id est decursorium, ab hominum curriculis, vocavere; quæ vox à Latinis etiam quandoque usurpata est. Martialis lib. XII, in habentem amœnas ædes:

*Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit.*

Sidonius lib. II. epist. ad Domitium:

*Si non hippodromus saltem cryptoporticus vocabitur.*

Hoc de Circorum origine, & in genere de Ludis dictum sit. Sed de hac materia, Spectaculorum nempe & Certaminum Romanorum, Lactantius lib. sexto, cap. decimo, & Suidas Sinnium Capitonem aliquot ejus libris, atque etiam Suetonium Tranquillum allegant. M. Varronem in rebus divinis, de Circensibus, Theatralibus & Scenicis Ludis eorumque origine, Augustinus lib. sexto, cap. tertio de Civit. Dei, ut & Censorinus de die Natali cap. sexto, citant. Nec non Q. Septimius Tertullianus de Spectaculis librum, brevemque tractatum D. Cyprianus ediderunt. Quibus nempe scriptis divinis Spectacula impugnant, singulas eorum partes persequuntur, turpitudines omnes, & flagitia, pericula quoque produnt, Dæmonum cultum & meram esse Idololatriam, ostendunt; ut illorum temporum homines Christianos, rudes ac nimis iis rebus asuetos & intentos, ab illorum conspectu & vanitate arcerent, & ad puræ Religionis cultum omnino revocarent. Sunt autem & Isidori Etymologiarum libri octodecim; sunt Cassiodori aliquot epistolæ; est & Sidonii Apollinaris Panegyricus de Laudibus Narbonæ ad Cosentium: quibus scilicet ex instituto Circenses & Scenici Ludi tractantur. Ab iis, & aliis Græcis Latinisque scriptoribus, Ludicrorum genera omnia late atque inflate nonnunquam proponuntur. Nos autem ipsum nunc Circum aggredimur, quem dixere Maximum; cujus cum persequemur partes, Ludorum porrò species intexemus; ab iis, in quibus jam desitum est, deinceps incipientes.

*Hippodromus, & Catadromus, unde dicti.*

*Præcipui authores, qui ex proposito de Ludis & spectaculis, scripserunt & vel dehortando Christianos primos ab eorum vanitate; vel prædicando varia ipsorum genera, operam dependerunt.*

CIR-

# CIRCUS MAXIMUS.

LVcius Tarquinius Priscus rex, publicæ commoditatis causâ, primus *Circo*, quod ait Livius, *qui nunc Maximus dicitur, locum designavit*; effecitque & exædificavit opus, & opulentissimos in eo Ludos edidit. Maximi autem Circi nomen à Ludorum magnificentia quidam dictum putant; alii (& hoc magis probatur,) quod omnium Vrbis Circorum uti primus & antiquissimus, ita maximus atque capacissimus sit: quod ipsum & ex Livii jam allegata authoritate colligitur, qua non obscure indicat, Circum olim, quum unus tantum in Vrbe esset, maximum non dictum fuisse; verùm aliis aliquot Circis deinceps extructis, Maximi ad eorum discrimen vocabulum obtinuisse.

*Libro primo.*

*Circus Maximus unde appelletur.*

*Vbi positus fuerit.*

Positus est Circus Maximus in valle Murcia, inter Aventinum & Palatinum colles: vocata autem vallis Murcia à proximo colle Murco aut Murcio, qui est Aventinus; dictus Murcus & olim Murcius, quòd à lapidibus velut muro constructus sit; aut à sacello Veneris Murciæ in eodem sito. Tertullianus lib. de Spectaculis refert, medio in Circo Murciæ delubrum fuisse, in ejus Deæ honorem, quæ recessui illi inter Aventinum & Palatinum, ubi Circus Maximus excitatus fuit, nomen dedit. M. Varro lib. IIII inquit: *Intimus Circus ad Murciam, aliàs Murcis, ut Procilius ajebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos; alii etiam dicunt à Murteto declinatum, quod ibidem fuerit, cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murciæ Veneris sit, &c.* Appulejus libro sexto, *Metas Murcias* vocat, unde apparet eas Murciæ dicatas fuisse, in cujus valle locatæ erant.

*Circi M. descriptio.*

Circus autem Maximus, ambitus olim ligneus erat, postea porticibus lateritiis, gradus sustentantibus, in gyrum conclusus, forma oblonga vertens, qui ex una parte in hemicycli speciem desinebat, ex alia verò angulos duos quadratâ figurâ habebat. *Armilustrum* vocat M. Varro, ab ambitu lustri. Plutarchus in Romulo, Armilustrum Titi Tatii Regis sepulchri locum in Aventino monte esse, refert. De Circi hujus extructione, ita libro III Historiarum scribit Dionysius: *L. Tarquinius Priscus Rex, in Circo Maximo, inter Palatinum & Aventinum montes sito, primus circumquaque operta tecto fecit sedilia; nam antea stantes spectare solebant, furcis tabulata sustinentibus. Locos Spectaculorum in* XXX *Curias distribuit, ut Curialium quisque suo loco spectaturus sederet. Quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter totius orbis pulcherrima. Longitudo enim ejus est trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum; à duobus majoribus lateribus, & uno minore, cingitur Euripo, qui aquas recipiat decempedali profunditate, simul & latitudine: post Euripum extructa sunt triplices porticus, ima habent lapidea paulum scandentia, sicut in theatris, sedilia; super duplici contignatione sunt lignea; duas majores porticus tertia minor conjungit, transversim lunata specie apposita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis, octo stadiorum latitudine, capax centum quinquaginta millium hominum. Reliquum è minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos Carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clausos repagulo. Externè ambit Circum simplex contenta porticus, habens officinas, & supernè cellas per quas spectatores intrant, & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio exoriatur inter tot millia, tum venientia, tum descendentia, &c.* Idem brevius refert libro primo Titus Livius: *L. Tarquinius Priscus, bellum primum cum Latinis gessit, & opidum ibi Appiolas vi cepit, prædaque inde majore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, Ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecit. Tunc primum Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est, loca divisa Patribus Equitibusque: ubi Spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra Spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit equi, pugilesque ex Hetruria maximè acciti.* Nos igitur accuratam & particularem Circi descriptionem facturi, à majoribus partibus initium facientes, ad minores progrediamur.

*Lib. IV de verborum origine.*

*Circi Maximi architectura.*

*Ejus partes.*

# CIRCVS MAXIMVS

Nobilissimo, Amplissimo
Prudentissimo,
D. FRANCISCO BANNINC COCQ,
EQVITI ORDINIS S. MICHAELIS,
DOMINO IN PVRMERLAND et ILPENDAM,
inclytae Reipubl. Amstelædamensis
CONSVLI ET SENATORI,
*nec non*
MILITIÆ VRBICÆ TRIBVNO,
*et ad Comitia Illustr. ac præpotent.*
*D:D: ORDINVM HOLLANDIÆ*
*ac WESTFRISIÆ*
*SÆPIVS DELEGATO.*

*Novam hanc* CIRCI MAXIMI *delineationem*
*D.D.D.* *J. Blaeu.*



[library stamp]

*Circi magnitudo.* Campus sive area Circi Maximi, sine ejusdem ædificiis, longitudine trium stadiorum cum dimidio, latitudine verò unius, id est CXXV passuum erat, ut libro III Dionysius tradit. Quod si ædificiorum quoque, & porticuum solum adjungatur harenæ, quaternûm jugerum ambitum Circus Maximus complectitur, ut idem Dionysius auctor est. Quod replicans Plinius lib. XXXVI, cap. XV, ait: *Nam ut Circum Maximum à Cæsare Dictatore extructum, longitudine stadiorum trium, latitudine unius; sed cum ædificiis jugerum quaternûm, inter magna opera dicamus.* Circuitus verò harenæ & ædificiorum, erat octo stadiorum, id est, mille passuum. *Locus capax hominum* CL *millium* (ut ait Dionysius) vel (ut Plinius & Sext. Rufus, nisi in numero error sit, tradunt) CCCLX *millium.* At Dionysius fortè de Tarquinii Circo, Plinius verò, & Rufus, de eo quem C. Cæsar Dictator restituit, locuti sunt. Catullus in Camenum:

*Te quæsivimus in minore campo,*
*Te in Circo, te in omnibus tabernis,*
*Te in templo supero Jovi sacrato.*

Martialis libro VI in detractorem:

*Quique videt propius magni certamina Circi,*
*Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.*

*Area Circi.* Circi harenam (ut est apud Plinium, & Tranquillum) Cajus, & Nero Imperatores Chrysocolla constraverunt. Hic in Caligula, cap. XVIII: *Edidit Circenses plurimos, minio, & Chrysocolla constrato Circo.* Ille vero lib. XXXIII, cap. V: *Visum est* (inquit) *jam Neronis Principis spectaculis harenam Circi Chrysocolla sterni, quum ipse concolori panno aurigaturus esset.* Chrysocolla vero (ut idem Plinius libro eodem tradit) *est humor, qui in aurifodinis per venas auri defluit, & crassescente humore, rigoribusque hibernis, usque ad pumicis duritiem solidatur, quæ subtilissimè contusa, auri picturam præbet.* Circum verò Maximum hac ideo harena straverunt, tum ad ornatum, tum ut post Naumachiam, emissa in Tiberim aqua, (adhuc enim subterranei specus, & à Circo ad Tiberim productarum cloacarum vestigia visuntur) nullo limo impediente, reliqua ludicra celebrarentur.

*Ejus sedilia.* Antiquitus circum aream Circi erant gradus subselliaque, seu sedilia lignea, quo commodius spectari posset, à Tarquinio excitata, quibus Ludos spectaturi considebant, atque ita in modum scalarum composita, ut alter alterius prospectum non impediret. Superiores autem gradus duodecim pedibus à terra alti erant, sensimque ad imum solum descendentes, furcis ligneis sustentabantur, ut jam dicto libro primo habet Livius: *Spectavere* (inquit) *furcis duodenos à terra spectacula alta sustinentibus pedes. Circo extructo illico Tarquinius sedilium loca inter* XXX *Curias divisit, dans unicuique Curiæ partes singulas, ita, ut in suo quisque loco sedens spectaret.* *Sedilia divisa.* De divisione Dionysius, & Livius, iterum lib. primo refert, Tarquinium nempe dispertivisse *loca in Circo Patribus Equitibusque.* Ea subsellia, quibus insidentes Ludos spectabant, Fori dicebantur. *Fori.* Livius loco supradicto: *Loca divisa patribus, Equitibusque; ubi spectacula sibi quisque faceret, Fori appellati.* Et lib. XXIX, *Censores M. Livius, & C. Claudius, omnia à foro boario ad Veneris, & circa foros publicos facienda locaverunt.* & lib. LV, *Licinio Consuli ad quadrigas mittendas ascendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas litteras attulisse dicitur. Quadrigis missis, Consul currum conscendit, & quum per Circum veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repente immemor spectaculi populus, in medium decurrit, eo Senatum Consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate Patrum, pro foris publicis denunciavit populo, L. Æmilium collegam Macedonum exercitum prælio fudisse, fugasseque.* Sext. Pompejus: *Fori* (inquit) *significant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores Forulos dicimus per diminutionem, id est minores Foros, sive minora spectacula.* *Distinctio ordinum.* Nonius Marcellus: *Fori sunt spatia in navibus, vel locus apertus, ac patens.* Dio libro LV: *Sub Augusto ludi Circenses seorsum à Senatoribus, & Equitibus spectati sunt, quod adhuc moris est. Cn. Cornelio Cigna Magno, M. Valerio Messalla Consulibus.* Tranquillus in Claudio cap. XXI: *Circo Maximo marmoreis carceribus, auratisque metis exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscuè spectare solitis.* Dio lib. LX: *Spectaverunt in Circo ima parte seorsum singuli ordines, Senatorum, Equitum, & plebis, ex eo tempore quo lex de ea re lata fuit. Non tamen tertii loci singulis attributi erant sed tunc Claudius subsellia Senatoribus destinavit,*

CIRCI MAXIMI et PALATII MAIORIS
ut hodie visuntur RELIQVIÆ.

*Reges diviserunt sedilia Populo; quod Reip. tempore non observatum restituerunt imperatores.*

*vit, quæ nunc etiam sunt. Concesso quoque, si qui alibi veste plebeja spectare vellent. Quibus actis, Senatum cum uxoribus, Equites & Tribus epulo excepit.* Hoc idem Nero (ut Tranquillus cap. XI, scribit) Equitibus quoque præstitit: *Circensibus*, inquit, *loca Equiti secreta à cæteris tribuit.* Plinius lib. VIII, cap. VII, *Nero in Circo Euripos sustulit, Equitibus loca addens.* Tacitus lib. XV, Nero *Cæsar Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud Circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant: quia Lex Roscia nihil* (de Circo scilicet) *nisi de quatuordecim* (theatri nempe tantum) *gradibus sanxit.* Cæterùm populi Romani opibus, & majestate crescente, Circi sedilia ex ligneis lateritia, amplissimarum porticuum ordinibus sustentata; deinde marmorea structa fuere: qui porticuum ordines altitudine, & latitudine (ut lib. antiquitatum Romanorum III, tradit Dionysius, & ex his quæ supersunt Circi vestigiis apparet) triplices erant. Quorum primus ad imam partem triplici fornice, alter duplici, tertius uno compositi, gradus, foros, & ambulatoria, queis spectabatur, theatrorum more sustinebant, altiore loco angustiore, postea sensim latius sese usque ad solum diffundentes, ut ex superiore Circi topographia patuit. Quum verò duobus lateribus Circi ambitus comprehenderetur, ab altera extremitatum qua in hemicycli formam Circus desinebat, invicem gradus omnes lineari, & parallela figura connectebantur, ita ut una ex singulo quoque ordine fieret continuata porticus circularis.

*Porticus Sedilia sustinentes.*

Ex triplici porticuum ordine, quorum unus supra alium exteriore Circi parte erat, imus intra fornices officinas habebat, & habitationes super eas, inter quas per certos scalarum gradus, qui inter easdem officinas erant, ingressus & ascensus euntibus ad Spectacula, erant ita compositi, ut tot hominum abeuntium & ingredientium millia, nihil eorum quæ circà erant conturbarent.

*Circi Mœniana & podia.*

Toto Circi ambitu sex mœniana erant, tria ex utroque latere; ut ex Numismatibus variis & Circi designatione constat: ex quibus Magistratus & Nobilissimi quique spectare solebant, & quadrigis committendis signum dare. Ex duabus nempe Circi extremitatibus altera, quæ in hemicycli formam desinebat, amplissimum & patens ostium mœniano suppositum, & duo ex utroque latere alia mœniana, sive podia quadrigis ornata habebat. In altera autem, cui figura quadrata, anguli in modum turrium vel mœnianorum erant; ac tredecim ostia fuere constructa: quorum medium omnium maximum, alio podio subjectum; reliqua duodecim æqualia & minora, sex scilicet ex utraque majoris ostii parte, erant. De quibus Ausonius Gallus ad Vrsulum de numero senario:

*Ostia Circi.*

*Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus,*
*Excepto medium quod patet ad stadium.*

Per hoc enim majus ostium, & aliud in Circi alio capite situm, equi, bigæ, quadrigæ, cætera ludicra, & pompæ ingrediebantur egrediebanturque.

*Carceres, sive emissiones.*

In reliquis porro XII minoribus ostiis carceres erant, sive equorum emissiones; quæ ad similitudinem eorum locorum, in quibus rei homines in Civitatibus clausi tenentur, carceres dicebantur, quod equos antequam currere inciperent, coercerent. M. Varro lib. IV de verborum origine ad Ciceronem: *In Circo*, inquit, *primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Nævius opidum appellat, quod scilicet more murorum, & opidorum turrita erat ea Circi pars, in qua carceres fuere.* Et idem Varro: *Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant, antequam Magistratus signum misit; Opidum, quod ea muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerint.* Scripsit Poëta Ennius:

*Dictator ubi currum insedit, provehitur usque ad opidum.*

Livius lib. VIII: L. Papirio Crasso II, & L. Plautio Venoce, Consulibus, Carceres in Circo primum institutos fuisse, tradit: qui & lib. XLI, Carceres in Circo positos, & ova ad notas curriculis numerandas facta, scribit. Quos ex ligneis Claudium marmoreos fecisse, prodit capite XXI Tanquillus: *Circo verò Maximo marmoreis Carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina ac lignea antea fuerant, exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscuè spectare solitis.* M. Varro libro II de re Rustica: *Ego adveniens aperiam Carceres, & equos emittere incipiam, non solum mares quos admissarios habeo, sed*

*& fœminas.* Sidonius in Panegyri ad Antemium Imperatorem:

*Procedat Schœneis prius agnita virgo marito,*
*Crimine, quam sexu; spectet de Carcere Circi*
*Pallentes Athalanta procos, & poma decori*
*Hippomanis, jam non pro solo colligat auro.*

Et in Panegyri ad Marcum Antonium Augustum:

*Cujus in Ætholo volitantem pulvere Martem,*
*Horruit Hippomanes, multo qui cespite Circi,*
*Contempto præmissus erat, cum Carceris antro*
*Emicuit pernix populo trepidante virago.*

*Cancelli carcerum.* Carceres Circi Cancellis quibusdam claudebantur, quemadmodum ex vetustis Gentis Farnesiæ marmoreis monumentis liquet, quibus præter Carceres, metæ, ova, bigæ, & ædicula quædam, de quibus mox dicam, expressa sunt.

*Circi partes reliquæ; cum ornamentis aliquot; ac Ludorum mysteriis.* Circus Soli præcipue consecratus erat, propterea que terrarum orbis similitudinem significabat, quem annuo cursu Sol per duodecim Zodiaci signa, quæ bissenis illis æqualibus ostiis intelligi voluere, conficit. Vnde in libro de Spectaculis ita ait Tertullianus: *Circus Soli principaliter consecratus, cujus ædes medio spacio, & effigies de fastigio ædis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.* Cassiodorus etiam: *Bissena quippe ostia ad* XII *signa posuerunt. Colores autem invicem temporum, quadrifaria divisione funduntur. Prasinus virenti Verno; Venetus, nubilæ Hyemi; Roseus, Æstati flammeæ; Albus, pruinoso Autumno dedicatus est: ut quasi per duodecim signa digrediens annus integer signaretur. Sic factum, ut Naturæ ministeria Spectaculorum composita imaginatione luderentur.* Eadem Isidorus Etymologiarum libro XVIII tradit. In ostiis illis Circi (ut suprà diximus) erant Carceres, sive equorum emissiones cancellis clausæ, quibus bigæ & quadrigæ certantes emittebantur. Ante quas, ex utraque Carcerum parte, duo parva Mercurii simulachra fuere, funes seu catenulas manibus ante Carceres tenentes;

*Funis Hermulorum.* quibus equi & quadrigæ apertis jam cancellis, ne ante signum à Magistratu datum currerent, coercebantur. Signo verò dato, ita funes compositæ erant, ut ex Hermulorum manibus ministrorum operâ statim elaberentur, & equi currere inciperent. De quibus Cassiodorus sic scribit: *Bissena ostia ad* XII *signa posuerunt: hæc ab Hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur, docentes totum illic (ut putabatur) consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari.* Et Dionysius: *Reliquum ex minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos Carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clausi repagulo.*

*Linea mœnianorum.* Alba quoque erat linea, non longe ab ostiis Carcerum in utrumque Circi mœnianum quasi regula hinc & inde directa, juxta quam equi è Carceribus egressi, cursus certamen inibant. De qua Cassiodorus: *Alba linea non longe ab ostiis in utrumque podium quasi regula directa producitur, ut quadrigis progredientibus* (Carceribus scilicet, post funis ab Hermulis demissionem) *inde certamen oriretur, ne dum semper præproperè conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare.*

Quum verò ex ea Circi parte ubi Carceres erant, ostia sex essent, quattuor ex iis tantùm pro Carceribus veteres usos fuisse, opinor, quum non nisi quattuor factiones currentium essent, quæ vel metis proximiora, vel ad cursum aptiora esse viderentur. Hinc proculdubio Domitianum motum crediderim, ut quattuor factionibus antiquis, duas novas adderet, ne duo illa quæ supererant ostia, vacua essent.

*Circi euripus:* In Circi parte interiore, juxta infimos gradus, in harenæ ambitu decurrebat Euripus altus, latusque denos pedes, (ut ait Dionysius,) à Cæsare Dictatore (Plinio auctore) in Circi restitutione effossus, additusque. Cæsar enim quum Elephantorum pugnas edere constituisset, veritus ne claustris (quæ in areæ Circi circuitu erant) erumpentes, spectatores vexarent, Euripum hunc harenæ circumdedit. Plinius lib. 7, cap. 7, *Pompeji*, inquit, *altero Consulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnavere in Circo* XX *Elephanti, aut (ut quidam tradunt)* XVII, *Getulis ex adverso jaculantibus. Universi eruptionem tentavere, non sine vexatione populi circumdati claustris ferreis, qua de caussa Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, Euripis harenam circumdedit.* Tranquillus in Cæsare cap. XXXIX: *Spatium Circi in gyrum Euripo addito, ab utraque parte produxit.* *idem sublatus;* Euripum, qui usque ad Neronis

ronis principatum perduraverat (ut auctor est Plinius) idem Nero sustulit, & locum illum Equitibus spectandi gratia concessit; quem tamen haud ita longe post restitutum fuisse necesse est. Siquidem Euripi Circensis Q. Florens mentionem facit: *Frigebat dæmonum concilium sine sua Matre Magna; ea itaque illic præsidet Euripo.* Et Cassiodorus: *Euripus*, inquit, *maris vitrei reddit imaginem, unde illuc Delphini æquorei aquas interfluunt.* Lampridius in Heliogabalo hanc vocem agnoscit, *Fertur, in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse.* Euripi aquâ, ubi opus esset, Circi sordes abluebantur.

*sed restitutus.*

Antequam reliquas, quæ Circo continentur, partes earumque ornamenta & mysteria, stylo nostro, aut ipsos demum cursus generosos plausu multiplici prosequamur, non prætermittendum, aut differendum ulteriùs videtur, quæ de Circi cultoribus, qui maximam in ornando instaurandoque eo operam posuerint, à scriptoribus traduntur, exponere. Enimverò Circus Maximus, ipsiusque ornamenta ac decora aucta in dies ac elegantiora facta sunt. Nam quæ lignea primum erant, postea lateritia, demum marmorea & aurata reddebantur. Circi partes, & aliquando totum ipsum collabentem, vel alio casu deformatum, restaurarunt, auxerunt, exornarunt, Cæsar Dictator, Augustus, Tiberius, Cajus, Claudius, Nero, Trajanus, & alii Romani Principes, ut sigillatim de unoquoque indicamus. Cæsari Dictatori integrum instauratum ampliatumque fuisse, auctores sunt Plinius, & Tranquillus. Hic, *Spatium*, inquit, *Circi in gyrum ab utraque parte produxit.* Ille verò lib. XXXVI, cap. XV, ait: *Nam ut Circum Maximum à Cæsare Dictatore extructum, longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternûm, ad sedem CCLX millium, magna opera dicamus.* Eundem Circum (ut tradit Cassiodorus) restauravit, & exornavit Augustus: *Sed mundi dominus* (inquit) *ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Murciam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter præcincta montibus contineretur, ubi magnarum rerum indicia clauderentur.* Hinc extat Numisma Augusti cum Circo Maximo, ejus restaurationem proculdubio referens.

*Quinam Circum Maximum exornârint, restituerintque.*

Eam Circi partem, quæ Aventino proxima est, ipsumque Aventinum Tiberio imperitante, usta fuisse, refert Cornelius Tacitus libro quinto: *Idem annus gravi igne Urbem adfecit, deusta parte Circi, quæ Aventino est contigua, ipsoq; Aventino. Quod damnum Tiber. Cæsar ad gloriam vertit, exsolutis domorum & insularum pretiis. H-S. millies ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis ædificationibus.* Tranquillus in Domitiano, cap. V refert, *Eum ex lapidibus Naumachiæ Maximum Circum, deustis utrinque lateribus, extruxisse.* Dio auctor est, Imp. Trajanum Circum Maximum collapsum ampliorem, & elegantiorem restituisse. Quod ideo se fecisse Trajanus inscripsit, ut populum Romanum capere posset. Hinc esse opinor, quod in ejusdem nummis, Circus Maximus percussus adhuc superest. Iulius Capitolinus in Pio: *Circi*, inquit, *ruina tempore Pii evenit, quem mirificè instauravit.* Ab ejus autem successoribus Marco, & Lucio fortè restitutus fuit. Heliogabalus Circum columnis pulcherrimis auroque illustravit, & illius pavimentum chrysocolla renovavit. Lampridius in Alexandro: *Lenonum, meretricum, & exoletorum vectigal in sacrum Ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis, ad instaurationem Circi, Theatri, Amphitheatri, & Ærarii designavit.* Quem ab eo restitutum fuisse, ejus nummi cum Circo, qui adhuc supersunt, docere videntur. De Circi columnis, & ornamentis Nazarius in Panegyrico ad Constantinum Augustum, inquit: *Circo ipsi Maximo sublimes porticus, & rutilantes columnæ tantum inusitati ornatus dederunt, ut illic non minus cupidè conveniatur loci gratia, quam spectandi voluptate.* Adeò in Orbem crescente imperio, in Vrbe luxus ædificiorum excrevit; quo vitio cumulata morum ratione, Principes demum, horum Ludicrorum, quæ ad remissionem animi constat inventa, maximi cupitores, semperque auctores, certatim (quasi de salute populi ageretur, ac meritorum in rempublicam esset contentio) aliquid eximium ac luculentum in dies astruendum publicæ horum operum magnificentiæ curaverunt; per quod nempe æternùm suæ factioni ac posteritati interessent.

*Alienorum ac nihil profuturorum maxima cura mortalibus.*

Quæ circùm ambitu Circus Maximus

*De Spina, & ratione currendi circa Metas.*

mus comprehendit, expoſuimus; ſupereſt, ut ea, quæ in medio ejus extant, deſcribamus. Mediâ Circi harenâ, inter duas metas ſurgebat murus, ſive moles quædam lateritia, latitudine circiter duodenum pedum, quattuor vel plus minus altitudine, longitudine verò omnem ferè Circi aream complectens, ſpatio tantùm ex utraque extremitate illius molis & Circi relicto, quantùm equi currentes eam circuire poſſent. Hanc Spinam Circi vocari exiſtimo, de qua ſic ſcribit Caſſiodorus: *Spina infelicium captivorum ſortem indicat, ubi duces Romanorum ſuper dorſa hoſtium ambulantes, laborum ſuorum gaudia perceperunt.* Nam quum illud conſtet, ſpinam ſtructuram quandam in Circo fuiſſe, hancque lateritiam molem nomine carere, nihil aptius eſſe exiſtimavi, ex omnibus Circi partibus, vel ornamentis, cui nomen hoc tribueretur; præſertim quum ea moles metaphoricè ſpina rectè dici poſſit, à piſcium & hominis oſſe in dorſo producto, quod Spina dicitur, appellatione accepta.

*Spina captivorum dorſum indicabat.*

Quæ rectè (ut ait Caſſiodorus) captivorum ſortem indicare videtur, ſuper quorum dorſa Romani inſiderent duces, quum ſuper eam multa myſteriorum ornamenta fuerint, de quibus paulò infrà dicam. Spinam quidam intellexere obeliſcum, vel columellam aculeatam, quæ ſtatuam equeſtrem teneret hoſte conculcato, qualem Domitiani equum fuiſſe, Statius docet, & alteram Trajani veteres nummi oſtendunt. Cæterùm vero propius eſt, molem illam lateritiam (de qua ſupra dixi) fuiſſe; in cujus ſingulis extremitatibus pari intervallo, ſingulæ Metæ, ſeu termini collocati erant, ſuper quos tres erant ſummitates, ovorum ſimilitudine factæ, & trianguli ſpecie pari utrinque intervallo collocatæ. Circùm metas de equorum pernicitate certabatur, ſive puris equis, ſive bigis aut quadrigis equi decurrerent. Quare antiquitus ipſæ ita compoſitæ erant, ut poſt equorum curſum, venationum, vel pugnarum cauſſâ commode tolli & reſtitui poſſent: & ait Tranquillus, in Cæſare cap. XXXIX, pugnam in Circo commiſſam, diviſam in duas acies, quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc inde concurrentibus; inque metarum ſublatarum locum bina caſtra ex adverſo conſtituta fuiſſe. Ex eodem ſuprà cognovimus, Circum Maximum Claudio Imp. excultum & marmoreis carceribus & auratis metis, quæ utraque & tophina ac lignea antea fuerant. Metarum verò locatione terminum ac mundi finem deſignari, voluere, ab eo quod aliquis emenſus finis fit, ſive ut ſimilitudinem orientis occidentiſque ſolis repræſentarent. Ova vero ſuper metas in Caſtoris & Pollucis honorem addita fuere; nempe illos ovo editos de Cygno Iove, veteres dicere non erubeſcebant; quibus etiam omnium primò à Mercurio equos diſtributos fuiſſe, docet Steſichorus.

*Ova Caſtoris & Pollucis.*

*Currendi ratio.*

Porrò autem circum metas equi ſingulares & deſultorii, item omni curruum generi juncti, à Circi carceribus dato ſigno emiſſi, & ex uno latere decurrentes ad ultimam metam in fine ſpinæ poſitam, verſus eam Circi partem, quæ in ſemicyclum deſinebat, curſitabant, ad quem pervenientes circum ipſam flectebantur, reverſique ex alia Circi parte verſus biſſenorum oſtiorum ſitum, revocabantur: ſicque in orbem circum eaſdem metas decurrentes, ſpinâ in Circi medio poſitâ, ne ex una in alteram curriculi partem tranſilirent, prohibebantur. Mos vetuſtus fuit, agitatores ipſos quattuor factionum curribus inſidentes, metas ſepties circuire. Auriga vero illius factionis, qui primus curru, vel equo ſeptimam metam confeciſſet, illius Miſſi victor erat. Septem enim curriculorum curſus ille ſolemnis, Miſſus dicebatur. Bravium verò ſive præmium non ante decurſis ſeptenis ſpatiis accipi à victore poterat. Horatius in arte Poëtica:

*Miſſus.*

> *Muſa dedit fidibus divos, pueroſque deorum,*
> *Et pugilem victorem, & equum certamine primum.*

Singulis miſſibus quattuor ſingularum factionum agitatores currebant, quum quattuor fuere; quum verò ſex, veluti ſub Domitiano, totidem etiam aurigæ curſitabant, niſi Miſſus ex provocatione, & non ordinarius fieret; quo caſu tot agitatores aurigabant, quot ad certandum conveniſſent; duo, vel tres, vel

*Missus.* vel quattuor. Horat. lib. I. Satyra I.

*Ut quum carceribus missos rapit ungula currus,*
*Instat equis auriga suos vincentibus, illum*
*Præteritum temnens extremos inter euntem.*

Et Cassiodorus: *Circum metas adinstar Solis quadrigæ celeres pervagantur.* De septem curriculis uno missu contentis, M. Varro apud Gellium, loquitur: *Ludorum Circensium curricula solemnia septem sunt.* Et ubi septimo curriculo confecto agitatores circum metas decurrissent, tum palma victori dabatur. *Septem* autem *spatia*, inquit Isidorus, *quadrigæ currunt, referentes hoc ad cursum septem stellarum planetarum, quibus mundum regi dicunt, sive ad cursum septem ætatum hominis, quibus peractis vitæ terminus consumatur; sive septem dierum hebdomadis imitatione.* De metis & cursu Virgilius:

*Lib. III, cap. X.*

*Etymologiarum libro XVIII,*

*Lib. V.*

*Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam*
*Constituit, signum nautis pater, unde reverti*
*Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.*

Vbi Poëta egregie metarum usum in cursu explicat. Ars vero & summa industria aurigis requirebatur, in equis & curribus ad metas flectendis, ne posterior dexteritate flectendi quadrigas priorem anteverteret, quod sæpe accidit; quod si nimis currus agitando auriga metis adhæsisset, summum vitæ periculum incurrebat, ne rotis metam offenderet, & illiderentur, confractoque curru auriga concideret; quod multis accidisse constat. Sin verò nimio spatio metam evitavisset, qui tum sequebatur auriga, inter metam & priorem breviori spatio delatus, ex secundo primus efficiebatur; quod eripere vocabant. De equorum currendi ratione Arnobius lib. VII: *Sed equos tamen gaudere transire, transiri pronos & cernuos ruere cum curribus resupinos, verti, trahi alios curribus, & claudicare perfractis, & ineptias nugis, & crudelitatibus mixtas summis in voluptatibus habuisse.* Proxime primam metam, auriga victor curru in spinam dissiliens, gradibus aliquot loco præmiis dicato conscenso, bravium accipiebat.

Iuxta singulas metas Columellæ aliquot erant trabeculas sustinentes, quibus per singulas circuitiones agitatorum à Circensium ministris quibusdam singula ova & delphini erigebantur. Dio lib. XLIX scribit, Agrippam, quum videret errare homines in Circo, propter circuituum numerum, delphinos & ovata opera posuisse, quibus cursuum circuitiones & conversiones extenderentur. Hinc Cassiodorus: *Nec illud putetur irritum, quod metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur, quoniam actus ipse multis superstitionibus gravis, ovi exemplo geniturum se* artem aliquam profitetur: Et ideo datur intelligi, volitantes atque inconstantissimos inde mores nasci, quos avium matribus aptaverunt.* Delphinis verò notas curriculorum signari voluerunt, propter pernicitatem immensam. Plinius ait, quod velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, sit delphinus; ocyor volucre, ocyor telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret medio pene in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet; sed affert moram providentia naturæ, quia, nisi resupini atque conversi, nihil corripiunt.

*Ova, ad notas curriculis numerandas;*

** alii avem malunt.*

*& Delphini.*

Quattuor & viginti equorum sive curruum emissiones recentioribus temporibus singulo die dari, mos erat. Antiquitus viginti quinque dati sunt. Dio lib. LIX, in Cajo, inquit: *Equi duobus diebus certaverunt, priore vicies, posteriore, natali Caji die, vicies quater. Idque post hac etiam Cajus quoties voluit, fecit, quum antea tantum duodecies certaretur.* Aliquando vero plures Missus uno die dari consuetum fuisse, in vetustis authoribus reperitur. Ex mœniano uno, supra Carceres, committendis quadrigis Circensium signum dare solebant. Id antiquitus face accensa fiebat; postea verò mappa emissa; unde ipsum spectaculum postea Mappa nuncupatum fuit. Signum autem dare quadrigis, non nisi majorum magistratuum munus fuit, ut Dictatoris, Consulis, Prætoris. Vnde Florens: *Aspice populum ad Circense spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam desponsionibus concitatum. Tardus est illi Prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est, cognosce dementiam de vanitate. Misit, dicunt, & nunciant invicem, quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis, non vident missam, quid sit, mappam putant,*

*Signum committendarum quadrigarum.*

*putant, sed est diaboli ab alto præcipitati figura.* Imperatores etiam aliquando signum curriculis Circensibus dabant; aut qui eorum vice præsidendo fungebantur; aut aliquis Libertorum Imperatoris mittebat mappam, unde Magistratus soliti erant.

*Victor equus Marti immolatus.*

De Præmiis victorum paucissima adjiciam, in gratiam cupidi lectoris. Nanque & deo Mavorti persolvebatur aliquando victor bigarum dexterarum; ut Sext. Pompejus ait: *October equus appellatur, qui in Campo Martio Mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior.* Victores verò aurigas varia præmia, braviaque, ut aureos, palmas, coronas & varii generis corollaria habuisse, ex vetustis commentariis intelligitur. Et maximos inter honores collatos, olim Senatum reperimus decrevisse Cæsari, ut in omnibus equestribus certaminibus præmia victoribus distribueret. Palmarum nomine omnia præmiorum genera intelligi opinor, ut aurum, vestes, equos, agros, mancipia & similia. Ait Flav. Vopiscus in Aureliano, vidisse se proximè Consulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur; quum darentur tunicæ subsericiæ, lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Plinius lib. XXI, cap. III, ait, Crassum divitem primum argento auroque folia imitatum, Ludis suis coronas dedisse. De Nerone legitur apud Dionem, præconium victoriæ enunciatum esse his verbis: *Nero Cæsar, Victor hujus certaminis, coronat populum Romanum, & suum Orbem terrarum.* Dicebantur enim Victores non modo se ipsos, sed patriam coronare; sicuti & re ipsa mœniis urbium ante portam coronas suas suspendebant.

*Aurigarum Præmia.*

*Signa ad ornatum Ludorum.*

Multa verò Circi Maximi ornamenta fuisse, antiqua lapidum Monumenta, nummorumque; Tertullianus item, Isidorus ac Cassiodorus, veteres auctores testantur: attamen non omni tempore, sed festivo tantùm exposita. Facit illud Asconis, Verr. III; *Licebat enim mutuo hæc signa deportare Romam ædilibus ad ornatum ludorum, & rursus sociis reportare.* De stato igitur die Ovid. lib. IV Fastor.

*Circus erit pompâ celeber, numeroque deorum.*

Duplicis generis omnino fuisse, aliquà ex superioribus cognosci potest: aut enim ornatui & necessitati, aut religioni ac ornamento simul apposita erant. Prioris generis suprà exposuimus, modò quæ posterioris sunt, aperiamus. In Circi enim ornamentis & Ludis, quos vetustas habuit sacros, *magnarum rerum indicia* (sunt Cassiodori verba,) *significationesque claudebantur:* etiam (ut scribit Isidorus) *veteres Circensia Ludicra ad mundi caussas referentes, ea iis assimilabant, ut hac ratione religionem suam in perpetuum constitutam vulgò exornarent.*

*Obeliscus Circi major, Solis.*

Inter sacra Circi ornamenta admiratione dignissimum fuit, Obeliscus. Quæ trabs est asperrima, ex lapide Syenite, quem antea pyropœcilon vocabant. Trabes illa in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgit excelsam, utque radium imitetur, gracilescens pauli sper. Fecerunt Reges illas quodam certamine, Obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Radiorum Solis argumentum in effigie sunt, & ita significantur nomine Ægyptio. Major in medio Circi & spinæ, inter utrasque metas, locatus erat, longitudine cum basi sua pedum CXXXII, notis hieroglyphicis, sive sacris Ægyptiorum literis, repletus. Soli dicatus erat, quod per medium orbem terrarum & cœlum Sol curreret, cujus similitudinem Circus significabat. Medio verò spacio ab utraque meta constitutus Obeliscus fastigium summitatemque cœli significabat, quum Sol ab utroque spacio medio horarum discrimine transcendat. Non longe vero à Solis hoc Obelisco, metas versus, eidem spinæ alter impositus erat Obeliscus minor, pedum XXCIIX, Lunæ dicatus, notis & ipse Hieroglyphicis refertus. Vetus extat de his Obeliscis epigramma:

*Minor Obeliscus, Lunæ.*

*Major erat Phœbi radiis solique sacratus,*
*Et minor est ipsi lunæ Obeliscus honor.*
*Nam majus mittit sol sacro è corpore telum,*
*Et radio terram luna minore terit.*

De minori, Dio lib. LXI, scribit: Nero post reditum ex Græcia suum ad Vrbem, Circenses imperavit, coronas omnes quas curru certando victor obtinuerat, attulit in Circum, & Obelisco Ægyp-

Ægyptio imposuit; hæ erant numero M I Ɔ C C V I I I, postea currus agitavit. Nempe tum minor hic solus in Circo extabat, illo loco, quo postea major erectus fuit à posterioribus Imperatoribus. in cujus, nempe Maximi, apice orbis ex Pyropo superimpositus erat ignivomus; qui velut abundanti flamma canebat, & reverberantibus solis radiis, instar clibani accensi ac inflammati coruscabat. Hinc Isid. lib. Orig. XVI, cap. XIX, Pyropum ignei esse coloris dicit: namque in singulas uncias æris additis auri scrupulis senis, prætenui bracteâ ignescit, flammasque imitatur. Cecidit maximus hic Obeliscus, atque in plures partes confractus sub hortis jacuit, ubi olim erit Circi Maximi harena; quem credit Onuphrius Panvinius, à priscis illis Christianis circa belli Gothici tempora dirutum; quibus etiam Circenses in Italia fieri desierunt.

*Orbis ex Pyropo.*

De his Obeliscis tantum dixisse, satis sit; plura qui cupit, ad tractatum nostrum Obeliscorum, qui hosce libellos excipiet, sese recipiat; ubi latius & fusius iidem describuntur, materia ex qua excisi sunt, & quæ insculptæ hieroglyphicæ notæ, inventores item, positoresque, & qui transtulerunt eos ex Ægypto, imperatores, modus etiam erigendi, & quicquid circa ipsos considerari potest, copiose enarratur & explicatur. Igitur ad reliqua Circi sacra ornamenta, quæ eidem spinæ imposita erant, transeamus; queq; ad veterem superstitionem pertinentia, magnarum & arcanarum rerum significationes habuerunt. Ante omnia verò juxta majorem Obeliscum, Solis delubrum, cum ejusdem effigie super ædiculæ ipsius tympanum locata erant, de quibus Q. Florens: *Solis ædes medio spacio, & effigies de fastigio ædis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.* Tacitus lib. XV, *Tum decreta dona, & grates deis decernuntur, propriusque honos Soli, cui est vetus ædes apud Circum, qui occulta conjurationis numine retexisset.*

*Solis delubrum.*

Ab alio Obelisci latere erat Isidis sive Cybeles Deorum matris simulachrum, quæ diademate turrito caput cinctum habens, Leone vehebatur, altera manu sistrum Ægyptium instrumentum, alterâ verò mali figura pallam rotundam, sive orbem tenens, per quam rerum naturam designabant, quod in orbe vis illa divina sit, quam naturam dicimus. Ad extremas metas ara Consi, & Murciæ delubrum erant. De ara Consi M. Varro lib. V: *Consualia dicta à Conso, quòd tum feriæ publicæ Circo, & in Circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiunt Ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.* Et Plutarchus in Romulo: *Fama vulgata ab eo primum est, cujusdam Dei aram conditam sub terra invenisse, eique Deo Conso nomen indiderunt, sive à consilio, quod consiliarius foret, sive Neptunus equestris. Nam ara est in Circo Maximo posita, quæ reliquum quidem tempus latet, in equestribus autem certaminibus aperitur. Placet tamen aliis, quoniam consilium arcanum, & minimè palam esse oportet, subterraneam haud temere & opertam Dei aram esse.* Erat hæc ara inscripta:

*Cybeles simulachrum.*

*Ara Consi.*

| | |
|---|---|
| *Consus.* | *Consilio* |
| *Mars.* | *Duello* |
| *Lares.* | *Comitio* |
| *Potentes.* | |

De utriusque, Murciæ scilicet & Consi, aris, Q. Septimius: *Frigebat dæmonum consilium sine sua matre magna, ea itaque illic præsidet Euripo. Consus (ut diximus) apud metas in terra delitescit. Murcia quoque Idolum facit. Murciam enim Deam amoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.*

*Murciæ ædes.*

Erant ibidem Delphinorum septem columnis impositorum in honorem Neptuni simulachra, item columnæ setiæ à Setia sementum; metiæ, vel messiæ, à Metia, vel Roncina, vel Messia, metendi, aut messium Deabus; atque tutelinæ à Tutellina tutrice, & omnium frugum conservatrice, denominatæ, & in earundem Dearum cultum dedicatæ. M. Varro apud Nonium Marcellum: *Tuam fidem non Tutellinam, quam ego ipse invoco.* Et Plinius lib. XIIX, cap. II: *Numa Fornacalia instituit, farris torrendi ferias, & æque religiosas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maximè noverant Seram, quæ à serendo, Segestam à segetibus, appellabant, quarum simulachra in Circo videmus. Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est.* Quam Macrobius lib. I Saturnalium cap. XVI, Tutilinam nominat, ideoque à Romanis cultam ait, ut conditas jam fruges incorruptas tueretur. De iisdem Q. Florens: *Delphinos*, inquit, *Neptuno vovent, colum-*

*Delphinorum simulachra.*

*Et reliqua sacra ornamenta.*

*columnas ſetias, à ſementatoribus, meſſias à meſſibus, tutelinas à tutelis frugum ſuſtinent. Ante has verò aræ trinis diis patent, Magnis, Valentibus, & Potentibus; eosdemque & Samothracas exiſtimant.* Hos ego deos Lares Vrbis Romæ fuiſſe opinor, quoniam & ipſi Magni dicuntur, quorum honori Ludos Circenſes factos Romanos, & Magnos dici, auctor eſt Pedianus. Erant ibi etiam ova columellis impoſita, in Caſtoris & Pollucis, quos Iovis cygni ovo genitos credebant, memoriam erecta.

*Oleæ ſurculus.*

Erat Oleæ ſurculus, pacem deſignans, quam quum homines habent, rectè vivunt; de quo Tertullianus: *Nam & rivulus tenuis ex ſuo fonte, & ſurculus modicus ex ſua fronde, qualitatem originis continent.*

*Fortunæ ac Victoriæ ſimulachra.*

Sed & Fortunæ, Victoriæque ſimulachra eodem in loco viſebantur: quarum alteram colebant, ut propitia eſſet; alteram verò, quod omnium gentium victores fuiſſent. Cujus etiam in Curia ſignum dedicarunt. De aliquot ſignis in Circo locatis mentionem facit Livius lib. XL: *Ver procelloſum,* inquit, *fuit eo anno, pridie Palilia, medio fermè die atrox cum vento tempeſtas coorta multis ſacris profaniſque locis ſtragem fecit. Signa in Circo Maximo cum columnis quibus ſuperſtabant evertit, ob ea prodigia* XX *hoſtiis majoribus ſacrificatum eſt, diem unum ſupplicatio fuit.*

*Signa tempeſtate dejecta.*

Idem lib. XLIX: *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, & A. Poſtumius Albinus faciebant, malus in Circo in ſtabulis, in ſignum Pollentium procidit, atque id dejecit. Ea religione moti Patres, & diem unum adjiciendum Ludorum celebritati cenſuerunt, & ſigna duo pro uno reponenda, & novum auratum faciendum.*

*Romanorum ſuperſtitio.*

Spartianus in Severo: *Die Circenſium, quum tres victoriæ more ſolito eſſent locatæ gypſeæ cum palmis, media quæ Severi nomine aſcripta orbem palmis tenebat, vento icta de Podio ſtans decidit, & humi conſtitit: Eaque quæ Getæ nomine inſcripta erat, corruit, & omnis comminuta eſt. Illa verò, quæ Baſſiani titulum præferebat, amiſſa palma, venti turbine vix conſtitit.* Livius lib. XXXIII, *L. Stertinius, ex ulteriore Hiſpania reverſus, de manubiis duos fornices in foro boario ante Fortunæ Ædem, & Matris Matutæ unum; alterum in Circo Maximo fecit, & his fornicibus ſigna aurata impoſuit.*

*Signa aurea.*

*Pegma.*

Plinius lib. XXXIII, cap. III, *Cajus princeps in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo* CXXIIII. *Juxta metam ſupra ſpinam erat præmiorum locus, ad quem gradibus aſcendebatur, & auriga victor è curru deſiliens eo conſcenſo bravium propoſitum tollebat.* Demum in antiquis lapideis tabulis aliquot alia ornamenta, & ſigna, aræ, tripodes, & ſimilia, ſuper eandem ſpinam locata conſpiciuntur, quorum certam, & exploratam cognitionem adhuc habere diligentiſſimi inveſtigatores non potuerunt.

Supereſt ut quædam de curſu, curribusque ac myſteriis curulibus, aurigis etiam & agitatoribus Lectori curioſo apponamus; quoniam in ſuperioribus eorum fecimus mentionem, &, ne latiori deductione longius ſuſpenderetur inſtitutum noſtrum, reliquimus filum, quod nunc legere telæque immittere, æquum putamus: quæ ut ne deflectant de curriculo inſtituti noſtri, quantum poteſt fieri, cohibiliter agemus.

*Spectaculorum genera.*

Octo quidem in Circo Maximo ſpectaculorum genera ſe offerunt monumentis antiquorum: præcipuum verò & proprium, curſus ſive certamen Curule & Equeſtre; cetera ſunt Gymnicum vel Athleticum, Pompa, Ludus Trojæ, Venationes, Pugnæ equeſtres & pedeſtres; Naumachia, & aliquando Ludi Scenici, de quibus alio forte loco dicetur. De prima ergo Ludorum Circenſium parte, ante ipſius etiam Circi exædificationem uſurpata, & à Romulo, Vrbe recens conditâ, inventa, uti ſuprà latius deducitur, nunc dicturi ſumus, ejusque ſignificationum argumenta & myſteria indicaturi.

*Ludi Magni, ſive Romani.*

Et curſus quidem Ludicros, quibus Tarquinius primo certum aſſignavit locum, Circo Maximo condito, idem in varia certamina equeſtria, & curulia, equorum, bigarum, trigarum & quadrigarum diſtinxit, exornavitque, & ſecundam quoque partem, Gymnicam ſive Athleticam iis adjunxit. Ex quibus primum locum obtinent bigæ.

*Bigæ.*

Hæ currentes Lunam imitari putabantur, quæ gemino curſu cum ſole contendit, ſive quod nocte videatur & die; ideoque bigis alterum equum nigrum, alterum candidum jungebant, qui noctem & diem repræſentarunt.

*Trigæ.*

Trigæ in deorum inferorum honorem conſtitutæ erant; quod ex tribus ætatibus homines raperentur, infantes ſcilicet, juvenes

Lib. VII. nes & senes. ita Isidorus. Dionysius testatur, in equestribus Circensium certaminibus duo quædam priscorum Græcorum instituta Romanis servata: quorum alterum Trigarum, quod defecit in Græcia, usitatum Heroum temporibus; quo duobus equis Bigarum in morem junctis, adjungebatur tertius funalis, loramentis adnexus. Quadrigas Soli sanxerunt, quod Sol per quattuor anni tempora singulis annis vertatur. De Quadrigarum authore primo, Erichthonio Athenarum rege, Poëta canit:

*Lib. III Georgicorum.*

*Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus*
*Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.*

Sejugarum maximus currus Iovi dicatus erat, quod maximus deorum Iupiter esset. Septem, decemque jugis aliquando aurigatum fuisse, refert Suetonius. At vero non solùm equos curribus committere, veteres consuevisse, invenimus, sed & propter equorum inopiam, principio diversis usos esse animalibus; quanquam postea equis tantum: sed & posteriores elephantis & camelis, quin cervis etiam & canibus, tygribusque & leonibus junctis cursus egerunt. Curribus rotis vectis significabant, quod orbis iste circulari celeritate omnia percurrit; sive ad solis similitudinem, qui circulari ambitu totum mundum lustrat. Vnde Ennius:

*Variis animalibus per catadromum vel superse-dentes decurrerunt, vel currui junctis, vecti sunt.*

*Inde patefecit radiis rota candida Cœlum.*

Rotæ verò Orientis & Occidentis terminos designabant.

*Equi singulares.*

Equi vel singulares currebant, vel desultorii erant. Qui singulares, id est, singulatim currebant, Castori & Polluci ab antiquis dicati erant. Singulatores inde sunt dicti, qui uno equo vehebantur. Repræsentabant autem vitæ nostræ specimen, quod singulatim unusquisque cursum vitæ suæ seorsum conficit, aliique eodem aut diverso tempore alios sequuntur, imo duntaxat mortis curriculo, usque ad obitus extremam metam. Suetonius in Cajo, cap. LV, *Incitato equo, cujus causa pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat*, &c. scilicet ut equus quietus, paratior agiliorque ad cursum esset. Desultorii equi, quos Lucifero & Hespero sacros fuisse, perhibet Cassiodorus, dicti sunt quod ex his facile desiliant desultores; erantque duo sine ephippiis adjuncti, & ex uno in alterum mira celeritate, singulo septem curriculorum, alternatim transilire desultoribus ars existebat. Erant & in exercitibus equi desultores, qui equitibus singulis præsto erant; unde Livius habet: *Numidæ in dextero locati cornu, quibus desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum, ex fesso, armatis transultare mos erat.* Tranquillus in Cæsare cap. XXXIX: *Quadrigas, bigasque & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Propertius in Fabula Vertumni hoc innuit:

*Desultorii equi.*

*Libro XXIII.*

*Lib. IIII.*

*Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus*
*Trajicit alterno qui leve pondus equo.*

Alterum est genus desultorium, diversumque à superiori; eorum nempe qui præcursorii spectatoribus se ostendebant, ut intelligerent proxime currus esse agitandos, quique nullo victoriæ præmio currentes, bigas tantùm & quadrigas tanquam ministri & adhortatores comitarentur; de quibus Cassiodorus in Epistola ad Faustum ait: *Equi desultorii, per quos Circensium ministri missos nunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Sic accidit, ut dum se colere putarent astra, religionem suam ludicra similitudine profanarent.

*Præcursio equitum.*

Ii porrò qui curribus, seu equis insidentes, eosdem circum metas agitabant, aurigæ sive agitatores appellabantur. Hinc Cicero ad Atticum, lib. Epistolarum XIII: *Nec est melius, quam ut Lucullus sustineat currum equosque, ut bonus sæpe agitator.* Bigarii, & Quadrigarii, à curribus bigarum & quadrigarum dicti. Qualis eorum grex fuerit, apparet ex illo, quod, uti Tranquillus in Nerone, cap. XVI, ait, *Vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere & furari per jocum jus erat.* Inde procul dubio est, ut inhonestæ personæ vocentur in lib. II Cod. tit. XL, l. IV: & Tertullianus libro de Spectaculis, Quadrigarios cum Scenicis, Xysticis, Arenariis, damnaverit ignominia & capitis diminutione, (minima scilicet:) cum aliàs secernantur & excipiantur de famosis; nec artem ludicram facere, dicantur Vlpiano, in lege IV D. de iis, qui

*De Agitatoribus.*

*Studium Aurigarum servile;* qui not. infam. Servos, aut Libertinos sive vernas, sive advenas, aurigas fuisse constat: artem enim eam ingenuo civi Romano exercere probro erat; quanquam depravata Republica aliquando ab adolescentibus nobilibus factitatam fuisse legimus, eosq; iccirco infames habitos. Et Senatores quandoq; quadrigas agitasse, refert in Caligula Tranquillus, & Dio in Nerone; multique Principes *Nobilium tamen,* Romani huic aurigandi studio usque ad insaniam vacasse, passim in vetustis auctoribus observantur: ut sunt Cajus, Nero, L. Domitius, Vitellius, L. Verus, Commodus; & de Caracalla Herodianus lib. III, Bassianum & Getam Se- *Et Principum quoque.* veri Imperatoris filios, tum adulescentes, deliciis victuique urbano, nimioque spectaculorum aurigationisque & saltationis studio, bonam indolem corrupisse. Et Heliogabalus aurigans, aut saltans conspiciebatur. Aurigantibus verò illustribus personis, eodem & simili cum illis habitu culti erant ministri assistentes, currus aptantes &c. continentes ita insignia dominorum: hoc enim advertebant, ut in omnibus color conveniret; unde Stat. VI Theb.

*Ipse habitus niveus, nivei dant colla jugales;*
*Concolor est albis & cassis & infula cristis.*

*Factiones aurigarum.* Imò & ipsi currus infecti colore, quo domini erant. Societates enim Aurigarum sive Agitatorum, quæ Factiones appellabantur; unde Pompejus: *Factio & Factiosus initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur*; à vestium coloribus, quibus dum cursitarent induebantur, nomina sortitæ sunt. Quorum duæ initio erant, Alba scilicet, & Rubea sive Tussata; albus color Hiemi ob nives candidas, rubeus Æstati ob solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate quam superstitione provecta, Russeum alii Marti, alii Zephyris Album consecraverunt, duobusque additis, Prasino & Veneto. Illum Terræ Matri, vel Verno; hunc Cœlo & Mari, vel Autumno devoverunt. Ita ex duabus quattuor factiones factæ sunt. Prasinus autem est color viridis, ad similitudinem porri. *Prasinæ factioni*, ait Suetonius de Cajo, *ita addictus & deditus, ut cœnaret in stabulo assiduè, & maneret.* Et Dio: *Cajus Prasina factione summopere delectabatur, ita ut locus, in quo solebat aurigare, etiamnum Cajanus ab eo dicatur.* De Vero Capitolinus ait: *amavit aurigas, Prasino favens.* Altera factio Rosea, sive Rubea, aut Russata appellabatur, à rubei coloris vestimentis. Tertia factio Alba seu Albata, ab albo amictu. Quarta Veneta, à Veneto sive cœruleo colore denominata est, qui color (teste Vegetio) est fluctibus marinis similis. Capitolinus habet: *L. Verus præsens cum Marco sedens, multas à Venetianis est passus injurias, quod turpissime contra eos faveret.* Has porro quatuor factiones his ideò coloribus veteres distinxerunt, ut per eos quatuor elementorum Terræ, Ignis, Aëris, & Aquæ similitudines redderent. *Factionum mysteria.* Sext. Rufus in libro de Regionibus Vrbis, Regione IX Circus Flaminius vocata, haud longe ab eo Circo stabula quattuor factionum fuisse scribit; quæ, ut ex antiqua inscriptione C. Appulei Dioclis constat, prope palatium Cancellariæ Apostolicæ fuere. De stabulis hisce Tacitus lib. XVII: *Vitellius sola perdendi cura stabula aurigis extruere intentus, & Circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tanquam in summa abundantia pecuniæ illudi.* Ad has autem quattuor veteres factiones duas alias, Aurati, Purpureique panni Domitianum addidisse Tranquillus & Dio authores sunt. Multitudo vero aurigarum cujuscunque factionis, greges vocabantur; quibus qui singulis præerant, factionum sive gregum Præfecti, Magistri, Domini, & Conditores dicti. Varia erant hominum & Imperatorum in aurigas studia: *Studium omnium in Aurigas.* adeò ut Herodianus lib. V, de Caracalla hoc referat: *Quum Circenses spectaret, & populus Romanus in aurigam, cui studebat, nescio quid cavillatus esset, ratus sibi contumeliam illatam, repente omnem exercitum facere impetum jussit in populum, ac occidere quicumque in aurigam dixissent.* Has factiones à Circo per Vrbes in studiis hominum inductas, diuturno tempore tum Romæ tum in Oriente permansisse, constat. Dio enarrat, quod *Heliogabalo vir erat Hierocles Caricum mancipium & auriga, qui ei præter opinionem hac ex re placuit: nam cum Ludis Circensibus decidisset ex curru, ante sellam Sardanapali, atque in eo casu galeam abje-*

*abjecisset, visusque ab illo esset, cui nulla barba, flavaque coma erat, statim raptus est in palatium.* Idem scriptor: Caracalla occidit Romæ hominem ignobilem, sed tamen in eo studio, cui se dediderat, celebrem, egregium scilicet aurigam; quod esset factionis contrariæ. Hic senex mortuus est, postquam coronatus esset in plurimis equorum certaminibus: obtinuerat enim coronas IↃCCXXCII, quod ante contigerat nemini. Meritum putavi Martialis de Flavio Scorpo clarissimo auriga carmen lectori apponere, quod est in lib. X:

*Frangat Idumæas tristis victoria palmas,*
*Plange Favor sæva pectora nuda manu.*
*Muta bonos cultus, & iniquis munera flammis,*
*Muta coronatas gloria mœsta comas.*
*Heu facinus prima fraudatus Scorpe juventa*
*Occidis, & nigros tam cito jungis equos.*
*Curribus illa tuis semper properata brevisque*
*Cur fuit, & vitæ tam prope meta tuæ!*

Epitaphium Scorpi:

*Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,*
*Plausus Roma tui, delitiæque breves.*
*Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,*
*Dum numerat palmas credidit esse senem.*

Idem lib. XI, Incitatum alium aurigam commemorat:

*Sed cum sponsio, fabulæque lassæ*
*De Scorpo fuerint & Incitato.*

Idem Poëta ad Domitianum, profitetur Passerinum & Tigrem, aurigas nobilitate cæteris præcellentes, & qui omnium oculos ad se rapere sua arte nossent:

*Adeò mentes omnium tenes unus,*
*Ut ipsa magni turba nesciat Circi*
*Utrumne currat Passerinus, an Tigris.*

*Equi Circenses.* Circensibus Ludis optimi equi parabantur; de quibus Plinius ait: *Diversa in Circo equorum ratio quæritur. itaque cum bimi in alio subigantur imperio, non ante quinquennes ibi certamen accipiunt. à Circo post* XX *annum mittebantur ad sobolem reparandam.* *Lib. VIII, cap. XLVI,* Idem, ibidem, paullo supra: *Equi in Circo ad currus juncti, non dubiè intellectum adhortatem equis gloriæ fatentur.* Solinus, *cap. XLVI, Polyhist.* *Voluptationis & inesse, Circi spectacula prodiderunt. Quidam enim equorum cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accensis facibus ad cursus provocantur.* M. Varro lib. II, de re rustica: *Unæ equorum quadrigæ Romæ constiterunt quadringentis millibus.* Statius Papinius, Silvarum lib. V:

*Qualis per jugera Circi*
*Cum pulcher visu titulis generosus avitis*
*Expectatur equus, cujus de stemmate longo*
*Felix demeritos habet admissura parentes.*
*Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem*
*Pulvis, & incurvæ gaudent agnoscere metæ.*

Dio lib. LXI de Nerone refert: *Cursu & certaminibus equorum delectabatur, ita ut ob eam causam insignes equos victores, & jam senio confectos stola forensi, non secus quam homines, ornaret, eosque honestaret pecunia stipendii loco. Quapropter quum propter hoc Neronis studium, factionum domini, unà cum eorum gregibus superbe extollerentur, ac proinde Prætoribus sæpè ac Consulibus graves injurias inferrent, A. Fabricius Prætor uti noluit illis, justa mercede cum quibusdam certare recusantibus, sed canes doctos currus agere pro equis introduxit.* *Canes currui adjuncti, pro equis.* *Quo facto, Albati & Russati statim currus reliquerunt, quum Prasini & Veneti nihilo magis exirent. Nero autem præmia equis proposuit, itaque Ludi Circenses peracti sunt.* Hactenus de Circo Maximo, & quæ circa illum consideranda veniunt, copiose satis egimus, ut variarum rationem rerum atque operum, quæ in magnificentissima hac structura continentur, explicaremus: cujus figuram ex vetustis nomismatum, tabularum marmorearum & librorum monumentis, ac iis, quæ supersunt, Circi ipsius fragmentis delineatam, numeris omnibus absolutam, expressa ære tabula subjicit, ac Circi gradus, porticus, officinas, euripos, claustra, mœniana, metas, Obeliscos, spinam, & spinæ imposita ornamenta, ædiculas, aras, simulachra, columnas & similia nobis jam abunde descripta, studioso gratoque Lectori proponit.

# CIRCUS FLAMINIUS.

PRæter Maximum illum, de quo bene multis jam absolvimus, septem Circos P. Victor, in lib. de Regionibus Vrbis, adnumerat; octo verò Romæ hodieq; ruinis & ruderibus comparent. Quorum juxta Maximum ornatissimus, ut & antiquissimus fuit Circus Flaminius: quod indicat Scaurus Gramm. *De navi dicimus, cum longa aut oneraria sit rogamus; de Circo, cùm Flaminius aut Maximus.* Hunc, Apollinarem antea dictum, à proxima Apollinis æde, & rustice primò extructum dicimus cum Livio & Plutarcho, ligneumque; vel tantùm formam Circi designatam fuisse, in pratis illis à Flaminio antiquo appellatis Flaminiis: ille enim Civitati agros & hæreditatem amplam ex testamento reliquit; cujus pars major Ludis equestribus hoc in Circo edi solitis impendebatur. Cæterùm postea C. Flaminium de hostium manubiis Circum ipsum, tanquam gentis suæ monumentum, magnificentius, latiusque renovasse, vel ruinæ proximum restituisse; & ab hoc demum ex Apollinari Flaminium Circum denominatum, cum eodem authore locis aliis suorum librorum, & Sexto Pompejo, cæterisque sentimus. Ædes vero Apollinis illa hîc demonstratur, quæ fuit extra portam Carmentalem inter forum olitorium & Circum Flaminium; ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes erat. Porta Carmentalis secundo murorum ambitu, quos T. Tatius cum Romulo regnans extruxit, in radicibus Capitolii condita fuit: à qua haud procul Circus Flaminius, ad eam partem vergens, ubi nunc est urbs Roma. Longitudo ejus protendebatur ab area domus Marganiæ, ubi in hemicycli formam desinebat, usque ad novam viam Capitolinam, ubi Carceres & XIII ostia erant; latitudo verò fuit ab ædibus Ludovici Matthæi usque ad Calcariæ fontem, ubi est officina tinctoris, ambiens eo circuitu apothecas obscuras Matthæiorum, & multas diversorum privatas domus. Cujus fundamentis è Tiburtino lapide, quæ Matthæiorum & vicinis ædibus supposita sunt, ante aliquot annos erutis, marmorea tabula pueros curulia ludicra agitantes incisos continens reperta fuit. Dio, lib. XV: *Augustus, spectacula quum exhiberet, aquam in Circum Flaminium induxit, in qua triginta sex crocodili sunt occisi.* Adhuc verò extat antiquus ille euripus limpidissimus, tinctoris officinam præterfluens, qui fons calcariæ, à vicinis quæ ibidem coquebantur calcis fornacibus, dicitur. Ejus Circi arena lateribus minutissimis transversè stratis opus tessellatum suprapositum habebat. Ludos & pompam in Circo Flaminio fieri solitam, narrant Valerius Maximus, Livius & authores alii. De rebus maximis quoque hic agi solitum erat, concilio plebis & omnium ordinum; & sæpissime advocari concionem, propter celebritatem & concursum ex omni parte urbis, ex agris etiam & oppidis ad nundinas. Mercatus enim concelebrabatur in hoc Circo, vendebanturque merces variæ; de quibus nempe Ovidius:

*Circus Flaminius, primò Apollinaris dictus.*

*Porta Carmentalis.*

*Circi Flaminii metatio.*

*Euripus.*

*Arena.*

*Panegyris, Circi Flaminii.*

> *Sed rerum expositas Circus habebit opes.*

*Lib. I de arte amandi.*

Et de poculis facit Martialis:

> *Quum tibi Niliacus portet chrystalla catastus;*
> *Accipe de Circo pocula Flaminio.*

*Lib. XII ad Flaccum.*

Dona & præmia militaria antequam triumphans in Vrbem inveheretur, in hoc ipso divisisse M. Fulvium Consulem, scribit Livius. Castra in eo posuisse Cæsarem, Seneca, libro quinto de Beneficiis, testatur. Et Dio loco nobis supra citato: *Drusum mortuum Tiberius frater in foro, Vitricus Augustus in Circo Flaminio laudarunt.* Habet Valerius Maximus quendam patremfamilias, plebejis Ludis, priusquam pompa induceretur, per Circum Flamin. servum suum verberibus multatum sub furca ad supplicium egisse: similiter Martyres quoque Mauram & Papiam, milites, quos imperator sibi præsentari in hoc loco jusserat, supplicio pro Christo hîc affectos esse, Baronius, anno Christi CCCIII, memorat.

*Lib. I, cap. VII, de Somniis.*

Circum

Circum Flaminium Lucullus in triumpho suo trophæis exornasse, testis est Plutarchus. Sequentibus eum describit versiculis Ovidius, libro Fastorum sexto:

*Prospicit à tergo summum brevis area Circum,*
*Ast ubi non parva parva columna nota.*
*Hic solet hasta manu belli prænuncia mitti*
*In Regem, & gentes cum placet arma capi.*
*Altera pars Circi custode sub Hercula tuta est,*
*Quod Deus Euboico carmine munus habet.*

*Columna Bellica, belli index.*

De eadem columna Sext. Pompejus: *Bellona Dea bellorum dicta, ante cujus templum erat columella, quæ bellica vocabatur, supra quam hastam jaciebant cum bellum indicebatur.* Quum Imperator Cæsar Augustus Vrbe renovata, & Imperio Populi Romani sibi confirmato Romam in quatuordecim Regiones distribueret, eam regionem, quæ plana Vrbis loca Tiberim versus comprehendebat, & circuitu pedes XXXMDLX continebat, à Circo Flaminio denominavit. Ex quibus eidem Circo multas Divorum sacras Ædes vicinas fuisse, observatum est, quarum præcipuæ ab auctoribus & calendario veteri ita memorantur:

*Regio Vrbis Flaminia.*

*Ædes divorum præcipuæ.*

Ædes Herculis magni custodis Circi Flaminii.

Ædes Martis in Circo Flaminio.

Ædes Vulcani in Circo Flaminio.

Ædes Bellonæ versus Portam Carmentalem in Circo Flaminio, intra quam dabatur Senatus legatis exterarum nationum, quos in Vrbem admittere nolebant; ante quam erat columna, index belli inferendi, ut etiam ex Ovidio supra vidimus.

De Delubro Iovis Statoris in Circo Flaminio M. Varro lib. VIII rerum divinarum, apud Macrobium lib. III Saturnalium: Delubrum ait alios æstimare, in quo præter ædem sit area assumpta deûm causa, ut est in Circo Flaminio Iovis Statoris, &c.

Ædes Pietatis in Circo Flaminio.

Ædes Castoris in Circo Flaminio.

De Æde Neptuni in Circo Flaminio ita meminit vetus hæc inscriptio, quæ in pratis Quinctiis in vinea quadam adhuc Romæ extat.

D. M.
ABSCANTO. AVG. LIB. ÆDITVO. ÆDIS NEPTVNI QVÆ EST. IN. CIRCO FLAMINIO FLAVIVS ABASCANTVS ET PALLAS. CÆS. N. SER ADIVTOR A RATIONIB. PATRI. PIISSIMO. FEC

Plinius lib. XXXIIII, cap. III: *Invenio à Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad Circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata à capitulis æreis columnarum.* Et lib. XXXVI, cap. V: *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse & Thetis, atque Achilles Nereides supra delphinos, & cete, & Hippocampos sedentes.* Et paulò post: *Nunc verò præter supradicta quæ nescimus, Mars est etiamnum sedens, Colosseus ejusdem in templo Bruti Callaici apud Circum eundem ad Labicanam portam eunti. Præterea Venus in eodem loco nuda, Praxitelicam illam Gnidiam antecedens.* Hunc Circum bello Gothico Italico, Imperat. Iustiniani Legatis, Belisario & Narseti, gesto, quo Circenses Ludi fieri desierunt, disjectum fuisse, haud levis est conjectura.

*Porticus duplex Cn. Octavii.*

## DE CIRCO AGONALI.

Tertius Circus est ille, qui nunc media Vrbe existens Agonalis dicitur, mercatu nobilis. Memoriæ enim proditum est, Numam Pompilium sacra quædam Iano instituisse, quæ Agonalia dicebantur, ad V Id. Ian. quo die Sex. Pompejo & Gellio scribentibus, Rex ipse hostiam in monte Quirinali immolabat. Tunc verò ludi quidam & spectacula edebantur in foro, ab eorum editione Agonum, vel Agonali appellato, unde hodie *Nagona* nomen obtinet, corrupto vocabulo. M. Varro lib. V de lingua Latina, de Agone sic scribit: Agonales dies, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab Agone, eo quod interrogetur à Principe Civitatis, & princeps gregis immolatur. Scilicet ab agendo, agone? minister siquidem in Agonia hostia Regem sacrificulorum interrogabat, num tempus hostiam feriendo esset, cum cultro immineret, nec nisi accepto signo feriebat. Ovidius:

*Circus Agonalis, putatus Alexandri Severi.*

*Agonalia sacra.*


CIRCVS FLAMINIVS
E Veterum monumentis in lucem eductus.
Nobilissimo, Amplissimo, Prudentissimo.
D. CORNELIO DE GRAEF,
LIBERO DOMINO
IN POLSBROECK,
CONSVLI AC SENATORI
REIPVBL. AMSTELÆDAMENSIS,
Accuratam hanc Circi Flaminii Tabulam
D.D.D.
J. BLAEV.
OPPIDA
MAPPA
CARCERES XII
Quadriga
Metæ cum suis ovis
LVNÆ
NEPTVNI
OBELISCVS SOLI SACER
EVRIPVS
ISIS
APOLLINI
Bigæ
Equo singulari
Metæ cum suis ovis

*Qui calido strictos tincturus sanguine cultros*
*Semper, agat ne? rogat, nec nisi jussus agit.*

Agonium. Festus habet: *Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat. Hostiam enim antiqui Agoniam ab agendo vocabant. Agonium etiam putabant deum dici præsidentem rebus agendis; Agonalia ejus festivitatem.* Agonium verò interpretantur alii Ludum; ob hoc dictum, quia locus in quo Ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo, Agon. quod Agon apud Græcos significat: quia Circus erat forma circulari, sed oblonga, locos sic habens dispositos, ut alter alterius prospectum non impediret. Agonaliorum verò festorum nomine apud Græcos omnes Ludi & spectacula continentur, ut passim Authores exhibent.

Quis autem hunc Circum extruxerit, minime constat: quidam enim eundem cum Flaminio confundunt; nonnulli Alexandri Severi Circum appellarunt, quod ab eo vel conditus, vel potius renovatus fuerit: nam in ejus fundamentis ab eo latere, ubi Mellinorum ædes sunt, olim fragmenta quædam lapidea eruta fuere, in quibus Vespasini ædilis nomen, cum notis quibusdam incisum erat, quæ ipsum nonnihil in hoc loco restituisse significare videbantur. Ejus areæ pars occupatur domibus Cardinalis Neapolitani, Turrensium, Maximorum, Macciatostensium, area & æde Divi Pantaleonis, ubi ejusdem carceres erant. Porticuum reliqua vestigia. Porticuum quibus in gyrum finiebatur vestigia supersunt prope viam, qua ex agone iter est in aream proximi Fani S. Apollinaris, à quo nonnulli, uti jam dictum est, eum Flaminium, qui & Apollinaris dictus fuit, fuisse, falso suspicati sunt. super cujus gradibus, vel gradus sustinentibus porticibus, cunctæ domus, quæ ex utroque latere areæ Agonalis existunt, sunt ædificatæ. In æde D. Agnetis in Agone maximæ structuræ fornices, & porticuum arcus adhuc nonnulli supersunt, quibus structuræ magnificentia facile cognosci potest.

## DE CIRCO SALLUSTII.

Quartus in Vrbe Circus extitit juxta portam Collinam, aliàs Salariam, propè hortos Salustianos: quem Circum antiquum fuisse, & à Salustio renovatum opinatur Panvinius; existimatque de eo loqui Livium, quum ait: *Aquarum insolita magnitudo in religionem versa: nam ita inundavit Tiberis, ut Ludi Apollinares Circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Veneris Erycinæ portati sint. Cæterum Ludorum ipso die, serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, revocata deductaque in Circum est, quum decessisse inde aquam nunciatum esset, lætitiamque populo & Ludis celebritatem addidit.*

## DE CIRCO FLORALI.

Quintus Circus erat in Quirinali, Floralis dictus, cujus adhuc inter vineas nonnulla fragmenta visuntur, in quo Ludi florales in honorem Deæ Floræ edebantur, de quibus Ovid. lib. v Fastor.

*Mater ades Florum ludis celebranda jocosis.*

Venationes ibi delitiosissimæ edebantur, utpote meretriculis & mollibus personis; dati namque pavidi ac

*Imbelles lepores, Floralis præmia campi;*

Quanquam etiam elephantes, funambulos tamen, habet in Galba Suetonius. Flora illa Dea olim Acca Laurentia refertur authoribus, scortum famosissimum, & Herculi victori ab æditui ob mulctam ante victoriæ tesseris submissam nupsisse, deinde Taruntio; sed quæ post obitum viri omnium bonotum hæres, decedens ipsa Pop. Roman. etiam sibi hæredem allexit; ea conditione, ut sibi quotannis ludi fierent; quod cum videretur turpe ob meretricium flagitium Senatui, Deam ipsam finxere, floribusque præesse. Quem colorem sequitur etiam Ovidius in Fastis; nymphamque nobilem fuisse, quæ sit Chloris vocata, enarrat. Ei Ludi, in die natalis sui peragebantur: nudæ in his foemi-

fœminæ, quæ quæstum corporis faciunt per lasciviam jocosque vagabantur, fungebanturque officio mimorum. Quis autem antiqui Rom. Populi superstitionem non admiretur, quod Rerum ipse appellatus dominus sibi servilem imo belluinam hanc turpitudinem persuaserit, ut in oculis casti & severi censoris corpora illa meretricia summo cum dedecore fœminei sexus discurrerent, & invelata diffluerent, religiosa lascivia! Fuit & alia Flora, à qua Campus Floræ nomen habuit; sed tantum de ipsis sufficiat. Extat etiam ejusmodi antiquus argenteus nummus cum Floræ capite, ita inscriptus: C. SERVEIL. C. FLORA PRIMVS.

## DE CIRCO VATICANO.

*Obeliscus in Vaticano.*

SExtus in Vaticano Circus erat, cujus per omnem annorum seriem integer mansit suo loco Obeliscus, à latere Basilicæ S. Petri, cum ejusmodi inscriptione:

DIVO. CÆSARI. DIVI IVLII. F. AVGVSTO TIB. CÆSARI. DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

*Navis qua delatus est Romam.*

De quo Plinius lib. XXXV, cap. XI: *Tertius Obeliscus*, inquit, *est in Vaticano, Caji, & Neronis Principum, Circo.* Cajus Caligula enim Circum hunc Vaticanum ædificavit, & in honorem avi sui Augusti Obeliscum, quem mirificâ architecturâ constructa navi devexerat Alexandriâ, laboriosa multorum hominum tractatione, anno Salutis nostræ XL, tertio vero imperii sui, erexit. Plinius lib. XVI, cap. XL: *Abies admirationis præcipua visa est in navi quæ ex Ægypto Caji principis jussu Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quattuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum, adduxit. Qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est; CXXM modia lentis pro saburra ei fuere.* Verticem Obelisci pila ornabat aurata. Et in communi monumentorum Romanæ Vrbis clade, à Barbaris illata, mirum est, præ cæteris omnibus huic esse parcitum. Statione denique sua avulsum Sixtus V Pontifex Max. in Vaticano campo ante Propyleum Basilicæ D. Petri positum S. Cruci dedicavit; ubi hodie non sine admiratione omnium, ceu veteris magnificentiæ monumentum, conspiciendum se præbet. Sed quæ plura circa ipsum consideranda veniunt, in singulari, qui hisce annexus est, libro de Obeliscis, & hujus præcipue machinosa translatione, tractavimus. Quare Lectorem eò iterum remittimus. De hoc vero Circo Tranquillus in Claudio, cap. XXI: *Circenses etiam frequenter in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione.* Lampridius in Heliogabalo: *Ipsum elephantorum quattuor quadrigas in Vaticano agitasse*, scribit, *dirutis sepulchris quæ obsistebant.*

*Transpositus obeliscus à Pont. Max.*

Tacitus Historiæ Augustæ lib. XV: *Hortos suos* (in Vaticano sitos) *ei spectaculo* (Christianis necandis) *Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat; habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens.*

Hunc Circum Imperator Constantinus demolitus est, quando in eo maximam D. Petri honori Basilicam à fundamentis extruxit.

## DE CIRCO NERONIS.

SEptimus Circus etiam trans Tiberim haud longe à Vaticano erat, scilicet extra portam arci S. Angeli proximam, Hadriani moli in hortis Domitiæ, Neronis Imperatoris amitæ vicinus. Cujus adhuc multa in vineis Castello proximis & præsertim Vettiorum vestigia, & parietinæ visuntur. Hunc Circum à Nerone conditum fuisse, certissimo argumento sunt nuper effossæ in ejus Circi carceribus bipedales tegulæ figulinæ multæ, quibus magistrorum figulinarum nomina, & aliquot Consulum collegia inscripta erant, qui Neronis, & Hadriani principatibus fuerunt; qua ratione facilè conjicere possumus, eum à Nerone (cujus horti illi erant ex Domitiæ amitæ hereditate) inchoatum, ab Hadriano verò quum Mausoleum suum vicinum ad Tiberis ripam conderet, aut perfectum, aut restitutum.

*Circi Neronis parietinæ,*

*& vestigia certa.*

# DE CIRCO S. SEBASTIANI, vulgo CARACALLÆ AD VIAM APPIAM.

*Circus Caracallæ omnium hodie integerrimus.*

OCtavus Circus is est, qui viâ Appiâ, tertio ab Vrbe lapide, prope fanum D. Sebastiano dicatum, euntibus parte læva, adhuc pene integer & ab omnium temporum injuria magis præservatus occurrit, qui vulgo ab Antonino Caracalla extructus existimatur, quod ejus principis nummo Circi figura cusa sit. sed falso. Nummi enim illius Circus simillimus est Maximo, qui in Trajani nomismate cernitur. Hujus verò tota lateritia structura admodum similis est ædificiis iis, quæ circa vel post Constantini tempora extructa fuisse certò scimus. Hujus carceres Appiam versus, hemicyclus & finis Latinam vias, siti sunt; longitudine pedum MMCCXCII, passuum verò CCCCLVIII. latitudine pedum CCCLXX, passuum autem circiter LXXIV. In eo adhuc supersunt fornices lateritii, qui gradus sustinebant, ostium ad finem hemicycli, mœniana in gradibus ex adverso metarum locata, Spina, binæ metæ, cum ternis per singulas ovis & alia multa visu dignissima. Obeliscus autem, quem ex Ægypti urbe Heliopoli transportatum Antoninus Caracalla, ut putatur, in hoc Circo erexerat, seculis posterioribus dejectum, fractumque, tandem ex Circi ruinis erutum Innocentius decimus, Pontifex Maximus, restauravit, & in Circo Agonali sive foro Romano (vulgò *La Piazza Navona*) gloriose erexit, anno Christi MDCXLIX. De quo in nostro Obeliscorum tractatu, qui pone sequitur, pluribus agemus.

*Circi partes quæ supersunt.*

*Obeliscus fractus,*

*& reerectus.*

*Ostia tempestate dejecta.*

Ostium Circi majus inter duodecim minora, duæque in angulis turres, & ex minoribus ostiis, quibus carceres includebantur, aliquot intra hoc decennium vi tempestatum ceciderunt. Hujus topographiam cum ædificiis omnibus quanta potuit diligentia delineatam subjicere, ne curioso Lectori quid deesset, placuit. Spinæ, & metarum dispositio, ex quattuor tres Circi harenæ partes occupans, atque inter carcerum ostia, & primam metam relicta vacua magna area proculdubio significant, locum illum venationibus, vel pugnis equestribus & pedestribus fuisse destinatum: nam Circo contigua sunt vivarium bestiarum, amplissimis parietibus clausum; & militare præsidium sive castrum mediam ædem sacram, & porticus magna Circum complectens, quæ militum stationem fuisse ostendunt; quorum usibus, & delectationi proculdubio Circus ille extructus fuit. Hæc ut facilius intelligantur, duabus tabellis hujus Circi delineationem, & post ruinam, quomodo nunc cernitur, adjunximus. Vsus vero militum in eo forte Castrensium Ludorum fuerit; ita enim appellabantur, qui militibus dati erant.

DE

## DE CIRCO CASTRENSI inter vias Campanam & Labicanam.

NOnus Circus eorum,quorum hodie vestigia in Vrbe, vel in Suburbiis supersunt, fuit extra portas Labicanam & Prænestinam simul junctas, quæ uno nomine hodie Major dicitur, haud longè ab amphitheatro Castrensi, & Templo Sanctæ Crucis in Hierusalem prope formas aquarum Claudiæ & Marciæ: Cujus nomen, & auctor in incerto est. Ejus parietinas in vineis proximis videntur; in his graduum sive subselliorum porticibus sustentatorum ordinum loca, quibus spectatores considebant; in medio ejus disjectus in terram, & concisus jacuit Obeliscus notis etiam ipse Ægyptiacis inscriptus, quem inde emovendum & reparatum in palatio suo, in monte Quirinali, erigendum curavit Franciscus Card. Barberinus, Anno MDCXXXIII. de quo plura vide in nostro Obeliscorum Romanæ Vrbis superstitum tractatu. Circum verò hunc quidam ab Aureliano conditum autumant, hac ducti conjectura, quod in ejus principis nummo percussus Circus videatur, quę tamen levis est. Ego militari usui, quemadmodum & proximum amphitheatrum castrense, excitatum fuisse, libenter crediderim.

## DE ALIIS CIRCIS Extra Urbem; &, quæ supersunt, Partibus Ludorum.

MVlti præterea circum Vrbem in proximis pagis, & vicinis oppidis erant Circi minores, quorum unius reliquiæ via Gabina supersunt, quingentorum pedum longitudine. *Reliquiæ Circi, via Gabina,*

Alterius via Prænestina prope templum antiquum circulare; sed & secundo ab Vrbe lapide, inter Appiam, & Ardeatinam vias, alterius fragmenta extant. Qui rusticorum usui, aut Ludorum funebrium caussa extructi fuerunt, quum præsertim in his locis magnis sit sepulchrorum numerus. Sed & in ipso Capitolio Romæ agitatos Circenses, docemur Plinii verbis: *De usu absinthii convenit dicere, herbæ facillimæ, atque inter paucas utilissimæ: præterea sacris pop. Romani celebratis, siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque absinthium bibit: credo sanitatem præmio dari honorificè arbitratis majoribus.* Re vera tamen non hæc ratio est: ob vertigines enim, quæ Capitolino agone, quoniam angustus erat, & flexiones ideo intercidebant crebriores, maxime oboriebantur, absinthium vino dilutum aurigis donabatur. *etiam Prænestina, & Appia.* *Lib. XXIV cap. VII.*



Jam de Circis omnibus, quomodo instituteramus, absolvimus satis copiose: de Ludis quoque Circensibus in genere subjunximus; in specie etiam de Cursus certamine; nunc quoniam hanc metam contigimus, non absolvendum putamus diligentiæ curriculum, antequam ad cæteros quoque Ludos in Lectoris cupidi gratiam, nos per compendia applicaverimus.

Singulas verò partes expositurus duplex nobis ordo in iis tractandis occurrit, originis, & temporis quo edebantur. Nam quantum ad originem spectat, cujus ordinem uti incepimus, ita paucis persequi placet; primum cursus, deinde gymnica, tertio pompa, quarto venationes sive contra bestias certamina, quinto Trojæ ludus, sexto pugnæ, septimo naumachia transigenda sunt. Qui verò temporis editionem magis velint, hos pompam primò, mox sacrificia, deinde certamen curule & equestre, postea ludum Trojæ, quinto venationes, sexto certamen gymnicum, septimo pugnas & naumachiam persequi oporteret: ita enim plerumque in Circo exhiberi solebant. Varia præter hæc fuisse Circi spectacula, lib. II contra gentes ostendit Arnobius, quum ait: *Quid cursores, pugiles, quadrigarios, desultores, grallatores, funambulos, bigarios, præstigiatores?* &c. Cæterum solennia nos Ludicra exequi, & quam brevissime enarrare malumus; & Cursus certamine expedito, Gymnicam sive Athleticam ingrediamur, quam cursui addidit Lucius Tarquinius Priscus. Dionysius Romanarum antiquitatum accuratissimus scri- *Ordo Ludorum.* *Athletica secundo instituta.*




A. Templum Martis olim.

CIRCI CARACALLÆ, IUXTA VIAM APPIAM, HODIERNA VESTIGIA.

ſcriptor, in lib. VII, inquit: *Finitis curſibus equeſtribus, hi qui corporibus ſuis certant, ſubintrant, Curſores, Pugiles & Luctatores, tria enim hæc athletica certamina apud veteres Græcos erant, ut in Patrocli funere exponit Homerus.* Plato in Saltationem & Luctationem diſtinxit gymnicum certamen: Cicero vero & Iulius Pollux cum Dionyſio, quem audivimus, tribus generibus dividunt. Alii conſtituunt quinque, ſcilicet Curſu, Pugillatu, Lucta, Saltu & Diſco; unde hoc certamen Græci Pentathlum, ſive Pancratium, Latini Quinquertium appellarunt: Athleta verò, qui omnibus his quinque certandi generibus congreditur, Pentathlus ſive Pancratiaſtes dicitur. Quæ certandi genera apud Græcos potiſſimum in uſu fuere, neque enim facilè apud Romanos Pancratiaſtem, ſive Diſci, aut Saltus certamen ordinarium inveniri poſſe, opinor: ſua enim Ludicra Curſu, Pugillatu, & Lucta conficiebant. Quæ antiquitus in Circo edebantur, qui ob eam cauſam aliquando etiam Stadii, & Paleſtræ nomen obtinuit. Quum de gymnico certamine in genere verba fecerim: nunc ſingulas partes expediam, à Curſu initium faciens.

*Diviſa in genera varia.*

Curſus itaque certamen Romæ in Circo eadem ratione inſtitutum erat, qua equorum, & curruum. nam ex quattuor Curſoribus unus ex ſingula factione ſumebatur, qui circum Metas Circi curreret, & ille qui primus omnium certa curricula confeciſſet, palmam obtinebat; ut is qui apud Græcos primus Stadii metam attigiſſet, curſus victor erat, præmiaque victoribus dari ſolita accipiebat. Stadium autem apud Græcos ad curſus certamen potiſſimum referebatur.

*Curſus pedeſtrium.*

*Curſores porrò pedibus certatim currentes mortis ſimilitudinem repræſentabant, ad quam celeri gradu omnes currimus, quare à ſuperiori parte ad inferiorem curſitabant, id eſt, ab Oriente ad Occidens, quum omnia orta occidere ſit neceſſe. Nudi currebant, quia in hoc ſæculo poſt noſtrum obitum nulli noſtræ aliàs naturæ reliquiæ ſuperſunt. Recto ſpatio currebant, quod inter vitam & mortem parum vel nihil ſit diſcriminis. Curſus à velocitate curruum vocatus. Eſt enim curſus celeritas pedum.* Ita Iſidorus Etym. lib. XVIII, cap. XX. A curſu Curſores dicti. Quorum duo genera erant: eorum qui Parabatę, hoc eſt Certatores vocabantur. Hi primum ſuper currus ab aurigis agitatos in Circo vehebantur, mox equeſtribus certaminibus finitis, è curribus deſcendentes, pedibus certatim currebant, de quibus Dionyſius lib. VII: *Antiquum*, inquit, *inſtitutum apud Græcos fuit, à Romanis etiam obſervatum, de vectorum in curribus curſu. Finito enim equorum certamine, Curſores in pedes è curribus deſilientes, quibus una cum aurigis prius vecti fuerant, (quos poëtæ Parabatas, Athenienſes Apobatas vocant,) curſu ſtadii inter ſe ipſi certant.*

*Duo Curſorum genera.*

*Qui vel curru deſcendentes,*

Alterum verò Curſorum genus erat, de quibus idem Dionyſius ſcribit, ſubjiciens, *Finitis curſibus equeſtribus, hi qui corporibus ſuis certant, tunc intrant Curſores, Pugiles, & Luctatores, tria athletica certamina.* De Circenſium Curſoribus Tranquillus in Auguſto cap. XLIII: *In Circo*, inquit, *aurigas, curſores, confectoresque ferarum nonnunquam ex nobiliſſima juventute produxit.* Spartianus in L. Ælio Cæſare: *Jam illa leviora, quod Curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas frequenter appoſuit, eosque Ventorum nominibus ſæpe vocitavit. Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem, aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefeſſè, atque inhumaniter faciens curſitare.* His alludit fortè ejusmodi vetus inſcriptio!

*Vel intrantes novi, pedum certamen inibant.*

*In ædibus Marii Delphini,*

AQVILON K AQVILONIS.
VICIT CXXX SECVNDAS
TVLIT LXXXVIII TER.
TVL. XXXVII HIRPINVS
N. AQVILONIS. VICIT
CXIV SECVNDAS TVLIT.
LVI. TERT. TVL. XXXVI.

Dio in Domitiano: *Edidit ſpectaculum, quo virgines curſu certaverunt.* Capitolinus in Alexandro: *Curſorem nunquam, niſi ſervum ſuum dedit, dicens ingenuum currere, niſi in ſacro certamine, non debere.* Suidas meminit cujusdam generis curſus quod Diaulon, hoc eſt per duo ſtadia vocat, & apud Imperatorem Iuſtinianum δρόμος διαυλος extat.

Pugiles, ſecundum Athleticorum certaminum genus, erant athletæ, cæſtibus inter ſe pugnantes, à pugna, vel pugno nominati, quod pugnare cæſtibus,

*Pugiles.*

bus, & pugnis consuevissent. Isidorus lib. XVIII, cap. XXII: *Pugillatus*, inquit, *est virium immensitas in labore, & pondere corporis, à quo Pugiles dicti, cæstibus pugnantes.*

Cæstus. Cæstus verò erat genus Clavæ, pilas plumbeas loris bubulis appensas habens, à cædendo dictum. Vnde Servius: *Erat durum certamen cæstuum, raroque sine cæde committebatur: nam ex ferro erant, &, ut habilius faciliusque manibus gererentur, pendebant ab illis lora, quibus non solum manus, sed brachia, humerique alligabantur, ut etiam remissis digitis palmæ tamen hærerent.* Erat & aliud genus Cæstus, quo athletæ uno tantum aut utrisque brachiis armati, vel laminis ferreis, vel subtilium annulorum nexibus decertabant. Superioris generis fuisse videntur, quos apud Virgilium Entellus in medium projicit; in quos Poëta ingentia septem terga boum insumpta fuisse, dicit; plumbo præterea ferroque insuto rigidos, sanguine & cerebro sparso infectos; quos visos Dares, antea gloriabundus, obstupescebat longeque recusabat; ipso Anchisiade & pondus & immensa vinclorum volumina versante. Pugnam demum alius generis, posterioris, ut puto, nostri, cæstuum, paucis videamus: Lib. V. Æneid.

*Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,*
*Et paribus palmas amborum innexuit armis.*
*Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,*
*Brachiaque ad superas interritus extulit auras,*
*Abduxere retro longè capita ardua ab ictu,*
*Immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt.*

& post paucos, de Entello addit:

*Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.*
*Nec mora, nec requies, quam multa grandine nimbi*
*Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros*
*Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.*

Cæstibus itaque pugnabant pugiles; quanquam & pugnis, ut, Cicero de claris oratoribus, perhibet: *Pugiles*, inquit, *inexercitati, etiamsi pugnos & plagas Olympiorum cupidè ferre possunt, solem tamen sæpe ferre non possunt.* Palæstrica autem, (sive *Luctatio, à laterum complexu vocata, quibus cominus certantes innituntur*, ut Isidorus lib. Etym. XVIII, cap. XXIII, scribit) tertium gymnicum certamen erat, Circensibus cum duobus superioribus à L. Tarquinio Prisco Rege additum; unde Athletę, Luctatores & Palæstritę etiam dicti sunt; quod nudi & uncti decertarent. Lucta autem conflictus erat athletarum, quo alius alium prosternere in terram nitebatur, quæ & Palæstra dicta est. In lucta porro & pugillatu is victor censebatur, qui stabat, vel pugnis prævalebat; victus is, qui in terram ceciderat, vel succubuerat. Nudi Athletæ ideo decertabant, quod relaxato cingulo, quidam cursor in stadio repente prostratus, & exanimatus fuerit: nam antea mos erat, ut vestibus induti, &, ne nudarentur, cincti pugnarent. Verùm posteà ex concilii decreto Ludi princeps Hypomenes decrevit, ut nudi deinceps athletæ & uncti, solis verendis tectis, se in Gymnasiis exercerent. Dionysius lib. VII: *Athletæ graviorum leviorumque certaminum nudi cetera, pudenda tantum tecti subligaribus campestribus decertabant. Qui mos Romæ manet nostro quoque tempore, sicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus est, orto à Lacedæmoniis initio. Primus autem nudavit totum corpus in Olympiaco stadio decurrens Acanthus Lacedæmonius, Olympiade XV. Antea verò turpe habebatur apud Græcos omnes toto corpore nudo certare, ut ex Homero, testium omnium gravissimo & antiquissimo, colligere licet, qui succinctos inducit Heroas.* Victores athletæ & coronis ornabantur, & palmis donabantur. De hoc triplici athletarum genere Ausonius: Palæstrica.

*Doctus Hylas cæstu, Phegeus catus arte palæstræ,*
*Clarus Olympiacis & Lycus in stadiis,*
*An possent omnes venturo vincere agone,*
*Hammonem Lybiæ consuluere Deum.*
*Sed Deus, ut sapiens, dabitur victoria vobis*
*Indubitata quidem, si caveatis, ait;*
*Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ*
*Phegea, ne cursu te, Lyce, prætereat.*

Atque hæc tria tantùm Ludorum Circensium certamina gymnica fuerunt:



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Saltus verò & Disci certationes, Græcorum potius fuere, quàm Latinorum; &, si à Romanis aliquando usurpatæ sunt, id extra Circum fuit factum. Fœminas pugiles instituisse Domitianum, refert Tranquillus: qualem scitè descripsit Propertius lib. III Eleg. XIII, ad Spartem de Ludis Laconicis:

*Multa tuæ Sparte miramur jura palæstræ,*
*Sed mage virginei tot bona gymnasii.*
*Quod non infames exercet corpore ludos*
*Inter luctantes nulla puella viros,*
*Cùm pila veloces fallit per brachia jactus*
*Increpat & versi clavis adunca trochi,*
*Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,*
*Et patitur duro vulnera pancratio:*
*Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,*
*Missile nunc disci pondus in orbe rotat,*
*Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,*
*Virgineumque cavo protegit ære caput.*

Victi pugiles herbam victoribus dare solebant: unde, *Herbam do*, quum ait Plautus, significat victum me fateor.

*Pompæ origo,* Pompam, anno Vrbis conditæ CCLVII, A. Posthumius Albus Regillensis, Dictator, in pugna ad lacum Regillum, contra Latinos & exules Tarquinios, quum in ancipiti res Quiritûm adducta esset, diis magnis, Iovi, Iunoni & Minervæ, cæterisque diis & deabus vovit ex S. C. se facturum; quare quod à Dictatore votum erat, senatui fieri placuit, decretumque ut singulis annis in horum Ludorum sacrificiorumque impensis quingentæ argenti minæ publico sumptu penderentur; quod usque ad Punicum bellum observatum fuisse, tradit lib. VII, Dionysius. Hæc porrò sacra primum quidem simplicia fuere, Iovi, Iunoni, & Minervæ tantum celebrata, deinde quemadmodum in reliquis factum est, multis additis solennibus Ludicris, amplissima facta sunt, atque ad omnium Deorum cultum extensa. *Amplificatio.* Horum Ludorum dies Mense Septembri erant, quando etiam Ludi Magni, sive Romani à Prisco Tarquinio Rege instituti, edebantur. His porrò Ludorum diebus multa Romæ more Græco circa mercatus, & nundinas, hospitum, qui visendi studio ad Vrbem frequentes conveniebant, exceptiones, communesque inducias fiebant; solennisque pompa, & sacra ita exhibebantur, ut ex Dionysii lib. VII describam, quibus & reliqua æstimare possumus. Die Ludis destinato ante solennia ludicra pompam Diis ordinabant, ducebantque ii magistratus, qui in Vrbem tunc maximam haberent potestatem, ut Dictator, vel Consules, Decemviri legibus scribendis deputati, aut Tribuni militum Consulari potestate, vel his absentibus Prætores. *Summi magistratus, primi in processione.* Pompæ initium erat à templo Iovis Capitolini, ea per forum Romanum circumducta Velabro ad Circum Maximum ferebatur, ubi metis circumdatis (quemadmodum tradit Varro) sacrificioque solenni perfecto, bigarum, quadrigarum, gymnica, & cætera Circensia spectacula committebantur, quæ tunc in Vrbe frequentia erant, & sic pompæ finis. Procedendi verò ordinem ejusmodi fuisse tradit Dionysius: Præcedebant omnes nobiles juvenes Romani pubertati proximi, qui pompæ ducendæ jam per ætatem interesse possent; *Iuvenes pubescentes, proximi.* hi quidem equis vehebantur, quorum patres Equites Romani essent, & Equestrem censum H-S CD. millium haberent; cæteri inferioris census, pedites militiæ pedestris forma, per alas, centurias, classiumque & manipulorum ordines distincti subsequebantur, perinde, ac si Ludum litterarium peterent, aut ad bellum irent, ut hospitibus spectantibus Romanorum juventutis robur, quod ad Vrbis tutelam, & Populi Romani Imperium propagandum parabatur, eorum simul, & multitudo & forma egregia conspicua esset. Tacitus habet, quod Ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphali veste transvecti sint, ut spectaret populus hunc decore Imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque præsumeret. *Lib. XII.* Illos tertio loco sequebantur quadrigę, & bigę, equi singulares, & desultorii, cum suis aurigis, sive agitatoribus. *Tertii, qui?*

*Quarti?* Post hos veniebant graviorum, leviorumque certaminum, trium generum Athletæ, Cursores, Pugiles, & Luctatores, nudato corpore, pudendis tantum subligaribus campestribus tectis; qui

qui mos in Græcia antiquitus, diuque Romæ mansit.

*Saltantium chori tres, quinti.* Quintum locum obtinebant saltantium tres chori, virorum, imberbium, & puerorum; quorum apparatus, & habitus, ejusmodi fuisse refert Dionysius: Puniceas induebant tunicas, balteis æreis, gladiis, & parazoniis dependentibus astricti, lanceas deinde mediocribus etiam breviores manibus tenebant. *Saltatio armata virorum.* Cæterum, virorum chorus prçterea galeas æreas Cristis insignibus, pennisque ornatas ferebat: præcedebant autem singulos choros singuli viri, primique subsequentibus saltandi rationem tradebant, qui bellicos, motusque vehementes in saltando agitabant. Vnus verò ex singulo cœtu militares, ac concitatos modulos præcinebat rythmis plerumque proceleumaticis, hoc est versibus, quorum primus pes ex quattuor syllabis brevibus constabat, immixtos. *Ejus origo.* Antiquissimum porrò fuit & celebre apud Græcos ejusmodi saltandi institutum, atque ab iis ad Romanos manavit, Oenoplia, id est, armata saltatio, sive Pyrrhica nominatum: quod nempe, ut Plinius & Solinus indicant, Pyrrho repertore equestres turmas Creta primum docuit, & lascivas vertigines implicare, ex qua disciplina bellicæ ratio rei,& usus est datus.Quam antiquissimam artem apud Græcos fuisse ex Homero intelligitur, qui eam, quum aliàs sæpè, tum in cælatura clypei Achilli à Vulcano donati, commemorat. Sext. Pompejus de hac ipsa ait: *Bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant. Quod à Romulo institutum est,ne simile pateretur quod fecerat ipse, cum in Ludis Sabinorum virgines rapuit.* *Pyrrhica puerorum.* Puerorum saltationem explicat Apulejus: *Nam puelli puellæque florenti virentes ætatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Græcanicam saltantes Pyrrhicam, dispositis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, & in quadratum palorem cuneati, & in catervæ dissidium separati.*

*Sicinnis, sexto loco.* Hos sexto sequebantur Satyricorum chori,hoc est eorum,qui satyrorum more saltabant, Sicinnem referentes Græcam, unde & satyri sicinnistæ dicebantur, à Sicinnio quodam, Barbaro, alii dicunt Cretensi, qui repertor ejus dicitur. Aliquorum habitus silenos repræsentantium erant hirsutæ, & villosæ tunicæ, quas quidam scorteas vocant amiculaque conserta ex omni florum genere. *Habitus Satyrorum sicinnistarum varii.* Aliorum satyrorum quidam hircinis pellibus amicti erant, setasque hærentes in capite habebant, atque his similia. Hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur, depravantes per ludibrium eas. Quibus lusibus satyricis, salibusque, & scommatibus jam inde à priscis sæculis delectatos fuisse Romanos,ex triumphis apparet. Permittebatur enim victores deducentibus,jambos & dicteria jacere in Imperatores clarissimos: quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes sannis & scommatibus obvios impetere, postea extemporalibus versiculis utebantur: quin, & in illustrium virorum funebribus Pompis inter alia feretrum præcedebant saltatores satyrici, maximè autem divitum; quorum inventio ad Græcos autores à Dionysio refertur. Opportunum est illud dicterium quod Suetonius in Tib. refert, Cum ex istorum cœtu unus elato mortuo mandavit, ut renunciaret, nempe Augusto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset. Erant inter hos quidam Manduci vocati, de quibus Sex. Pompejus: *Manducus effigies in pompa antiquorum inter cæteras ridiculas formidolosasque ire solebat, magnis malis ac latè dehiscens, & ingentem dentibus sonitum faciens.* De qua Plautus ait in Rudente: *Quid si aliquo ad Ludos me pro manduco locem? quapropter? clare crepito dentibus.*

*Septimo loco tibicines.* Post satyricos verò choros, VII, Pompam ducebant tibicines inflantes antiqui moris breves tibicinulas, quarum diu usus apud Romanos fuit, quum in Græcia exolevissent, citharœdique lyras septicordes eburneas, quæ etiam barbita dicuntur, plectentes. Hi in omnibus ferè sacrificiis, & præsertim antiquis, præsto erant. *Ministrorum sacerdotum, locus octavus;* Post tibicines, & citharistas octavo loco præcedebant sacerdotum ministri thuribula, acerras, & alias arculas aureas, & argenteas, sacras, & publicas, in quibus aromata, & thus per viam ad suffitum faciendum adolebant, ferentes. *Sanctiorum nonus.* His nono loco succedebant reliqui sacrorum sanctiores ministri, ut Camilli, & Camillæ,

læ, Flaminii, & Flaminiæ, Æditimi, aliàs Æditui, Scribæ publici Pontificum, à commeniis xv vir. sacris faciendis, adiutores haruspicum, Kalatores sacerdotiorum, Pullarii, poppæ, victimarii, lictores Flaminum, præficæ, præclamitatores, lictores virginum Vestalium, præficæ, designatores, & alii similes, tauros, vaccas, arietes, & alias hostias vittatas, & infulatas ad immolandum ducentes, pompas, & res templorum sacras, argenteas, aureasque mire elaboratas: ut vasa, pateras, candelabra, lituos, apices, tripodas, gladios, secures ad cedendas victimas, simpulla, aspersoria, exuvias, & alia ejus generis, portantes.

*Simulachra deorum;* Decimo ferebantur omnium deorum simulachra, effigies, habitum, insignia, & munera habentium, quales apud Græcos finguntur, partim curribus vecta, partim humeris hominum lata; singulis item diis sui apparatus, notæ, & dona, quorum unusquisque eorum olim inventor fuerat, hominesque docuerat. Iovi enim fulmen, & Aquila, Palladi oliva & oleum, Neptuno equi, Mercurio caduceus, & litteræ, Cereri triticum, Triptolemo aratrum, & similia adscribebantur.

*Majorum primo prolata.* Primum omnium ferebantur eorum Deorum imagines, quos Græci duodecim Majores deos vocabant, Latini verò Consentes, quasi consentientes in eo quod est gerendum; his enim utitur velut consiliariis Iuppiter in maximis rebus agendis. Hi porro totidem anni mensibus præerant, ut Iuppiter Iulio, Iuno Ianuario, Neptunus Februario, Apollo Majo, Mercurius Iunio, Mars Octobri, Vulcanus Septembri, Vesta Decembri, Minerva Martio, Diana Novembri, Venus Aprili, & Ceres Augusto, ex quibus sex mares sunt, & totidem fœminæ, quorum imagines auratæ stabant apud forum, ut refert Varro lib. I, De re rustica. quos Ennius disticho est complexus:

*Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus; Mars,*
*Neptunus, Jovis, Mercurius, Volcanus, Apollo.*

*Selecti dii viginti.* Alii, inter quos est Varro, viginti deos majores faciunt, quos Selectos vocant, XII mares, octo fœminas; scilicet: Ianus, Iuppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Volcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta. ideo Selecti dicti, propter majores in mundo administrationes; vel quod populis magis interveniant, majorque est eis cultus exhibitus. Ita D. Augustinus lib. VII, cap. I. de Civitate Dei. Hi sacris vehiculis portabantur. Post eorum deorum signa lata, qui priores genuissent, quos duodecim etiam fuisse, Græci fabulabantur, & Saturni, Opis, Latonæ, aliàs Lucinæ, Majæ, Themidis, Cœli, deæ Syriæ, Isidis, Orci, Proserpinæ, & Noctis. *Aliorum deorum imagines.* Tertio loco eorum deorum figuræ vehebantur, quos fuisse Græci finxerunt, postquam Iuppiter Imperium suscepit: uti Parcarum trium, Clothus, Lachesis, Atropi; Mnemosynes, id est Memoriæ, & filiarum ejus Musarum, novem, Calliopes, Clius, Eratus, Thaliæ, Melpomenes, Terpsichores, Euterpes, Polymniæ, & Vraniæ; Item trium Gratiarum, Aglajæ, Thaliæ, Euphrosines, Horarum XXIV; Nympharum, Orcadum, Dryadum, Hamadryadum, & aliorum denique Deorum, quorum delubra, aut templa apud Græcos fuere. *Signa Heroum,* Quarto loco Heroum, & Semideorum statuæ visebantur, quorum animæ post præclarissimas quasque res gestas, mortalia corpora relinquentes, in cœlum ascendisse dicebantur, honores Diis similes sortiti, ut Liberi patris, id est Bacchi, Herculis, Æsculapii, Castoris, Pollucis, Helenæ, Triptolemi, Panos, Carmentæ, Evandri, Æneæ, Romuli, & aliorum plurimorum. *Et Augustorum, Augustarumque.* Quibus postea addita sunt Cæsarum, & Augustarum, inter Divos relatorum simulachra, ut Iulii Cæsaris, Augusti, Liviæ, Iuliæ, Augustæ, Drusillæ, Claudii, Claudiæ, Poppeæ, Vespasiani, Titi, Domitillæ, Iuliæ, Domitiani Cæsaris, Nervæ, Marcianæ, Trajani, Plotinæ, Antinoi, Sabinæ, Hadriani, Faustinæ, Pii, L. Veri, Faustinæ filiæ, Marci, Commodi, Pertinacis, Severi, Getæ, Antonini, Iuliæ, Mesæ, Alexandri, Mammeæ, Paullinæ, trium Gordianorum, duorum Philipporum, Decii, & duorum Valerianorum, Marinianæ, Claudii, Aureliani, Cari,

Cari, Numeriani, Nigriniani, Constantii, Maximiani, Romuli, Galerii, & omnium novissimi Diocletiani.

*Thensæ, variis animalibus vectæ.* Eorum porro duodecim deorum, quos præcipuos fuisse dixi, & post Cæsaris tempora divorum Principum Romanorum simulachra in Circensi pompa super Thensas, id est sacra vehicula, ferebantur. Hæc à diversis animalium generibus vehebantur, quæ à pueris patrimis & matrimis, augustiori veste indutis, recta ducebantur. Erant vero Thensæ sacri currus, argentei aut eburnei, super quos deorum statuæ collocatæ erant, quæ linteis Circum Circa ad cubiculi sive delubri speciem tensis cooperiebantur, à quibus etiam Thensas dictas fuisse opinamur. Alii à divinitate dici putant, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ; alii quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui eas deducunt.

*Ferculum.* Ferculum porrò erat gestamen, quo pompa deferri solebat; sic Tranquillus in Cæsare cap. XXXVII, tradit: Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: Veni. Vidi. Vici. Continentur autem nomine ferculorum, simulachra Oppidorum, Spolia hostium, Coronæ, Trophæa, Exuviæ, Machinæ & alia id genus, quę in triumphali pompa ferri solebant.

*Armamaxi, currus Scythici.* Post Thensas & simulachra deorum hominumque, undecimi procedebant Armamaxi; hi erant curruum Scythicorum genera, ex duobus veluti curribus compositi & diversis rebus exornati, ut coronis aureis, thoracibus, clypeis, exviis & similibus. Arma enim, currus & maxus plaustrum significant.

*Collegia Sacerdotum, duodecima pars Pompæ.* Duodecimo pompæ loco ibant omnium sacerdotum Collegia; novissimum locum, præter eos magistratus qui pompę ductores erant, Dictator cum Magistro Equitum Reip. tempore, vel Imperator cum filiis Cæsaribus, Consules duo vel alii magistratus Consulari potestate, & post hos alii usque ad ministros. Pompa postquam metas circumierat peracta, confestim Consules, sive Dictator, aut Imperator medio in Circo super aras in Spina locatas, immolationem & sacrificium edicebat eorum Deorum Sacerdotibus, quibus id sacrum paratum erat, & Haruspicibus adstantibus. Sacrificiis porro rite peractis, Sacerdotibus, Magistratibus & Ludionibus quibuscumque sessum profectis, illicò reliquis Ludis Circensibus opera dabatur: quorum primum erat certamen curule, id est bigarum, trigarum & quadrigarum; mox Equestre, scilicet singulorum & desultoriorum equorum cursus: Olympico more certamine curuli & equestri finito, tum Gymnicum sive Athleticum inchoabatur, eorum qui corporibus suis certabant; quo expleto, pompę simul & ludorum finis erat.

Venationum, quæ Ludis Circensibus exhibebantur, quibùsque à bestiariis infinitæ feræ occidebantur, omnes fere veteres historici meminerunt, ut nobis necesse non sit, quod ubique obvium est, hic cum cura & dispendio exponere. *Quartum Circensium ludicrum, Venatio.* Illud tamen tacitum non prætermittamus, initio inter reliquas Reipublicæ salutares leges, pro moribus Civitatis conservandis latas, vetus etiam Senatusconsultum fuisse, ut Plinius, naturalis historiæ libro VIII, capite XVII, tradit, NE liceret Africanas bestias in Italiam advehere. Videbant enim, ejusmodi spectaculis populum otio & ignavia lascivientem emarcescere, & omnes curas suas ab externarum gentium victoriis ad privatas voluptates convertere. Contra hoc decretum Senatus, ad populum tulit Cn. Aufidius Tribunus plebis; & prima demum venatio in Circo data fuit L. Cæcilio C. F. Metello Pontifice Maximo, & C. Furio C. F. Pacilo Coss. anno Vrbis conditæ DII. in qua pugnaverunt elephanti CXLII, qui victoriâ L. Metelli Consulis in Sicilia de Pœnis capti, & ratibus transvecti fuerant. *prima in Vrbe quo tempere facta.* Variæ postmodum venationes exhibitæ fuerunt elephantorum anguimanorum, pantherarum, leonum, & jubatorum leonum, ursorum, taurorum, equorum ferorum, onagrum, archoleontum, lienarum sive belborum, alcium, pardorum, tigridum virgatarum, tremendæ velocitatis, rhinocerotis, camelopardalis, Æthiopibus Nabis dictæ, aliarumque ferarum, horrendo & diro spectaculo; etiam monstrorum aliquando genera producta sunt in Ludis, ut Chaus, quem Galli Raphium nominabant; iisdem ludis Roma Cephos primum

mum & noviſſime vidit, de quo Solinus cap. XXXII. Crocodilos ſimul quinque, & Hippopotamum, animalia Ægyptia temporario euripo populo Romano in Circo, Ædilitatis ſuæ ludis exhibuit M. Scaurus. Dio lib. LXI, Neronem, ſcribit, Spectaculum edidiſſe in quo homines, equis inſidentes, magno curſu atque impetu in tauros facto, eos occiderunt. Tum ab equitibus ſtipatoribus corporis Neronis CCCC Vrſos, & CCC Leones haſtis transfixos eſſe. Idem refert, Trajanum bello Dacico confecto, & Decebalo eorum rege occiſo, ſpectacula magnifica per centum & viginti tres dies Romæ edidiſſe: in quibus cæſæ ſunt feræ manſuetæve beſtiæ mille, interdum & decem millia; & innumerabiles gladiatores decertarunt.

*Beſtiarii.* Venatores verò, & qui beſtias feras in Circo vel alibi conficere aut damnati, aut ſponte ſolebant, Beſtiarii vocabantur. Quomodo autem contra beſtias decertaretur, ſolus quod ſciam Caſſiodorus, Variarum lib. V, in Epiſt. Theodorici Regis ad Maximum, accurate exponit: *Primus fragili ligno confiſus currit ad ora beluarum, & illud quod cupit evadere magno impetu videtur appetere. Pari in ſe curſu feſtinat, & Prædator, & Præda, nec aliter tutus eſſe poteſt, niſi huic, quem vitare cupit, occurrerit. Tunc in aëre ſaltu corporis elevato quaſi veſtes leviſſimæ, ſupinata membra jaciuntur, & quidam arcus corporeus ſupra beluam libratus, dum moras diſcedendi facit, ſub ipſo velocitas ferina diſcedit. Sic accidit, ut ille magis poſſit mitior videri, qui probatur illudi, alter angulis in quadrifaria Mundi diſtributione compoſitis rotabili facilitate præſumens, non diſcedendo fugit, non ſe longius faciendo diſcedit, ſequitur inſequentem, poplitibus ſe reddens proximum, ut ora vitet Urſorum, ille in tenuem regulam venire ſuſpenſus invitat exitiabilem feram, & niſi periclitatus fuerit, nil unde vivere poſſit, acquirit: Alter ſe geſtabili muro cannarum contra ſæviſſimum animal ericii exemplo, receptatus includit, qui ſubito in tergus ſuum refugiens intra ſe collectus abſconditur, & cum nuſquam diſceſſerit, ejus corpuſculum non videtur. Nam ſicut ille veniente contrario, revolutus in ſphæram, naturalibus defenſatur aculeis, ſic iſte conſutili crate præcinctus munitior redditur fragilitate cannarum, alii tribus ut ita dixerim diſpoſitis oſteolis, paratam in ſe rabiem provocare præſumunt, in patenti area cancelloſis ſe poſtibus occulentes, modo facies, modo terga monſtrantes, ut mirum ſit evadere, quos ita reſpicis per Leonum ungues, denteſque volitare. Alter labenti rota feris offertur. Sic hæc machina ad inſidi mundi formata qualitatem, iſtos ſæpè refovet, illos timore diſcruciat, omnibus tamen viciſſim, ut decipere poſſit, arridet. Longum eſſet, per tot periculorum caſus ſermonibus evagari; ſed aptè jungendum eſt, quod item de inferis Mantuanus: Quis ſcelerum comprehendere formas? quis omnia pœnarum percurrere nomina poſſit? ſed vobis quibus neceſſe eſt talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, ut hæc miſeris faciatis eſſe votiva. Alioqui violenta compulſio eſt, ſolennia dona ſubtrahere, & mortes deteſtabiles imperare. Et ideo quicquid in longam conſuetudinem antiqua liberalitate pervenit, ſine aliqua dilatione concedite ſupplicanti. Quia homicidii reatus eſt, illis eſſe tenacem, quos editio veſtra invitavit ad mortem. Heu mundi error dolendus, ſi eſſet ullus æquitatis intuitus, tantæ divitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum videntur effundi.* Sed & imperatores jaculari feras ſolebant, ut Commodus, & Tiberius, de quo Tranquillus in Tiberio cap. LXXII: *Nequam ſuſpicionem infirmitatis daret, Caſtrenſibus Ludis non interfuit ſolum, ſed etiam miſſum in harenam aprum jaculis deſuper petiit.*

*Pugnæ, cum beſtiis ratio.*

Trojæ, ſive Trojanus ludus, ab Ænea in Sicilia ad filii Iulii Aſcanii & cæterorum puerorum exercitationem primum inſtitutus, ab Aſcanio vero in Latium portatus, edebatur in Circo à pueris majoribus & minoribus Equeſtribus, turmatim diſcurrentibus & congredientibus; quibus qui præſidebat, Princeps juventutis vocabatur, ac ex numero filiorum primi nominis Senatorum Auguſtorumve legebatur; quemadmodum de Tiberio Cæſare, vivente Auguſto, legimus apud Suetonium. Hujus Ludicri originem, rationem ac modum elegantiſſime Virgilius, libro Æneidos V, explicat:

*Quintum Circenſium ludicrum, Trojanum.*

*ab Ænea Troio inſtitutum.*

*At pater Æneas, nondum certamine miſſo,*
*Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Iuli*
*Epytidem vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:*
*Vade, age, & Aſcanio, ſi jam puerile paratum*
*Agmen habet ſecum, curſuſque inſtruxit equorum,*

*Ducat*

*Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis,*
*Dic, ait. ipse omnem longo decedere Circo*
*Infusum populum, & Campos jubet esse patentes.*
*Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum*
*Frænatis lucent in equis, quos omnis euntes,*
*Trinacriæ mirata fremit, Trojæque juventus.*
*Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;*
*Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro,*
*Pars leves humero pharetras, it pectore summo*
*Flexilis obtorti per collum, circulus auri.*
*Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur*
*Ductores: pueri bisseni quemque secuti,*
*Agmine partito fulgent, paribusque magistris.*
*Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem*
*(Nomen avi referens) Priamus, tua clara, Polite,*
*Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis*
*Portat equus bicolor maculis, vestigia primi*
*Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.*
*Alter, Atys, genus unde Atyi duxere Latini:*
*Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.*
*Extremus, formaque ante omnes pulcher Iulus*
*Sidonio est invectus equo; quem candida Dido*
*Esse sui dederat monimentum & pignus amoris.*
*Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ*
*Fertur equis.*
*Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes*
*Dardanidæ: veterumque agnoscunt ora parentum.*
*Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum*
*Lustravere in equis: signum clamore paratis*
*Epytides longè dedit, insonuitque flagello.*
*Olli discurrêre pares: atque agmina terni*
*Diductis solvêre choris: rursusque vocati*
*Convertêre vias, infestaque tela tulere.*
*Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus*
*Adversis spatiis, alternosque orbibus orbes*
*Impediunt, pugnæque cient simulachra sub armis.*
*Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt*
*Infensi: facta pariter nunc pace feruntur.*
*Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,*
*Parietibus textum cœcis iter, ancipitemque*
*Mille viis habuisse dolum: qua signa sequendi*
*Falleret indeprensus, & irremeabilis error.*
*Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu*
*Impediunt, texuntque fugas, & prælia ludo:*
*Delphinum similes, qui per maria humida nando*
*Carpathium, Lybicumque secant, luduntque per undas.*
*Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus* *Romæque receptum,*
*Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,*
*Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos:*
*Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes,*
*Albani docuere suos. hinc maxima porro*
*Accepit Roma, & patrium servavit honorem:*
*Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.*
*Hac celebrata tenus sancto certamina patri.*

Id ludicrum à Cæsare, quum penè exolevisset, tanquam gentilitium restitutum diu Romæ frequens fuit: & Augustus, ut refert Tranquillus, hunc Trojæ ludum edidit frequentissimè, majorum minorumve puerorum delectu; prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic innotescere. In hoc Ludicro C. Nonium Asprenatem, lapsu debilitatum, aureo torque donavit, passusque est ipsum, posterosque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione Oratore graviter invidioseque in Curia questo Æsermini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Ediderunt tamen postea quoque alii Principes ludum Trojæ. Hodie verò unum ex antiquis ludicris superest, vulgò Romæ Ludus agonis & Testacii vocatus, quo pueri

*& Cæsare restitutum,* *Postea desitum aliquandiu.*

pueri nobiles & equestres more Veterum campos illos decurrunt, cui aliquot præterea alia spectacula addita fuere, curruum cursus, & taurorum venationum.

*Pugnæ, sextæ Ludorum Circensium.*

Sed, proh factum inhumanum, hominum etiam, ad instar belluarum, & in pace, bellorum in modum pugnas dari in Circo, mos fuit vetustus. *Nam,* auctore Livio, *juvenes quidam Romani, Ludicro Circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri cœperunt. Mos erat tunc, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium Circum complendi, spectaculorum varia conquirere genera: nam semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus, utrumque curriculum complebat. Inter cætera sexageni fermè juvenes, interdum plures, apparitoribus Ludis armati inducebantur; Horum inductio in parte simulachrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitii, quàm militaris artis, propiorque gladiatorum armorum usum. Quum alios decursus edidissent, motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis, & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam sicut tecta domorum sunt, testudinem faciebant.*

*Earum usus antiquus;*

*Postea repetitus.*

Quem morem tertio Consulatu suo Cæsarem Dictatorem repetiisse, tradunt Dio, Tranquillus, & Plinius. Ille lib. XLIII: *Viros alios Cæsar singularibus certaminibus, ut Romanæ erat consuetudinis, commisit: alios plures simul in Circo, equites equitibus, peditibusque pedites, aliosque promiscuè æquali utrinque numero. erant enim* XL *viri, qui ab elephantis pugnarent.* Suetonius quoque, *Circensibus,* inquit, *Venationes editæ per dies quinque, ac novissimè pugna, divisa in duas acies, quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus, hinc, & inde commissis; nam quo laxius dimicaretur; sublatæ metæ, inquè earum locum bina castra ex adverso constituta erant.* Similiter alii quoque Principes Romani pugnas hominum commisere: ut Cæsar Augustus turmas Dacorum & Suevorum introduxit, depugnantes invicem; quarum altera est Scythica, altera Germanica natio; quæ bello captæ, invicem pugnare coactæ sunt. Idem edidit in Martio Campo expugnationem direptionemque opidi, ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ, præseditque paludatus.

*Capite XXXIX.*

*Naumachia, Circensium septima.*

Sext. Julius Frontinus libro primo de Aquæductibus, scribit, rivum aquæ Appiæ sub Cœlio & Aventino montibus actum, emergere infra Clivum Publicii Alsii (is erat ut ex P. Victore constat supra Circum Maximum in regione Aventini, prope portam Trigeminam,) & inde eductum esse in Naumachiam, nam ejus caussa factus videbatur. Vbi per Naumachiam Circum Maximum debere intelligi opinor, & locus ipse rei hujusce quadrat. Erat autem Naumachia belli navalis similitudo, neque enim circa Clivum Publicii & Aventinum, alius locus Naumachiæ idoneus superesse videtur præter Circum. Ludorum celebritate aucta, quum Circus Maximus tot Ludicris jam non sufficeret, per diversas Vrbis parteis solo excavato Naumachias plures fecerunt Cæsar, Augustus, Cajus, Domitianus, & alii Impp. Tranquillus in Cæsare, cap. XXXIX: *Edidit spectacula varii generis, Munus gladiatorium, Ludos regionatim Vrbe tota, per omnium linguarum histriones, item Circenses, Athletas, & Naumachiam. Navali prælio in modum cochleæ defosso lacu, Biremes, Triremes, Quadriremesque, Tyriæ & Ægyptiæ classes magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint quamplurimi, & in his duo Senatores.* Plutarchus in Cæsare: *Post triumphos ad conciliandam plebem spectacula edidit, ac convivia celebravit uno die in duobus ac* XX *millibus tricliniis epulum populo præbens. Munus gladiatorium ac Naumachiam Juliæ filiæ memoriæ exhibuit.* Appianus libro II Bellorum civilium: *Naumachiam Cæsar exhibuit quater millium remigum, mille bellatoribus utraque ex parte insidentibus.* Duæ verò Naumachiæ memorantur, altera Cæsaris Dictatoris in Campo Martio, altera Augusti trans Tiberim. Sed & Caligula effodiendum curavit in septis locum, replendumque aqua, ad introducendas naves. Et Nero exhibuit Naumachiam marina aqua, innatantibus beluis; deditque populo epulum intra naves. eo in loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat. Et Aurelianus, & Claudius, de quo Dio lib. LX refert: *In palude quadam Claudius*

*exhibere*

*exhibere navalem pugnam cupiebat, cinxeratque eam ligneo muro, fixeratque tabulata, conveniente ad spectaculum immensa multitudine.* De Naumachia Domitiani Tranquillus cap. IV: *In Amphitheatro dedit navale prælium.* Et paulò infra, idem de eodem: *Edidit navales pugnas pene justarum classium, effosso, & circumstructo juxta Tiberim Lacu; atque inter maximos imbres prospectavit.* quam Naumachiam, ut idem, cap. V, autor est, Domitianus ipse construxerat; & ex ejus postea lapide Maximus Circus, deüstis utrinque lateribus, extructus est.

Sed ultra non deducimus hos rivos, qui in Circum ut multum non sunt inducti, sed, ut vidimus, in Amphitheatro, aut lacu, aut loco proprio facti, quem Imperatores ad capiendas justas pene classes late effodiendum curaverant, aptisque ad considendum constructionibus incluserant. Is itaque propria videtur describendi explicatione indigere, & quia ad Circum suo in gyrum ambitu proximè descendit, ipsi apte adjungamus, ut uno habitu una similisque Architectura considerari possit. Quare claudimus usque eo rivulorum fontes; & ad ludos in Circo reliquos, ultimo nos applicamus.

*De ludis Scenicis aliquando in Circo factis.*

Scenicos enim, quorum certa sedes Theatrum erat, Livius & Tranquillus referunt nonnumquam in hoc loco factos. Ille lib. VII, *Nec tamen Ludorum Scenicorum primum initium procurandis religionibus datum, aut religione animos aut corpora morbis levavit. Quin etiam cum medios forte Ludos Circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset, id vero velut aversis jam Diis, aspernantibusque placamina iræ terrorem ingentem fecit.* Suetonius vero in Augusto, cap. XLIII: *Spectaculorum & assiduitate, & varietate, atque magnificentia omnes antecessit. Fecit nonnunquam Ludos vicatim ac pluribus Scenis per omnium linguarum histriones, non in foro modo, aut in Amphitheatro, sed in Circo & in Septis.* Et cap. LXXIV: *Etiam triviales ex Circo Ludos interponebat.*

*De ratione spectandi in Circensibus Ludis.*

Quum vero de certandi generibus jam dixerimus abunde, de spectandi quoque adjungamus meritò, ut nempe imago ac ratio Circi absolutior pateat expressa. Et varius quidem spectandi modus Circensibus Ludis fuit, variique casus dum populus Romanus eo Ludicro vacaret accidisse memorantur; diversæque Imperatorum res gestæ in vetustis annalibus dum spectarent referuntur. Quorum omnium præcipua quædam ex antiquis auctoribus depromam.

*Qui spectaculis affuerint.*

Arnobius lib. IV. adversus gentes: *Sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, Pontifices maximi, maximi Curiones, XV viri laureati, Diales cum apicibus Flamines, Augures interpretes divinæ mentis & voluntatis, castæ virgines perpetui nutrices & conservatrices ignis. Sed & cunctus populus, & Senatus, Consularibus functi Patres Diis proximi, & augustissimi Reges.*

*Quo habitu.*

Livius lib. X: *L. Papirio, & Sp. Carvilio Consulibus, coronati primum, ob res bello bene gestas Ludos Romanos spectaverunt.* Idem lib. XL: *Negocium Ædilibus datum, ne quem posthac paterentur in foro Circove nisi positis lacernis togatum consistere.* Lacernis enim & penulis spectabant veteres, monstrato à Lacedæmoniis more: unde Tertullianus in Apolog. *Nam ne vel hyeme voluptas impediretur, primi Lacedæmonii penulam ludis excogitarunt.*

*Lacerna quid.*

Lacerna autem, inquit Isidorus, *pallium erat fimbriatum, quo soli milites usi sunt.* Festus Lacernam dici arbitratur, quod minor capitio sit; à *Lacerum*, quod curtum veteribus erat.

*Honos assurgendi.*

Assurgentes vero viris magnis, deponebant lacernas, ut postea videbimus; sicuti nos pileum detrahimus, ut honori clarorum addamus. Et libro V, ubi de matronis legitur: *Grata ea res Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pileatæ ad Sacra Ludosque Carpentis festo profestoque veherentur.*

*Caput in Ludis apertum: Deinde tectum.*

Dum sacrificabant Romani, capite fuerunt velato, prisco quodam & obvio ritu; in ludis verò aperto fuisse videntur ab initio: primus enim Caligula, ut est apud Dionem Cassium, pilleos Thessalicos inferre in Theatra Senatoribus concessit, ne scilicet insolatione torquerentur. Indefensi igitur à Sole spectarunt; quod & de Antiochenis in Circo sedentibus D. Chrysostomus scribit, καὶ ἥλιον γυμνῇ δεξόμενοι κεφαλῇ.

*Umbella in Circo.*

Vela verò in Circo esse minime poterant. Umbellam adhibitam postea, Iuvenalis ingerit:

> *En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas.*

*Colorata.*

Viridem dicit, quod colorabant, ut puto, pro favore cujusque in hanc illamve

ve Circi factionem, Prasinam seu viridem, Venetam, &c. Nec non Causiæ tegmine usos fuisse in Circo, credimus: Flabellum quoque, puto, æstivo tempore addidisse, unde Ovidius:

*Causia.*

*Profuit & tenues ventos movisse flabello.*

*Tempora quibus Romanis pilea sumpta.*

Quinque vero tempora fuerunt, quibus pilea Romanis concessa: Sacrorum, Ludorum, Saturnalium, Peregrinationis, Militiæ. Cujus mentis est & illud Suetonii de Augusto: *Solis ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub divo spatiabatur.* innuit nempe novum hoc atque insolens fuisse. Præterea & certæ personæ, quarum vertex immunis à communi more. Primum liberti, quos in pileis fuisse nova libertate, notissimum est; addo Ægros, quibus hoc licuit capiti firmando, ad quos amanti suo præit Ovidius:

*Arguat & macies animum. nec turpe putâris,*
*Pileolum nitidis imposuisse comis.*

Senibus quoque tegmen tribuerunt à pari causa. Convivæ quoque videntur fuisse pileati, sed ambigua res est: in balneis pileorum usum fuisse magis credimus; & ab iis cum exierint, eosdem aliquando retinuisse etiam in mensa. Vulgata quidem tectio fuit Romæ, vestem, hoc est, togæ laciniam injectam habere; aut pallio caput includere: sed illa sine nota; hæc sæpe cum suspicione luxus, propria tamen imbecillium.

*Vestis in capite.*

*Spectandi privatis ratio.*

Ad Spectatores Circensium redimus, & quid de privatis personis autorum monumenta prodant, inde repetimus.

*Cn. Pompeius Magnus.*

Quod ad principes viros attinet, Auctor habet de Viris illustrib. *Concessum L. Æmilio à Senatu, ut ludis Circensibus veste triumphali uteretur.* Et P. Vellejus Paterculus libro II: *T. Ampius, & T. Labienus Tribuni Plebis, legem tulerunt, ut Ludis Circensibus Corona aurea,* [lego *laurea*] *& omni cultu triumphantium Cn. Pompejus Magnus post bellum Mithridaticum uteretur. Scenicis etiam, prætexta coronaque aurea. Id ille non plus quam semel, & hoc sanè nimium fuit, usurpare sustinuit.* Dio lib. XXXVII: *Decretum est, ut Cn. Pompejus post victoriam Mithridaticam, in omnibus festis solemnibus Lauream gestaret, in iisque omnibus Paludamentum ferret, & vestem triumphalem in equestribus certaminibus indueret.* Dio libro XLIII: *Cæsar post victoriam Hispaniensem, S. C. vestem triumphalem omnibus Ludis gestavit, semper & ubique Laurea corona usus.* Idem libro XLIIII: *Primum Cæsari ex S. C. datum est, ut semper uteretur veste triumphali, etiam intra Vrbem. Deinde etiam ut semper Curuli sella sederet, exceptis Ludis: tum enim sessio ei in Tribunitio subsellio cum iis qui quo tempore Tribunatum plebis gererent, concedebatur. Canis canem in Circo cum fieret equestre certamen laniavit ac devoravit.* Idem lib. LI: *Cæsare victore decretum, ut in hymnis juxta Deos immortales ipse adscriberetur, Corona triumphali omnibus Ludis uteretur, Senatores socii ejus victoriæ, in triumpho una cum ipso prætextati inveherentur.*

*Cajus Iulius Cæsar.*

Tranquillus in Augusto, cap. XLV: *Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat, interdum è pulvinari, & quidem cum conjuge, & liberis sedens. Spectaculo plures horas, aliquando totos dies aberat, petita venia, commendatisque, qui sua vice præsidendo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat, seu vitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum epistolis libellisque legendis, ac rescribendis vacaret; seu studio spectandi ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam, & sæpè ingenuè professus est.* Idem in Claudio, cap. IIII; ex Epist. Augusti ad Liviam uxorem: *Spectare Claudium Circenses è pulvinari non placet Nobis. Expositus enim in prima sede spectaculorum conspicietur.*

*Oct. Augustus imperator.*

Fuit autem Pulvinar, ut quidam credunt, locus è quo Pompa in Circum allata procedebat. Templorum enim Dii ibi eousque constituebantur; unde venerandam penum dixeris, & tanquam παστοφορεῖον, sive *sacristiam*, ut nunc vulgo, & *secretarium*. Ab Augusto factum esse hunc locum, testatur lapis Ancyranus inscriptus: *Pulvinar ad Circum Maximum.*

*Pulvinar quid.*

Tranquillus iterum in Claudio, cap. VI: *Equester ordo, Claudio adhuc privato, spectaculis advenienti assurgere & lacernas deponere solebat.*

*Claudius.*

De C. Caligula, Dio lib. LIX, *Cajus curricula aurigis non constituit, sed præsidens cum sororibus, & collegiis in sacerdotio Augustali spectavit.*

*C. Caligula.*

De Nerone, Tranquillus cap. XXII: *Quum inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses secessu commeabat, primo clàm, dein propalam, ut nemini dubium esset eo die utique adsuturum.* De Marco,

*Nero.*

co, Iulius Capitolinus: *Marci consuetudo erat, ut in Circensium spectaculo legeret, audiret, ac subscriberet.* Marcellinus lib. XVI, de Constantio: *Constantius Imperator sæpe quum equestres ederet Ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbe nec libertate coalita desciscens, reverenter quoque modum ipse debitum servans.* Sidonius lib. I, in Epist. ad Montium: *Postridie iussit Augustus Maiosianus, ut epulo suo Circensibus Ludis interessemus. Primus jacebat cornu sinistro Consul ordinarius Severinus, vir inter ingentes Principum motus atque inæqualem Reipublicæ statum gratiæ semper æqualis. Iuxta eum Magnus olim ex præfecto nuper ex Consule par honoribus persona geminatis: post se Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus & ipse decursis pariter ornaverat Proconsulatum patris, patrui Consulatum. Pœnius huic propter; atque dehinc Antemius: hunc sequebatur Gratianensis, qui Severinum veluti honore postibat, ita favore præcesserat. Vltimus ego jacebam, &c.* hæc scripta sunt Anno Christi CDLXI. Dio in Hadriano: *In Circensibus Ludis Consules apprimè Hadrianus honorabat, domumque è Circo illos reducebat.* Idem lib. LVI: *Decretum ut Ludos Augustalia vocatos Tribuni plebis tanquam sacri celebrarent, iique omnia reliqua ex quo consueverunt fieri more peregerunt, veste triumphali Ludis Circensibus usi. Currum tamen non conscenderunt.* Idem lib. I refert Tacitus: *Decretum ut Tribuni plebis Ludis Augustalibus per Circum triumphali veste uterentur, curru vehi haud permissum.* Macrobius, lib. V Saturnalium, indicat Vomitaria in spectaculis, unde ingredientes glomeratim homines in sedilia se fundunt: dicta nempe per Metaphoram, qua turba ipsa appellatur Vnda. Sedilia autem hic continuata, nec ut in Caveis distincta fuerant cardinibus, zonis aut cuneis: quare ad lineam rectam patuere consessus. Et structura Circi, si eam bene examines, impar est discriminando globorum ordini. Igitur ad implenda sedilia, qui primi accedebant, assidere necessario cogebantur: nec discedendi aut sedem mutandi locus erat, quum nemo in secunda linea sedere poterat, nisi plena prima. Hinc promiscue viri fœminæque spectabant. Eoque gaudens imprimis procus Ovidii, ita sibi de tangenda puella canit:

*Vomitoria.*

*Linea, seu necessitas sedendi.*

*Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi.*
*Hæc in lege loci commoda Circus habet.*

Considebant Patres, Equites, Plebes confusissimo & solutissimo more. Quamvis enim Tarquinius Rex ab initio diviserit loca Ordinibus, ipsi tamen tempore Reipublicæ ordinem eum migrarunt: & accidit sub Augusto, ut Puteolis per celeberrimos ludos Senatorem exclusum frequenti consessu nemo reciperet. Tum Imperator, motus ea injuria, inconditum sedendi modum correxit, ordinavitque: sed id plenius tamen extra Vrbem putamus: nam Romæ in Circo Maximo nunquam stata sedendi regula; semper misti occuparunt loca, & licet quique Ordines aliquando seorsum spectaverint, usque ad Claudium tamen certi singulis loci non attributi; is vero subsellia Senatoribus, Nero postea & Equitibus destinavit: sed nihilominus turbida ac ludicrorum cupida plebs miscebat limites, ut adeo tempore Nervæ confusim spectasse omnes dicas ex Plinio Cæcilio. Tranquillus Cajum memorat, inquietatum fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegisse; elisosque per eum tumultum XX amplius Equites Romanos, totidemque Matronas, super innumeram turbam cæteram. Ex quo facile constat, quam indiscreta multitudo inierit, & locis, ne excluderetur, quibuslibet ut suis inhæserit. Spartianus habet, Circensi spectaculo occupatis indifferenter Circi Maximi subselliis, populum, ingenti injuria affectum, geminasse convicia in Iulianum, qui edebat; nec non uno plausu Pescennium Nigrum ad tutelam Vrbis expetiisse, odio Iuliani & amore occisi Pertinacis. Viris illustribus aliquando data publice loca in sedendo cum ornamento, probat Festus: *Sellæ locus datus est Valerio Dictatori, posterisque ejus honoris causa, ut proxime sacellum Murciæ spectaret, unde auspicabat spectacula Magistratus.* Valer. Maximus lib. IV. cap. IV. *Æliorum familiæ eodem autem tempore fuere sexdecim Tuberones, quibus ut Ludos spectarent in Circo Maximo, & Flaminio locus publice est donatus.*

*Sedilia Circi Maximi indiscretè repleta.*

*Clarissimis personis non nunquam concessus locus honoratior.*

Circi immoderationem sub Valentiniano & Valente imperatoribus quàm scitissi-

*Quid populi fuerit plebs Circo vacans.*

scitissime exponit Ammianus lib XXVIII: *Plebi ociosæ ac desidi templum & habitaculum & concio & spes omnis Circus est Maximus. Et videre licet per fora & compita, & plateas, & conventicula, circulos multos collectos in se controversis jurgiis ferri, aliis aliud, ut fit, defendentibus: inter quos hi, qui ad satietatem vixerunt, potiores auctoritate longæva per fana, & fora clamitant sæpe, Rempublicam stare non posse, si futura concertatione, quem quisque vindicat carceribus non exiluerit Princeps, & circumflexerit metam. Exoptato die Equestrium Ludorum illucescente nondum Solis puro jubare, fusius omnes festinant præcipites, ut velocitate currus ipsos anteeant certaturos; super quorum eventu discissis votorum studiis, anxii plurimi agunt pervigiles noctes: unde si ad theatralem ventum fuerit utilitatem, artifices scenarii per sibilos exploduntur, si qui sibi ære humiliorem non conciliaverint plebem; cui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricæ gentis* [ quæ immanem habet famam, solitam pro victimis advenas cædere Dianæ ] *peregrinos vociferantur pelli debere, ( quorum subsidiis semper nisi sunt ac steterunt, ) & tetris vocibus, & absurdis, quæ longe abhorrent à studiis, & voluntate veteris illius plebis, cujus multa facete dicta memoria loquitur, & venusta. Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore, per applicatos homines ad loquendum, ut in omni spectaculo, exoditario, venatori, aurigæ, & histrionum generi omni, & judicibus celsis, itidemque minoribus, necnon etiam matronis clametur assidue,* PER TE ILLE DISCAT; *quid autem debeat disci, nemo sufficit explanare.* Nec ego sufficio id prodere; sensum autem hunc duco authoris, cum damnatus ad bestias traheretur, populum in miseri damno, quod verterant in ludum, [ tanta potest vecordia mortalibus esse innata ] bacchatim risum & affectum effudisse, quod esset in cujusque inimicum; ille nempe, pessimæ mihi notæ, discat per te, similem forte se manere exitum vitæ. De cruenta illa voluptate Prudentius ad Honorium contra Symm.

*Tu mortem miserorum hominum prohibeto litari;*
*Nullus in orbe cadat cujus sit pœna voluptas.*

*Plausus.*

Sonitum verò laudum qui in Circo perstrepuerat; plausus erat, sine arte antiquis, posteris solertissimus, necnon in genera distinctus. Plausorum applicatorum certi quoque chori, quos describit Corippus, lib. II.

*Plausorum Chori.*

*Excutiunt plausus, studiorum gaudia surgunt;*
*Alternisque sibi respondent agmina dictis:*
*Emittunt dextra pariter, pariterque remittunt.*
*Certatim toto vulgus micat undique Circo,*
*Et veniunt densæ manicis albentibus undæ:*
*Disponunt cantus, modulos & cantibus addunt.*
*Nunc simul erectis, pronis nunc ordine membris*
*Dant capita, accedunt pariter, pariterque recedunt;*
*Fertque, refertque globos moles condensa virorum.*

*Manibus*, inquit, *albentibus*, ad elationem manuum, quæ in plausu fit, significandam. Voces vero hujus plausus adulationum plenæ, ut illud apud Tertullianum:

*De nostris annis addat tibi Juppiter annos:*

totæ nimirum oppletæ suaviis, ut apud M. Phil. Capit. *Philosophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ:* atque ita ut numero, quæ inclamarentur, certo, jugique constarent. Vopisc. in Claud. secundo: *Claudi Auguste, dii te nobis præstent*, dictum sexagies. *Claudi Auguste, principem qualis tu es, semper optavimus*, dictum quadragies. & sic aucupia verborum alia, quinquagies, octuagies etiam, pluribusque vicibus exclamata. Ex quibus colligitur, magistros plausus extitisse, qui præciperent quoties iterandæ repetitiones, ne rithmus deperderetur. Genus aliud acclamationum erat; quod imbricum sonum imitabatur, grandine verberatarum: de quo Iuvenalis:

——— *Audiat alter*
*Testarum crepitus.* ———

*Bombus.*

Erat bombus in plausu & concentu asper ac terrificus strepitus. Manuum etjam crepitus fiebat, compactis digitis & substrictis subjectam sinistram feriendo, & in cavum plaudendo; quod ad promptitudinem animi ostentandam gnaviter sæpe præstabant; unde Varro: *In Circis potius ac Theatris, quam in segetibus ac vinetis manus movent.* De hac insania Circi, Silius Italicus:

*Crepitus manuum.*

*Fluctuat æquoreo fremitu, rabieq; faventum,*
*Carceribus nondum reseratis, mobile vulgus.*

Quod

Quod explanat Lactantius lib. VI de vero cultu: Circensium Ludorum *ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam. Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratia veniunt. Cum exclamare, & offerre & exilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia, non solum nequid vitiorum pectoribus insidat, quæ sedata & pacifica esse debent, sed ne cuivis nos voluptatis consuetudo deliniat, adeo & à bonis operibus avertat.* Idem in epit. divinar. Institut. *Circus non innocentior æstimatur, sed major hic furor est, siquidem mentes spectantium tanta feruntur insania, ut non modo in convitia, sed etiam in rixas, necnon & in prælia, & contentiones sæpe consurgant.* Dio Chrysostom. ad Alexandrinos: *Saltantes, insanientes, ferientes invicem, arcana enunciantes, & Deos ipsos sæpenumero conviciantes, nudique exeuntes ab ipso spectaculo interdum.* Namque non solo studio ac favore in hanc vel illam factionem tam immodice ferebantur, sed & spe & omine prosperitatis: ut, si Venetus vinceret, secundæ navigationis; si Prasinus, hylaris annonæ futuræ. Quare & qui à spectaculo abfuerant, domi voto factionum differebantur; unde apud Plinium, libro x, cap. XIV, Cæcina Volateranus equestris ordinis, quadrigarum Dominus, [de quo honore superius diximus] comprehensas hirundines in Circum secum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore. Cassiod. de Circ. spectaculo: *Spectaculum expellens gravissimos mores, invitans levissimas contentiones, evacuatio honestatis, fons irriguus jurgiorum; quod vetustas habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse ludicrum: quod merito creditur dicatum numerosæ superstitioni, ubi ab honestis moribus sic constat excidi. Hoc etiam dicimus omnimodè stupendum, quod illic supra cætera spectacula furor animorum inconsulta gravitate rapiatur.* Senecam nunc audi, in contentionibus & ebullitionibus furiosæ plebis submissum, ad altæ tranquillitatem mentis, in fluctibus cuneorum compositum, omnibus verò partibus victoria, ab animo sibi suo impetrata, superiorem: lib. XII, epist. XXXV ad Lucilium: *Ecce Circensium obstrepit clamor, subita aliqua & immensa voce feriuntur aures meæ. Nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. Fremitum patientissime fero. multæ voces & in unum confusæ pro fluctu mihi sunt, aut vento sylvam verberante, & cæteris sine intellectu sonantibus.* Adest nobis ad hanc partem Juvenalis Satyra VIII:

*—— Parce & messoribus illis,*
*Qui saturant Vrbem Circo Scenæque vacantem.*

Et Satyra IX:

*—— qui me cervice locata*
*Securum jubeant clamoso insistere Circo.*

Et Satyra X, ipse sui gaudia vulgi ridens:

*Quid si vidisset * Prætorem in curribus altis*
*Extantem, & medio sublimem in pulvere Circi,*
*In tunica Iovis, & pictæ sarrana ferentem*
*Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ*
*Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?*
*Quippe tenet sudans hanc publicus, & (sibi consul*
*Ne placeat) curru servus portatur eodem.*

* *Democritus, materiam risus in rebus omnibus inveniens; plausus in nullis.*

*Qui certamina constituerint:* Circensia enim certamina aut in deorum cultum fiebant, aut in mortuorum memoriam, aut in honorem magistratuum, Victorumque; hinc Imperatores, Consules, Proconsules, Ædiles publicâ aut privatâ hæc apparabant expensa. Nam & fiscus aliquando nomine Quæstorum aut Prætorum impendebat pecuniam, quam postea recuperabat; ut est in Codice Theodosiano lib. VI. Et divitiores cives ad capiendos plebis animos, impetrata editione à principe aut senatu (sine cujus indulgentia nemo privatus indicere festivitatem poterat) ea exhibebant: quibus pro sumtibus suis honores maximi congerebantur. *Et qualem retulerint honorem.* In Olympia agonothetæ purpurea veste, Romæ vero editores picta & palmata tunica, curru, triumphantis more, per Circum vehebantur, eburneum sceptrum, cui insidebat aquila, manu gerentes, & sicut paulo ante Iuvenali Prætor describitur, quem etiam præmissa Satyra secunda inducit:

*—— Similisque triumpho*
*Præda caballorum Prætor sedet.*

Hos scilicet & aurigæ venerabantur, summissoque flagello adorabant: nec ipsum principem Caracallam majoris fecisse flagellum sublime, quam Exhibitorum

bitorum animum sumptumque in patriam; sed jacto deorsum verbere alios secutum aurigas, ipsos similiter fuisse veneratum; & vel hanc ei rationem deprimendi, summa fuisse sydera feriendi, Dionis in hoc Principe historia facit.

*Varii Circensium præfecti.* Erant autem Certaminum præfecti, qui quadrigas committere, bravia constituere victorum, atque ea distribuere, controversias ortas dirimere, & similia curabant. Hi apud Jul. Pollucem, libri III cap. XXX, sunt braviorum constitutores, certaminum institutores, præmiorum procuratores, censores, inspectores, præsides & speculatores. *Princeps ipse aut amici præsides.* Et ipsi quidem Principes præesse spectaculis solebant. Quod Tranquillus supra prodidit in Augusto, cap. XLV: *Spectaculo plures horas, aliquando totos dies aberat, petita venia, commendatisque qui sua vice præsidendo fungerentur. Claudius,* apud eundem auth. cap. VII, *præsedit nonnunquam Spectaculis in Caji vicem, auctorante populo. Caligula,* ibid. cap. XVIII, *neque spectaculis semper ipse præsedit: sed interdum aut Magistratibus, aut amicis præsidendi munus injunxit.* Dio in Eliogabalo: *Currus agitavit* (ipse princeps) *prasino vestitu. Ibi erant præfecti certaminis, omnes qui primi apud ipsum erant.* *Administratores alii spectaculorum,* Hi sunt qui Tertulliano, lib. de spectac. *Auctores, Administratores spectaculorum:* Suetonio, *Curatores munerum, Editores, Munerarii.* Aliquando etiam dicti sunt *Tribuni voluptatum*, ut apud Cassiod. lib. VI. form. XIX: *Et cum lasciva voluptates recipiant Tribunum.* *Et voluptatum Tribuni.* & lib. VII. ep. X. *Quapropter Tribunum Te voluptatum per illam indictionem Nostra facit electio.* aliud tamen officium à voluptatibus hisce est id, quod Sueton. cap. XLII, in Tiberio; itemque Tacitus lib. XVI, ubi de Petronio Arbitro, fecerunt.

*De horis spectandi in Circo.* De Circensium spectaculorum tempore vario, quo per diem exhibebantur, authores hæc afferunt. Tranqu. in Cajo, cap. XVIII, *Edidit Circenses plurimos à mane usque ad vesperam.* Suet. in Aug. cap. XXXXV, *Spectaculo Circensi plures horas, aliquando totos dies aberat.* Socrat. & Sozom. in Historia Eccles. ubi de Theodosii Imperatoris obitu agunt, Circenses à mane usque ad vesperam produci solitos, scribunt. D. Augustinus libro VIII Confessionum, in meridie celebrari solitos ostendit; ubi spectaculum Circensium pomeridianum vocat. Et Suetonius, in Claudio, cap. XXXIIII, huc forte alludit, quum ait: *Bestiariis, Meridianisque adeo delectabatur, ut à prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie, dimisso ad prandium populo, procederet.* *Meridiani, aut Matutini qui?* Bestiarii enim Matutini dicti; Meridiani vero sunt Gladiatores, qui & pomeridiani appellati, eo quod meridie committebantur: illi autem cum bestiis mane producebantur; de quo intellige Martialem, libro V:

*Ista tua Cæsar quota pars spectatur arena,*
*Dat majora novus prælia mane dies.*

Sed de posteriori pugna dicit Seneca epist. VII. *Casu in meridianum spectaculum incidi: lusus expectas, & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant? contra est; quicquid ante pugnatum est,* (matutino spectaculo) *misericordia fuit: nunc omissis nugis,* (ferarum inter se depugnantium) *mera homicidia sunt; nihil habent, quo tegantur.* (non videlicet crate, cancellis, rota,) *ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt.* Singulorum Circensium Ludicrorum origine, & declaratione, usuque explicatis, rei ipsius ordo jure exposcere videtur, ut quando unumquodque ipsorum celebrari desierit, quantum possimus in tanta rerum obscuritate, demum aperiamus.

*Pompa exspirat.* Pompam Constantini principatu sublatam fuisse, ex Zosimo constat. Imperator enim sacris Christianis initiatus, antiquam superstitionem, quæ hac supplicationum pompa maxime conservabatur, quantum potuit & temporum illa conditio tulit, labefactavit, circa annum Christi trecentesimum vigesimum quintum: *Gladiatores cohibiti,* Idem gladiatores lege lata prohibuit, quæ est in lib. XI Cod. *de Gladiatorib.* Imperatores vero Gratianus, Valentinianus, & Theodosius vetuerunt Magistratus alio tempore ferarum certaminibus vacare, quàm quo die principes aut nati, aut imperii sceptra susceperint. *itemque ferarum certamina.* Gladiatorum verò cruentis spectaculis, quanquam penitus tolli jussis à Constantino Imperatore, Augustinus in adolescentia sua datis tamen se interfuisse fatetur, lib. IIX Confess. cap. IIX. similiterque de non abolitis omninò ex Prudent. lib. II ad Symm. multisque

que aliis memoriis ac argumentis liquet; Eutropius lib. XIII, *Telemachius conversatione monastica, pro hac causa Romam venit: cumque nefandum illud spectaculum ageretur, & ipse intravit in stadium, & descendens nitebatur pugnantes inter se gladiis separare; cumque spectatores adversus eum sævirent, & in effusionem sanguinis grassarentur, provisorem pacis lapidibus occiderunt.* Ammianus autem sanguinarios hos ludos à Constantio ipso recitat exhibitos.

*Naumachia desiit.*

Naumachiæ quoque spectacula circa Constantini tempora in usu esse desiisse, facilè crediderim: nam post eum pauci admodum per multa sæcula Imperatores, (quorum id præcipuè muneris erat) Romæ permanserunt, & nulla amplius apud veteres auctores, quod sciam, ejus Ludicri mentio extat. Sciamachiæ vero Claudianus carminibus ingeniosis meminit, ficti ludus ficta scilicet allusione; tu quota putes, dialectice, mentis operatione?

*Eques, Pedesque, & Venator de Circo decedunt.*

Pugnas equestres, pedestres & venationes, usque ad Iustiniani Imperium Romæ perdurasse, alicubi observavi. Cæterum postquam Bellum Gothicum inchoatum est, Oriensque, qui bestias mitteret, hostem Romanis Imperatorem, & principem Vrbem Constantinopolim haberet; Africa quoque vel intestinis tyrannorum rebellionibus, vel Vandalorum tyrannide vexata, huic muneri vacare amplius non posset, hæc spectacula fieri desiere, Imperii majestate in dies imminuta, & Barbaris Italiam, & cæteras Occidentalis Imperii provincias vastantibus. Nisi hujus sæculi Ludicra, * quæ aliquot taurorum exhibitione fieri solent, venationes appellare quis velit; quibus nihil cum antiquis simile, quum incondite, inepte, nulla in conficiendis belluis arte, sed tumultuarie, & sine ullo pugnæ artificio fiant.

** De his infra invenies.*

*Circi spectacula omnia abeunt in desuetudinem.*

Bello Gothico Italico, quod cum Vitige, & Totila, fortissimis Regibus, belli ducibus Bellisario, & Narse, XIIX. annorum intervallo gessit Iustinianus Imperator, reliqua Circensium spectacula Romæ, & in Italia, præter Trojæ Ludum sublata fuere; cum Vrbs, olim Orbis terrarum domina, toto Imperio exuta, Græculorum Principum & Exarchorum vile mancipium facta fuisset. Ex tot porro Circensium Ludicris unum tantum (ut dixi) Romæ, & aliud reliquum in Oriente apud Constantinopolim fuit, Curule scilicet, & Equestre certamen, quod usque ad Alexium Commenum, quo imperante Constantinopolis à Venetis & Gallis capta fuit, perduravit: ubi in extructo à Constantino Magno Imperatore Circo, quem Græci ab equorum cursu Hippodromum vocabant, editum fuit.

Ludorum omnium spectacula, quæ hactenus Circus nobis aperuit, quæque Cavea utraque deinceps apparet, eleganti comprehendit carmine Claudianus, Panegyrico ad Fl. Manlium Theodorum, virum Consularem, cujus in Magistratu auspicando varia hæc populo exhibebantur:

*Alludit poëta ad quadrigarum cursum in Circensibus:*

*Vranie redimita comas, qua sæpe magistra*
*Manlius igniferos radio descripserat axes,*
*Sic alias hortata Deas: Patimurne sorores*
*Optato procul esse die? nec limina nostri*
*Consulis, & semper dilectas visimus ædes?*
*Et fasces subiisse libet? miracula plebi*
*Colligite, & claris nomen celebrate theatris.*
*Tu Iovis æquorei submersam fluctibus aulam*
*Oratum volucres Erato jam perge quadrigas,*
*A quibus haud unquam palmam rapturus Arion.*
*Illustret Circum sonipes, quicunque superbo*
*Perstrepit hinnitu Betim, qui splendida potat*
*Stagna Tagi, madidoq; jubas abstergitur auro.*

*Itemque ad pugiles:*

*Calliope liquidas Alcidem posce palæstras,*
*Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis*
*Adsit, & Helasco pubes laudata Tonanti.*
*Tu juga Taygeti, frondosaque Mænala Clio*
*I, Triviæ supplex: non aspernata rogantem*
*Amphitheatrali faveat Latonia pompa,*

*& venationes ferarum:*

*Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum*
*Arte ligent, certoque premant venabula nisu,*
*Ipsa truces fœtus, captivaque ducat ab antris*
*Prodigia, & cædis sitientem deferat arcum.*
*Conveniant ursi, magna quos mole ruentes*
*Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris:*
*Perfossique ruant populo pallente Leones,*
*Quales Mygdonio currum frenare Cybelle*
*Optat, & Herculei mallent fregisse lacerti,*
*Obvia fulminei properent ad vulnera Pardi;*
*Semine permixto geniti, quum forte Leenæ*
*Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter,*
*Hi maculis patres referunt, & robore matres:*
*Quicquid monstriferis nutrit Getulia campis,*
*Alpina quicquid tegitur nive, Gallica si quid*

*Sylva*

*Sylva timet, jaceat; largo ditescat harena*
*Sanguine, consument totos spectacula montes.*
Alludit ad Ludum scenicum: *Nec molles egeant nostra dulcedine Ludi:*
*Qui latis risum salibus movisse facetus;*
*Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,*
*Cui plectro pulsanda chelys; qui pulpita socco*
*Personat, aut alte graditur majore cothurno;*
*Et qui magna levi detrudens murmura tactu,*
*Innumeras voces segetis moderatus ahenæ,*
*Intonat erranti digito, penitusque trabali*
*Vecte laborantes in carmina concitat undas.*
Et Funambulos, *Vel qui more avium sese jaculantur in auras*
*Corporaque ædificant celeri crescentia nexu,*
*Quorum compositam puer augmentatus in artem*
*Eminet, & vinctus plantæ, vel cruribus hærens*
Caduceumque lusu Vulcanum. *Pendula librato figat vestigia saltu.*
*Mobile ponderibus descendat pegma reductis:*
*Inque chori speciem spargentis ardua flammas*
*Scena rotet; varios effingat Mulciber orbes*
*Per tabulas impune vagus, pictasque citato*
*Ludant igne trabes, & non permissa morari*
*Fida per innocuas errent incendia turres.*
Naumachiamque. *Lascivi subito confligant æquore lembi,*
*Lignaque remigibus spument inversa canoris.*
*Consul per populos, idemque gravissimus auctor*
*Eloquii, duplici vita subnixus in ævum,*
*Procedat pariter libris fastisque legendus.*
*Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti*
*Filius: & cœptis ne desit fascibus hæres,*
*Decurrat trabeata domus, tradatque secures,*
*Mutua posteritas; servatoque ordine fati,*
*Manlia continuo numeretur Consule proles.*

*Imagines priscorum Ludorum.* Antiquorum ludorum vestigia nonnulla ad hæc usque tempora in Italia superfuerunt: sicut in Vrbe ludus Trojæ, quem Agonis sive Testacii vocabant, *Ludus Testacii,* ordinabantque spectaculis quibusdam barbaris, ac animalium apparatibus pro temporum quidem conditione magnificis, cursibus etiam hominum, & ineptis ac tumultuosis venationibus taurorum. Dictus est Testacii ludus à Testaceo monte, qui Romæ inter Aventinum & Tiberim est, & à testis sive frustis figlinis ita appellatur, quibus totum extitisse quondam ajunt. Et nunc ibi reliquiæ fictilium conspiciuntur; sed unde tanta copia fractorum vasorum, & cur in eum locum comportata in tantum cumulum excreverint, nemo nec olim nec nunc quoque satis dicit. Sunt tamen qui ducunt factum esse è fragmentis urnarum, quæ olim erant cineribus crematorum corporum servandis; & effodiuntur quidem Romæ quotidie in vineis & aliis locis, magna copia, diversaque figura: sed quomodo tot fragmenta congesta ad hunc clivum fuerint, nemo prodit. Redimus ad propositum. *Desitus dari,* Desiit autem id ludicrum fieri Pii V, aut Gregorii XIII, Pontificum temporibus. *Sed restitutus.* Nostro tamen ævo multo elegantius instauratum est Florentiæ; videri etiam constans fama est in ea urbe veteris adhuc Circi vestigia, atque apparere descendentibus à ponte, cui à Rubaconte cognomen cessit, Boream versus; & perdurare scilicet ovalis formæ aspectum. Hujus Circi usus olim translatus fuit in plateam D. M. Novellæ, ubi duo sunt Obelisci marmorei, æneis astragulis basique impositi. Etiam nunc circa eorum compendia, cum exterorum maxima frequentia, bigas trino missu singulis annis, x Kal. Iulii, agitant. Serenissimus princeps Cosmus, alter hoc nomine, in operis hujus restaurationem incubiturus refertur, nisi mors curas magnas peremisset. *Species aliqua Circensium.* Ex antiquis etiam Circensibus Ludicris hactenus superfuit per Italiam tam hominum, quam diversorum animalium cursus, equorum Barbarorum seu Numidarum, tum asinorum, & bubalorum; inconditus vero & sine ullo ordine, ab uno principio ad certum terminum protensus, antiquisque Circi certaminibus nihil simile habens nisi currendi usum. Sunt tamen ejusdem genera novem in Vrbe: quatuor hominum, quinque bestiarum. Homines equidem à locis prope, longeque sitis contendunt Romam, proximisque ante quadragesimale jejunium diebus, singulis nempe diversi, cursu certant de præmio quod victoribus propositum est: suntque Iudæi, pueri, juvenes, senes. Veronæ etiam profunduntur in hunc ludum mulieres. Hactenus de Circis & Circensibus Ludis, omnique ratione quæ ad hæc facit, vidimus, descendimusque ad metam, reponimusque curriculum: ac porro hanc sedem egressi, accingimur ad alias.

DE

# DE OBELISCIS ÆGYPTIIS IN VRBE.

AD ultimæ antiquitatis monumenta descendimus, & quibus priora nulla, æqualia nulla rerum antiquissimarum studiosus reperiat. Obeliscos dico, regibus Ægyptiorum sive ambitionibus, sive suis religionibus adductis, erectos; & vel sola forma mystica, vel variis juxta notis ænigmatum sacros. Ipsa Vrbs vetus, quos numina majora templis Chami ablatos Romæ sacrarunt, id est, in templo mundi totius, deserta jam tum habuit vetustate. Numina autem majora Romæ divos principes appellavi, quod manum non tantum admovere ausi sunt miraculis deorum antiquorum, quam victores anteà Pœni, Persæque abstinuerant, artis excelsæ & divinæ reverentia, aut diffidentia, & minore haud minus animi amplitudine: sed quum effecerunt ipsis Heroum priscorum exactis excellentius; quibus scilicet non trans mare trabium devectio, nec duplicata, depositionumque, tractionumque, & reerectionum, ad periculum usque, molitio; quamvis aliquando cura, filio maximi positoris alligato operi, fuerit impensior. Sed Romæ quidem de certis primisque Obeliscorum authoribus, necnon de scalpturis eorum ac *literis ignorabilibus figurisque animalium, & nodosis ac in modum rotæ tortuosis, capreolatim condensatis apicibus*, ut Apulejus eas depinxit ac perstrinxit, nemo facile scivit, nemo quicquam doctus fuit; & populus universus præterquam quod aspectum Obeliscorum inanem & cives & advenæ ceperint, publicæque magnificentiæ [verius abundantiæ rerum alienarum] voluptatem, [quæ sola bene nutritis mentibus non est digna, nec sapienti sufficiens, nec mortali profutura nomini nec immortali,] nihil aut oculis aut animo accipere potuit. At damnosa tamen dulcedine fabularum, & falsæ religionis cultusque divini, cui lapideæ hæ trabes dicatæ erant, fiducia mendaci sese quisque in ipsis oblectabat. Igitur, quanquam ad Solis radios,* una omnes caligine, docti & indocti conjungebantur. Minimè verò, quam adepta sunt, perennitatem præclarorum operum abolere nimia & invidiosa vetustas valuit: sed nec sapientiæ hieroglyphicæ posteritatem perpetua taciturnitate tegere. Etenim, quanquam superioribus seculis temporum malis diruti Obelisci plerique omnes, ac aut altè in terra obruti fuerint, aut fracti & discissi, ruinisque Circorum sepulti, multas ætates in oblivione jacuerint: ævo nostro tamen, Summorum Pontificum, & Principum eminentissimorum auspiciis, sagaci cura præstantissimorum virorum investigati, eruti, ac formæ pristinæ restituti, mirabili sane fato & vicissitudine rerum, exurrexerunt, & quasi à morte vitam iterarunt. Et hæc quidem plane in tenebris retrusorum lapidum à nocte & oblivione in lucem & splendorem pristinum vindicatio haud dubie superat primam istorum Genitorum editionem: cubilibus nimirum abditis penitus, atque incerta eorum memoria omni, nisi quæ scriptorum monumentis prodebatur; præterquam quod nutrix aliena demortuum partum, demersumque in obscuro, rarissime eruat aut suscipiat. Quod si ad mirificas suorum Obeliscorum erectiones recurrat venerabilis vetustas, ternasve nonnullorum opponat molitiones difficillimas, & quæ vix compleri posse sperabantur, Ægypti nempe & Vrbis antiquæ; nostra omni certans ætas antiquitati, magnificentissimas refert eorundem operum repositiones & operosissimas translationes, quas Roma vidit & obstupuit, non ullo quidem provisionis periculo, sed artis sapientissimæ miraculo, nec quod cuiquam rem maximam esset desperatio, sed longe supra valentis

*Annosæ vetustatis: & duplicis generis Obelisci.*

*Effigies insculptæ ignorabiles.*

** Obeliscos, qui & Digiti, & Tela Solis appellantur.*

*Obelisci prostrati ad hoc ævi latebant.*

*Eos viri principes extrahebant.*

operis præſtatio. Iactent ſæcula priſca Triſmegiſtos auro, ingenio, deos; magnum præferant nomen in regibus, Marte, aut Phœbo alumnis: hem, perennia ipſorum adhuc monumenta loquuntur ſeculorum noſtrorum beneficia: quæ Rameſſeos, ô Roma, credidiſti, en Sixtos, & Innocentios clarius referunt, Virtute, Honore, Ære Ter Maximos; Principeſque Principum omnium primos. Quid ſitus regales telorum, Phœbo hodie quam olim propiores? reges enim ſua arguunt in arte, Phœboſque, ſeris his quam primis ſeculis luculentos. Sed quanto memorem nomine ſtudium altiſſimum Hieroglyphicorum, noſtro tempore quaſi de novo conditum, quod reconditum ipſa ſapientiæ initialis voluit authoritas, & derelictum perditumque in ipſis liminibus ſuis, temporum fecit calamitas. Fragmentorum equidem de Obeliſcis proſtratis inveſtigationem, ob veſtigia cuncta inobſcurata, ſupra fidem quondam habueras; ſed deſperatam hucuſque ſcientiam notarum myſticarum, quam nemo ſcriptorum aperte proſecutus eſt, penetratam nihilominus atque prolatam eſſe cuiquam, pene ſupra hominem putaris. Scis enim, ſi nonnullis ignorabilis non fuit antiquitatis authoribus, nullis tamen non tranſitam leviter, aut ſilentio præteritam, quaſi cum pudore delibatam. Oracula ergo hujus literaturæ, quæ Græcorum, Latinorum & quorumcunque aliorum induſtriam & eruditionem hactenus fugerunt, tentata & elaborata ingenio ac ſudore Germano, bonum longe de poſteritate & ipſa antiquitate meritum dicimus, quam Ægyptiorum abſcondita & oppreſſa; digniſſimumque cui ipſe Auguſtiſſimus Imperator Cæſaream, primiſque illis ſapientiæ ætatibus aureis æmulam circumdaret gratiam ſuam. Et reſpiciens ego lapides hos literatos, pulcherrimum ævi noſtri cum illorum primo compoſiti monumentum accipio, quod oſtendit poſitores infinitis ante nos annis, & repoſitores plurimis ſupra illos animi virtutibus: quodque victores habuit ſui reverentiſſimos & diligentiſſimos; ſed feliciores accepit hodie ſemper Triumphatores. Ergo non exu-

*Cæſar notas inſcriptas interpretatus eſt.*

tis ſolum vetuſtatibus priſtino decori reſtituti ſunt, ſed obſcuritatibus poſitis primitivæ ſuæ luculentitati conſtant, ruptoque ſilentio tot ſeculis diuturno, ad extremum facti ſunt eloquentes. Equidem certe nemini dubium eſt, quin illæ ipſæ trabes ſint, regibus olim Ægypti exciſæ; & perſuaſiſſimum unicuique, quod regalem primævo ſplendore formam eandem obtinuerint: annum verò non optime claret bono cuivis, ipſam, quam haud pridem Oedipus * in lucem revocavit, antiquiſſimam eſſe Ægyptiorum doctrinam, regibus ac ſacerdotibus ibi uſurpatam? Venerabilis nobis & literarum & honorum cumulo, vir quidam, hanc ipſam pronunciavit vel manſiſſe huc uſque, nec remotam à ſuperiorum ætatum memoria, vel, ſi abierit invidia temporum, non occidiſſe aliam quam quæ nunc redierit propria; infinitis, quod miraberis, clauſa ſeculis, uno, quod magis ſuſpicies, reſerata tempore; pluribus autem edita parentibus, uno ſolique ſuſcepta Literarum Patri. Nos igitur Obeliſcorum tum antiquitatem admirandam, tum novitatem prædicandam propoſituri, ita deducemus operis noſtri filum, ut explicatis eorum narrationibus, quas varia nobis monumenta ſuppeditant, tum formarum quas videmus hieroglyphicarum ſignificationes, ſuprà laudato Authore conceptæ accedant; carptim tamen, nec ampliter interpretationem Tibi, Lector, deſcribemus, ſed ſtrictim innumera & nervoſe ſublimia, omnia breviter tractabimus. Pulcherrimum enim nos deſiderium tenet, Regum Principumque vetuſta conſpicere monumenta; nec minor allicit amœnitas, Sapientum Sacerdotumque antiquorum interiora pervidere documenta: illa tot modis afflicta perditaque, poſt varias temporum vices denuo luci reddita & magnifice reſtituta; hæc tot nodis impedita & annorum ſpatiis occulta, nobis demum recluſa & apertius ſoluta. Quapropter, cum ad alternarum partium (quarum nunc laudabilis novitas, nunc venerabilis memorabitur vetuſtas) pertractationem te, benigne lector, revocabimus, gratiam nobis tuam haud dubie conciliaturos nos eſſe, optime ſperamus.

** Athanaſii Kircherii, Soc. Ieſu Presbyteri, Ægyptiis nubibus, ſive ſolibus aquilæ.*

Sunt

Sunt autem Obeliſci columnæ ſive trabes lapideæ, quadrilateræ, ſenſim verſus apicem gracileſcentes, & deinde in parvam pyramidem truncatæ; ut breviter deſcribuntur Kircherio. Græcis, quoniam latera paulatim inclinato curſu in punctum exeunt, ὄβελοι primum à figura ſunt dicti, annuente Herodoto. Eſt enim obelus inſtrumentum ferreum, quod in prima ſui parte craſſum cum ſit, paulatim minuitur, donec in acutam cuſpidem deſinat. Ὀβελίσκοι verò appellati poſtmodum, diminutivo vocabulo κατὰ τὴν κατάχρησιν, ſive per abuſum, introducto; quod nomen ab illis mutuatum Latini hucuſque retinent. Obeliſcus igitur proprie acutum telum ſonat. Alii quaſi ὀφελίσκος dictum volunt, quod nempe acuminetur in longum. Itali *Aguliam* vocant, ſive ἀπὸ τοῦ ἀκοντίου, eſt ſiquidem ἀκόντιον telum veruto ſimile; ſive ab acu, mutato *c* in *g*, Tuſcanico uſu, ob acus nempe ſimilitudinem, quam ſenſim gracileſcens imitare videtur trabs. Simili etymo Arabes dicunt *Acus Pharaonis*: Pharaonum enim, ſive antiquorum regum Ægypti inventum & cura præcipua fuerunt Obeliſci. Denique ſacerdotes Ægyptii aptiſſima eos appellatione *Solis* notant *digitorum*, cujus rei ratio ſæpius dehinc Lectori occurrens ipſa ſe prodet, & abunde interpretabitur.

*Nominis etymon.*

*Appellationes diverſæ.*

Originem Obeliſcorum uſque ab Hermete ſeu Theuta Ægyptio repetunt literarum monumenta. Quare, ut de iis omnia altius & perfectius proſequamur, telam ab ultima antiquitate ordientes, de Hermete illo, ſeu Mercurio, poſt orbis cataclyſmum triſmegiſto, ſapientiæ Ægyptiacæ fonte, & capite hieroglyphicæ authoritatis omnis, nonnulla præmittere propoſitum habemus. Magnum equidem auctores multi dicunt Hermetem, Ægyptii, Græci, Latini; ſed non unum omnes: varios eoſque maximos varii nec non maximi memorant. Ipſi Triſmegiſti dialogi fatentur, ea appellatione ante authorem ſuum extitiſſe alium. Henochum ducimus, nec alium aliquem, filium Iared, ante diluvium in terris inventorem literarum, ac ſcholarum primum inſtitutorem; in quibus eum ſcientias à Protoplaſto ejuſque filio Seth traditas docuiſſe, Arabum inſigniorum docet authoritas; quæ Hermetem dicit ac Ter-maximum, ob tres inſignes prærogativas: quod Sacerdos eſſet Divini numinis, & naturalium rerum ſumme peritus, & civilis vitæ ponendaſque ad leges ſocietati ſapientiſſimus. Affirmant & Tertul. ac Auguſt. de ſcriptis nonnullis Enochi. Tum quoque de Geometria ac Aſtronomia prodita ab eo monumenta, & de temporis annorumque ratione, ex quibus nempe ſecundus Adris ſeu Triſ-megiſtus ſua de diviſione temporum principia deduxerit, ac ad poſteros tranſtulerit, Ægyptii cum Arabibus volunt. Quapropter & his atque Syris Perſiſque *Idris* aut *Adris* appellatur, quæ vox eſt eadem cum Oſiri Ægyptiorum; mutato *ſ* in *d* vel *t*, more Chaldæis ac Perſis ſolito. Quæ verò de Oſyride & ejus beneficiis in genus humanum Græci authores ſcripſerunt, de Henocho omnia Chaldæi Arabeſque tradunt. Et quicunque ex poſterioribus religionem, aut politicam vivendi rationem excoluerunt, aut rerum humano generi neceſſariarum inventione claruerunt, *Oſyrides* Ægyptia lingua, quaſi penitioris ſapientiæ inveſtigatores, bonorumque omnium proviſores dicti ſunt. Henochi itaque, aut alius ex poſteritate Seth, quæ per ſucceſſiones generationum uſque ab Adamo demiſſa erat, traditam divinarum atque humanarum rerum notitiam Chamus etiam, Noëmi filius, ante terrarum inundationem accepit. Sed quoniam is animum non ſolum ad bonas ſed & ad malas partes, & quibus hactenus Caini ſoboles maligna & odioſa fuerat infecta, dimiſerat, perque artes nigras & ſecretas vitam excolebat; poſt diluvium præſertim, ſuis jam abyſſis redditum [quo nempe permeante, ſcelerum artifex coram patre juſto & piis fratribus in Arca deſinere ac reponere ſacrilega molimina cogebatur,] iſte ad artes naturæ [quas poſteri ejus ſummo ſtudio excoluerunt ſemper] & ante exercitas divertens, totum deinde ſe dedit monſtrificis magiæ incantamentis, etiam quæ pie tradita erant impie factitans ad uſum perditum & noxioſum omnia convertit, ſequioris magiæ ſacrorum diabolicorum inſtaurator & primus idololatriæ repertor. Idem præ cæteris Noëmi filiis ambitione tactus, *Adris* nomen,

*Ortus primus Obeliſcorum.*

*Hermes, ſeu Mercurius Triſmegiſtus primus quis.*

*Adris idem, & Oſiris dictus.*

*Magia Perfectè, i.e. Philoſophia: depravata, ante Diluvium; & poſt repetita; dicta γοητεία, Thurgia.*

men, ſummi quaſi ſapientis, ſibi ſumſit, & princeps eſt appellationis *Zoroaſtris*; quod *ſtellam viventem*, alii *formatorem idoli ignis abſconditi* interpretantur. Cultum enim ignis primus docuit Chamus ſuæ familiæ homines: deinde ab eo deducti, quicunque nequiſſimis Magiæ artibus admiranda patrarent primis iis ſeculis, Zoroaſtres ſunt dicti.

*Terræ Chamo & ejus ſtirpi occupatæ.*

Poſtquam vero gens hominum multiplicata, & linguis etiam diſſonis varia, toti orbi diviſa fuit, certaſque in partes mundi; Chamus in Ægyptum, tamquam veſtibulum Africæ, transmigravit, quam habitationi hominum maxime conſentaneam viderat: Ægypto poſtea Miſraimo filio ſuo relicta, cæteris, nempe Cuſio, Phuto, Chananæo, Æthiopiam, Lybiam, Phœniciam aſſignavit; ipſe adducta ſecum nepotum turba maxima in Perſiam, (quæ tunc temporis totam illam oram Ægypto ab Oriente finitimam, quam modo Arabiam vocamus, comprehendebat) ac deinde in Mediam conceſſit, & Bactriam urbem condidit, à qua & provincia tota & ipſe poſtea nomen meruit. Hic eſt primus Ægyptiorum Saturnus & Oſiris, Cœli filius, à quo Ægypto poſtea χημίας nomen manſit; ipſe Magiæ & omnis ſuperſtitionis primus author. Hoc de Chamo præter Beroſum aliosq; authores etiam Abenephi Arabs, citante noſtro Kirchero, diſerte prodit: *Fuit Cham filius Noë, primus mortalium qui docuit idolorum falſorum cultum Ægyptios, & introduxit in mundum falſas artes, & ſuperſtitiones, uti Magiam & inſpectionem fatorum ex aſtris. Præterea multos faſcinando & incantando decipiebat, divinos honores ſibi per eas concilians, ob quæ & Zoroaſter & Oſiris, hoc eſt, ignis ubique vigens, ſeu ſimulachrum vivum ſyderis, vocatus eſt. primus in Ægypto, Perſia & Media regnavit.* Ex Chami vero ſtirpe profati,

*Tempora Heroum vetuſta.*

Miſraim, (qui præter alias civitates in Ægypto, etiam Thebas poſuit,) & alii Principes ac Sapientes, cum magnam rerum naturalium ſcientiam haberent, ac utiliſſimas in vita artes inſtituerent, ſed & ad monſtrificas illas Magiæ illicitæ incumberent, divinum apud plebem invenerunt nomen. Et hi ſunt famoſi à ſeculo viri, heroes ac dii, à quibus, quicquid fabularum vel Ægyptus vel Græcia confinxerit, petitum eſſe videtur. Cœlo nempe, Saturno, Jovi, Iſidi, Typhoni, Herculi, Mercurio, Oſyridi, Horo, reſpondent ordine Noëmus, Chamus, Miſraimus & uxor ejus Rhea, Nimbrod, Ninus, aliique Chami nepotum, quorum nomina vetuſtas temporum abſtulit. Ea verò doctrinæ corruptela obtinuit uſque dum prodierit Mercurius, qui traditam à primævis patribus ſapientiam & ſcientiam, à Chamo aliiſque depravatam, ſuæ ſynceritati reſtituit, ſeparatis licitis ab illicitis, optimiſque advocatis, & ad religionis divinæ normam, quantum naturæ lumine licuit, compoſitis; quapropter communi omnium ſuffragio Hermes ſive Adris ſecundus exiſtimatus eſt.

*Triſmegiſtus ſecundus.*

*Mercurii apud veteres quot.*

Tres autem numeravit antiquitas poſt terrarum inundationem Mercurios. Primus Cœli & Himeræ filius habitus eſt, ſecundus Liberi patris & Proſerpinæ, tertius Iovis & Majæ; quibus additur quartus, Iove & Cyllene genitus. Hunc ferunt ob Argi cædem profugum in Ægyptum penetraſſe, ibique literas effinxiſſe, & edocuiſſe Ægyptios. Sed relictis fabulis, dicimus cum Diodoro, Strabone & aliis, Orpheum primò, deinde alios Græcos quæ Ægyptiorum erant ad ſuos inde deportaſſe: ac proinde literarum inventionem non Mercurio Argi occiſori, ſed Theuto Ægyptio cum Platone ſentimus tribuendam.

*Literarum primi inventores qui.*

*Varia Mercurii divini apud gentes nomina.*

Theutus autem eſt Mercurius ille ſeu Faunus ac Hermes Græcis dictus de quo nos quærimus tot ſcriptorum monumentis celebratus. Hunc Phœnices Tautum, Ægyptii *Thout*, Arabes *Idris*, hoc eſt, Diſputatorem nominant; & ſunt qui eum cum Noë velint converſatum, ac eodem duce in Italiam veniſſe.

*ejusdem ortus, & vitæ curſus.*

Fuit autem è ſtirpe Chami Chananea, filius Pici Iovis; & poſtquam patre extincto regnum Italiæ annos triginta quinque adminiſtraverat, ex hoc à Ianigenis deceſſit veritus vim & invidiam ſuorum ex patris pellicibus fratrum, atque in Ægyptum ad Chami reliquam ſtirpem & regem eo tempore Miſraimum ſeu Meſrem venit; ubi maximis honoribus acceptus, habituſque eſt, & aureo amiculo cultus philoſophabatur, ac oracula & reſponſa de futuris veluti à Deo internuntius referebat; aurumque [ cujus etiam pondus ingens ex Occi-

Occidente ſecum abduxerat, ubi auri metallum ejuſque conflandi rationem primus repererat] indigentibus ſubminiſtrans, dicebatur opum largitor, aureuſque deus *. Is abundavit ingenio vir, plurimaſque res ac artes, præſertim Mathematicas, docuit rudes adhuc mortales. Regi Miſraimo, ſive Oſiridi, atque Reginæ Iſidi ſeu Rheæ in abſentia regis, fuit à conſiliis ſanctioribus & auguſtioribus *. Quod ipſum & inſcriptio, Iſidis ſepulchro inciſa, oſtendit apud Diodorum: Ἐγὼ εἰμὶ ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ἑρμοῦ, Ego Iſis ſum, Regina totius regionis, edocta ab Hermete. Ipſe poſtea, Miſraimo morte functo, ab Ægyptiis Rex dicitur, anniſque triginta novem regnum habuit. Quapropter ob tria officia, Regis, Sacerdotis, ac Sapientis, Arabes eum Idris trinum, Syri quoque & Chaldæi Ter Magnum dixerunt; necnon Ægyptii ob trina munia Trinum ſemper prædicarunt, unde Hermopoli ſtatuam ejus tricipitem adorandam poſuerunt. Græci itidem tam priores nonnulli, quam poſteriores, Ἑρμῆν Τρισμέγιστον vocant. Atque ita Termaximi nomen à principio uſque ad ultima hæc tempora per omnium ſeculorum ordinem, relatum memoratumque eſt authoribus: quanquam Plato in Phædro eum Ægyptio nomine *Theuth* appellaverit, de quo ſupra vidimus. Nec immerito Adris nomen tulit: nam & Characteres in Ægypto novos inſtituit, effecitque rationem ſcribendi communem; Hieroglyphicas etiam ac reconditas animalium figuras ſummo ingenio effictas, tradidit, quibus diviniores philoſophiæ ac theologiæ ſuæ ſenſus involveret, ac à profanorum lectione removeret. Sed cum videret pyramides *, (quæ Babel molis imitamina aliqua dixit nonnemo,) in quibus principes ac tyranni ſui nominis ac meritorum in rem communem monumenta notabant, ad eam quam animo atque ingenio conceperat ſapientiam & doctrinam rerum, in oculos & animos poſterorum transmittendam, non aptas eſſe; quum nempe latera reclivia ſcripturam haud commode ſatis recipiebant; aliud pyramidis genus, ad id accommodatius, excogitavit atque molitus eſt; columnas nempe Obeliſcorum, quæ inde dicuntur ab authore, Mercurii columnæ.

*Mercurii Triſmegiſti meritiſſima.*

** Authoritate Chronici Alexandrini.*

** De hoc fuſe Diodorus Siculus, l. 1. cap. 2.*

*Quis myſticarum notarum inventor.*

** De pyramidibus confectis vide quæ infra nobis paulò altius repetita ſunt.*

*Mercurius ad Obeliſcos faciendos primus animum adjecit.*

*De Obeliſcis.*

*Obeliſci Mercurii columnæ.*

Et ſane poſt molitam Babel [omnium quæ facta ſunt operum maximum, orbique quantumvis ſuſpenſo, nec linguæ fragmentis ſive quæ in oculis ſunt, & manibus, præſentia, ſive quæ multa retro ſecula recondunt, aſſequenti, ſemper loquendum] nulla terrarum tantis quàm Ægyptus ædificiorum magnificorum miraculis extructa fuit; quaſi quicunque de relicta portentoſa mole & in cœlum [quod minimis ſemper, puriſque, quam ſuperbis, clemens ſe alligat] altius nitente, deceſſerint ingeniarii & ſtructores principes, huc ſeſe recepiſſent, aut mathematica ars omnis Chami ſulcum * confiniaque * occupaſſet mœnia. Nempe tot Pyramides, Columnæque, [quas Ægyptus paulo poſt miraculoſam illam Semiramidis in regia Babyloniæ poſitam, viginti quatuor pedes latam, elatam centum quinquaginta duos, vidit] & Coloſſi, Sepulchra, Templa [quorum eſt admiratione digniſſimum, quod Herodotus integrum ait exciſum ex rupe, deductumque per Nilum, & Heliopoli erectum] Labyrinthi, * [qualem, idem author eſt, in Ægypto extructum tanta architectura, ut ipſe videns tam inuſitata & humano ingenio majora, infinita admiratione ſuſpenſus hæſerit,] atque alia eximie ſumptuoſa & artis ſummæ opera, quæ orbem univerſum, totamque poſteritatem in admirationem traxerunt, Ægyptum fecere non pro magnificentiſſima, & ſapientiſſima, ſed pro ipſa magnificentia & ſapientia ſumi poſſe: cui nulla non producta ſapientiæ ars ſpeculativa aut practica, educataque & exculta non minus: ut ſicuti cœli nunquam non puri purpurea luce, ſic artis quoque luculentitate cunctis eſſet ſerenior terris.

** Ægypti regnum, crebris foſſionibus admodum fœcundum frumenti.*

** Babylonica Semiramidis.*

Sed quando gentium noſter viguerit Triſmegiſtus, dubie tradunt authores. Ex jam dictis autem optime nobis claret, inter initia inſtituti regni Ægyptii floruiſſe, ante Pharaonum dynaſtiam, ſub Heroum ac Deorum, de quibus ipſe unus fuit, regimine; temporum nempe Abrahami æqualem. Quæ ſententia & perſonis hiſce apta, & temporibus conſentanea, omnibuſque hiſtoriis conſequens

*Quo ævo vixerit Triſmegiſtus Mercurius.*

*Misraim Ægyptiorum Osiris, vir animo amplissimo.*

quens est. Nam ipse Misraimus, Chami filius, primus in Ægypto regnum exercuit; cui Mercurius à consiliis fuerat, & postea suffectus est rex. Misraimus verò est ille Ægyptiorum Osiris, quem ad cœlum gubernandum assumptum credebant. De hoc multa repetere ex fabulosa antiquitate, nostrum hoc loco non erit; sed, quoniam ipse animum ad maxima semper intentum habuit, commodum accidit, ut ejus ope suffulciretur, cui & velle eximia & efficere quæ conaretur, natura & ars dederat: ut ideo, quoniam rex magnificus ac æterni nominis avidus, & sacerdos sapientissimus atque studiosissimus reipublicæ convenerant, successu non caruerit, quod bini voluerant. Dicitur autem Misraimus apud Plinium Mitres, ac Mephres, aut Mesphees corrupte in exemplaribus typo expressis; manuscripta verò, quæ allegat Kircherius author novissimus sed antiquæ nobis laudis, Mestres iis in locis reddunt, quod idem est cum Misraim; mutatione enim literarum, Persis ac Chaldæis usitata, vocabulum ita efferri, supra ostendimus: nam & Mesres, & Mesra & Mithras appellatus; ita Servio Æneid. 1. cui filius Beli dicitur: sed Bel, juxta Berosum, Chamus est, & Saturnus Ægyptius. Diodorus Menam vocat, quod idem est nomen, quicquid enim ipse de Mena profert, hoc omne de Mithra refert Plinius: *Primus omnium*, ait hic, *id instituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus: & hoc ipsum inscriptum est* [in Obelisco.] *Postea & alii regum in supradicta urbe, &c.* Vult nempe, fuisse regem primum in Ægypto Mitrem; somnioque ac divina visione monitum, opus cœpisse, Solique, (cujus radios mentitur acutum telum *,) vovisse. Quæ cuncta Menæ quoque convenire, ex Diodoro patet: qui primum eum post deos in Ægypto regnasse vult, ac populos docuisse deos colere iisque sacra facere. At, quod ope Hermetis molitus erat opus, morte præventus, efficere nequivit. Filius demum, quod instituerat pater, exegit, ad obsecundandum scilicet Numini; cujus jussum in somniis acceptum pater ideo forte confinxerat, ut ambitiose sibi deorum conversationem arrogaret, & inde columnas illas religione majori devinciret. Hunc Iosephus contra Appionem libro 1, Mephramutosin *, Eusebius Mispharmutosin, alii Methramutosin, ut cuique scilicet Misraimi nomen corruptum fuerit, appellant: & successisse dicitur Hermeti, qui ejus ætate ad sceptrum immatura, ut supra innuimus, ad gubernaculum sederat. Atque his authoribus effecti sunt Obelisci primi, quot, aut cujusmodi, quantum noverimus, infra ad specialiorem enarrationem memorabimus. Iis verò cum pluribus in Solis urbe *, à Sacerdotibus aut Pharaonibus usque ad Israelis ex Ægypto egressum, similibus & characteris & formæ mysteriis, effectis, post maxima regni ejus tempora * ætas augustior novos cottidie, quasi certamine aliquo, addidit, mensuræ scripturæque præcellentia longe ante illos. Nam cum Ægyptus per Mosen manu divina concussa, & clade præsertim in mari rubro occisa esset, perque aristas non septem tantum, sed septies septenis pastas, & ultrà jacuisset, tandem rebus melioribus ac magis aureis, in regibus maximè resurgens felicissimis, quod ipsæ pluribus locis adprobant sacræ literæ; ut ferè solent mirabili versura casus humani factas in oppressiones crescere; multo quàm ante superbiùs caput extulit, atque his præsertim Mercurii columnis cœlo altissimo inseruit, inter omnia circum regna quantum lenta solent inter viburna cupressi. Igitur seculo fere toto post, quæcunque Menuphta rex (quem Eusebius Amenophin, Iosephus Menophin, Africanus Amenophten, Arabes Omer, Kircherius quasi deum Memphis interpretatur) veteris Pharaonum gloriæ æmulus, & hieroplyphicæ doctrinæ diligentissimus, Obeliscis faciendis instituerat, filius, ejus in regno successor, exegit. Hic Sochis apud Plinium, vitio transscriptorum, dicitur; rectius Sothis, [quod & Mercurio apud Ægyptios nomen est, ob sagacitatem in rebus inveniendis, unde ipsi Anubis appellatio, & figura Cynocephali applicata] à sydere cœlesti Caniculæ. Ipsum vero cunctos Obeliscis suis prætergressum antecessores, maxima omnium quæ unquam fuerunt trabe antecelluit filius Ramesses; quo regnante Ilium captum per-

*Genitor ejus Bel, Chamus.*

** unde Solis digitum dixere.*

*Cœptas Misraimo Mercurii Columnas Mesramuthisis absolvit.*

** Rectius Mesramuthisin, i. e. ex Mesra & matre Iside.*

** Heliopoli, quæ & On dicitur, & Bethsemes.*

** ob Ebræorum suppressionem à Deo justo immissa, quæ per misericordem eundem lætioribus mutata.*

*Posteriores in Obeliscis magnificentiores.*

*Ab Amenophi relictos filius, Sothis, itidem perficit.*

*Hermes & alii Semicanes quare.*

*Duo maximi Obelisci: later literatus, alter sine literis.*

perhibet Plinius. Post hujus autem radium longissimum quasi solstitio facto vertit Phœbus, architectonicæ hujus [ut quondam in muris Trojanorum] & mysteriosæ literaturæ præses; decrevitque inde studium artis stupendæ, & conditum brevioribus semper, ac minus pulchris conditis; adeo ut post Sesostrem, vel Sesosiridem [hoc est germen Osiridis, à cujus magno nomine huic regum Ægyptiorum omnium maximo appellatio facta] duorum Plinio teste Obeliscorum literatorum structorem, mox luce literarum destitutum, rasum, post Ramessæum tamen altissimum, successor Nuncorius [ita Plinio, Herodoto Fero, *Eusebio Amenophis, & Nephercheres, nobis Momphercur, hoc est Memphis dominator] erexerit. Sunt autem rasi Obelisci hieroglyphicis nullis insigniti, & sola forma mystica, de qua mox sequetur, sacri: talesque, sub Æthiopum in Ægypto dynastia *, sunt posteriorum quorumcunque, præter eum quem Psammirtao, [apud Plinium Sennesertæus] edidit Heliopoli, de maximis nempe omnium, & reconditæ eruditionis plenum, nobis retrò in Circo Maximo visum. Ad extremum Nectanabus, quem alii Nechao nomine nuncupant, rex ultimus Ægypti, Obeliscum prægrandem erexit Memphi, quem inde ablatum rex Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ in templo Arsinoës statuit.

*Sine luce Solis radii scilicet.*

** A quo Faraonum nomen semper principale ortum ducunt doctores nonnulli.*

** De Dynastiis, consule præter antiquos apertissimum librum Pamphili.*

Positores autem horum operum excipiunt tandem depositores, quorum princeps Persa, Cambyses, Ægypti dominator, instructissimam provinciam Obeliscis, qua dejectis, qua combustis destruxit, Olympiade LXIII, anno ante Christum natum DXXII. Post hanc vastationem, sequentibus regibus, ad Macedonem usque, nulli restituti sunt; Græcorum verò ab Alexandro Magno sequentium dominatione per Romanos sublatâ, Augusti deinceps ad Obeliscos non vastandos, sed transmovendos manum imposuerunt, & quam plurimis maximisque terram spoliarunt. Sed de horum opera Lectorem ad inferiora singulorum Obeliscorum; ut de temporum superiorum ratione, quibus structores enarrati, rectores Ægypti, vixerint videre cupidum ad authorem sæpe præfatum Kircherium, in Pamphilio Obelisco & Oedipo quoque suo, remittimus. Modo quæ fabrica, quæ machinæ antiquis tantorum operum fuerint, dicere attinet. Et quum nulli fere super hac re priscorum Scriptorum quicquam referunt, non dubitavimus sapienti Tibi Lector, nec abrepto obscura animorum invidia, R. P. A. Kircherii verba apponere, cui nimirum non nullis apud Arabes, nec non in Plinio, Marcellino, Diodoro, Herodoto tanti negotii vestigiis veritas suborta profitetur. *Duo itaque*, ait, *hoc loco consideranda: primo, ratio instrumentorum, quibuscum Veteres Obeliscos suos erigebant; secundo, ratio navium, quibus eosdem ad constitutum locum transferre solebant. Et primo quidem suppono, semper ab origine mundi fuisse qualem qualem Mechanicæ notitiam. Est enim Mechanica quasi nobis congenita, ita ut vix quicquam in functionibus naturalibus & loco motivis sine hac præstare valeamus. Et vectem quidem, uti simplicissimum omnium instrumentum Mechanicum, ita nullo non tempore in usu fuisse, asserimus: quis enim nescit, dum aliquid frangere volumus, naturali nos quodam instinctu frangendam rem applicare vel genibus, vel alteri resistenti tanquam hypomochlio, deinde utroque extremum apprehensum curvamus, quo facto fractionem consequi naturaliter scimus. Vel dum pondus elevare volumus, non modo id manuum aggredimur ministerio, sed ligno, vel ferro subacto operationem Mechanicam perficimus. Cum verò certa pondera solius vectis ope ob vehementem resistentiam perfici nequirent, vectis multiplicationem, vel per cochleas, aut rotulas, ut illa multiplicatio multitudinem hominum quodammodo æquaret, introductum esse. Suppono secundo, ex historiis statim ducentis post diluvium circiter annis, homines animum ad magnificentissima opera adjecisse. Nam, & turrim Babylonicam machinati sunt, & alia præstiterunt, ad quæ similia præstanda vel illuminatissimum, peritissimumque hoc sæculum Architectosque nobilissimos in desperationem conjiciant. Quis non miretur Columnam illam à Semiramide, teste Diodoro, ex montibus Armeniæ excisam, & in Babylone erectam, CLII pedum altam, latam XXIIII? Quis nescit cætera ardua molimina hujus fœminæ in Babylone peracta? In Ægypto verò certum est, Pyramidum non multo post ædificatarum erectionem, in admirationem totam posteritatem merito*

*Ægyptum Obeliscis vastat per incendia Cambyses.*

*per ferrum Romani.*

*De potentiis Mechanicis.*

*Præstermit ad quam ducat viam.*

*merito traxisse. Quæ tamen nequaquam sine magna Mechanicarum peritia confici poterant. Obeliscorum quoque, quos erigebant, insignis multitudo, quantam in Mechanicis notitiam ex frequentissimo horum operum exercitio, & diuturna experientia habuerint, soli illi innotescere potest, qui hujus facultatis aliquantam notitiam habuerit. Ex quibus luculenter patet, veteres non tantum exactissimam habuisse machinarum, quibus in tam inauditis operibus erigendis utebantur, notitiam; sed & ambitione operum mirabilium eos incitante, quotidie maximo experimento fretos, novas excogitasse, ita ut ausim dicere, nos ad tantam ingenii industriam hisce seculis necdum pertigisse. Sed dicet forsan aliquis, Veteres similia opera infinita hominum multitudine se applicante perfecisse. Quod dici nulla ratione potest, aut debet; cum applicatio vel maximi Obelisci erigendi immediata, vix centum homines admittat, imò multitudo tanta potiùs alteri impedimento foret, quàm subsidio. Peracta itaque fuit tantarum molium erectio, machinarum ingeniose excogitarum subsidio, quibus multitudo veluti in partes varias per funes chordasque, operi proportionatas distributa, immensi ponderis moles nunc attractas exaltabat, modo exaltatas dimittebat. Arabes instrumentis rotarum multiplicatione instructis, chordisque exaltatas fuisse, quod & Herodotus asserit. Quod vero Plinius dicat, Obeliscum Ramessæum viginti mille hominum ope erectam, id non ita intelligendum esse existimem, quòd omnes una huic Obelisco erigendo se applicuerint; sed quod tot homines partim eo ex venis rupium exscindendo, partim in eodem effigiando, atque ad constitutum locum promovendo, ac demum in eo erigendo, diversis temporibus & locis occupati fuerint. Probabile itaque est eos Ergatis & Trochleis maxime usos fuisse, quod Arabum historia annuere videtur. Est autem Ergaton nihil aliud, nisi peritrochium in axe inversum. quorum multiplicatione potentia machinatrix in infinitum quasi augebatur. In Pyramidum ingentibus saxis erigendis Herodotus hoc ingenio eos processisse scribit: Machinam ligneam bifurcatam adhibebant, cui trochlea in superiori parte annexa, funes complicabat; extra verò basin Pyramidis alia Machina applicabatur. Ergaton ego interpretor, cui alterum chordæ extremum circumplicabatur, quæ Machina hominum aut animalium ope circumducta, saxum paulatim in statutum locum ponebat; priorem vero bifurcatam Machinam ligneam singulis Pyramidum gradibus admovebant, & sic gradatim opus perficiebant, ita ut tot essent Machinæ, quot gradus Pyramidum.*

*Ergati descriptio,*

*Ex sententia Herodoti;*

*ejus & in Pyramidibus usus.*

Innexuit advocati sibi Authoris verba ipse nobis subjunctus scriptor non inelegans, quæ cum ad apertiorem definitionem faciant non parum, quin adjicerem huic loco, dilecte valde Lector, non potui: *Fuit autem,* sic explicat locum Herodoti, lib. II, ubi de Pyramide Cheopis discurrit, *extructa hæc Pyramis, in speciem graduum quas quidam Scalas, quidam arulas notant. Postquam eam principio talem effecissent, attollebant reliquos lapides brevibus Machinis è ligno factis, ex humo in primum ordinem graduum levantes; ubi super hunc gradum lapis erat, alteri Machinæ imponebatur, quæ in ipso primo gradu stabat, ab hoc enim deindè in alterum ordinem trahebatur super alteram Machinam. Nam quot ordines graduum, totidem Machinæ erant, secundùm Machinam, quæ cum una & facilis ad ferendum esset, transferebant ad singulos ordines, quoties saxum amoliebantur.* De modo excisos tanta mole lapides ad erectionis locum deportandi disertum graphice Plinium accipe, libro XXXVI, capite IX, *Alexandriæ statuit unum LXXX cubitorum Ptolemæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis Rex purum; majusque opus fuit in devehendo, statuendoque multo quam in excindendo. A Satyro Architecto aliqui devectum tradunt rate; Callixonus à Phœnice, fossa perducta usque ad jacentem Obeliscum è Nilo; Navesque duas, in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirent Obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrinque; posteà egestis laterculis alleviatas naves excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, & artificem donatum talentis quinquaginta.* Hæc Plinius. Subjicit hinc scriptor noster, simili industria haud dubie à majoribus per traditionem acceptа, reliquos ex posteris in magnis molibus transferendis usos esse. *Nonnulli*, pergit idem, *volunt Obeliscos ad constitutos locos translatos esse eo tempore, quo maxima esset Nili in Ægypto inundatio; aquis enim terras altiùs supereminente, nihil facilius erat, quam extra alveum Nili in quemcunque Ægypti planioris locum onus deportare; quòd si tamen necessitas ita requireret, Obeliscum Chamulcis, sive Cylindris impositum, in locum erectionis devolvebant; in quo posito primò solido*

*Modus devehendi.*

*solido fundamento, quod ut plurimum saxum, sive rupes nativa erat; deinde tandem Obeliscum, trabibus, tabulisque ligneis, lanâ, fœno, stramine fartis, contra omnem violentiam munitum, ergatorum, trochlearumque ope erigebant.*

*Machinas terrâ moventes arguunt provectæ maximæ moles.*

Quum verò terrâ, nec enim per fossas allati plures sunt, deveherentur Obelisci, machinis usum fuisse maximis credibile est, facitque illa præsertim sapientissima promotio triennalis, per viginti dierum iter, delubri Amasiani ex integra rupe, imò monte, apud Herodotum in Euterpe. Neque vero vastum illud molimen sine potentiis locomotricibus afferri ulla ratione potuit. Efficaxque in similibus argumentum sunt de instructissima eorum temporum arte ac manu, Mœridis lacus, quæ verè fossa grandis Plinio, & Herodoto plus admirationis habere dicitur, quam plurima ejusdem Ægypti stupenda ædificia; humanâ quippe industria excavatus locus vastæ magnitudinis *, ad aquas Nilo effusas recipiendas, & in rigationem terrarum servandas: tum præterea Thebæ urbs, quod totum est apud antiquos artis humanæ miraculum. Sed machinarum tamen in erigendis Obeliscis quamvis præstatio sufficiens, non tam firma speratio aut confisio fuit antiquis, ut ex cura ista nimis impensa, structoris filio scilicet adalligato surrigendo cacumini, patens est, & ipse Plinius innuit regem veritum ne machinæ ponderi non sufficerent, idcirco majus periculum Obelisci, regio puero juncti, denunciasse artificibus, ut salus hujus apud molientes prodesset illi. Qua nimirum admiratione, utut miraculosam, non tam exactam antiquorum, utpote dubiam, credere inducor, quam, quæ infra spectetur, nostri seculi, in transportatione nonnullorum Romana, operationem. Notetur autem hic in antecessum, quod Philo Byzantinus asserit, traha antiquos in devehendis lapidibus grandioribus usos: quod est vehiculi genus, constans duabus ingentibus trabibus parallelis, quæ radiis transversis firmiter connectebantur, & inferne laminis ferreis perpolitis inductæ erant, cornibus nonnihil incurvatis & repandis. His super imponebant ingentia saxa, & sic magna hominum aut jumentorum multitudine, rudentibus applicata, ad locum suum ducebant: quo maxime usus erat in solo post refusum Nilum limoso ac lubrico. Est & alterum vehiculi genus, currus, quatuor cylindris, seu tympanis instructus, quorum super transactos axes ferreos pegma ex trabibus pro molium magnitudine construebatur, quod excipiebat onus portandum, atque impulsum vi hominum ac jumentorum, loris funibusque crassissimis promovebatur. Haud dissimili artificio ait Vitruvius Ctesiphontem in fabrica templi Ephesini usum. Sed & scytalæ veteribus in usu; quibus agitatis tabulæ ligneæ instratæ, sub onere imposito, in passus fere quindenos semper mutabantur. Pondera itaque nitentium manibus intolerabilia, machinis talibus aut similibus tractata sunt. Quarum tot struxisse hactenus nobis sat est, post deinde loca commoda pluribus & antiquorum, & seræ posteritatis, exstructuris; ubi ævi illius nostrique, quorum trabes * nostræ secula ferunt infinita, rationes sæpe concurrunt, sæpe divertunt, operosæ in modum structuræ, cui partes unæ, quum simili nitantur fundamento, non uno tamen nec simili semper sunt exitu.

** Circuitu quippe CCCCL M. passuum.*

*Traha sive trahea veterum.*

*Currus cum pegmate.*

*Scytalæ.*

** Sive Pyramides truncatæ, Obelisci.*

*Ægyptiorum gens numerosissima.*

Longam operatorum multitudinem in tanta lapidum mole adfuisse, ut avidis cœpti rectoribus & erectoribus suis parerent, tam clarum est, quàm quanta gens ipsa Ægyptiorum validissima: adeò ut plurimorum capitum minuendis tandem hospitibus, Israëlitis, facta causa; atque ipsa plebs incola nec numero nec loco aliquo habita suis pæne sine numero præfectis. Vnde non miraberis Lector, quod est apud Herodotum, in Pyramidis maximæ, quæ ejusdem populi propria gloria est, extructione vicenos annos trecenta millia hominum continuò numerasse, & factum in ea tanto spatio cæpulis & alliis mille & sexcentorum auri talentorum sumptum: aut, quod Plinius refert, opus Ramessæi, nobis modo Lateranensis, Obelisci viginti hominum millia implicasse. Auri verò ad tam sumptuosa molimina cumuli unde fuerint Ægyptiis, diversa nonnullorum sententia est. Auriferam artem, naturæ divitiis æmulatricem, ab Hermete

*Vnde ad opes hominum structoribus opes.*

*De Alchimia præsumpta nonnullorum opinio.*

mete totius Philosophiæ parente posteritatem servasse, Chimici sua sibi tabula Zatadi, vulgo Smaragdina, persuadent. Dicitur illa ab arte tali in Smaragdo insculpta, & apud quosdam Hermetis, Termaximi miraculo literarum, inque sepulchro ejus Maximo, per excellentiam armorum, Macedoni inventa. Hermetem equidem & Italiæ & Ægypto Deum Aureum suprà vidimus: sed tabulæ illius fides meritò appellet authores: nos non nisi de montibus Æthiopum auri feracibus pretiosa pondera affluxisse credimus Ægypto; id tamen mirantes, quod & Hieroglyphica ejus, præter symbolorum ænigmata, ad illam metallicam artem videantur videre. Quocirca, ut ex scriptore diviti Kircherio modum ejus metalli conficiendi apponamus, Lector, non auri scilicet, sed obsequendi Tibi fames & cupiditas immortalis nos iterum adducit. Duplicem autem invenimus ejus eliciendi rationem; ut apud antiquos, Herodoto, Strabone & aliis testibus, verbis quoque imperialibus *, ita & hodie in usu terricolis: aut enim ex arenis fluviorum aureis, aut effossis saxis omnis generis trahitur. Prior modus ab initio rerum videtur descendisse, in Orientalibus, Indis præsertim, frequentissimus, Sinensibusque etiamnum; quorum pueri ad flumina multi Psegma sive ramentum colligunt solaris æris, quibus deinde massa confit, per lotiones purgata. Et his quidem certe, quamvis ethnicis, effodiendi institutum minime placet, utpote periculosum & humanitatis inimicum: gloriantibus nimirum, ut retulit nobis Rev. P. Mart. Martinius, Iovi suo non adeo in votis illud paulo nitidius lutum, ut ob id Infernalis fratris faucibus quenquam de suis velit immittere: quum, proh fidem, Christianis nobis [sed fortioribus forte dicis ad pericula] animus tamen ita exhauritur à splendescentis terræ opibus mendacibus, ut ob illas, irritamenta malorum, prodigi esse nunquam non velimus. Docet verò Kircherius, limum ex Nilo flumine [qui per montium Æthiopicorum venas præceps in Ægyptum labitur, & inde raptas auri particulas sub illuvie volvere creditur] maxime qui à catadupis usque ad insulam Elephantinam habetur, massas sufficere fundendo metallo. Sed qui juxta Memphin & agros mari vicinos excipitur, non item: quum fluminis per immensos scopulos præcipitatione auro graves arenæ elotæ subjectis præcipitio terris misceantur, ubi in grumulos subinde compactæ reperiuntur.

*Tabula Smaragdina fallax.*

*Duplex exercitium auri extrahendi.*

** In lege 1 Cod. de Metallar. & Metall.*

*Chrysammos, Hispanis Plin. teste Balluca.*

*Effodere aurum magno periculo, nec minore vitio hominum fit.*

*Conflaturæ labor apud antiquos.*

*Hoc pacto,* ait, *collectus limus maxima hominum copia, quæ ad id opus sceleribus damnata deputabatur, extractus, frequentissimis lotionibus primo eo usque exercebatur, donec terrestribus partibus ab auro separatis defluentibusque, sola aurea arena, utpote gravior, naturæ pondere, in vasis ad id summa industria constructis, & aliquantulum declivibus, remaneret; quam collectam ollis fictilibus impositam, & probè sigillatis, cum certa quantitate Mercurii vel plumbi iis adjecta, fornacibus triduo vel quatriduo primò, & prout opus requirebat, coquendam exponebant, ut perfecta fieret auri cum Mercurio vel plumbi commixtio penetratioque. Quo peracto, fusione in laminas aureas usui communi deducebant.* Atque hic modus fuit aurum ex arena extrahendi. Posterior modus, quando aut cui primo monstratus, utrum Hermeti in Italia, an alii cuiquam in Asia, vix dici posse reor: vetustum esse & ab antiquis eorum regibus, tradit Diodorus Siculus, qui totum adscribit libro tertio, capite secundo: *In Ægypti finibus, qui ad Æthiopiam & Arabiam vergunt, loca sunt metallorum feracia, ex quibus magno cum labore & expensa aurum educitur. Nam terra nigra natura meatus ac venas habet marmoris candidissimi, & quod supra omnem luceat splendorem. Huic operi qui præsunt, magna hominum multitudine ad excudendum aurum utuntur. Ægyptii enim Reges crimine damnatos omnes, atque ex hostibus captos, insuper ob aliquam falsam calumniam, aut Regum iram in carcerem detrusos, interdum ipsos, interdum universam eorum cognationem, auro effodiendo deputant, simul sumentes facinorum pœnas, simul magnum questum ex eorum labore accipientes. Illi compedibus vincti, magnus hominum numerus, absque ulla intermissione die noctuque operantur, nulla requie concessa, omnique ablata fugiendi occasione. Nam barbari milites, diversa invicem lingua, eorum custodiæ præsunt, quorum nullus, sermonis commercio sublato, aut precibus, aut amore potest corrumpi. Ex terra durissima plurimo igni decocta aurum extrahitur. Molliorem petram, & quæ mediocri labore frangitur, ferro effodiunt*

*Ex saxis tamen nimis ferreus aurei, nisi saxei, illius seculi.*

*effodiunt infinita ferè hominum millia. Qui auri venas discernit, præcedit operarios ostendens quæ effodiant loca; monstratum lapideum marmor robore corporis prævalidi, non arte, sed magna vi cuneis ferreis proscindunt. Cuniculos verò agunt non rectos, sed quo splendentis auro marmoris natura ducit; cùm propter varios flexus circuitusque obscuri existant. Lumen opifices ante frontem præferentes, saxa magno conatu in frusta excisa in solum dejiciunt. Ab hoc labore nunquam conquiescunt, inclementia verberibusque ad continuum opus coacti. Impuberes pueri in duas partes, hi quidem projecta frustra minutim scindunt, illi verò efferunt. Qui autem trigesimum annum excedunt, sumpta ab his ad mensuram concisa frusta in lapideis vasis ferreo malleo terunt; ea deinde in molas, quæ plurimæ sunt, conjecta, fœminæ senesque duo aut tres ad molam positi usque ad farinæ modum contrita molunt; manifesta omnibus horum corporum illuvie, neque veste ulla cooperiente pudenda, nemo est, quin eo aspectu fœdo tetroque motus, tantæ misereatur calamitatis; sed nulla pietas, nulla requies, nulla venia illis datur, sive æger, sive febricitans, sive senes, sive fœminæ debiles fuerint; sed plagis omnes ad continuum opus coguntur, quoad miseri ex debilitate deficiant. Demum opifices ad molam contrita in latis tabulis paulò acclivioribus ponentes, iterum aqua injecta marmor terunt. Eo modo terra defluente aurum ex gravitate in tabulis manet: hoc sæpius iterantes manibus aurum fricant; deinde raris spongiis terram mollem exprimunt, quoad veluti arena aurea reddatur. Alii postremò operarii pondere & mensura in ollas fictiles conjicientes superaddunt certa mensura plumbum, algam maritimam, furfuremque hordeaceum. His ad proportionem compositis, ollas luto diligenter linunt; denique quinque continuis diebus ac noctibus in fornace decoctum, rebus cæteris consumptis, solum aurum in vasis reperitur, parum priori pondere imminuto.*

*Deforme imperium animi humanitatis sensu carentis.*

Hæc illa Ægyptiorum Chymia, seu Conflatura, infinitarum ipsis ut opum sic opinionum apud alios fons & origo; & hic labor auripotens, quo, non alio, tam magnam facultatem Deus vendidit. Quantus verò modo utroque proventus fuerit, ex ordinum omnium luculentitate constat, quam tum Sacræ literæ, tum opera eorum incredibilia & pene supra hominum ingenium effecta produnt: ad quæ sine pecuniæ affluentis [nimirum ex multis præterea regni rerumque commodis] abundantia neque rex neque pontifex animum aut manum tanta cum admiratione & veneratione adjunxisset. At si illa tamen ars usquam, metalli naturam solvendi vertendique in aliud genus, nec sola fuerit ejus rei Theoria, his præsertim Philosophis fuerit usurpata: quippe talibus qui opes non abjecerint, nec laborem defugerint; & sive tingendi, sive adulterandi æris scientia, aut facultate rerum, haud destitutis. Strabonem allegat Oedipus, qui in ripa Erythræi maris montibus ex cavernosis hydrargyrum effodi *ad usum metallicæ artis* dicat: nec non sibi Hieroglyphica præter Symbolorum sensum ad artem ejusmodi tendentia videre. Vtut sit, ipse hyeroglyphus Obeliscus, lapis vere philosophicus, auri multum populo contulit, dum vario operarum usu & ipsorum gregi & inde commercio, aut imperio aliquo junctis quibusque stipis immensa hauriebatur. Ferri præterea tractandi, ejusque robora indurandi & temperandi peritiores longe nostris artificibus videntur veteres mihi: qui tantæ nimirum saxa fortitudinis, tantæque vastitatis & exsciderint & lævigarint. Maximum vero nomen Ægyptus tam magnis multisque in artificibus meruit, genitis sibi omnibus magnamque partem publico [ob magnificentiam nimirum publicam, quæ cupitoribus talium quam doctoribus cœlestium frequens in ore est] aut cibo sustentatis, aut auctis præmio; totius naturæ consultissimis, & in Arithmetica, Geometrica, Optica, Mechanica, Statica & re omni cognata promptissimis: quorum equidem ingenium tam incredibilia regum, regnique totius molimina pulchritudine, orbem famâ implevit *; ut mirum non sit, si omnis Architecturæ artem & rationem, in orbem Romanum universum traditam, Græci magistri ab his petierunt dictatoribus.

*Rem auream ex gratuito aut deprædato labore ergastulorum indicat vel commodata Israëli cumulatissima.*

*Ægyptiaca Philosophorum secta.*

*Ars, an speculatio, fixandi hydrargyrum in metallum verum.*

*Ferri fabricâ præstantes Ægyptii.*

*Mathematici mechanici Chamigenæ.*

** Singulis de artificibus infrà.*

Facti autem sunt Obelisci ex saxo *asperrimo*, ut Ammianus Marcellinus lib. XVII descripsit, duritiæ prope indomabilis; quippe quod robore ferreo nihil cedit Porphyriti. Itali *Granito rosso*, ob particulas flammeas hinc inde inspersas, appellant; Pyropœcilon antea vocabant Græci, hoc est, igneo colore corruscan-

*Materia obeliscorum propria.*

*Ægypto marmora abundārunt.*

rufcantem; Syeniten poſteà, quod circa Syenen Thebaidis naſcebatur, quæ ſumma pars eſt Ægypti, ac Æthiopiæ contermina, vario marmorum genere abundans. Sed quod non caret myſterio, quanquam monumenta compluria quæ minores Obeliſcos varia magnitudine excedant, ex aliis marmoribus conſtruxerint; ad hæc, quæ Soli ſtatuebantur, ſolum pyriten, qui inter lapides veluti Sol quidam effulgeret, addixerunt. Etenim, præterquam quod duriſſimus, & contra omnem temporis vim robuſtiſſimus eſt,(qua vi adamantina Solis perpetuitatem ſignificabant) miſturam habet quadruplicem. Principalis & eminentior eſt, quæ rubro colore lucet; eâ nunc cryſtallinæ ſeu amethyſtinæ, nunc cinereæ vel cœrulei coloris, tum etiam nigri ſeu pharii marmoris maculæ commiſtæ ſunt. Hanc diſſimilitudinem ſtudioſe intuiti Ægyptii, analogiam qualitatum ipſi cum Sole, in quatuor mundi elementa virtutem ſuam exerente, intercedere voluerunt: nempe per pyreum fulgorem, ignem; per cryſtallinas verò venas pellucidas, aërem; per cœruleas lympham; per nigras denique terram, ſatis ingenioſo errore intellexerunt. Indeque certiſſimum eſt, ſi alterius coloris Obeliſci * occurrunt, eos ab exteris Ægyptiorum æmulis factos eſſe, aut poſtremis illis temporibus, quibus in Ægypto hieroglyphica literatura exoleverat. Notatum quoque, quod hoc marmor non alio niſi Ægyptio ſolo gaudeat. Nam quamvis ex montis Sinai latumiis lapidariis hujuſmodi pyrites excidatur, illæ tamen plicæ cum his Ægyptiis clivis per ſubterraneas venarum continuationes cohærent. Sed & in lacu Benaco & Comano, Ilva quoque & aliis Italiæ montibus, ut & in Suecia pyrites invenitur; at qui cum Syenite nequaquam comparandus eſt, duritiem, ſive macularum ſpectes varietatem.

*Miſtura Syenitis quadruplex quatuor elementorum Symbolum eſt.*

* *Talem Herodianus refert Heliogabalo Syria Romam adductum.*

*Obeliſci in effigie conſideratio.*

Reliquas definitionis partes præcipit Ammianus paulo antè citato loco, Obeliſcum dicens, *lapidem aſperrimum, in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgentem, excelſum, utque radium imitetur gracileſcentem pauliſper, ſpecie quadrata, in verticem productum, manu levigatum artificis; formarum verò innumeris notis, ad jam tum exorientis ſapientiæ initia commonſtranda, è veterum authoritate adinventis, inſignitum.* Nempe enim figuram Obeliſco tribuit metæ cujusdam ſive pyramidis; quæ, juxta modernos Mathematicorum, ſolidi plani eſt, à baſi rectilinea ad verticem uſque æqualibus triangulis faſtigiata. Recteque Oedipus ſolida, ſicut figuræ planæ ad triangulum, revocari ad pyramidem demonſtrat: nec Geometrarum illa præceptio non quadrat Obeliſco quadrato licet, & truncato verticem. Nam planum pyramidis puncto illi, in quod plana cætera triangula tendunt, oppoſitum triangulum, quadrangulum aut pentagonum, pyramidi formam nomenque ſimile addit, tot triangulos comprehendenti quot ſint illius latera. Vnde Obeliſcum haud immerito pyramidem acutam, quadrilateram, truncatam dixeris. Quod ultimum ſpecifica ipſius differentia eſt. Lateribus enim integris & ſenſim in ultimum punctum ſuum ductis, aut plus in acumen deductis, quod in appoſitis poſt pauca figuris notare facile eſt, nihil aliud quàm quadrilatera acuto angulo pyramis erit. Quam cum Ægyptii ad myſteria ſua indicanda potiſſimum aſſumerent, integram eandem animabus, quæ corporibus alligatæ; præciſam vero, hoc eſt Obeliſcum, toti Vniverſo applicaverunt. Diverſæ vero cauſæ adferuntur, ob quas Inſtitutores pyramidem hanc amputaverint: primo ſcilicet, ne exeunte in cœlum vertice excelſitas ipſa in ſe periculoſa, & ad omnem tractationem incommoda fieret; tum ut Solis, cujus honori erigebantur, radios repercuſſu demum acutos exactius concinniusque mentirentur. Etiam, quum eorum, quæ acutis angulis conſurgunt, ſitus viſui præſentior ſit & magis expoſitus, quàm quæ lateribus deductioribus & obtuſo angulo ſunt, à perpendiculari incidentiâ ſubtracta: enormis tamen altitudo, ſi quæ inſculpta hieroglyphica, oculis animiſque abſtuliſſet.

*Pyramis in ſolidis quod Triangulus in planis.*

*Ex Triangulo aut Triangulato pyramidi appellatio.*

*Obeliſci definitio.*

*Tetraedra pyramis frequens ad myſteria.*

*Truncata quare.*

Inter ſe ipſi differunt Obeliſci non una tam menſuræ, quam ſcripturæ ratione. Illo modo, quos Romæ ſuperſtites miraris, ſunt magni, ſunt majores, aut minimi, hoc eſt, viginti vel triginta,

illi

*Differunt Obelisci quadruplicitur: magnitudine, proportione, sculpturâ, & rasurâ.*

illi septuaginta aut octoginta, isti ad centum quadraginta pedum altitudine: in Ægypto vero multi adhuc cerni dicuntur, qui decem aut duodecim pedes non excedant. Inter nostros ab Isaedris, sive qui lateribus extant æqualibus, alii sunt, inæqualium. Characterismi structura non nullis haud minus divertit, quibusdam plane negati. Hi Rasi dicuntur: illi formis cum ordine variis arguunt argumenti quoque varietatem. De dimensione Obeliscorum omnia ut apertiora sint candide Lector, amansque artis ingenii, ex abundantissimo Oedipo tuo, nostroque, dedimus, tam quæ alii ante eum, quam quæ illi non item præcepere, ante omnes prosecuto: ex quo scilicet de Solis digitorum digitis latis longisque, & quæstionibus inde natis, cognatisque rebus luculente haurias, accepta Tibi haud dubie, illi, quantacunque sint, ferenda.

*Laterum varietas,*

Antequam tamen in proceritatis rationes inquiramus, latitudinis habeamus merito, in quâ præter id quod votum, aut facultas positoribus fuit, multum ad illam est momenti. Et Isaedri quidem Obeliscorum basi sua quadratum, cæteri parallelogrammum exprimunt, id est, duo quælibet latera opposita, ad duo reliqua opposita comparata, notabilem latitudinis habent differentiam. Quo verò fine id Ægyptii fecerint, vix constat: varii varias adducunt rationes. Sunt qui velint mysteriis rem non carere; alii, qui id certo instituto fecisse positores dicant, & Obeliscos æqualium laterum Numini, inæqualium verò Regibus ad divinitatem assumptis inscriptos haberi. Dico autem hujus differentiæ aliam rationem non fuisse, nisi venarum mineralium, ex quibus exscindebantur, defectuosam constitutionem; aut in jam excisis quandam ex rupturis, scissuris, aliisque lapidis vitiis natam depravationem, quâ ad molis vel excisæ vel excidendæ conditionem sese ut poterant accommodare cogebantur. Hinc studio, ut debita molis altitudo servaretur, ingenioso sane errore, lateri aliquantulum ademptum fuit, & per hunc ipsum defectum insigne mysterium, ut deinde exponemus, solito modo adinventum.

*unde facta.*

*Pyramidis truncandæ ratio.*

In detruncanda recensitis antè rationibus pyramide, ea verò servata proportio est, quæ & decorem summum fabricæ excitaret, & mysteriis, quæ potissimum intendebant, haud quaquam careret. Iccircò, quantum adhibita summa diligentia observatum est, in omnibus fere Obeliscis, quos ætas nostra vidit, altitudinem, ab infima basi ad accisum molis verticem procedentem, in decupla proportione, ad latus quadratæ basis inferioris, constituerunt. Pone nimirum Obeliscum esse cujus basis latus unius palmi sit, altitudo, inter basin inferiorem & truncatam superiorem, decem palmorum futura est; quod si latus factum sit quatuor palmorum in basi, altitudo memorata continebit palmorum quadraginta; &, si hoc decem palmos habeat, illud intercurrens utramque basin centum palmorum reputabitur; & sic de cæteris. Quæ quidem proportio non tantum commoda est & facilis, sed & ingeniosa & magna secum mysteria volvens.

*Altitudo corporis; seu scapi.*

*Proportio basis ad truncatam aream.*

Porro in latere superioris quadrati, ubi truncatio incipit, ad latus quadrati inferioris proportionem constituebant subsesquialteram: id est, ex latere inferiori in tres partes æquales diviso, binas pro latere basis superioris accipiebant. Pyramidion verò terminans Obeliscum, altitudine suâ æquabat latitudinem inferiorem, sive latus infimæ basis Pyramidis. In Obeliscis vero inæqualium laterum, palmus ille, qui ut plurimum strictiori lateri decedebat, adjungebatur altitudini: quamvis non in omnibus hanc adeò Mathematicè sumpserint proportionem, ut non plus minusve subinde à vera proportione deflexerint. Declaratas verò proportiones in sequenti schemate apertiùs contemplare. Sit Obeliscus ABC, cujus basis infimæ latus sit BC; truncatæ latus DE. Pyramidion DEA. Habeat

*Defectus inæqualium in lato, restituitur in longo.*



basis B C 10 palmos. Si itaque unicuique ex 10 hisce palmis latitudinis, 10 alios palmos attributos in longitudinem duxeris, habebis 100 pedum altitudinis Obeliscum truncatum D E B C quæsitum: cujus latus D E superiùs ad latus B C inferiùs in proportione subsesquialtera est, id est $\frac{2}{3}$ basis inferioris constituet latus D E, eo scilicet in loco, ubi truncatio fiebat; unum vero latus D A, vel E A pyramidii æquat latus B C, basis inferioris Obelisci. Atque hæc est proportio, quam ut plurimum Ægyptii in Obeliscorum fabrica adhibebant, cui non tamen eo cum rigore insistebant, ut non subinde aliquid plus pro varia Architectorum intentione, aut molis conditione, adjungerent. Verum ut captui Lectoris omnia magis fiant obvia, ordine, & methodo Mathematicis usitata, jam dimensionem eorundem aggrediamur.




*Altitudo extremi apicis quæsita.*

Ad altitudinem Obelisci, si truncatus non fuisset, sed lateribus continuis in ultimum punctum, pyramidis ad instar, exiisset, reperiendam, præcurrat paradigmatis loco Obeliscus Vaticanus sub figura A B C D G adjecta. Basis infima A B palmos 12, C D suprema 8, altitudo totius E F inter utramque basin ab infima usque ad pyramidion interjecta 108, latitudo vero media 10 palmos habere compertum est. Si itaque scire velis, in quantam altitudinem excurrisset dictus Obeliscus, si latera in punctum confluxissent, hac id industria explorabis. Sit Obelisci trapezium, sive latus A C D B; protrahantur jam latera A C & B D, usque dum in punctum G confluant, hoc peracto, ex C puncto linea C H ducatur, parallela ad F E, sive ad G E altitudinem totius Obelisci A B, nascenturque ex hac sectione duo triangula A H C, & A E G, similia inter se, & consequenter proportionata; eritque juxta VI *sexti l. Elem. Eucl.* ut latus A H ad latus H C, ita latus A E ad latus E G. Cùm itaque tria hic nota habeantur, videlicet C H, quæ est E F altitudo Obelisci 108 palmorum; & A E, quæ est basis infimæ medietas 6 palmorum (basin enim totam A B 12 palmos habere comperimus;) & A H denique 2 palmorum: cùm enim C D basis superior sit 8 palmorum, erit medietas ejus C F 4, & secabit consequenter C H, parallela ad E F, ex semibasi A E, 6 palmorum, palmos 2. Notis igitur A H, A E, & E F, notus erit E G axis totius Pyramidis; si fiat ut A H 2, ad H C 108, ita A E 6 ad E G: prodibit enim facta operatione juxta regulam proportionum, E G altitudo Obelisci, si in Pyramidem sensim abiisset, altitudo scilicet 324 palmorum quæsita. Obeliscus igitur, si continuo fluxu in Pyramidem excurrisset, futurus erat 324 palmorum, ut dictum; Pyramidis verò truncatæ altitudinem F G habebis, si altitudinem Obelisci E F à tota altitudine subduxeris, videlicet 108 à 324. Reliquum enim dabit 216 palmos, altitudinem truncatæ Pyramidis quæsitam. Hoc pacto inveniatur Obeliscus Pamphilius, si in apicem extremam produxeris, 133 palmorum: atque ita non secus in cæterorum omnium dimensione procedendum.

*Apex protensus quàm longè.*

Ad quantitatem superficialem Obeliscorum, tetraëdrorum omnium, noscendam sufficit in Isaedris unius lateris superficies quæsita. Quæ sit in antecedente Obelisco Vaticano extima A B C D I, ut quot ea palmos quadratos contineat, per hanc operationis viam quæras. Protrahatur linea C D suprema in puncta E F utrinque: & ex A & B inferioris basis punctis ducantur lineæ A E & B F ad E F normales, & ad O L lineam mediam Pyramidis parallelæ; nasceturque quadrangulum E F A B, cujus latus A B vel E F, in latus A E vel B F ductum producet aream totius E F A B; verbi gratia, B A est 12 palmorum, & A E 108, quæ in se ducta dant 1296 palmorum quadratorum aream, E F B A. Quia verò hæc summa superficiem Obelisci C D A B excedit, ab ea subtrahenda sunt trian-

*Superficies area sive corporis Obelisci quanta.*




triangula A E C & B D F, ut vera superficiei Obelisci area habeatur; quod quo pacto præstandum sit, videamus. Cùm E F latus sit oppositum lateri A B, erit id per XXVI *primi El. Eucl.* B A lateri æquale, hoc est, 12 palmorum. Cùm præterea C D ex suppositione sit 8 palmorum, hi subtracti à 12 reliquos faciunt 4 palmos, duos pro E C basi trianguli E C A, & duos pro D F basi trianguli D F B. Iterum cùm latera dictorum triangulorum A E & F B sint æqualia lateri O L, quæ est 108 palmorum, fiet, ut si 2 in 108, hoc est, latus E C in latus E A, ducantur, proveniant 216; cujus dimidium 108 dabit aream trianguli E C A, in palmis quadratis quæsitam, cui alterum triangulum D F B æquale additum dabunt 216 palmos quadratos, quæ est area utriusque trianguli. Hanc denique si subduxeris à summa totius quadrati E F A B, remanebunt 1080, area superficiei Obelisci C D A B quæsita, qui numerus in 4 Obelisci latera multiplicatus, producet tandem aream superficialem Obelisci truncati A B C D 4320 palmorum quadratorum. Restat dimensio pyramidii C I D, cujus superficialem quantitatem facilè habebis hoc ingenio: cùm basis C D 8 palmorum sit, & O I latus 12, ex suppositione superius demonstrata; duc hæc duo latera in se, & prodibunt 96 quadrangulum C D H G, cujus dimidium 48 dat aream unius lateris Pyramidii quæsitam: hanc multiplica per 4, & summa 192 dabit in quadratis palmis aream superficialem totius Pyramidii; hi adjuncti præcedenti summæ 4320 assignant 4512 totius Obelisci aream superficialem in palmis quadratis quæsitam.

*Dimensio pyramidii quoad aream.*

Si vero quispiam scire cupiat quantitatem lineæ A C vel B D superficierum Obelisci terminatricem, is ita procedet. Cùm enim hæc linea A C, sit veluti hypotenusa quædam, quæ angulum rectum A L O vel quod idem est A E C subtendat, ea necessario per 17, 1 *lib.* 1 *El. Eucl.* longior erit linea O L, hoc est, E A linea; excessus itaque illius ad hanc inquiritur, quem hac praxi habebis. Conjungantur quadrata linearum E C & E A in unum; & ab aggregato extrahatur radix quadrata: hæc enim per 47, 1 dabit quantitatem lineæ C A quæsitam. Exempli gratia, linea E C duorum palmorum in se ducta dabit 4 quadratum; & linea A E 108 palmorum in se ducta dabit 11664, quadratum lineæ E A, quibus si jungatur quadratum lineæ E C quatuor; emerget quadratum lineæ A C 11668 palmorum per 47, 1, duobus prædictis simul sumptis æquale. Ex hoc denique quadrato radix extracta dabit 108 ✠ 4 quæ est quantitas A E vel B D lineæ superficierum Obelisci terminatricis quæsita.

*Linea superficierum in obelisco terminatrix.*

Si vero iterum quispiam scire desideret, superficiei Obelisci, si in Pyramidem excurrisset, quantitatem; facile id habebit, si, ut in Pyramidii paulo ante dimensione, processeris. Verùm paradigma repetam. Cùm in præcedenti problemate altitudinem Pyramidis E G si in eam terminasset Obeliscus 324 palmorum invenerimus: basis autem Obelisci ex suppositione sit 12 palmorum, ita superficiem triangularem A B G Pyramidis inquires, multiplica 12 basim scilicet per 324 altitudinem Pyramidis & productum 3888 dimidia, dimidiumque prodet 1944 palmos quadratos, quæsitæ superficiei A B G quantitatem quæsitam, hanc quadruplica, & summa 7776 palmorum quadratorum dabit quantitatem totius Pyramidis, quoad superficiem exteriorem quatuor laterum, quod erat faciendum.

*Superficies in protensa altitudine Obelisci.*

Vt Soliditas Obeliscorum Lectori cum contestato abundanti affectu nostro aperta fiant, investigationem ejus noluimus hoc loco transire. Primo itaque supponimus ex XII lib. Element. Eucl. omnem Pyramidem subtriplam esse sui prismatis; cognita quoque altitudine Obelisci, si in Pyramidem excurrisset per Probl. 1, prisma ejus incognitum esse nequit. Hujus enim prismatis tertia pars dabit Soliditatem Pyramidis nostræ A B G primo Problemate propositæ. Cognito quoque excessu, quo Pyramis Obeliscum superat, habebitur & prisma, ejus excessus, & consequenter ejus tertia pars Pyramidis Obeliscum

*In soliditatem Obelisci ad pyramidem excuntis inquisitum.*

*Soliditas geometricè demonstrata.*

ſcum excedentis quantitas. Verùm rem Geometrico ratiocinio oſtendamus.




Imaginemur itaque duas Pyramides in præſenti figura, quarum prima A B D, altera N E D; latus baſis prioris A V ſit 12 palmorum, qui in ſe ducti conſtituent baſin totius A B 144 palmorum quadratorum; ſuperioris verò baſis latus N I ſit 8 palmorum, qui in ſe ducti, dabunt ſuperficiem quadratam baſis N E 64 palmorum quadratorum. Circumſcribatur quoque priſma A C circa baſin Pyramidis A B D; & aliud priſma N G, circa baſin N E. Hoc peracto, multiplica quadratum baſis 144 palmorum per altitudinem Pyramidis, quam in 1 Exemplo 324 palmorum reperimus; & cubicatione peracta habebitur priſma A C 46656 palmorum cubicorum, ſive Solidorum. Cujus tertia pars 15552 dabit totam Soliditatem Pyramidis A B D in palmis cubicis, ſi in eam Obeliſcus excurriſſet.

*Dimenſio Obeliſci truncati.*

Verùm cùm Obeliſcus Pyramis truncata ſit, hoc pacto Soliditatem ejus reperies. Quadratum N E baſis duc in altitudinem ſuæ Pyramidis, & producetur priſma, cujus tertia pars quantitatem Pyramidis truncatæ manifeſtat. Hæc iterum ex tota Pyramide ſubducta Obeliſci quæſitam ſoliditatem relinquet: ſed rem exemplo demonſtremus. Sit Pyramis truncata N E D, baſis eius N E quadratum ſit 64 palmorum quadratorum, qui ducti in altitudinem dictæ Pyramidis (quam Problemate primo 216 palmorum invenimus) producent priſma N G 13824 palmorum cubicorum: cuius priſmatis tertia pars 4608 palmorum cubicorum dabit Pyramidis truncatæ N E D ſoliditatem quæſitam. Porrò hujus Pyramidis Soliditas à Soliditate totius Pyramidis 15552 palmorum cubicorum ſubducta relinquet 10944, Obeliſci truncati A B N E Soliditatem in palmis cubicis quæſitam. Pyramidij verò Soliditatem ita reperies, cùm latus Pyramidij ſit 8. palmorum, & altitudo ejus 12, multiplica 8 in 12 cubicè, & provenient pro priſmate ejus 768, cujus tertia pars 256 palmorum cubicorum dabunt Pyramidij Solitatem, quæ conjuncta cum Soliditate Obeliſci conſtituunt 10688 palmorum cubicorum ſoliditatem totius quæſitam.

*Pondus obeliſci exquirere.*

Nec gravitatem demum vaſtorum lapidum præponderare affectu & officiis noſtris patimur, quin & ipſius adjiciamus inveniendæ modum, in anteceſſum nimirum eorum quæ infra ad transportationem Obeliſci in Vrbe factam veniunt conſideranda. Fiat autem primò ex eadem petra, ſive materia Obeliſci cubus palmaris, ea qua fieri poteſt diligentia accuratè quadratus; deinde hujus dicta ratione parati cubi pondus exactiſſima libra ponderabis. Hoc pacto nos Archimedææ methodo inſiſtentes, omni diligentia adhibita hujusmodi palmaris cubi pondus invenimus pendere 87 fere libras. Habito itaque unius cubi palmaris pondere, in totius ponderis notitiam facillimo negotio pervenies hoc pacto. Cùm paulò ante, Obeliſcum, quoad ſoliditatem ſuam 16088 palmorum cubicorum repererimus, habebis pondus totius Obeliſci, ſi 87 in 16088 duxeris: ſumma enim 929856 dabit libras, quibus gravatur totus Obeliſcus. Si vero pondus totius Pyramidis A B D ſcire deſideras, ducito 87 libras in ſoliditatem totius dictæ Pyramidis, quam ſuprà 15552 palmorum cubicorum reperimus: & productum 1353024 dabit totius Pyramidis, ſi truncata non fuiſſet pondus in libris quæſitum. Hac induſtria omnium aliorum Obeliſcorum pondus infallibili ratiocinio inveſtigabis.

*Itur ad myſteria formæ.*

Ad myſteria tetraëdræ truncatæ pyramidis noſtræ, quibus jam ſæpius digitum intendimus, pedem penetremus neceſſe eſt. Nihil autem apud Ægyptios actum eſt, myſterio non refertum; adeò quidem, ut vel ipſæ domus, templa, inſtrumenta, habitus, (quos vel in deorum

*Ægyptiis mysteriorum omnia plena.*

rum cultu, vel in sacrificiis peragendis solemni pompa portabant,) imo ipsi quos faciebant nutus & gestus mysticum quoddam essent rerum altissimarum per hujusmodi significatarum ἔκτυπον: quapropter nequaquam temere & sine ratione, aut ornatus tantùm gratiâ in hieroglyphica sua sapientia posteris repræsentanda Obeliscis usos esse, putabimus; sed summo studio & insigni quadam mentis investigatione eam sibi comparare voluisse figuram, quæ ipsamet mysteriis referta, mystico symbolorum contextui undequaque responderet. Nam quicquid particularium rerum sub symbolis expressarum descriptione connotatur, hoc totum in exteriori Obelisci aut Pyramidis facie, veluti in synopsi quadam, aut saxeæ cujusdam epigraphes rudimento ἀνακεφαλαιωτικῶς universim repræsentabant; adeo ut in naturæ penetralibus nihil tam absconditum sit, quod hic non præfiguratum videatur.

*Facies Obelisci nihil non continet symbolorum.*

*Prima rerum origo quomodo significata.*

Per ipsum igitur Obeliscum, repræsentabant materiam rerum primordialem & informem, quæ innatum quendam ad integritatem formarum recipiendarum appetitum habet. Et sicut




*Integritas formæ ex puncto.*

Pyramis à summo fastigio velut à puncto incipiens, perque lineas in superficies & corpus abiens, paulatim in omnes partes dilatatur; sic rerum omnium natura ab unico principio & fonte, qui dividi nequit, nempe Deo Opifice summo, profecta, varias deinceps formas suscipit, & in varia genera generumque species diffunditur omnia apici illi & puncto, à quo profluunt omnia, conjungens. Quare in primigenia illa mundi origine, quâ omnes mundi partes conformatæ illam quam nunc videmus speciem efficiunt, quatuor prima elementa, ex quibus ceu radice ac generis principio nihil non gignitur, per Pyramidis quadratam basin indicantur. Quanquam & alia, Astronomica nempe, Pyramidis significatio datur.

*Quatuor elementa in basi quadrata.*

*Astronomica Pyramis.*

Ponunt enim in cœlesti illa machina circulum quendam, sub quo Sol & reliqua errantia sidera cursus suos circuitusque conficiant, & in quo omnium animantium vita, rerumque naturalium ortus atque interitus sit positus, iccircò Astronomis appellatur ζωδιακός. Hunc circulum, quoniam in duodecim partes seu δωδεκαμόρια,* quas mansiones vocant, partiuntur Ægyptii, unumquodque veluti Pyramidem quandam, à basi, id est, à multitudine, progressam in unum, & ab uno in multitudinem uni gubernatam, figurarunt, inter Zodiacum & centrum terræ positam. Hinc Artephi, autor Arabs, testatur fuisse Heliopoli templum Solis, & in eo duodecim columnas significantes duodecim signa Zodiaci & elementorum arcana. Sol enim omnis generis conservator & educator, qui ipsis Pantomorphus est, cum septem Usiarchis, hoc est planetis, præsidere dicebatur duodecim horoscopis dæmonibus, in dodecamoriis regnantibus. Cum verò in hisce omnium principia ponant, & ipse Aristoteles, in libro de ortu & interitu, solis hic accessum aut recessum causam esse dicat generationis & corruptionis, omnisque mutationis aut incrementi, non incongrue rerum omnium naturam cum radio solis Obeliscus effigiabat.

** De his & singulorum præfectis, minoribus diis, Iamblicus lib. de myster. Ægypt.*

*Septem dii majores apud Oedipum in Pamphilio.*

De penitioribus Ægyptiorum dogmatibus circa res Pyramide significatas, ipsum consule Oedipum Lector, abunde singula depromentem: jam quid porrò sibi velit figura Pyramidis apud mysteriosos & multorum sensuum homines, pergam adscribere. Nempe & animam hominis veluti igneæ naturæ, & quæ corpori non secus ac basi, vel ignis fomento, adhæreat, sub hac forma videntur adumbrare voluisse, dum magnifica Regum atque Heroum sepulchra sub ingentibus Pyramidibus construxerunt, ut testarentur, corpore soluto & corrupto animam superesse, quæ cum summo opifici visum, hoc est, circulo illo magni Hermetici anni absoluto, corpus iteratura esset, eâ fere ratione, quâ Pyramis, ut Geometris notum est, vertice immoto manente, circumducta basi, circulum describit, & toto corpore conum, ut circulus annorum illud curriculum significet, conus verò corpus,

*Animæ immortalitas adsignificata.*

pus, quod curriculo illo conficitur. Nam Ægyptiorum fuit illa opinio, de rebus in eundem ſtatum 36500 annorum ſpacio reſtituendis: quam ab illis ſe accepiſſe teſtatur Plato, cùm in Timæo ait, ad faciendam animam DEVM primò ſumpſiſſe unam ex Vniverſo portionem, quæ procul dubio unita puncto illi, quod in Pyramidis vertice eſt, ſignificatur; Secundam autem primæ partis duplam; Tertiam ſecundæ ſeſquialteram & primæ triplam; Quartam ſecundæ duplam; Quintam tertiæ triplam; Sextam primæ octuplam; poſtremò Septimam quæ partibus viginti ſex primam excederet; poſt hæc dupla, & tripla intervalla repleviſſe. Quibus numeris certè nihil aliud ſignificat, niſi expanſionem illam linearum, quæ à puncto ad baſin tractæ angulos efficiunt, & per intervalla ipſas ſuperficies, quæ lineis clauduntur: & apparet exinde, quomodo hæc ab Ægyptiis acceperit. Quæ hujus loci viderentur, allegorica illa de Arimanio & Orimaze, pugnantibus diis & per Pyramides invicem acuminantes ſignificatis, qui nempe Plutarcho memorantur, Oedipo per Oſiridem & Typhonem, decantatos illos ἀντιτέχνους, explicati; aut de ovo Zoroaſtræo mundano & ulterioribus myſteriorum myſteriis addere, merito ſuperſedeam: præſertim cum paulò poſt nonnulla ſit attingere; & Oedipus eſſe ego haud contendam, aut abſtruſæ ſapientiæ ſtudioſus hoc loco, at publicæ tantùm operum magnificentiæ admirator. Satis igitur, quæcunque figurâ Pyramidali in Obeliſco hactenus habuimus myſtica argumenta, numeris, qui ſub eâdem deprehenduntur, abſolvere, & rivos amplivagæ ſcientiæ cohibiliter ducere ſuper hæc prata, breviterque in Oceanum & mare magnum mundi ſupra mundani, hoc eſt, & ſapientiæ, Lector, tuæ & ſcriptorum ingenioſiſſimorum, quos Græcia, vel orbis Romanus protulit, exonerantes remittere.

*Annus Hermeticus magnus.*

*Animæ compoſitio ex Platone.*

*De Contrarietate deorum, ſeu affectuum in natura, varii paſſim authores.*

Omnem autem theſaurum myſticum numeris ſub figura Pyramidali Obeliſcorum complectuntur. Conſiderandi igitur ſunt apex, baſis, latera, & anguli tam plani, quam ſolidi, cum ſuperficie. In apice Obeliſci punctum obſervatur, ſeu unitas, omnium rerum fons & origo: qua Ægyptii innuebant divinæ creaturarum originis æternique principii genuinum archetypon, unum illud ac ſupremum rerum faſtigium; à quo, & per quod, & ad quod omnia ſunt, & ordinantur, permanant, continentur ac implentur: Circulus nimirum ille Hermeticus, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam. Sicut enim apex eſt principium Pyramidis, à quo, veluti ab unitate, omnes reliqui Pyramidis numeri per lineas & ſuperficies radioſas profluunt, ſic unitas ſupremi illius rerum opificis, omnis ſcilicet creaturæ origo genuit peperitque multitudinem entium, ab indiviſa unitate, quaſi ſuum quendam motum à numerorum choro procedentem. Atque hic eſt Pythagoricus ille Apollo, ſeu primus ille opifex intellectus; hic, Iamblicho teſte, Pantomorphus ille Hermeticus, ac Ægyptius Proteus in omnes ſeſe formas transformans; & ab Hebræorum Macubalim repræſentatur per אינסוף Enſuph, magnum illud in arbore Zephiroth ſacramentum, quæ eſt vena & fons vitæ, primis & altiſſimis principiis, atque inde per analogiam quandam phyſicis elementis applicatus. Dicitur autem Proteus, eò quod in omnibus πρωτεύει, id eſt, primas teneat. Et quia ſub uno in rebus nihil intereſt, dicitur hoc fieri omnia; eodemque modo, ut ſunt in uno, omnia eſſe unum: hæc cum Græcorum philoſophi antiqui diſputationibus immiſceant, & eorum Poëta in Protheo patre Idotheæ proponat, Ægyptiacæ authoritatis non pauca aſſecuti videntur.

*Numeros ſub effigie adnumerare.*

*Apex unitatis.*

*Enſuph Cabaliſtis quid.*

*Vnitas in omnibus vices Protei tenet.*

Eſt in Pyramide binarius numerus, per duarum quorumvis laterum linearum fluxum indicata, quæ cùm diverſitatis, inæqualitatis, diſſimilitudinis ſit principium & unitatis diſtinctio, caſusque ſit primus ab uno, non immeritò diſſectionis in omni diſciplina cenſetur numerus, quo ab Ægyptiis oppoſitarum inter ſe diſtributio, & pugnantium in natura qualitatum viciſſitudines non incongruè à Perſarum Magis, ſub Arimanii & Orimazis allegoria, ſeu ab Ægyptiis ſub Oſiridis & Typhonis hiſtoria repræſentatæ indicantur. Hinc Pythagorici, teſte Plutarcho, utrumque principium diverſis afficiunt nominibus,

*Dyas in Pyramide.*

bus, ut bonum, unitatis, finiti, quiescentis, recti, imparis, quadratæ, æqualis, dextri, splendidi: malum verò, binarii, infiniti, in motu versantis, curvi, paris, alterâ dimensione longioris, inæqualis, sinistri, tenebricosi, nomine indigitant; atque hæc esse principia ortus rerum statuunt.

*Osiris, & Typhon,*

Hinc Osiris omne id, quod beneficum est; Typhon autem officina, ut loquar cum Sinesio, malorum dicitur, quem & Seth, Bebon & Smy appellant Ægyptii; quibus verbis violentam quandam inhibitionem, contrarietatem & eversionem indicant, sine quibus Horus, sivè mundus ille sensibilis conservari nequaquam potest;

*symbolicè.*

Ac proinde rectè Ægyptii, ut apud Manethonem in Plutarcho legitur, ossa Hori magnetem dicebant, Typhonis ferrum; sicut enim ferrum in magnete diversos tractionis & repulsionis motus experitur, ita mundi motus salubris, bonus, & ratione constans aliquomodo versat, ad se ducit, atque molliorem reddit obsequentem sibi duram illam & Typhoniam vim.

*Nervos Typhonis lyra Mercurii habet.*

Hinc Mercurium fabulantur, teste Plutarcho, Typhonis nervos excidisse, iisque pro fidibus usum concinnando universum, id de dissonante consonum reddidisse, & vim interea mundi non abolevisse, sed implevisse: undè fit, ut ea imbecillis atque languida, in hoc mundo mutationum, affectionumque variarum corporibus adhærescat; & in terra quidem concussiones, tremoresque, in aëre æstus, ventosque intempestivos, tum turbines igneos atque fulmina moliatur; aquas etiam & spiritus pestilentiæ lue inficiat, & usque ad Lunam excurrat, seseque efferat sæpè splendidum obfuscans aërem: atque hæc duo rerum principia, benè in Pyramide per duarum linearum ex uno puncto fluxum denotant: quamvis alii hunc binarium ad formarum productionem torqueant. Quemadmodum enim ab uno binarius oritur, ita servata ratione similitudinis è potentia materiæ primò educitur forma, atque idcircò ab Homero non εἶδος, sed εἰδοθέα, id est, formarum Dea nominata.

*Potentia materiæ, Idothea Homeri.*

Hæc ergò fuit antiquorum consideratio, qui omnia ab uno, perpetuâ quadam & continenti per omnes rerum gradus catenâ deducebant, & iisdem passibus ad unum referebant.

*Materia prima, & ultima.*

Et quoniam in resolutione ultima est materia, necessario erit prima in corporum compositione; quod benè per apicem Pyramidis patet: qui dum in lineas, superficies, corpusque, & ex his in se ipse redit, pulchrè hunc processum docet. Ea de causa meritò materia Proteus erit in physicis, quemadmodum unum Proteus in prima sapientia dicebatur. Sed quia forma penultima est in resolutione, secunda sit in compositione, atque ita rationem subeat binarii, cujus natura Pythagoricis fœminea est. Idcirco optimè illi prisci sive Sophi sive Magi, aut etiam Sacerdotes, naturæ ordinem in rebus componendis & resolvendis secuti, Materiam proteam nominabant, Formam verò secundam statuebant, illius proindè filiam, sicuti dualitas est unius; quam & Ægyptii per Oceanum patrem & Tethyn matrem innuebant.

*Forma in rebus secunda est.*

Porrò ex binario & unitate nascitur τεἰας, quæ in pyramide significatur per Δ, quod initium ducit à puncto seu monade pyramidis, & per duo quælibet latera in basim extenditur, quâ Δ, constituitur.

*Ternarius numerus,*

Hæc illa tot antiquorum scriptis sacrata Trias; illud Hori Archetypon, verum Platonicum triplicis mundi exemplar, & idea, vera illa trutina justitiæ Pythagoricæ ad medium duorum vitiorum vtrinque reducta, numerorum omnium principium, divinæ trigonum naturæ, totius imperfectionis magistra ac naturæ mancæ complementum, formarum appetitus in Proteo vigentis vnicum centrum, pyramidis mysticæ fundamentum, fons & origo corporum, qua ad mysticas significationes & reconditas rerum explicationes nihil uberiùs.

*Antiquis celebratus.*

Sicut enim dualis numerus primus qui par est, indeque pro divisione habetur & diversitate principe, post singulum suum: sic ternarius est primus impar, quasi revertens ad principium, unitatem, & perfectior quàm qui par; quem ipse amplexus prehendit, nec verò capitur ab illo. Iustitiam iccircò aptissimus notare, quam Plato libro 1 de legibus dicit in paribus, sine medio quasi dissolutam non ullo inniti cardine; in impari verò super ipsum unum est medium quasi centrum atque numen, à quo & ad quod

æqua

æqua distributio regitur. Inde Plotinus eundem sui ipsius vinculum intra se possidere ait: existit nempe propter centrum circulare, & comparatione extremorum ad medium, universi ordinis principium est, caput, medium & finem comprehendens. Quæ cum Theologi prisci ad Deum referenda censerent, ternarius numerus in sacrificiis observabatur, ut aliarum gentium multa apud scriptores testantur; & de Ægyptiis Plutarchus, quod suffimenta manè meridie ac vespere, ter scilicet de die, diis donaverint. Et quid præterea tot rerum formæ trigonæ, tot pyramides, tripodes, triangula & quæ varia in Obeliscis nostris infrà, aut in tabula Bembina sibi subjuncta Oedipus monstrat; nisi ad ternarii numeri mysteriosissimi nobilitatem, atque adeò venerationem apud istos? Potissimum tamen per triangula, in Pyramide repræsentata, nihil aliud insinuare voluerunt, teste Plutracho, nisi universi naturam, & ideam quandam Osiridis, Isidis & Hori, per tres operationes & effectus repræsentatam: nam Typhon ille crudelis, quem per binarium ante repræsentavimus, divellendo corpus Osiridis, & in multas partes dissipando, ab uno ad multa, à perfecto in imperfecta, à toto ad partes, à bono, ex integra causa, ad malum quod è quovis defectu constat, procedendo, multas in natura rerum dissensiones, & inimicitias periculosas disseminavit per binarium significatas, quas impedire cupiens provida naturæ pars Isis, Osiridis dissipatas partes sedulò investigans, inventas partes partibus, membra membris adaptando in integrum restituit Osiridem, ex quorum deinde congressu natus sensibilis illa pars mundi Horus, quæ per trigonum hoc nostrum apprimè exprimuntur. Pluribus ipse te Oedipus explebit, Lector; nos itaque, in pauca contracti, pergimus ad reliqua.

*Varia apud Ægyptios ternario sacrata.*

*Typhon, Osyris, Isis, repræsentati in pyramide.*

*Horus ex quibus resultet.*

*Tetras in Obelisco.*

Tetradem, sive quaternarium numerum in Obeliscis per quatuor latera exhibebant, diverso tamen modo: primò in Pyramidio quaternarium triangularem, deinde in reliquo trunco Obelisci quaternarium quadrilaterum: per illum occulte innuebant mundum angelicum, in quantum ex centro divinitatis, quæ per apicem Obelisci apposite indicatur, in naturam genialem divinæ naturæ immediatum signaculum, trigono divinitatis charactere insignitæ, diffunditur; per 4 latera verò, mundi quadripartiti præsidium in 12 mundi arces distributum, quod aptè singuli 3 numeri 4 triangularium superficierum denotant. Tres enim in 4 ducta, conficiunt 12, iterum 3 ad 4 juncta, uti 7 constituunt, ita totius naturalis perfectionis Genialis mundi sacramentum indicant. Quatuor verò latera triangularia ad 4 latera quadrangula juncta, 8 constituunt, influxus angelicæ naturæ in mundum corporeum aptissimum symbolum: quibus si basis accedat Pyramidis, jam enneadem mysticam, angelici & corporei mundi symbolum, pulchre indicabant; quem & 9 anguli solidi, qui in Obelisco quolibet considerantur, notabant. His denique si accederet apex Pyramidis, jam 10 constituebantur, quibus totius naturæ & trium mundorum, archetypi, angelici, ac corporei mundi, complementum innuebant; quem numerum tetras illa sive quaternarius numerus implicite continebat. Si enim 1, 2, 3, 4, ordine posita sibi invicem junxeris, prodibit decas illa mystica, sive tetractys tanto à Pythagoricis silentio celebrata, tantis mysteriis involuta. Hæc per duos quinarios pulchrè indicabant: quorum prior influxum divinæ naturæ in mundum Angelicum, ex apice in quadripartitum mundum Angelicum; alter verò creaturarum sive corporei mundi sinum, ex quadrangula basi sursum, versus centrum continua diminutione laterum facta, aptè insinuabant. Præterea unitatem formalem in sinu Divinitatis latentem per apicem indicatam, cuicunque rerum ordini adjunxeris, semper 10 constitues, rerum omnium complementum, Divinæ perfectionis typum, & exemplar. Si enim 1 ad 9 tripartitam angelici mundi triadem adjunxeris, 10 constitues, numerum omnia exhaurientem, typum Divinitatis omnia complectentem: si ad 2, in quibus unitas duplicata residet, 8 junxeris, habebis Angelicæ, per unitatem formalem in mundum inferiorem influxum, videlicet in mundum sensibilem, per 8 cubicum nume-

*Multiplicata numerorum mysteria.*

*Ad numerata plura.*

numerum aptè insinuatum. Rursus si 3, id est, Triadem illam totius perfectionis exemplar, 7 perfectionis mundanæ symbolo adjeceris, habebis iterum 10. Si denique quaternarium, sive tetractyn illam, tantopere à Pythagora celebratam, 6 sive senario numero, operationum mundanarum symbolo adjeceris, denuo resultabunt 10: si denique 5 duplaveris, id est, duos quinarios simul junxeris, idem denarius numerus emanabit. Vides igitur quomodo ordines mundanarum constitutionum sibi invicem adjuncti, semper producant 10, id est, unitas formalis in singulis classibus implicata, reliquis numeris creatarum rerum symbolis adjuncta, semper 10 constituat, totius universitatis cum authore suo aptum hieroglyphicum. Prætereà 1 ad 2 juncta dant iterum triadem; hæc ad triadem juncta generat tetradem, & hæc rursus tetradi juncta, pentadem: & sic singulis numeris ordine naturali continuatis illa adjuncta, generat hexadem, heptadem, octadem, enneadem, decadem omnium complementum, ultra quam nullus alius, nisi replicatus numerus datur. Tantum de Philosophia mystica sub numeris figuræ Obeliscorum comprehensa: cui nunc de formarum notis innumeris nonnihil adjungere ratio postulat, ut sapientiæ initiali ritè initiatus, ad recessus infra penitiores firmior feliciorque sis.

*Progressio ad notas in trabibus.* Ægyptum post primam humanæ societatis ex Babylone in terras universas divisionem, & magnificentiâ ædificiorum, & miraculo multarum artium, omnium facile præstantissimam, & excellentissimam, superiora nostra abunde commonstrant, indicantque Pharaones demissum diis genus heroum, filios sapientum, filios regum antiquorum, ut Propheta * eos appellat: nec ad absolvendum cœptum nostrum, quod est de Columnis Mercurii, eorundemque mysteriis, nec non insculptis figuris aptè præsternere, & prooemiari, quicquam superest, quàm præponderatis illis notarum nodis absolvere de forma Obeliscorum, quam scilicet mox finis in iisdem intentus excipiat claudatque. *Formarum notæ quibus authoribus conceptæ.* Et literas quidem, quæ ignorabiles antè Apulejo, & nodosæ & tortuosæ, Marcellinus ad jam tum exorientis sapientiæ initia commonstranda è veterum authoritate adinventas, & insignitas perhibet. *Marcellinus explicatus.* Multos nimirum authores in initiali doctrina adfuisse & ad constituendum ejus chorum concurrisse vult, qui apud eosdem productus posteris demum quàm primis excultus fuerit. Nos retrò, pluribus edocti doctiorum monumentis, primam sapientiæ hieroglyphicæ partionem, ex majorum tamen deorum, hoc est, ante diluvium Patriarcharum, & exinde bifrontium Heroum traditionibus & editionibus conceptam, cum incunabulis quoque suis Mercurio sive Hermeti tribuimus; à quo scilicet Rex, Regina, ut ex lapide ibi sepulchri ejus notum, cum regno toto sapere & fari, adde & speculari, edocti fuerunt: nec multorum hominum fuisse, (ut dedit perpaucis Prometheus, paucioribus etiam Apollo de meliori quicquam) illis præsertim temporibus, tam penitissima naturæ & quæ supra naturam dicuntur arcana perscrutari; at quæ cuncta quoque uni capiti majora, ac pluribus merito pectoribus, & vel novem fontibus emissa videntur. *Supponitur Mercurius.* *Sapientia à multis retrò majoribus.* Lux aliqua est in verbis Iamblichi: *Ægyptii scriptores putantes omnia inventa esse à Mercurio, suos libros ipsi inscribebant. Mercurius præest sapientiæ & eloquio.*

** Esaias cap. 19.*

*De Obeliscis.*

Multis Ægyptii monumentis Hieroglyphicorum genitorem Hermetem testantur: præcipue quod eum semicanem seu cynocephalum finxerunt, *Hermes latrator.* nimirum ad indicandam ejus in inveniendis tam alta indagine rebus curam sagacem, fortemque eloquentiam. Inde enim significaturi literas hieroglyphice, cynocephalum pingebant: & ipse quoque Hermes Anubis dictus, quasi latrator; *Quid Cynocephalus in hieroglyphicis.* necnon ratiocinativæ potentiæ præfectus est cœli sydus, quod nunc Canicula Latinis, aut Σῶθις Græcis, & Ægyptiis sanctum dicitur, *Caniculæ cœlestis figuratio unde.* quibus etiam per adjunctum frequenter Harpocratem occulte innuebatur, hominem non fuisse scrutatorem largitoremque tantorum bonorum. *Harpocrates cum Mercurio quare.* Ita nimirum in bove Osirin, Ammonem in ariete, in hirco Menden, Mophta in leone, & in cane Mercurium honorarunt idololatræ, *Κυνολατρεία.* ut deinceps sæpe videntes ridebimus cum Iuvenali, Satyra XV:

*Oppida tota canē venerantur, nemo Dianam.*

*Cibum capere cum beſtiis.*

Ægyptiosque iccirco Herodotus refert cum canibus unà vivere & epulari; quod cùm nullæ gentes neque cum aliis beſtiis committunt, in illis miror qui convictum aliorum hominum, ut Hebræorum, dedignabantur. Meritò itaque canibus facere dicam canes. Sed hinc quoque apud Romanos, omnium olim gentilium ſuperſtitionum aſſeclas, ad publica vota ſtabilienda paſſim in numiſmatis Anubis Cynocephalus ſiſtro & caduceo inſignis, & ex altera parte Iſis cum ſiſtro & cyatho fructifero exhibebatur: ſiſtrum autem Plutarcho teſte, genium ſive Agathodæmona ſignificabat, cujus tinnitus Typhonem ἀλλίθεον fugare credebatur. Ne longiores ſimus in his frequentibus, infrà enim ſæpius recurrent, alterum adſtruam ejus authoritatis argumentum. Hoc Ibis facit, inimica ſerpentibus avis, Mercurio ſive Thoth deo ſacra, quòd ejus ductu ille literas primum invenerat. Hoc vivum divinitatis habitaculum dicere Ægyptii, & cujus forma tectus Mercurius ille Ægyptum pervagaretur, hominesque varias res inveniendas doceret, ob id appellatus Hermanuphta, hoc eſt, deus interpretationis, aut Hermanubis Zeuda, ſeu Mercurius Ibiformis doctor. Ælianus: *Ibin orationis parenti Mercurio ajunt in amore eſſe, quia orationis ſpecimen ſimilitudinemque gerat: namque ejus nigræ pennæ cum tacito & nondum emiſſo ſermone comparari queunt; prolatæ verò orationi, intimorum ſenſuum enunciatrici, candidæ poſſunt conferri.* Volaterranus diſertius: *Ibis à Mercurio ſeligitur quod ejus naturæ conveniat: nam quod nigra & alba in hoc genere reperitur, alterâ mentis tantum excogitata, tacitaque notantur; alterâ verò nuncius auditi prolatique ſermonis extrinſecus ſignificatur.* Et hæc duo animalia ex quatuor illis,* quæ literæ dictæ, & in concipiendis literarum figuris imitatione & admiratione præcipuâ erant, inque Comaſiis * Deorum facile prima, cultui ejus inprimis dicata fuerunt. Illum itaque principiò monſtraſſe hieroglyphica concludimus, quæ ita producta, devoluta per ætates ſuas, vires cum præceptoribus acceperint, perdiderint. De Triſmegiſto ſuprà primùm quàm luculentiſſima notavimus, & quæ nihil aliud quàm regiam magnitudinem, quæque nulla quàm regia facere queat magnitudo: jam prætereà referemus ejus abſtruſiſſima, qualia efficere non ulla majeſtas poſſit, nec ipſa tam regium velint quàm regem, aut rectorem quàm deum aliquem immortalem, quod nimirum bona ſuperna habeant & voluptatem propriam. Necdum verò finitę erunt celeberrimi viri laudes, ſed totus deinde differat, ut antea, orbis ſemper virentem & mori vetitam magnitudinem; & leve tamen quanquam univerſorum donum ſapienti pro multis laboribus dicere laudes. Nam ut retrò, ad Obeliſcorum ponendorum principia rite deducenda, de Heroe illo referre cogebamur, ita ut literaturæ ineundæ exordia ab eodem deo repetamus hic locus requirit: quo eruditioribus nobis penitiora ejus ſapientiæ pateant, & firmioribus circa ipſum æquivoca dubiaque authorum dignoſcantur. Prædicant autem Triſmegiſtum noſtrum perquam multi multarum gentium ſcriptores, talibus naturæ dotibus, tantisque artis & diligentiæ bonis fuiſſe, ut ad artes licitas illicitasque ſeparandas, aut conſummandas, & cum adinventis quàm plurimis monſtrandas cœleſti munere miſſus videretur. Vnde & rebus geſtis, & ſapientiâ & dignitate promeruit trinæ claritudinis nomen. Stirps ipſi Cananæa fuit, ut diximus, & quoniam Canaan ex Chamo, qui & Oſiris ſæpe, editus eſt, inde ſcilicet & ipſum nonnunquam Seſoſirin [corrupte in Chronico Alexandrino Seſoſtrin] hoc eſt, germen Oſiris, vocari non ineptum eſt. Colludit cum hoc & appellatio Idris, *d* ex *ſ* facto, ut eſſet Iſiris, ſeu Oſiris. Alia ejus jam antea recenſui nomina: quibus adde & Hebræum Hadores, & Ægyptium Thath, verius Phtath, hoc eſt Deus Deorum, hac aliquatenus ratione, qua Dominus Moyſen Deum Pharaonis, aut paſſim, nihil ejus abhorrens, Scriptura deos dicit rectores aut principes populi. Sed tamen & deum eundem Idololatræ Ægyptii fecerunt, præfeceruntque rationi & rerum inventioni. Huc ſpectat & nomen inditum Marcorphta, hoc eſt, Deus inquiſitionis. Et hinc quoque factum puto, ut primum anni menſem Thot ipſi dedicarent, memoriæ divinæ ratione: reſpondetque

*Nummi olim Romani cum Cynocephalo ad quid.*

*Hermes Ibiformis.*

*Hermanuphta.*

*Ibidis plumæ bicolores quid ſignificent.*

** Ibide, Bove, Cane, Accipitre Mercurii ſacro.*

** Comaſiæ ſunt aureæ imagines deorum:*

*Triſmegiſtus celebris apud multos.*

*Quomodo Seſoridis dicatur,*

*Hadoresque, & Phtath,*

*divina veneratione,*

*& Marcorphta.*

*Menſis Thot quotus.*

detque hic menſis Hebræorum Elul, noſtroque Septembri, quarto nempe Calendarum incidens. Sed cum Argi occiſore Mercurio utrum unus ſit noſter Triſmegiſtus, ſuprà in fabulis reliquimus. Ex Macrobio tamen occiſionis interpretationem hanc dabimus: *Argum eſſe ſtellarum fixarum Orbem, Mercurium Solem, cujus ortu interimatur Argus, id eſt, luce ſua intenſa evaneſcant reliquæ ſtellæ.* Quæ ei quidem, cui notum eſt Mercurium inter varias inventas artium etiam Aſtronomicâ claruiſſe, aut apud Ægyptios juxta cum aliis majorum deorum à Sole nihil differre, ejus nempe attractivæ virtuti reſpondentem, facile perſuadeat, nec ab invicem differre Mercurios antiquis; quum & literarum inventionem Plato Ægyptio noſtro, ſive Theuto, adſcribat, unde ſcilicet Orpheo & Græcis aliis, Diodoro & Strabone teſtibus, petita ſit, qua re apud ipſos nomen illius natum Hermes, hoc eſt, interpres. Alium tamen à Triſmegiſto primo ſuprà ex ipſomet oſtendimus; nec eundem cum Melchiſedech, rege Salem, fuiſſe, contra nonnullorum opinionem, luculentiori aliorum authoritate tum utriuſque accuratiori ratione habita præſumimus.

*Triſmegiſtus quomodo Ἀργοφόντης.*

*Hermes cum omnibus diis ad ſolem referendi: ad Lunam deæ.*

*Diverſi à noſtro primus Triſmegiſtus, & Melchiſedech quoque.*

Non minus in perſonis quàm temporibus errores genuit appellationum Heroicarum aut diverſitas apud gentes, aut ſimilitudo in multis tam famæ quam virtutis objectis. Ideo qui Ægyptiis Thoth, Theutus, Adris, aut Hermes, Græcorum authoritatibus, Babyloniorum, Chaldæorum, Perſarum Zoroaſter eſt, nobis indubitatò Mercurius: nec minus tamen ipſe Miſraim, in Ægypto, aut Chamus ibidem, vel in Phœnicia, vel ubique earum terrarum, & quicunque demum ex poſteris rerum notitia aut nova inventione claruerunt, dicti ſunt iiſdem Adriſque Mercuriique, Saturnique, nominibus. Temporum notitiâ hallucinantur haud leviter, qui & Hieroglyphicorum & literarum omnium caput ac fontem Mercurium ad vigeſimum primum annum ante legem Moyſi in deſerto datam reducunt. Quomodo enim Moyſes illi ſynchronus eſſe potuerit, cujus in præceptis Philoſophiæ ipſe ab ineunte ætate, Scripturâ teſte, eruditus ſit, (equidem certe non ſine literarum aut hieroglyphicorum in his trabibus noſtris uſu) peritus Lector facile diſcernit. Et ſuprà quoque oſtendimus Triſmegiſtum in regno Ægypti ſucceſſiſſe, ut eſt antiquis receptum; à magno ſcilicet poſt philoſophiæ gradum ſacerdotii culmine, ad maximum regni provectus: nullis autem authoribus inter Pharaones, & reges qui Moyſis tempora contigerant, memoratur; nec poſt Moyſen claruiſſe poteſt, tanta apud Phœbeos noſtros nocte de eo. Deorum itaque ſub Dynaſtia, quæ illum Paſtorum & Pharaonum dominatum anteceſſit, vixiſſe, cum antecedentibus concludimus, nimirum circa annum à diluvio trecenteſimum, temporibus Abrahami, quem Pharaonibus diebus vitæ præcedere Suidas tradit. Deducitur autem ætas Mercurii, centum nonaginta annorum, uſque ad Iſacidis tempora, filiorumque propaginem: de quibus explicatiora cupientem ad Oedipi Pamphilium Obeliſcum remittimus. De Pharaonum nomine nonnulla ſubtexere rem noſtram ultra citrave non ſit. Quod fuiſſe videtur ſemper auguſtum principibus, non aliter quàm Cæſaris in Imperio: ſed unde ortum, id quidem minus videtur. Sacræ literæ etiam eum, qui Abrahami Saram in Ægypto detinuit, Pharaonem appellant, quod contra Suidam eſt: niſi ſi illæ quod præcipiunt illo loco, præaccipiunt, ſucceſſores ejus reſpicientes magis; in quo tamen ego manum ſuſpendo. Non incongruum ſenſit, qui appellationem iſtam familiæ Chami magnitudinis avidæ ex ante diluvium petitam oſtentui voluit, à Caini in Ægypto, ut Arabes authores ſunt, ſobole imperioſa. Hoc demum probatur maximè, quòd ex quò regnum Ægypti forma ac firmamento auguſtius factum, principalis ille titulus nobilis ſemper fuerit. Et fundatiſſimum quidem reddidit Ioſephus, ſub Politanorum, ut benè putatur, dynaſtia, quæ Paſtorum illam exceperat, regnum adminiſtrans. Non inficiamur tamen circa hæc aut alia tempora Hermetis, Adriſque ac Zoroaſtris nomine alios fuiſſe, quibus hieroglyphica doctrina ſuſtentata, aut aucta, haud parum debet: nec non ſentimus multis

*Idem apud varias gentes vario nomine.*

*Tempora Mercurii demonſtrata.*

*Moyſes ſapientiam Ægyptiorum ſive Mercurii edoctus.*

*Mercurius unus de diis & heroibus.*

*Numerus annorum ejus.*

*Pharaones primi qui, & unde dicti.*

*Mercurius non de Pharaonibus, nec Moyſi coætaneus.*

*Varietas personarum temporumque apud antiquos unde facta.*

multis initio temporibus Ægyptum multos simul & majores sacerdotes, & minores reges habuisse: & hos quidem ex nepotibus Chami tam regnorum quam naturæ artium studiosos, illos verò ex his quos affectibus, eosdem & scriptis suis memoriæ proditis esse prosecutos. Hinc nimirum dum alii aliis confunduntur apud authores antiquos tanta errorum seges, tam discrepans & sine ordine ordo congeriesque rerum gerentium in Ægypto, ut si conferantur qui his, quique illis memorati sunt, res quam ipsum Chaos informior & antiquior videatur, nec discerni posse, nisi deus aliquis altioribus argumentis seriem inturbatam commonstret: tam plena omnia sunt fabulis, & nodis nominum, & tricis variarum rerum, ut sine capite pedes, aut sine pedibus capita, qualia aspectu elementa ista literarum, & quare non sine corde nonnulla putes?

*Hermetis fata, & facta.*

Tertium accedimus ad illum Hieroglyphicorum Dædalum Termaximum, Mercurium seu Hermetem, laudibus suis, quantum de iis hoc loco nostrum esse possit, absolvendum. Hunc igitur, postquam ex Italiæ regno reducem & in Ægypto Misraimi regis consiliarium successoremque enarrant scriptores, variis maximisque factis probant in publicis regni negotiis fuisse totum, & omnem simul in altis, quasi summa solitudine, scrutandæ philosophiæ recessibus; nec non vacantem sacerdotio, sublevandis quoque ære civibus impeditum. Ipsum nonnunquam in solitudine ab hominum frequentia seclusum vixisse, ad astra præsertim observanda, perhibet Mor Isaac appellatus Oedipo nostro in Pamphilio Obelisco. Nempe non omnium artium & doctrinarum prima conceptio, sicuti excultarum absolutio Hermeti tribuitur. Idcirco advocatus author Syrus Aramæos Babylonios, vel Chaldæos, Astronomiam primò attigisse ait, occasione itinerum & vagorum domiciliorum: nempe quoniam omnia loca eorum vasta erant, incognita quoque viarum, arenis & vento flante pulveris densa nube commeatui gravia & periculosa, de die propter solis ardorem itineris laborem non ferebant ob hoc terram illam confusionis sæpe mutaturi noctu viam ingrediebantur, stellas duces secuti: quarum perpetuo scrutinio tandem devenerunt in cognitionem mutationis temporum, motusque stellarum ex ascensione aut occasu observati. Post confusam hanc Astronomiæ notitiam Hermetem, qui ipsi Iovanithon, venisse vult his verbis: *Fuit autem in regione ista Orientali homo ex filiis filiorum Noë, qui vocabatur Iunithon, sive Hermes: hic scientia inclytus, elegit sibi locum ab omni hominum consortio & familiaritate remotum, & abiit in desertum vastum & immune à vocibus & oculis hominum; ubi assiduò intentus in firmamentum cœlorum, exploravit stellas, & luminaria, & consuetudinem temporum, & maxime luminaria majora, laudans horum creatorem sapientissimum: & sic per quietem & solitudinem continentiamque suam, à tumultibus & strepitibus hominum libero, cordis perpetua intentione, stellarumque contemplatione, data est ipsi gratia cognitionis stellarum, & zodiaci.* Inter quàm plurimos alios Alkandi author Arabs, apud Gelaldinum, capite de Sapientibus Ægypti, de primo hoc lumine clarissime: *Tempore Abrahæ fuit in Ægypto Hermes, ipse Idris secundus, & Trismegistus, quia Propheta & Rex & Sapiens, seu Philosophus, & is qui docuit scientiam metallorum, Alchimiam practicam, & Astrologiam, Magiam, Scientiam spirituum, & Apotelesmaticam sive Amuletariam, & secreta naturæ, ex quo deinde Pythagoras, Empedocles, Archilaus sacerdos, Socrates orator, & Plato philosophus & Politicus, & Aristoteles metaphysicus, reliqui denique Astrologi sua desumpserunt.* Non prætervehar meritissimi viri claritatem apud Græcos: quorum sapientissimus & disertissimus Plato eum nomine Ægyptio Θεῦθ appellat, & τεχνικώτατον, artificem maximum, & alibi πατέρα τῶν γραμμάτων, literarum Parentem: sed clarissimè hoc loco: *Audivi equidem circa Naucratin Ægypti priscorum quendam indigetum Deorum extitisse, cui dicata sit avis, quam Ibin vocant; Dæmoni autem ipsi nomen esse Theuth; hunc primùm & numerum & numeri computationem, invenisse, & Geometriam, & Astronomiam, talorum lusus, & aleæ ludos, & literas. Erat tunc totius rex Ægypti Thamuz* (sive Osiris, sic enim Hebræi & Chaldæi Osirin & Adonim vocant) *& in amplissima civitate, quam Græci Ægyptias Thebas dicunt, habitasse, deumque urbis illius custodem, Ammonem. Ad hunc regem*

*Astra observare quâ occasione mortales ceperint.*

*Hermes Astronomicam perficit.*

*De Trismegisto luculenta.*

*Græcorum de eo memoria.*

*Plato in Phædro.*

*regem profectus Theuth, artes suas demonstravit, edixitque oportere illas deinceps Ægyptiis cæteris distribui.* Et Philoni Biblio Græce redditus Sanchoniathon author Phoenicius, vetustissimus, [ex Porphyrio enim, si, quid dicere velit non quid dicat, recte perspiceas, & Suida colligitur excidio Trojano aut par, aut saltem suppar fuisse] Tautum sive Hermetem symbolicæ literaturæ primum doctorem aperte docet. Diodorum merito adjungimus, quæcunque de Trismegisto præfati sumus disertim complexum. *Mercurium quoque maximè omnium honoribus* [ab Osiride] *affectum, ut repertorem rerum plurimarum, quibus vita hominum consuleretur, volunt. Hunc enim primum, & verba in ordinem redegisse, & multis indidisse rebus nomina; fuisse quoque literarum inventorem, instituisseque quo honore, quibusque sacris colerentur dii; in primis observator astrorum cursus fuit, & vocum harmonias adinvenit: palæstræ, numerorumque, & ad corpora curanda Medicæ artis, lyræ insuper ex nervis trium chordarum instar trium anni temporum repertorem tradunt: Tres enim instituit voces, acutam ab æstate, gravem ab hyeme, mediam à vere sumens. Hic & Græcos docuit verborum interpretationem, unde & Hermetem, hoc est, interpretem appellarunt. Denique Osiridem hoc utentem sacro scriptore* [in Græco est, ἱερογραμματέα] *omnia cum eo communicare, ejusque consilio maximè uti solitum esse.* Vniversis his testimoniis, exceptione majoribus, pondus addat nobis Lactantius: *Nunc ad divina testimonia transeamus, sed priùs unum proferam, quod est simile divino, & ob nimiam vetustatem, & quod is, quem nominamus, ex hominibus inter deos relatus est; apud Ciceronem C. Cotta pontifex disputans contra Stoicos de religionibus & de varietate opinionum, quæ solent esse de iis, ut more Academicorum omnia faceret incerta, quinque fuisse Mercurios ait, & enumeratis per ordinem quatuor quintum fuisse eum à quo Argus occisus sit, ob eamque causam in Ægyptum profugisse atque Ægyptiis leges ac literas tradidisse. Hunc Ægyptii Thoth appellant, à quo apud eos primus anni sui Mensis, scilicet September, nomen accepit; idem oppidum condidit, quod etiam nunc* Ἑρμόπολις *vocatur, & Saitæ servant, & colunt eum religiosè, qui tametsi homo fuerit antiquissimus, tamen & instructissimus omni genere doctrinæ, adeo ut ei multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imponerent. Hic scripsit libros & quidem multos ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summi ac singularis dei asserit, iisdemque nominibus appellat, quibus nos Deum & Patrem, ac ne quis nomen ejus requireret,* ἀνώνυμον, *scilicet sine nomine esse dixit, eò quòd nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet unitatem. Verba ejus sunt:* ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἐστὶ γὰρ ἐν ἀνώνυμος, *& paulo post: quia quod Mercurius ille Termaximus, cujus suprà mentionem feci, Deum non modo* ἀμήτορα *sed &* ἀπάτορα *appellavit.* Verba quæ citat hic Trismegisti, sunt ex Asclepio ipsius libro, è Græco Latine reddito per Apulejum; de hoc & alio, Poemandro, veris nimirum, non supposititiis scriptis, quippe in antiquissimis scriptoribus, & sanctis quoque Patribus Ecclesiæ citatis; tum de cæteris ab Hermete superstitibus, eorumque numero, & charactere, & translatore, vide apud Idrin redivivum & ipsi reseratos fontes Nili, [nobis hoc loco latiùs non derivandi] hoc est Oedipum nostrum, imperio Trismegisti Germanorum Osiridis iniquam antiquitatis Sphingem argumentis profundis aggressum, & jam solutionibus felicibus ex arduo & abrupto situ volventem in caput. De Græcis tamen, tum de Hebræis quod notes dignum est, factum indignum: dum hi, non respectu habito venerandæ antiquitatis cum sapientiæ odore optimo conjunctæ, non castitatis denique in canone, libros primi illius Trismegisti, (quem ante diluvium vixisse tradidimus, & Augustinus libro de Civitate Dei, nec non Tertullianus, de Habitu mulierum, optime defendunt,) secundo Adri ad hieroglyphica multa authoris, reprobant & præfracte negant; scilicet quod nimis aperte de Messia Christo, Deo & homine, in carne venturo vaticinarentur. Non possum non adponere Tibi, Lector mirabunde, plurimas ob causas ad institutum nostrum haud parum referentes, Tertulliani sententiam, occurrentis illis, qui quod scriptum ante diluvium esset servari haud potuisse contendunt. *Scio, inquit, scripturam Enoch quæ nunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam, quia nec in armarium judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante Cataclysmum editam, post eum casum*

*Sanchoniaton, ejus ætas ex Porphyrio.*

Diodorus, lib. 1, cap. 2.

Lactant. Firmian. lib. 1 de Vera religione, cap. 6.

*Asclepius, Pimander, aliique libri Hermetici.*

*Iudæorum in libros Enoch invidia.*

*Tertullianus de hac causa.*

*orbis omnium rerum abolitorem, salvam esse potuisse; si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem Cataclysmi Noë qui utique domestico nomine, & hæreditaria traditione audierat, & meminerat, de proavi sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis ejus; cum Enoch filio suo Mathusale nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & aliàs non tacuisset, tam de Dei conservatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia Cataclysmi, in spiritu rursus reformare, quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum. Sed cum Enoch eâdem scripturâ etiam de Domino prædicârit, à nobis quidem nihil omninò reticendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem divinitùs inspirari, à Iudæis posteà jam videri rejectam, sicuti & cætera ferè quæ Christum sonant. Neque utique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coràm loquentem non erant recepturi. Ideò accidit, quòd Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.* Simili mentis abrupta contumacia illi Rabbi Hakadosch sacrosanctam Triadem apertiùs confitentem rejiciunt. Sed non soli Iudæi, qui quidem generis Abramidi longa serie, tum à Moyse suo traditionibus acceptis, per propriam interpretationis præceptionem, quæ integritati sanctissimæ illius mentis impropria est, superbientes & elati sunt; at nostris etiam temporibus multi, de quibus cujus aut cujas, & quotus quisque sit, quantæque authoritatis, quæras meritò, tanti veterum authorum aut incrustatores aut mastiges sunt, quum aliqui potius ipsi mastigiæ, ut nihil nisi quod sua dictatura, aut impostura, & affectatum illud αὐτὸς ἔφα probârit, æstiment, velintque. Qui sane Aristarchi filii, præterquam quod limites modestiæ excedant, & gnaviter sint impudentes, grave reipublicæ litterariæ inferunt damnum; quum nihil prope in sacris aut profanis memoriæ immemori successione monumentis reperiatur, quod deformis contradicendi cavillandique pruritus in dubium vocare nequeat.

*Hakadosch Iudæis damnatus quare.*

*Indicantium crassi quam Crassii plurimi.*

Oedipus verò non Davis & iis, qui alicujus in verba addicti sint, hanc optimè semitam præit, quam multo tempore, diuturno veterum studio, pertinaci doctissimorum hominum labore, sedula sapientissimorum Patrum investigatione tritam reperit; quos si quis cæcos dicere, aut iis rerum vetustarum scientiâ se anteponere non erubescat, huic merito applices, quod apud Plutarchum in dialogis:

*Oedipus quos, aut quid sequatur.*

Τίνα νομίζεις γλαφυρὸν παντοκείτην, ἔφορε. ἐφ. Μισόσοφον βάτλον.

Sed quid tibi videtur, quod maximi critici de re liquidiore non idem semper vident, & judicium judicio suique tam dissimile nonnunquam proferant, ut nolles tantis luminibus talia excidisse? Nimirum & ipsus Osiris, cœli oculus, non sine aliqua macula est; nec pura semper decurrendæ spatia habet viai. Multò certè plura judicant homines odio aut amore, cæterisque affectibus, quàm rectis sensibus: sed solet tamen aut tolerantiâ corrigi, aut patientiâ levius fieri quodcunque mordaci tuitione exasperabatur. Addam verò quod habeo præterea, in Græcos nempe, apud quos quamvis forte in usu titulus Trismegisti, eorum nimirum philosophis, quos alibi narramus, Sacerdotes diuturno cultu ambientibus, auditus; nemini tamen, Platonis quidem tempore, citatus, aut memoria proditus sit, adeò ut suppositus videri possit à recentioribus. Fieri verò non potuit, quod antiquioribus quam Græcis populis, Phœnicibus, Persis, Arabibus, & Ægyptiis, quos discendi gratia Græcorum sapientissimi adierant, frequentissimum erat & sanctum, ut hoc illi soli nescirent. At Græcorum genus ingenio vario, modesto, vel ambitioso inprimis, ut illo modo nomen Philosophiæ, quam id quod aliis placuit Sophiæ vel Magiæ, sibi sumsit, ita Trismegisti titulum multò eminentissimum, & divinum magis quam humanum, contemsisse potuit. Et est præterea cunctis, quos Barbaros vocamus, in more, ut quam maximos & immensos honorum montes imò orbes projiciant, præferantque; quales Russorum hodie ab Ortu & Occasu cumulatæ inscriptiones, & Tartarorum Cani etiam supra

*Vitilitigatoribus quid facias?*

*Græci notati quod Trismegistum non adnotârint.*

*Græci Sapientes modestiam Pythagoræ secuti.*

*Barbarica jactantia.*

ſupra Vniverſum extenſa vanitas ambitioſi tituli, cæterorumque ex eo genere minaciſſima nominum jactatio; quam ſapientes tamen & politioris ingenii homines meritò calcant, tranſeuntque tacitam. Sed & Græcorum plerique omnes patiuntur hos manes, ut animo honorum avido vel quod ſummum eſt appetant, vel quod non ſuum eſt non æſtimant: potuitque commune vitium hanc ſpecioſam & auguſtiſſimam appellationem preſſiſſe tacendo, ne cuncta extero authori debere faterentur, quæ ſibi ab Europæis inventa referri cupiebant. Equidem certè Cicero, quamvis illis multarum artium diſciplinam non adimat, nec repugnet ſi qua ſibi ſumant alia, teſtimoniorum religionem & fidem nunquam coluiſſe Græcos perhibet, totiusque hujus rei quæ ſit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorare. Ita quoque Oedipus noſter, Germanus omninò, oſtendit, pleraque illos ab Ægyptiis & Chaldæis accepta, ſuppreſſo eorum nomine, ſui juris & inventionis feciſſe; quod tam clarum, ut nemo, niſi Platonicæ Theologiæ imperitus, id negare poſſit; & apertum quoque in Ethnicæ Philoſophiæ Examine monſtrat oculatiſſimus Picus Mirandulanus, Oedipo noſtro idem pluribus in partibus probante. Attamen Græcorum illis plagii atque ambitionis iniquæ convictis priores & poſteriores multi eadem ex gente, præter Hebræos, Chaldæos, Arabes, Syros, Triſmegiſti nominis mentionem fecere: ſic Seleucus antiquiſſimus author eum primus, ut eſt apud Patricium, vocat Ἑρμῆν Τρισμέγιστον; & Suidas ita dictum refert, quod tres in Deo uno virtutes aſſeruerit primus, ob quod Termaximi titulum & majorem, ſi detur, bene videtur meruiſſe.

*Græcorum arrogantia.*

*Eorum indoles, teſte Cicerone.*

*Antiquis ut & poſterioribus Græcorum Triſmegiſtus memoratur tamen.*

Sed hactenus ſatis multa traxit ſapientipotentis viri commemoratio, quem æqualem Patriarchis vidimus, & literaturæ hieroglyphicæ, tum epiſtolicæ primum repertorem, unde nimirum & Græcorum & quæ illis conformatæ ſunt, literas deſcendere, nec non & ſymbolicam rationem fluxiſſe, apud Oedipum Ægyptiacum & in Obeliſco ejus Pamphilio perjucunda contemplatione patet. Honorum ejus & ingenii dotium teſtibus apud varios populos antiquis applaudunt quoque poſteri, veritatis pondere non minus laudandi: ut meritò dæmonium dicas hominis, & delubrum putes artium, & quaſi oraculum colas variarum ſcientiarum, unumque poſt orbis diluvium ex ſe natum & monumentis perennibus viventem Phœnicem Soli ſacrum, Oſiridem ſui ævi, qui claritate nominis omnibus poſteris obſcuritatem afferat. Et jam reperto Niliacæ ſapientiæ capite, confluentium fontes adjungi poſtulant. Igitur poſtquam Theuth, ſive Triſmegiſtus ſecundus, aut Zoroaſtres, ex traditione uſque à primo Triſmegiſto, Henoch, per ſucceſſiones Patriarcharum deducta, artes & ſcientias præclaras acceperat, quas ex converſatione cum Patribus & poſtea variis vitæ experimentis firmaverat, veri Dei in Trinitate unius cultor *, non Chami ſacrilegis molitionibus ſua contaminans, in Ægypto penitiores & ſanctiſſimas, quod poſtea aperiemus, partes reconditioribus & profundo ingenio confictis figuris ſacris conſignavit: quanquam & libris non nulla complexus eſt, ſed qui ſimiliter profano vulgo abſconditi, ſui quanquam non paribus, ſimilibus tamen, & ſucceſſoribus paterent. Hinc Clemens Alexandrinus: *Sunt quadraginta duo libri Mercurii, valde neceſſarii, ex quibus triginta ſex continent omnem Ægyptiorum Philoſophiam; ediſcunt ii qui ante dicti ſunt Sacrorum præſides, reliquos autem ſex* παστοφόρους, *id eſt, qui pallium geſtant, qui pertinent ad medicinam, nempe de conſtructione corporis, de moribus, de inſtrumentis, & medicamentis, de oculis, & de mulieribus.* Horum librorum fragmenta Origenes, contra Celſum, ait ſuo tempore fuiſſe in Bibliothecis Ægypti ſuperſtites. Arabes quidem, ut & Chaldæos oppidò multos, excerpta ex Hermete ſuis monumentis inſerentes, advocat Oedipus. Et ex his ſua pleraque exſcripſiſſe antiquos affirmat Iamblichus: imo fragmenta illa Oraculorum, in quæ copioſos commentarios Phlethon & Pſellus ſcripſere, non alterius cenſenda ſunt, quam Triſmegiſti authoris; cum plurimis aliis vel nobis vel authori Kircherio citatis, varii argumenti, ut apud ipſum in Fabrica Hieroglyphicorum deprompta videas. Inſtituit autem procul dubio Triſme-

*Triſmegiſti commendatio.*

*De ſacerdotibus, & ſapientibus Ægypti, quibus concurrens eſt in hieroglyphicis auctoritas.*

** Talis nempe & Iethro, & alii extra Legem Videntes viſi, magno contra Gentes argumento.*

*Triſmegiſti ſunt plurima apud antiquos literarum monumenta.*

Trismegistus, sicut ad cultum divinum peragendum sacerdotes in ordinibus, in quibus ipse summus fuisse perhibetur; ita & scholas classesque sapientum, quorum ipsi non minus nomen adscribitur. Vniversa autem Ægyptiorum Sapientia in quinque partes teste Clemente dividitur: Physicam, Moralem, Politicam, Theologicam, & Magicam, partim scriptis, partim hieroglyphicis comprehensam: cujus tantam apud se famam in mundo concitaverant, ut sapiens dici non posset, qui ex dictis partibus ab Ægyptiis instructus aliquam in se non derivasset. Hinc ille reconditarum rerum scientiæ pruritus apud posteros. Inde quoque Sapientum Chaldæorum, quos imprimis doctrinam Hermetis sui juris fecisse pulchre ostendit Iochaïdes, in libro quem Zoar inscribit, ubi, instructus ab Ægyptiis, quinque Sapientum Ordines constituit: quorum primus Chesdaim, cæteri, Asaphim, Hartamim, Mecaschephim, Cazarim; qui omnes etiam apud Babylonios in Daniele indicantur. Intelliguntur autem per Chesdaim Genethliaci, quibus Plinius ait initium fuisse à Belo Iove, Nini Assyriorum regis Patre. Hi cœlorum motus diligentissimè spectarunt, & circa Astronomiæ rationes, prædictionesque occupabantur; quorum & Philo in libro de Abraham meminit in hunc modum: *Chaldæi scientia stellarum periti, omnia astrorum motibus tribuebant, à quibus credebant, dispensari mundi potentias, quæ constant ex numeris, eorumque proportionibus. Venerabantur isti res visibiles, non percipientes invisibilia, & intelligibilia, scrutantes illorum tantùm ordinem; atque ita è Solis, Lunæ, Planetarum, Aplanetarumque circuitibus, & anni in quatuor tempora distincti vicibus consensuque rerum cœlestium terrestriumque, mundum ipsum* Devm *esse existimabant, profana opinione creaturam similem facientes Creatori.* Atque hic est primus ramus à Zoroastre Ægyptio Hermete derivatus, qui cùm visibiles hujusmodi mundi substantias, Solem, Lunam, Stellas, invisibiles Dei unius virtutes symbolice indigitaret, illi tamen ad visibilia respicientes, omnia sensibilibus Numinibus plena existimantes, tandem primo mundo, posterisque præbuere totius idololatriæ, superstitionisque seminarium.

*Sapientum classes quinæ.*

*Chesdaim seu primi ordinis, quales.*

*Mundus antiquis deus creditus.*

*Asaphim*, qui à vetusto Latinæ editionis interprete, Philosophi, à Septuaginta Interpretibus Magi appellantur, de omnium tam divinarum, quàm humanarum rerum causis philosophati sunt, quorum Authorem, ab Hermete synchrono instructum, Baalam esse quidam putant, & hoc ipsum scripsisse Origenem lib. contra Celsum reperio, cujus etiam vaticinationis scriptura post multa secula admoniti Magi ex Oriente in Iudæam profecti sunt Christum adoraturi. Sed nos veriùs à Zoroastre, qui & ipse Baalam dictus nonnunquam, hoc profluxisse probamus. Porrò *Hartumim*, qui à Septuaginta Interpretibus ἐπαοιδοὶ, hoc est, incantatores, & à D. Hieronymo Harioli nuncupantur, Dæmonum execrationibus dediti; originem duxerunt, Iustino, & Augustino testibus, ab Hermete Zoroastre Ægyptio, veræ Magiæ inventore, quæ deinde ab alio quodam hujus nominis Mago corrupta, & ad incantationum deliramenta deducta fuit. *Mecaschaphim*, qui à Septuaginta Interpretibus dicuntur φαρμακοὶ, veneficos vocat Hieronymus, putatque eos esse, qui sanguine utuntur, & victimis, & sæpè contingunt corpora mortuorum; & ex his derivant. *Gazarim*, sive ut Septuaginta Interpretes eos vertunt, Gazareni, Hieronymus Haruspices, sive iis qui intestinis hostiarum inspectis divinant. Atque hæ erant Chaldaicæ Sapientiæ partes, quæ à temporibus Cham usque ad Nabuchodonosoris tempora duravit, ramusque, ut dixi, erat ex Ægyptiacæ Sapientiæ quinta parte, quam Magiam vocabant, propagatus.

*Secundi ordinis, qui.*

*Baalam Videns.*

*Zoroastres Baalam.*

*Tertii ordinis quanti.*

*Quarti quid greгis.*

*Quinti quo loco.*

Ad Sacerdotes gradum facio, qui, ut puto, à Trismegisto certis collegiis constituti sunt. Nam cum videret populum liberum, dissolutum, licentiosum ac libidinosum nulla regis manu firmiùs cohiberi, quam claustris religionis, quæ animos refractarios coerceat, renitentesque retineat & quasi fascinet, ne bellis aut seditionibus erumpant, & abjugentur; sacram igitur mysteriorum doctrinam, quam posteri Hieroglyphicam dixere, ore & pectore profundo instituit, ut legem divinam humanis tam arctè copularet & innecte-

*Ægyptiorum Sacerdotum collegia enarrata.*

innecteret, ne qui frangeret unam alteram non corrupisset. Metus enim primos qui fecit in orbe deos, sub principum quoque reverentia fortissime compescit virûm colla, ut subjiciantur rationi, & quieti publicæ, audiantque justitiæ habenas. Altissimis enim sapientiæ responsis invitati Ægyptii, tum divitiarum quoque illecebris ducti, Theuthum quasi à diis internuncium, aureumque numen venerati sunt, amplexique doctrinam eo rigore servarunt, ipsi & posteritas sera, quo tot scriptores hoc ipsum de iis testatum faciunt.

*Quare sacerdotes, & quales instituti.* Verumtamen, adfert hinc Oedipus, quia humanæ voluntatis in legibus servandis caducitatem probe noverat Hermes, & ut suarum conditarum legum perpetuos successores haberet, Sacerdotum, hominum sagacissimorum, ingenio, sapientia & peritia rerum præcellentium, quibus solis ad regni successionem aditus foret, instituit Collegium; quibus artium, legumque à se conditarum normam tradidit, eosque juramento adegit, ne præter ordinis sui homines, eandem ulli alteri communicarent. Ipsi igitur ab Hermete Hermetes dicti, & Sacerdotes, & Prophetæ: quibus sacrificiorum, rituumque in Numinibus qua colendis, qua placandis præscriptas leges, veluti optimam hæreditatem reliquerat. Sed quia soli sacerdotes tantæ moli insufficientes putabantur, iis varios veluti regni coadjutorum ordines idem substituit. *Ordinum substitutorum primus,* Quorum primi erant Cantores, qui dubia ex legum Mercurii Digestis circa Deorum hymnos & laudes exorta solverent, rationes vitæ regiæ ad supremarum mentium ideas dispositas edocerent. *Alter,* Secundi verò ordinis Horoscopi, qui symbolum habebant horologium & palmam, hos quatuor Mercurii de Astrologia libros alto pectore imbibisse oportebat; illorumque officium erat, temporum exactam distributionem in Deorum cultu peragendam observare, legum traditarum certis anni temporibus, dierumque solenniis populo prælegere; festorum stativas solennitates juxta Solis, & Lunæ, siderumque cursum dispositas perpetuo & constanti tenore conservare, magni enim cum primis in regno ritè administrando momenti exactam temporum partitionem esse didicerat. Tertii ordinis *Tertius,* erant Hierogrammatistæ, id est, Scribæ sacrorum, qui statutis comitiis aderant pennis in capite conspicui, manibusque librum, ac regulam, in qua & atramentum ad scribendum, & juncus quo in exarando utuntur, tenebant, quos quidem hieroglyphicorum notitiâ apprimè instructos, scientiam exacte callere oportebat de mundi dispositione, terrarumque situ, de ordine quoque Solis & Lunæ, uti & cæterarum quinque planetarum, Ægypti, adhæc Chorographiam, Nili descriptionem, verbo, omnia quæ quovis modo ad sacrorum ritus & cæremonias, uti sunt, instrumenta, ornamenta, locorum singulis Geniis dedicatorum notitiam, mensurasque, juxtà sacrarum sculpturarum præscriptum requiri videbantur. Quarti *Quartus,* ordinis erant Stolistæ, qui justitiæ cubitu, & calice ad libandum instructi, consuetis comitiis & conciliabulis aderant: quorum officium erat, ea omnia, quæ ad sacras disciplinas, & instituta pertinebant, ad ea inviolabili rigore servanda, & illibato vigore custodienda sollicitare, & si quæ à primo rigore defecissent, summô studiô, curâ & sollicitudine instaurare; præthereà sacrificia oportuno tempore peragere, sacra λοχοφεραγιστικά, id est, quæ Apides, seu Vitulos sacros, quà consignandos, quà mactandos concernebant, disponere. Quinti ordinis erant Prophetæ, qui *Postremus.* symbolum habebant hydriam in manu gestatam; atque horum officium erat, de rerum in comitiis agitatarum eventibus judicare, sinistros eventûs à prosperis per auguria cæterasque divinationis species discernere; tum vectigalium quoque distributioni præesse.

Atque hi sunt ordines sacerdotalis dignitatis, quorum authoritate, consilio & prudentiâ totius Monarchiæ Ægyptiacæ moles, veluti fundamento insistebat. Erat autem tota politicæ *Libri Hermetis de re Ægyptia in Sacerdotes divisi.* doctrinæ, & philosophiæ Ægyptiacæ ratio XLII libris à Mercurio comprehensa: quorum XXXVI dictorum quinque ordinum viri, potissimùm X, quibus universa sacerdotalis doctrinæ ratio, uti & hieroglyphicorum arcana scientia continebatur, mente tenere obligabantur:

ut obortis in Regno difficultatibus, dissidiisque, quomodo secundùm traditas leges maturè iis occurrendum, promptâ mente dispicerent. Sex verò reliquos ii tenere debebant, qui παϛοφόροι, Medici, sive Palliati dicebantur; continebant autem omnem medicandorum corporum rationem, per universam Ægyptum observandam, videlicet, de corporum constitutione, complexione, membrorumque singulorum anatomia, de morborum varietate & affectionibus, de instrumentis Chirurgicis, de medicamentorum usu, qualitate, & præparatione. Disertim illa omnia comprehendit Clemens Alexandrinus, libro sexto Stromatum, excerpta ex appellati sibi Philistii Syracusani libris duodecim, de religione Ægyptiorum. Sed cùm iis, quæ jam tenes, ampliora inde non haurias, in idem eadem repetere supersedemus, ritusque cæremoniarum Ægyptiarum, quem ordine ille enarrat, ex classibus secundum dignitatem propositis atque ita procedentibus eluceat. Et tota quidem Ægyptiorum politia ex Regibus, deinde ex Sacerdotibus, quintuplici ordine distinctis, deinde ex Plebæis, triplici agmine divisis, agricolarum, opificum, militum, constabat; hieroglyphica tamen sapientia, maximarum rerum arcana & sacramenta continens, nullis nisi queis ad Regni solium spes erat, sacerdotalis ordinis hominibus, sub arcto & rigoroso silentio in adytis tradebatur.

*Hermetis libri medici quibus concessi.*

*Hieroglyphicorum notitiâ cum spe regni conjuncta.*

Et quoniam non tantùm in Thauto Trismegisto sacerdotium cum regno concurrebant, iis temporibus ubique fere connexa, & quorum perpetua conjugia in primogenituræ jura desponsata erant, pari nimirum veneratione & deorum cura; sed & ipse Pharao ex Sacerdotibus semper electus & ab iisdem in solio constitutus, per omnem vitam eorum lumine sapientiæ radians consiliis muniebatur, ut hinc meritò sapientum filius audiat *: igitur hunc locum ejus commemoratione, quantum ad mores & vitæ instituta, exornari commodum ducimus, nimirum ut his expositis de ipsis pontificibus ab regis majestate proximis, sed hieroglyphicorum divinitate magorum omnium primis, ac si abfuisset delirans idololatriæ inanitas, humanæ sapientiæ princibus, videamus, & tandem ad ipsas notas felicius progrediamur. Reges igitur Ægypti, ut Diodorus meminit, vitam non aliorum regnantium more, quibus voluntas pro lege est, traducebant licentia, sed legum instituta in cogendis pecuniis, quotidianoque victu sequebantur. Eorum cultui obsequioque nullus deputatus erat neque emptitius, nec mancipium, neque servus, sed nobiliorum sacerdotum filii, tum ultra viginti annos nati, tum doctrina præ cæteris eruditi, ut horum corporis ministrorum die noctuque astantium conspectu motus Rex, nil turpe committeret; rarò enim potentes rerum mali evadunt, ubi desunt suarum cupiditatum ministri; institutæque erant diei noctisque horæ, quibus Regi, legis permissu, agere fas erat; manè surgentem Regem primò Epistolas omnes missas capere oportebat, ut cognitis his, quæ sibi agenda essent, responso dato, singula in tempore, & ex ordine rectè agerentur. His actis, cùm in virorum excellentium cœtu lavisset corpus, vestem præclaram indutus sacra Diis faciebat. Mos erat Sacerdotum principi, juxta aram hostiis deductis, astante Rege, magna voce, audiente populo, valetudinem prosperam omniaque bona precari, Regi justitiam erga subditos exoptare, narrare insuper particulatim Regis virtutes, in Deos pietatem ac religionem, in homines summam humanitatem, tum illum continentem dicere, justum, magnique animi, veracem, liberalem, omnesque frænantem cupiditates, pœnas insuper mitiores, quam postularent errantis crimina, exigentem; reddentem verò gratiam meritis ampliorem; plura his similia orans, summam his execrationem in malos exequebatur. Tum Regem culpa purgans, omne crimen in ministros, qui Regi iniqua suaderent, conjiciebat. Quibus actis Sacerdos & Regem ad felicem Diisque gratam vitam hortabatur, & simul ad bonos mores, agendumque non quæ suaderent mali, sed quæ ad laudem & virtutem maximè pertinerent. Demum cùm Rex Diis sacra fecisset, Sacerdos nonnulla è sacris libris clarissimorum virorum consilia,

** apud Esaiam supra citato loco.*

*Rex cum Sacerdotibus quâ notâ omnibus, quove ordine nobis.*

*Ægypti rex quàm rectè coluerit vitam,*

*quos ministros habuerit,*

*tempore matutino quid fecerit,*

*& quomodo diis,*

*quámque benè populo:*

*quo fine,*

*quo exemplo cuncta.*

*Princeps leges publice & privatim tolerabat.*

lia, actaque proferebat; quibus Rex monitus imperio piè & justè aliorum exemplo uteretur. Non autem pecuniis congregandis, vacandi judicandique legibus solùm antiquis, sed deambulandi quoque lavandique, & cum uxore cubandi, omnisque degendæ vitæ tempus erat lege præstitutum. Cibo vescebantur simplici, ut quorum mensæ nil præter vitulum & anserem inferretur; vini potandi certa constituta erat mensura, qua neque farcire ventrem, neque inebriari possent; denique ipsorum vita ea tenebatur modestia, ut non à legislatore, sed à peritissimo Medico ad conservandam sanitatem composita videretur. Mirum sanè est, Ægyptios non ex voluntate, sed ex lege privatam vitam agere, nec judicandi, pecuniam congregandi, aut quenquam ex superbia, ira, aut aliam injustam ob causam puniendi, illis permissam licentiam, sed veluti privatis teneri legibus; neque id ægrè ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore. Nam ab his, qui suis indulgerent cupiditatibus, multa censebant fieri, quibus damna, pericula que subirent. Scientes enim sæpiùs se peccare, tamen aut amore, aut odio, vel alio animi morbo victi, ad hoc se induci confitebantur. Qui verò sapientia, consilioque vitam instituebant, in paucis offendebant.

*Mensæ regales.*

*Omni in vita præscriptis uti.*

*Populus erga reges, singularis exempli,*

Hac usi erga subditos justitia Reges omnium benevolentiam adeò assecuti sunt, ut non solùm Sacerdotibus, sed singulis Ægyptiis major Regis, quam uxorum, filiorumque aut aliorum principum salutis inesset cura. Vita verò his moribus defunctum, omnes communi mœstitia lugebant, vestes lacerabant; templis clausis, fora non frequentabant; festa solennia non agebant; dies 72 luto deturpantes capita, & sindone subtus mammas cincti, una viri, mulieresque ducenti ferè aut trecenti circumambulabant, bis in die novantes luctum, atque ad numerum cum cantu virtutes Regis commemorantes: cibis animantium coctisque, ac vino, omnique mensæ apparatu abstinebant: non lavacris, non unguentis, non stratis lectis, non venereis utebantur, sed tanquam defunctum filium per eos dies mœrentes lugebant. Hoc tempore, quæ ad pompam funeris spectabant præparatis, postremo die corpus in arca conditum ante sepulchri aditum ponebant: ibi breviarium in vita à Rege gestorum de more curabant; volentique facultas dabatur defunctum accusandi. Astabant sacerdotes, mortui recte facta laudantes: populus is immensus erat, qui exequias circumstabat, applaudens veris laudibus, ut in reliquis magno reclamans tumultu. Quo accidit, ut plures Reges, repugnante multitudine, solito caruerint sepulchri honore & magnificentia; is timor coëgit Ægypti Reges justè vivere, veriti post mortem plebis iram, atque odium sempiternum. Et hic maximè Regum antiquorum vivendi mos fuit.

*præcipue circa fata defuncti.*

*Insepulta sepultura, in pœnam.*

Super hæc de reditibus Sacerdotum, regumque ad munera & onera necessariis, referre attinet. Omnia itaque regni vectigalia trifariam partita erant: priorem portionem percipiebat Collegium Sacerdotum, magna apud incolas authoritate, tùm propter Deorum curam, tùm propter doctrinam, qua plures erudiuntur. Hanc partem tùm ad sacrificiorum ministeria, tùm ad privatæ vitæ commoda impertiebant; neque enim Deorum cultum omittendum putabant, neque publici consilii utilitatisque Ministris æquum censebant, vitæ commoda deesse; aderant enim gravibus in rebus hi semper consilio atque opere Regibus, tùm astrorum peritia, tùm verò sacrificiis futura prædicentes. Ex libris prætereà sacris priorum gesta referebant, quibus Regis in agendis noscant, quæ sint profutura. Non enim, quemadmodum apud Græcos, unus homo, aut unica mulier sacris præest, sed plures in cultu Deorum honoreque versabantur, qui eandem sacrorum curam filiis tradebant. Hi omnes immunes erant, secundumque post Reges honoris dignitatisque locum tenebant. Altera verò portio Regi cedebat, ad splendorem principalem, nullo insuper concesso in populum tributo. Tertiam denique milites capiebant, perpetuo auctoramento. His omnibus ægricolæ pro gleba annuam pensionem præstabant, continuæ culturæ præceptis & parentum & propriæ observationis excultissimi: sicut & pastores curâ atque arte

*Reditus & munera sacerdotum,*

*Regisque,*

*Militumque.*

*Agricolæ.*

arte regendi pecoris à patribus accepta, per ætatem exercebantur; & artes cunctæ successiva traditione colebantur, Soli enim Ægyptii opifices omissa Rerumpublicarum curâ, nullam nisi aut legibus permissum, aut à patre traditum opus exercebant; ut neque eos docentis invidia, neque civile odium, neque aliud quid ab instituto impediret exercitio. Verùm de sacerdotibus hieroglyphicorum Præceptoribus & custodibus perpetuis, quæ suscepimus pertexere non extra rem excedere puto, quum multis modis & ad præsentia hieroglyphicorum principia, & ad singularia infrà exponenda facere videantur. Sacerdotum itaque & Vatum ratio, Platone teste, magnanimitate, intelligentiâ, & claritate abundans, propter eorum quæ tractant magnificentiam, meritò effecisse videtur, ut nullus apud Ægyptios ad regni administrationem admitteretur, nisi sacerdotali titulo gauderet; imò si quis ex alio genere regnum vi usurpasset, obtinentem initiari sacris oportebat, ut non magis rex esset quam sacerdos. Assumebantur autem in sacerdotium viri apti ad regnum, nimirum qui ingenio potentes erant, & eruditi, sacerdotum regumque filii: hos ne divinum à prædecessoribus inventum extra sacerdotalem Ordinem pluribus proderent jurandum interponere mos erat, sic enim & disciplinas, & ipsarum cultores in majori apud omnes cultu & æstimatione futuros confidebant. Inauguratio eorum, ut cætera sacra, ad supremi Numinis, Hempta, similitudinem composito ornatu peragebatur in adytis, sacerdote summo qui cidari seu tiara, sapientiæ symbolo, conspicuus, throno, potestatis summæ signo, insidebat, Numinis vices referente. Hoc enim numen, in adytis pari symbolorum apparatu effigiatum, indicabat apud ipsos absolutissimum dominium & jus in omnia rerum à se productarum genera, generumque à se dependentiam; nudumque exhibebatur, quia id ab omni rerum materialium contagione longe remotissimum, nullius indigum, sibi ipsi solum sufficiens esset: à quo, quum intellectualis mundus, sidereus & politicus, quicquid boni habet, secundum analogiam quandam participare crederetur, hinc ut actiones eorum ipsi conformes & analogæ essent cuncta ita instituebant, nullam aliàs ab iis efficaciam obtentatura. Nempe ut operationes eorum in sollicitatione deorum majorem vim haberent, & sacras quasdam tabulas, * iis hieroglyphicis quæ maxime numini, quod urgebant, congruebant adornatas, in adytis ponere soliti sunt; quas tum ex abdita sacramentorum, quæ ibidem peragebantur, virtute, tum deorum particulari influxu, magnam vim acquirere putabant ad id, quod à numine petebatur, impetrandum. Erat autem Hemphta idem qui Osiris supramundanus, omnium rerum moderator, quem mundo in duodecim plagas, juxta Iamblichum, diviso præfecerant. Hic unus est in insensibili mundo cum Momphta summo humido-calidi moderatore; quanquam in mundo sensibili, ob effectuum diversitatem, differant. De hoc quamvis profunde concepto dogmate, antecedat tibi sententia Dei Viventis & Videntis solius, per Moysen tradita, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra:* viderat nimirum populus imaginem Loquentis ejusdem nullam. de cætero deinceps explicatiora dabimus. Porrò sacerdotes Ægyptiorum cydarin seu mitram vertici imposuisse docet Plutarchus in Isi & Osiride, & Apulejus in sua Metamorphosi. Erat autem, uti Eucherius asserit, κίδαρις pileus sacerdotalis ex bysso, quem nonnulli tiaram, aut mitram vocant. Hoc sapientiæ symbolum fuisse, author est Hesychius Hierosolymitanus, eò quod in cerebro sapientiæ organum esset à natura constitutum. Quo quidem sacerdotes, utpote ad regni administrationem electos, perpetuò & unicè sapientiæ studio vacare debere, ostendebatur, indicatum & pennis accipitrinis, quas operantes sacris in capite gestare solebant, ut est apud Clem. Alexandrinum lib. VI Stromatum. Lineis verò vestibus, non laneis, usos eosdem, jam advocati Plutarchus cum Apulejo ajunt: idque ideo quod vestis ex lana excrementitia animalium superfluitate, sacerdotum puritati contraria, originem sumeret; linea verò quod be-

origi-

*Opificibus quid rei, curæque fuerit.*

*Sacerdotum veneratio,*

*& ritus inaugurandi.*

*Hemphta in adytis, quâ mente amentibus.*

* *De sacris tabulis, deque adytis paulo post sequetur.*

*Hemphta & Osiris supramundanus idem aliquando atque Momphta.*

Exodi 20. & Deuter. 5.

*Cidaris seu mithra sacerdotalis.*

*Vestis sacerdotium ex lino.*

neficæ matris telluris immediatum germen, (florem cœruleum, qui color ætherius, producens, hinc thyrſum variè præparatum ut tandem telam ſuppeditet, veſtibus ideò ſacris conficiendis, ut eſt apud Porphyrium, convenientiſſimam,) ex hoc haberet exordium, & candoris ac puritatis, quæ in ſacerdotibus, perpetuò Deorum conſortio gaudentibus, elucere debebat, Symbolum eſſet. Hinc Sacerdotes Ægypti ter in die ſe aquâ Nili laviſſe, patet ex Chæremonis verbis, apud Porphyrium libro IV: *Ter in die lavabantur frigida, cùm cubitu ſurgerent, cùm pranſuri eſſent, cùm denique cubitum irent. Cubile ipſis erat ex palmarum virgultis, quas Bais appellant, intextum.* Scilicet dum ſe lavarent aquâ Nili, ſimul participare cœleſtis Nili aquam, ſuperſtitioſa vanitate credebant, & per hanc animo præparato haurire Nili ſupramundani lympham, qua irrorati, vitam ſe conſecutos omnis miſeriæ incapacem, Deorum conſortio beatam. Sic enim efferebant Nili fluvium, ut partibus hunc orbem excellentibus conferrent, tripartitum facientes, ſupramundanum, cœleſtem, & elementarem Ægyptium; quorum ſinguli largirentur aquam animo corporique ſalutarem. Raſo inſuper capite erant, capillos, ungueſque impura judicantes: & præterea cæremonias multas obſervabant, quibus philoſophari laudi ſibi ducebant. Nam & unicam tantum uxorem habere Sacerdotes jubebantur quum cæteris ex populo pro voluntate & facultatibus plures ducere liceret. Filios deinde ſuos erudiebant ad ſacerdotalem vitam, & in literis tum ſacris, tum quæ ad communem ſpectabant doctrinam, ut plurimum Geometriæ, Arithmeticæque ſtudio intenti; Muſicæ verò, in quantum ea ad naturæ ordinem rerumque conſenſum in mundo contemplandum conducit, vacantes.

*Lavatio ſacerdotum quotidiana.*

*Triplex Nilus.*

*Pueri eruditi ad inſtituta patrum.*

*Parcitas vitæ fructibus expletur.*

Vniverſis, quanquam abundantiſſima in provincia, neque ulli Ordinum dura, tenuis & pene inops victus fuit, non macro pauperibus agro, aut quod nulla fœtura prata veſtiret, vel gregem augeret, egentibus, at ſulcos feliciſſimos cum lætiſſimis paſcuis, quæ diuturno regni otio non inſuetis graveis tentabant fœtas pabulis, & ære turgidos montes & aurifera littora colentibus, tamen ob magnam continentiam contentis parvo, ſecundum naturam, præſcriptove aut etiam de ſolitis deminuto uſis, ob animi corporiſque curam. Ita primò liberos ſuos tam parva communiter levique impenſâ educabant, ut credi vix poſſit: omnis enim ſumptus in illos, donec ad ætatem pervenirent, non excedebat drachmas viginti. Nam tum ſcirporum tum aliis radicibus, quas ſub cineribus coquebant, tum caulibus paluſtribus aſſis, aut coctis, vel crudis pro cibo datis ab incunabulis nutriebant. Haud offenſis itaque cibi multitudine ſpiritibus vitalibus, præſertim in tenera illa ætate, ſed ex modico & facilè interdato auctis humoribus & caloribus, magis cœleſtem & brevem minus vitam ſibi peperere. Ab omnibus enim, quæ vel intento ſapientiæ ſtudio obeſſe poſſent, ita abſtinebant, ut ne ſalem quidem, eò quòd ad manducandum, bibendumque appetentiores redderet, adhiberent; ob eandem cauſam & Nili lymphâ, quum corpora faciat obeſiora, nunquam utebantur: ſatiùs enim putabant levi & expedito corpore animum includi, quominùs ejus divinitas opprimatur: nam, ut rectè ſenſit Galenus, animus adipe & ſanguine ſuffocatus cœleſte aliquid prævidere non poteſt. Alludit huic ſententiæ egregium dictum Iarchæ Indorum Regis & Philoſophi, quo Apollonium Thyanæum alloquebatur, hoc modo: Non equidem miror Apolloni, te omnem divinandi ſcientiam adeptum eſſe, cum tantum in corde tuo aëris geras. Ita & reges ex inſtituto ſacrarum literarum mediocriter admodum bibiſſe, ſupra diximus, autore Hecatæo; eò quòd Sacerdotii dignitate initiati eſſent; præſertim vinum; quod nec diis quidem (quum id eorum, qui olim cum diis dimicârant, ſanguinem putabant) tanquam gratum offerebant. A piſcibus quoque plerique, veluti triſtitiæ & malorum ſymbolo, quia devorarant quod de Oſiride in Nilum Typhon injecerat, & excrementitio elemento natis, abſtinebant: cæpas quoque averſabantur, eò quòd appetitum Venereum excitent, & lachrymas provocent, ut Xenophon teſtatur; adde eas illiberali ſuo odore à Sacris cohibitas, atque eâdem de cauſâ

*Mirè parvum pueritiæ nutritium.*

*Cibus facile victus optimus victui.*

*Prohibentur Sacerdotibus cibi quidam.*

*Corpus & ſpiritus ſerenat continentia.*

*Frugalitas in rectoribus regia.*

*Abſtinetur à vino,*

*Et piſcibus, præſertim Oxyrincho, Phagro, aut Lepidoto,*

*à cæpulis quoque.*

*Suina caro horridula Sacerdotibus.*

*Suis cum Crocodilo naturæ consensus.*

allium gustantibus introitus in magnæ matris templum interdictus videtur, ut Athenæus tradit. Sues quoque cùm ob salaciam, tum immunditiem carnis, lepram psoramque progenerantis, tum, quia porcis animam pro sale datam rebantur, denique ob sympathiam quandam, quam cum crocodilo Typhonis symbolo habent, detestabantur. Quibus omnibus innuerunt, Sapientiæ studiosum voracitati, deliciisque, & gulæ irritamentis nuntium mittere debere. Nam cum summi Numinis felicitatem rerum omnium optimarum & pulcherrimarum cognitione constare inprimis existimarent, atque ex eo, quod non præsentia, sed futura & præterita intelligit, immortalitatem jure illi tribuerent, ab omnibus, quæ aliquo modo eam impedire possent, abstinebant. Et inde non malè Persarum Magi ad melius philosophandum, omnibus ciborum condimentis spretis, solo victitabant nasturcio. Et rectè, quoscunque mortalium ad immortalitatem atque adeò divinitatem anhelantes amore sapientiæ, & veritatis dulcissimæ, omnium rerum voluptatem negligere, & castitatem, primum illius divæ limen, Scriptura teste, cæterasque animi domationes, summas sub Jove victorias, exercere videmus. Hoc Græci omnium commodissime significarunt, quum Ægyptiorum Deam Isim, quasi scientiam, ejusque hostem Typhonem, id est, ignorantiam mysticè appellarunt. Cujus Deæ sacra ideò parcitate victus & ciborum quorundam abstinentia, cæterarumque voluptatum, potissimum Venereæ, cohibitione celebrant. Quibus omnibus puritas mentis, & acumen ingenii scientiæ causâ exquirebatur. Vnde & illius Sacrarium Isævm, id est, scientiæ diversorium appellarunt: & ipsam ideò alii à Mercurio, alii à Prometheo natam dixerunt; quorum alterum sapientia & providentia, alterum Grammaticæ & Musicæ inventio illustravit.

*Victus ratio Persarum.*

*Et à Typhone vinci dolentium.*

*Sapientiæ ansa Castimonia vitæ.*

*Palatum, non cor, sapit Ægyptiorum plurimis.*

Nec tamen non penetravit in Ægyptum, aut nata potiùs variis in angulis terræ Cham, maxima luxuries, & socia segnities, ut Menes & qui ipsi gaudebant, non minus suo abdomini quàm ulli pecudi servientes, semicanibus diis aut dominis semisues opponerentur servi. Menes enim rex Ægypti [qui ipse Mithras putatur, & primus Obeliscorum commentor, propterea quod quæcunque de illo dicit author unus, de hoc nomine adserat alter; sed & idem facilè videatur qui Vechorius, seu Vexores, quum scriptorum alii Memphin conditam utrique dent] mensas & lectos apparandos cubitoribus monstrasse, primusque neglecta frugalitate deliciarum author fuisse traditur; à cujus familia, sive sectatoribus, ut est gratissima in vulgus, & firmissima in seculum voluptas, quæcunque in his gentibus vel ignaviæ, vel luxuriæ, vel denique avaritiæ, commistorum hinc inde vitiorum, probra dici ac commemorari queant, tanquam ex fonte videantur promanasse. Quàm verissima Hesiodi sententia est, stultos homines, quos nimius voluptatis appetitus transversos agit, ignorare, quanta foret utilitas in malvâ & asphodelo. Et hinc apud Diodorum à Technate Vechorii patre Thebis in templo columna dicitur posita, execrationes contra Menidem servans, qui Ægyptios ab inopi & frugali victu ad pecuniarum usum deduxisset. De confusione Memphis conditorum, Menidis sive Mithræ, & Vexoris, seu Vechorei, cujus præterea varia nomina sunt apud authores, commodùm notari potest, quem suprà supposuimus, plurativus uno tempore rectorum numerus, diversæque Heroum, Pastorum ac Politanorum gentes, vel fabulæ, non minus totis turbatæ scenis, quàm singulorum personis. Igitur Oedipus rem, quæ hunc locum concernit, ita decidere conatur. Circa eadem tempora, quo Menas primus in Ægypto regni tenebat gubernacula, Inachum apud Archos prima quoque regni Archivorum fundamenta jecisse: erat huic filia Io * nomine, quam postmodum eò quòd sub bovina forma visa esset, mutato nomine Isidem nominarunt. Erat Inacho quoque filius Phoronæus*, qui & Bos Phoronæus appellatus est, patris in Argivorum regno successor. Cui Apis denique tertius Archivorum rex, successit, qui resignato regno Ægialæo, ipse cum suis in Ægyptum migravit, ubi divinos honores meruit, Serapis vocatus. Ex tribus itaque

*Mithras vel Menes cum Vexore.*

*Parcissimis gaudet militia sapientiæ.*

*Vapulat Menes perpetuò.*

*Multitudo rectorum & errorum.*

*Confusa Heroum scena composita.*

** Isis Assyrica vel Archivorum, non Ægyptia.*

** an ab hoc Pharaonum origo?*

que his bovina metamorphosi infamibus regibus, Apide, Bove Phoroneo, & Bovina Iside, nil facilius fuit, præsertim Ægyptiis hominibus ad fingendum pronissimis, quàm unum aliquem Epaphum conflare; quem quia eo ipso tempore, quo Menas Memphim condebat, floruisse sciebant, conditorem ipsius dixerunt, eique in eodem loco à se condito postmodùm bovem, in quem transmutatus credebatur, in septo quodam nutriverunt, quem Apim dicebant. Præterea cùm sub idem tempus, uti diximus, Menas, Mithras, Osiris, Vexores, diversi in uno comprehensi reges regnârint; Osiris autem, sicut & Persarum Mithras, quem eundem cum Mene diximus, sub forma bovis coleretur; mirum nemini videri debet, si primum Ægypti regem & conditorem Memphis promiscua omnium denominatione appellaverint.

*Ægyptiis figmenta prompta sunt.*

*Bovi agricolæ cultus iniquus.*

Satis longe cum Mena, cum Vexore provecti, relinquimus sive unum sive alterum, in sua utriusque Memphi; & Heliopolim redimus, ad urbem sacerdotalem, propriam nimirum sedem Sacerdotum, & hieroglyphicæ Sapientiæ palæstram. Ægyptus enim omnis dedicata & disposita erat ad Rempublicam Deorum; in qua præter alios ordines, triginta Decanos, sive Ephoros & Οἰκοδεσπότας appellat Mercurius, ita ut singuli singulis Nomis [decem in superiori parte Ægypti, Thebaide; totidem in mediterranea, sive Memphitica; reliquis in inferiori plaga, à figura triquetra, quam Nilus ad Memphim bipartitus, lateribus in basin maritimam abeuntibus, describit, Delta dicta] veluti custodes quidam Genii malorum Averrunci præessent: huic verò dispositioni, quæ Ægyptum totius universi pantheon faciebat, iterum opposuerant in Metropolitanis regni urbibus, Thebis & Heliopoli, certa quædam & quàm sumptuosissima delubra, quæ quicquid vario cultu tota complecteretur Ægyptus, analogo quodam ordine ad templum universi parallelo, & religionis amplivagæ difformisque compendio diversitati nationum celebrandum proponerent; callido invento ad varis religionibus nomos congregandos unum sub nomen. Descripsit hujusmodi delubra Strabo libro XVII; & breviùs Arabs, Abenephius: *Est autem in Ainschems* [hoc est, Heliopoli] *fabrica, cui tot domus perhibentur esse, quot curiæ antiquitus in Ægypto censebantur, & unaquæque ex iis habebat Telesman & idolum, quod colebant pro salute terræ in qua erat curia.* idem, & numerum præfecturarum determinat: *Erantque præfecturæ triginta juxta numerum dierum Mensis unius è duodecim.* Nimirum cùm singulæ dies mensis cujusdam alicui ex triginta Numinibus dedicati essent, magnâ curâ eum diem celebrabat tribus seu curia cui illud numen erat; quem morem à primævis Ægyptiis hausisse, Plato in Critia docet. Heliopolis verò, hoc est, civitas Solis, una ex primariis totius Ægypti urbibus erat, Memphi magnitudine & cultu deorum nihil inferior, religionis autem sede, summorumque Pontificum habitatione multo illustrior. Dicitur Heliopolis apud Græcos, Latinis Solis urbs; aliquibus cum Monf sive Memphi confunditur, quod apud Arabes nonnullos utrique nomen factum est Mesræ, quanquam illa ultra, sed Solis civitas cis flumen sita fuerat, ambæ verò in deliciis Pharaonum. Arabibus *Ainschems* nuncupatur, quod est oculus seu fons Solis, ob cultum solarem; cujus numini, quod putabant, templum posuerant speculo mirifico celeberrimum, nimirum tam artificiosa oppositionis ratione, ut Solis radiantem faciem integro die referret, totamque ædem lumine suo illustraret; cujus artificii modum, longiorem quàm pro hoc loco, vide apud Kircherium in Oedipi sui Mechanica. Hac ratione dicta & *Bethsemes*, ut est apud authori nostro citatum Rasse in Micra haggedola ad XXX Ezechielis: *On civitas Ægypti dicitur in lingua barbara Betsames vel Ainsemes, id est domus vel oculus solis.* Hebræis enim, Scriptura teste, On dicitur, iisdemque illam ipsam Ramessen esse, ex eorum Rabbinis innuitur, quum nempe & ipsum etymon On satis demonstret illam fuisse quam Ramessen appellatam, forte novo nomine, Pharaonum immanissimus extruxerit lateribus Israëlitæ, filio primogeniti Dei, duplicatis; quippe quod nihil aliud significat quàm fortitudinem, divitias, honorem, quibus ordinarie conjunctus est suppressio, labor & dolor, super

*Repetitio propositi.*

*Ægypti divisio mysteriosa.*

*Ægyptus Templum universi,*

*ut Heliopolis per repræsentationem Ægypti.*

*Delubrum Heliopolitanum & Thebanum.*

*Heliopolis, urbs Solis,*

*& Ainschems,*

*& Bethsemes,*

*in Scripturis On,*

*& Ramesses dicta.*

*On nominis notatio.*

super innocentes. Et potentiam procul dubio infinitam urbi Pharaonum thesaurariæ, * omnium idololatricæ superstitionis flagitiorum sedi, fuisse crediderim. Optimè verò ad nostram rationem descripta est Straboni: *In regione Heliopolitana, Solis urbs est, aggeri magno imposita; Solis templum habet, & Mnevin bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum & Apis à Memphitis. Nunc omnino urbs deserta est; habet autem pervetustum templum Ægyptio more constructum, quod multis & manifestis indiciis Cambysis insaniam ac sacrilegia demonstrat, qui templa partim igni, partim ferro devastavit, mutilans, exscindens, comburens, uti & Obeliscos, quorum duo Romam delati sunt, non omninò corrupti.* Quod hîc de duplici bove, & paulò ante de Vrbium nomine Mesra, aut superiùs de Memphis diverso conditore dictum est, non magis declarat lapsum & errorem antiquariorum, quam ipsius rei, fabulosâ & desertâ nimis antiquitate; in qua dum cupis quid integrum sit, aut quid non, insistis, nisi si Sphynx sis aut Oedipum qui adjutet acceperis, plerumque pro numine nubem; & pro lucis scintilla favillam aliquam capies, adeò sunt extra terminum memoriæ posita cuncta, ut veri repetentiam falsa detrahant, & horum adjectionem non rejectent illa. Sed On demum, aut Heliopolim illam ipsam ducimus, in qua & Obeliscorum præcipua scena, & Hieroglyphicorum schola, & sedes præceptorum fuerit: ubi nimirum & Potiphar socer ille Sophompaneæ, Iosephi, habitaverat, secundùm Scripturam, &, si divinæ huic testi conjungere fas est alium, rabbi Eliezer, qui hunc ipsum philosophum magnum præsidemque literarum & cultus Solis appellat. Quanquam non hoc solùm loco, sed per universam Ægyptum, ubique enim & ipsi Obelisci quam numerosissimi fuerunt, Osirides & Hermetes, hoc est, & erectores & interpretes literatorum lapidum, amplissimè habitarunt. Sed in hac Solis urbe præ cunctis effulsit studium hujus consummatissimæ doctrinæ, cui Ægyptios ante omnes mortalium impensius incubuisse, Plato tradit in libro de Repub. Et Aristoteles, quanquam aliorum laudibus, & ipsi Platoni præceptori suo invidens dicatur, in quo certe & nostrorum temporum viros nonnullos, laudibus ipsi literarum non dissimiles, pares, proh Musam, inveniat; omnium aliàs philosophorum numen & quasi vis quædam major sapientiæ, Aristoteles; at horum tamen hominum, qui quot sæculorum sæculis, tot Magiæ sublimioris parasangis ante illum sunt, honori & laudi non detrahit, etsi artis occultationem non probârit: quod patet ex mystica sua Theologia juxta mentem Ægyptiorum à Platone oretenus accepta, lib. XIV, cap. XIV. *Sapientes Babylonii & Ægyptii acumine mentis introspexerunt intellectualis mundi species, complexi scientia aliunde tradita, vel ex seipsis inventa, quam etiam professionem ipsi sibi vendicarunt: siquidem enarraturi aliquid utebantur doctrina intellectuaria, non autem humanaria, (ut nonnulli alii, qui consulentes eos, adhuc non sibi visi sunt satis firmiter discere ex sententiis locutione redditis,) conceptusque animorum acceptos scribebant, uti oculata fide legimus, in lapides per figuras, idem in omnibus scientiis artibusque facientes, quos locabant in templis tanquam paginas perlegendas; talesque aderant libri eorum utensiles. quod fecerunt ut indicarent etiam quod intellectus agens immaterialis creavit omnia secundum propriam essentiæ cujuslibet rationem, similitudinemque; quale optimum fuit pulcherrimumque documentum, per quod utinam etiam indicarent, qua ratione attingerent formas illas mirandas & abscònditas, sic enim illorum sacramentum esset laude dignius, qualis conditio paucis viris contigit.* Quàm præclarè eorum conterraneus lib. VIII. Ennead. V, c. VI. *Videntur verò mihi sapientes Ægyptiorum sive consummata quadam sapientia, sive naturali etiam mentis instinctu, ubi constituerunt sapientiæ mysteria nobis significare, non usos fuisse figuris literarum significaturis sermonis discursiones & propositiones quasdam, & imitaturis voces pronunciationesque regularum; sed potiùs describentes imagines rerum singulas singularum, easque depingentes, in sacris clam rei ipsius discursum significasse. Quod videlicet scientia & sapientia quædam sit unaquæque imago sive exemplar, & subjectum illud spectaculum totum unà collectum, neque sit excogitatio quædam neque consilium. Posteà verò ab ipsa imagine exemplari, sive sapientia simul tota simulachrum in alio quodam fiat jam evolutum, atque loquens in discursione quadam, & causas propter quas* ita

*Ita nonnullis locus Exodi I.*

*Non unus Ægyptiis cultus bovinus.*

*Heliopolis præcipua Hieroglyphi officina.*

*De magistris suis Plato.*

*De iisdem Philosophus.*

*Plotinus.*

*ita res institutæ sint inveniens, dum videlicet dispositio rerum, quod ita se benè habeat, movet admirationem.*

*Adyta sacerdotum famosa,* De adytis Ægyptiorum jam aliquoties facta mentio, propria hieroglyphicæ sapientiæ schola, & sacrorum sacerdotalium officina: ad eorum itaque perlustrationem sicut agenda res nostra nos invitat, ita commodum hic se locus obtulit. Per tenebras eorum, Lector fraterne, Christiani luminis tui candor locorum penitiora præeat, quæ mentis sit intentio evolvat, quæ vanitatis actio discutiat. Nihil verò celebrius quondam fuisse his cryptis, sat monstrant Pythagoræ, Clemente teste, & multorum Philosophorum ad ea visenda suscepta itinera. Erant autem adyta loca quædam solitaria, subterranea & ab omni hominum consortio remota, omnigena monstrosorum idolorum varietate referta, quibus sub symbolis hieroglyphicis deorum colendorum ratio, cæterarumque clandestinarum artium præcepta tradebantur, juxta illud Arnobii: *Pythagoras Magus, clandestinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina, & remotas furatus est disciplinas.* Meminit horum Eusebius lib. 2 Præparat. Euangel. *Certè adyta Ægyptiorum & Tyrrhenorum necromantiæ caligine damnantur, furiosæ omnino fraudes sunt hominum infidelium, & erroris meri ludibria.* Et Iustinus ad Orthodoxos: *Id temporis hieroglyphicæ scientiæ in pretio erant apud Ægyptios, quæ in adytis tradebantur lectissimis quibusque, non hominibus de trivio.* Complura hujus generis latibula, & diabolicarum artium sacraria, *Eorum magnus numerus.* Ægyptus habebat, pro numero scilicet Oraculorum, aut Nomorum seu Præfecturarum, ut Clemens Alexandrinus ait; in singulis forte regionibus numerum plurimorum, pro præsidum dæmonum modo. Innumeram enim eorum multitudinem esse, seduli inspectores referunt, quæ ad multa milliaria sese extendant, ac quotidie ex aliis alios detegi, numero, & quosvis magnificentiâ Romanis cæmeteriis multò superiores. *Mumiæ.* Nimirùm & Mumias, [quæ Persicè sunt defunctorum corpora exsiccata, certa ratione bitumine sive Asphalto circumlita] vario involucrorum fasciarumque amictu, summâ ac vix imitandâ industriâ, velatas vel infarcinatas recondere in istis vel similibus cryptis soliti erant: tutò quidem, & ut nec Nili inundatio, nec humor, qui in arido & arenaceo solo exiguus est, quicquam noceret cadaveribus; congestâ desuper plurimâ arenâ, quo magis incognitus esset locus. De descensu in hæc loca & multis visu dignis, cum Ichnographia subterraneæ fabricæ, consule ipsum Oedipum & adductos illi testes oculatos. Nonnulli in ea opinione sunt, subterraneas plurimas cavernas ad ipsum Ammonio & Serapæo oraculo celeberrimum locum, magno sacerdotum ultro citroque commeantium & ab omni solari æstu arenarumque turbinibus immunium commodo, fuisse exporrectas. *Loca cryptis unita.* Quod haud absimile vero videbitur ei, qui multa alia Ægyptiorum opera penitiùs fuerit contemplatus. Imò enarrant Arabes nonnulli, Heliopolim Memphi unitam fuisse per occultum meatum, etiam subter Nili alveum stupendo opere structum.

Hypogæa illa, vel ex vivo Alabastro excisa, variis concamerationibus veluti ingentibus aulis discriminata erant, *Facies ac habitus adytorum,* ac tam multiplicibus ambagum viarumque gyris intricata, ut labyrinthus videri possent. Totus locus obscurus erat, nec nisi luminibus illustrabatur: tam singulari autem constructus artificio, ut nihil non mysteriosi occurreret; omni quoque hieroglyphicæ doctrinæ supellectili refertus, qua, quicunque ordinis Sacerdotalis gradibus apti, imbuebantur. Muri ex omni parte pleni tum picturis, tum sculpturis hieroglyphicis. Et primò quidem pavimentum *Pavimentum,* inferioris seu hylæi mundi œconomiam, symbolico conveniente apparatu, utpote ex omni mineralium lapidumque generibus, adornato, rivulisque fœcundo, exhibebat: parietes siderei mundi *Parietes,* symbolis exprimebantur: Tholus rationem Genialis mundi designabat; *Tholus.* in cujus medio ara posita veluti centrum referebat emanationum supremæ Mentis, quæ deinde in omnium Mundorum peripheriam diffunderentur. Atque ita adytis istis nihil aliud, quàm universæ Mundorum series, repræsentabatur, ad quarum notitiam nemo aptus, nisi qui relictis sensibus, rerumque caducarum

ducarum cura deposita, totum se intra se reciperet; quod adyta ipsa reconditis suis recessibus notabant. Inter cæteras verò adyti partes aræ & mensæ hieroglyphicis potissimùm schematismis insignitæ erant, ne id in quo summa mysteria conficiebantur, mysteriis carere videretur. Mensam verò aræ loco venire, inde constat, quòd Ægyptios secuti Hebræi, Græci, Latini, aras & mensas passim confundunt. Clare hoc Arnob. libro I: *sacras facitis mensas, salinorum apposita & simulachris eorum.* Clariùs adhuc Festus habet: *Mensæ in ædibus sacris ararum vicem obtinebant:* Idem has *Anclabras* dictas perhibet; sicuti vasa quoque ænea, quibus sacerdotes in sacrificiis utebantur, *Anclabria*; à prisca voce *anculare*, quod idem est ac *ministrare*; ipsaque numina olim *Anculos* aut *Anculas*, hoc est, *ministrantes* dicta. Fuerunt autem diversis diis diversæ mensæ dedicatæ. Hinc mensæ Curiales Iunoni, Mythriacæ Mythræ, Aphrodisiæ Veneri, Isiacæ Isidi solemnes: singulæ, prout diversis deorum sacratæ, ex aliis quoque materiis, diis analogis, factæ; aureæ Iovi & Apollini, argenteæ Iunoni, Veneri, Dianæ; reliquæ turbæ ex marmore, aut ligno pedissequis eorum. Sed omnium apud Gentes origo ab Ægyptiacis his mensis sacris facta est. Et talis nimirum fuit mensa Isiaca, seu tabula Bembina [à Bembo Cardinali, ejus servatore, & contentis Ægyptiacæ sapientiæ Sacris Isiacis sic dicta,] quam Oedipus in Theatro suo Hieroglyphico, Syntag. I, exponit. Hæc, verò uti totius adyti pars fuit præstantissima, ita præ cæteris summa cura ac diligentia apparabatur; in medio quidem loci, ut reverentiam ritibus conciliarent, & ut potentiùs attraherent sollicitata idololatris numina. Vicina mensæ sacra cisterna erat, Nilotica aqua, per occultos meatus redundans, in usum rituum & expiationum. In ara positum erat primarium numen cum asseclis diis, pro loci ratione diversis; hoc nempe maximorum Deorum & omnium Geniorum seriei tam reconditum symbolum putabant, ut non tantùm summorum mysteriorum abditos recessus notaret, sed & ad quemcunque voluissent Geniorum, per horridas & execrandas adjurationes, analogosque ritus & cæremonias sistendum, efficaciam haberet infallibilem. Ad hujusmodi abominationes, etiam apud Hebræos peractas, videre locus ille videtur Ezechielis cap. VIII, vers. VII. *Et introduxit me ad ostium atrii, & ecce foramen unum in pariete, & dixit ad me: fili hominis, scinde parietem, & cum scidissem parietem, apparuit ostium unum, & dixit ad me, ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt; & ingressus vidi. Et ecce omnis similitudo reptilium & animalium, & universa idola domus Israel, depicta erant in circuitu, &c.*

*Mensa sacra sive Ara.* *Anclabra, quid.* *Cisterna.* *Numen in ara.*

In his itaque adytis, seu remotis ab omnium hominum consortio recessibus docebatur Theologia illa mystica Ægyptiorum, arcanis & hieroglyphicis descripta symbolis, non ullis nisi sacerdotalis ordinis hominibus tradenda. Arnobius: *Magus*, [Ægyptius aliquis] *suis clandestinis artibus omnia illa perfecit. Ægyptiorum ex adytis potentium Angelorum nomina & remotas furatus est disciplinas.* S. Clemens ad Iacobum de Hæretico Mago quodam: *Ibo in Ægyptum, & adytorum mystis, sacerdotibus & prophetis, amicitiâ sociabor.* Neque tantum adyta Ægyptiorum summe apud omnes celebrabantur, sed & libri Magici, quibus sacerdotes conjurabant dæmones & sub jus suum trahere nitebantur; quo usque successu, quali spiritus operâ, quantâque hostis ejusdem astutiâ, & maximo quàm Numine læso, Lector ex capite septimo octavoque & nono libri secundi Moysis apertè videat.

*Artes in adytis, quæ.* *Libri magici.*

Nunc Sacerdotum ritus ac habitus, quibus in adytis usi sint, considerandi veniunt, ad hieroglyphica definienda & efficiendi & materiæ ratione non parùm facientes. Compendio tamen utrosque percurram. In sacrificiis ergo simili, quo deos eorum colebantur, habitu comparentes, primò corporibus seminudis ac macilentis, qualia sæpe in hieroglyphicorum tabulis nobis deinde occurrent, docebant, Ordinem eorum vacuum ab omni sensibilium rerum cura esse, abstinentiæque, qua concupiscentia cohibetur, deditum. Verenda omnibus tecta erant, ad corporis animique puritatem indicandam: Capita verò, ut jam dixeram, rasa, sed velo obvoluta, indicandæ rerum terrenarum, quas pili, corporis

*Ritus sacerdotales.* *Corpora seminuda,* *aut tecta;* *capita rasa, & inclusa.*

poris ut volunt excrementa & superfluum quid, significabant, voluptati remissæ. *Tutuli.* Tutuli præterea in capite, floribus, pennis, fictis serpentibus, vel aliis animalibus, flammis, stellisque aut circulis, vasis & similibus queis Geniorum proprietates aut ideales rationes exprimere volebant, conspicui, Deos scilicet Superosque considerantium erant, taliumque qui conceptam in idæam transformari, ac in divorum consortium adscribi, omnemque felicitatis metam θεομόρφως attingere se crederent. *Habitus diis analogi.* Quem verò mystici apparatus modum imagines mundorum quorumvis, hoc est deorum cœlestium & terrenorum, adoratæ cultoribus suis meritò tulissent acceptum, hunc in advocandis aut propitiandis iisdem ipsi precatores referebant, parem ut dixi figuram ac habitum sibi, dum facerent singulis, induentes, similemque cum serie & ordine numinum pompæ ritum inducentes. Vnicuique enim deorum ordini sua symbola, gestus, habitus, & ornamenta erant, & his omnibus æquum judicabant prorsus simili rerum habitu in conspectu eorum comparere, ut ita quod prætenderent consequerentur: gaudere nimirùm superiora inferioribus, tanquam causæ effectibus suis; gaudere & inferiora superioribus, tanquam iis à quibus unicè dependent: non animadvertentes tamen, Superos nulla fabularum vanitate capi, veramque salutem à Deo omnipotente simplicissimis cultoribus dari. Ita nempe mundanæ sapientiæ persuasio, divinâ sanctificante gratiâ non præviâ, hos homines agebat, ut veriùs de iis quàm dilecto Dei Paulo exclamasset Romanus ille, *insanitis*, mortales, *multæ vos literæ ad insaniam convertunt.* A mente quippe captis dicas prodiisse placituras aut placaturas coram non præsentibus divis tot corporis in literas mysticas, diis analogas, conformationes, modosque vel stantium, vel sedentium, procumbentium, genu, podicemve ponentium, in hieroglyphicis Obeliscorum, Canoporum, Sphyngum, Isiacarum statuarum, Mumiarum, Sepulchrorum, frequentissima. *Corporis dispositiones variæ.* Et quoniam volebant, primos Hieromantas, divino quodam furore raptos, exemplaria singulorum Ordinum in mundis tribus ordine & mysteriis talibus adornata adinvenisse, ut ipsæ primæ rerum ideæ, mystico symbolorum contextu exhibitæ, opus faciendum connotarent; atque ideò magnum & ineffabile quid sub accepti à majoribus [dicerem minoribus, indies crescente rei vanitate; si in religionum præsertim mendacium fiducia mediocribus esse liceret] cultus ac sacrificiorum observantia strictiori, & illibata, latere credebatur, totum nempe theurgicum seu magicum opus, si vel unicam ex ritibus cæremoniam non rectè peregissent, in irritum labi persuasis: hinc omnes summâ curâ corpus animumque disponere, *Corporis animique præparationes.* purificationibus, lustrationibus, expiationibus innumeris præparare, latere in adytis, inedia vel tertio die exerceri.

Et quum de sacrificiis illorum videndis in Oedipi loca locorum variorum, aut nostra hinc inde Obeliscorum rejiciendus sis, Lector, hunc modò excipiam ritum dierum inquisiti repertique corporis Osiridis crudelissimum. *Ritus inquisiti repertique Osiridis.* Sacerdotes enim, reditibus ab Iside datis illecti ad perpetuum singulis in annis certisque temporibus Osiridis cultum, [celebribus illis Phallophoriis, Pammeliis, Dionysiis & aliis detestandis ritibus Ægypti & variorum deinde populorum, exordium, quasi ex equo Trojano] postquam ad commentitium sepulchrum, quod in ignoto hominibus loco, occultis templi recessibus erat, *Sacerdotum in se crudelitas.* convenerant, summa mœstitiæ significatione, capita radebant, pectusque enormi luctu plangentes, cutem carnesque suas crebris ictibus repetebant; sed & plagarum antea inditarum nodos aut cicatrices vehementiori vulnere refricabant, in memoriam nimirum Osiridis adeò pœnitendâ morte sublati. Transactis autem post aliquot dierum intervallum planctibus, veluti divinitùs reperto Osiridis corpore, de luctu ad gaudia, de gemitibus ad cantus, de ejulationibus ad exultationes & dissolutiones extremas versi transiliebant.

Cæterùm ut Mundi triplicis, de quo suprà innuimus, vis ac vitæ continuo cultu participes fierent sacerdotes illi, non tam diei sed noctis huma- *Cultus deorum diuturnus.*

næ,

næ, fallaci fiduciâ, operarii, *Diem*, ut Porphyrius libro IV, ex Chæremone, *in deorum cultum distribuebant, in quo ter vel quater manè & vesperi & meridie solem hymnis prosequebantur.* Et ut virtus deorum majorem in modum attraheretur, in sacris suis, teste Plutarcho, certis diei vicibus brachia supra caput extendebant, nimirùm ut exprimerent U literam; quam apertum cor vocabant, eadem voce cum Hemphta, quæque supremi numinis vitam referebat in universum transfusam: & quum nullam adprecationem, teste Synesio, putarent gratiorem numini, quàm quæ mysticis ei significationibus alluderet; hinc eodem tempore corpus in varias figuras symbolorum, pro sollicitati conditione, disponebant. De hoc more varios testatus authores Stucchius libro de ritibus & sacrificiis: *Corporis cum totius, tum singularum ejus partium atque membrorum* θέσιν ϗ διάθεσιν, *dispositionem, situm, gestum sive gesticulationem potius observabant; corporis quidem totius; nam se prosternebant in terram, quam prostrationem Hebræi vocant Histachaueh, unde & proverbium apud Pythagoram,* καθεῖσθ προσκυνήσαντες, *Adoraturi sedebant.* Adorantes autem media die ad austrum se convertere jusserat, ut ajunt, Trismegistus, occiduo ad occasum, si verò primum oriretur sol, in ortum. Inde Porphyrius: *prius quàm sol oriatur profanum nihil loquuntur, sed patrias quasdam preces ad ipsum effundunt*, &c. Cærimonias ipsis precatoribus aut sacrificatoribus consuetas exponit liber ritualis Coptus: *Sacerdos altare circumibat, in cujus manu sacer amictus, librum elevans supra crucem vel Tautici characteris statuam; deinde elevat acerram, & æs sonorum tribus vicibus in sonum animat, ter excitans hymnodiam super altare, sublatis in cœlum manibus, tribus vicibus dicendo preces; demum accipit sacrum unguentum & signat characterem crucis in quatuor angulis altaris, quatuor mundi partibus correspondentis.* Ex quo perspicuum fit, antiquos quoque Christianos multa ex veterum Ægyptiorum cæremoniis assumpta in veri dei cultum adhibuisse.

*Deos adorantium ritus.*

His verò ritibus, hymnorum & canticorum, præter sacrificia [teneriorum scilicet plantarum diis gratarum, capreolique vitis, quibus, non carnibus animalium, consueverant facere;] tum corporis animique expiationibus soli Numini Hemphtæ choroque supremarum potestatum supplicabant, nihil aliud nisi θεωλεψίαν, hoc est, in deum transformationem, intendentes; quam cum se crederent adeptos, jamque dignos consortio deorum, nullam adeò magnam esse potentiam arbitrabantur, cui non imperare, & quam sibi subjicere nequirent. Et hinc Dæmonum quorundam genus, inferioris ordinis, imperiosis agebant verbis, minasque vel cœlum confringendi, vel occulta Isiaca differendi arcanumve in abysso reconditum prodendi, aut *cistam barin*, id est, navim quandam Ægyptiis sacram, aut membra Osiridis Typhoni spargendi, & similia id genus, proponere audebant: de quo Lucianus in Nericis, & Psellus lib. de operat. Dæm. cap. XXI. Docent enim hieroglyphica, quòd hæ potestates Spirituum homines θεολείπτους revereantur & timeant, non ob humanam virtutem, sed divinam sacramentorum ineffabilium potestatem: unde Jamblichus dicit, hujusmodi Sacerdotem quod in superiorum deorum ordine constituatur, ideo nempe grandioribus propria natura mandatis ac minis uti; neque tamen tanquam facturum, quæ tunc asseverat, sed declarantem quantam nactus fuerit potestatem possessione symbolorum. Alias prætereà rationes suppeditant citati apud Oedipum authores in Gymn. Hierogl.

*Sacrificia.*

*Quid quærebant supplicationibus Hemphtæ.*

*Minæ in dæmones.*

De impia vanitate & vana impietate satis dictum est: plura tam de malorum geniis, noxio magici oris carmine statuas oraculorum ingredientibus; quàm de cultorum ingeniis, ad fatidicas conceptiones disponendis, corporis quoque vario imitamine statuas prosequentium; aut de catenis deorum ac rerum mundanarum, aliisque Isiacæ latriæ partibus, hac parte, ad varia loca Oedipi te remittimus, nonnulla ad inferiora differentes: quibus quæ hactenus præstravimus, sufficiant. Nec enim aut hic locus vult, aut scire fas est omnia, quæcunque Sacerdotum sunt, ut quibus solis *scire deos, eorumque arcana & quibus gaudeant, quibus trahantur* [irretitis ipsis dæmonum fallacia] *& quid capientes reddant*, ut est apud Libanium declamatione XLIII, & Apulejum in Apolog. *rite callere*

lere cæremoniarum leges, fas sacrorum, jus religionum, ex lege necessitas erat. Dignitatem verò ac rem sacerdotalem, congruam diis immortalibus, modo augustiori exhibeat tibi solenne pompæ Isiacæ, quod Apulejus libro 11 Metamorph. enarrat: *Sed & Antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale adusque vestigia strictim injecti, potentissimorum Deorum proferebant insignes exuvias: quorum primus lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non adeò nostris illis consimilem, quæ vespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium medio sui patore flammulam suscitans largiorem;* Alludebant nimirum ad flammam bifurcatam ex capite pantamorphi emergentem: *Secundus vestitu quidem similis, sed manibus ambabus gerebat altaria, id est auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ summatis auxiliaris providentia:* Atque hujusmodi statua occurret postea in Obelisco Senniferteo, sive Flaminio, circa basim. *Ibat tertius attollens palmam auro subtiliter foliatam, nec non mercurialem etiam caduceum;* Hoc verò alludit ad simulachra, quæ in Schematismis Obeliscorum deinceps ponuntur, palmis & crucibus ansatis [sunt cruces ansatæ Ægyptiis idem quod caduceus Mercurii, ] spectabilia. *Quartus æquitatis ostendebat indicium, deformatam manum sinistram porrecta palmula, quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla solertia prædita, videbatur æquitati magis apta quam dextera; idem gerebat & aureum vasculum, in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.* Hujus vestigia passim in Oedipi tabula Bembina. *Quintus auream vannum aureis congestam ramulis; & alius gerebat amphoram. Nec mora, cum Dii dignati pedibus humanis incedere prodeunt: hic horrendum attollens canis cervices arduas, ille superûm commeator & inferûm; nunc atrâ, nunc aureâ facie sublimis, levâ caduceum gerens, dextrâ palmam virentem quatiens: cujus vestigium continuò sequebatur bos, in erectum lævata statum. Erat & bos omnipotentis Deæ fœcundum simulacrum: quod residens humeris suis proferebat unus è ministerio beato, gressu gestuoso. Proferebatur ab alio cista secretorum capax, penitùs celans operta magnificæ religionis. Gerebat alius felici suo gremio summi Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem* (forsan globum alatum,) *sed solerti repertu etiam ipsa novitate reverendam, altioris utcunque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile. Sed & ad istum modum fulgente auro figurata urnula faberrimè cavata, fundo quàm rotundo, miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata; ejus orificium non altiusculè elevatum, in canalem porrectum, longo rivulo prominebat, ex alia verò parte multum recedens spatiosa dilatione adhærebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat Aspis, squammeæ cervicis striato tumore sublimis.*

*Sacerdotes & Fercula in pompa Isidis.*
*Lucerna cum lumine.*
*Altaria, hoc est Pyramides, de quibus mox.*
*Palma & Caduceus.*
*Crux ansata.*
*Læva manus symbolum æquitatis.*
*Vasculum,*
*Vannusque auri.*
*Canis caducifer,*
*necnon palmiger.*
*Bos.*
*Cista sacra mysteriosa.*
*Summi numinis simulachrum.*
*Vrnula aurea.*

Cistam, quod attinet, sacram secreta operta cælantem, quam mysteriosam Suidas dicit, verè magni fecit magnifica religio, adeò ut in celebritate publica de magnatibus essent qui portarent, & apud Lampridium, ac Ælium Spartianum, Commodus Imperator his sacris initiatus, humeros submiserit huic oneri, rasusque capite, Anubim portare non dedignatus sit. Dedit illa & feretro, quo ferri etiam Comasiæ solebant, id honoris, ut, ob mysticas rationes quaternarii, inter hieroglyphica cum reliquis instrumentis, quæ sacrificiis cæremoniisque quovis modo inserviebant, numeratum sit, quod frequentibus locis Obelisci nostri referunt.

*Magnates etiam esse cistophoros.*
*Pheretrum numinum venerandi symbolum.*

Hactenus satis ampliter, at amplissimi pro modo subjecti breviter & vix satis narravimus de Sapientiæ Hieroglyphicæ officina omni, hoc est, iis qui tractaverint, & quibus in locis: quorum tanta utrorumque celebritas fuit, ut & Scripturæ sacræ istos insigni laude ferant; ad illa verò videnda ex longinquis terris profecti sint viri philosophi, ut paulò pòst videbimus, maximo numero. Et quis non sentiat, Salomonem, regem Israel, Dei, simplicis datoris, gratia sapientissimum mortalium, multa ex adytis Ægyptiorum adduxisse, præsertim postquam non regis tantùm Vaphris, Pharaonis, filiam in matrimonium, sed & mulierum Ægyptiacarum & alienigenarum pulcherrimas in concubitum, vaga sollicitante voluptate, duxerat: quas Origenes allegoricè multa dogmata & multarum Gentium diversas philosophias nominat; sapientiam nimirum, quæ, vera, timore Dei fundatur, adulteratam indicans, si simplicitatem cordis prætergrediatur. Frequentissimum enimvero rerum omnium, præsertim scientiarum, commercium, ut inter affinatis jure con-

*Quis usus Salomoni cum Ægyptiis?*
*Ejus multæ mulieres multiplicatum per Tropum.*

conjunctissimos, Salomoni cum Pharaone intercessisse, nemo dubitat, quod & cum idololatris sacerdotibus, Pharaonis non oculis solùm sed auribus & oribus & pectoribus dicendis, contractum. Placebant enim Hebræis omnes externorum, sed cùm maximè Ægyptiorum, ob excellentiam præ omnibus inde, ut apparet, originem habentibus, ritus ac cæremoniæ, ab ipsis quæ Moses instituerat, comparatione ad naturam universi, [quod de utrisque apertissimum facit reverendus pater Kircherius, in Oedipo suo] non multum abludentes. Atque hinc Salomonem censemus altas aras, sive altaria, [Excelsum enim non male quoque pro iis locis sumitur, in quibus sublimia altaria erant, super quæ sacrificia, ut imponerentur, elevabantur in altum] plenas sacris & divinis mysteriis, ut suprà innuimus, extruxisse ad modum Ægypti, humilis alioquin terræ, & cui montium loco Pyramides & Obelisci essent: quas dixere proprio nomine columnas seu aras Deorum, ut habet Abenephi, apud Oedipum; astipulante Iamblicho, qui ait Platonem de Mercurii columnis, seu aris, aut titulis illi erectis, scientiam suam hausisse; hoc est, rationem cultus deorum & arcanæ Theologiæ, quæ fieri solebant circa hujusmodi Pyramides, aut etiam in iis scripta legebantur. Sed & Poëtæ passim Pyramides Ægyptiorum aras vocant: juxta illud Lucani ubi de ritu Ægyptiorum:

*Hebræi rituum peregrinorum amantes.*

*Excelsa Salomonis plena mysteriis idololatricis,*

*Pyramidum sive altarium ad instar.*

*Votaq; Pyramidum celsas solvuntur ad aras.*

Salomon verò, post sapientiæ studium nimia quoque laude Sapientum flagrans, & supra uxores justas ac licitas pellicibus facturus, hoc est, sub formis idolorum [sine verbo divino, imò prohibente illo, ideo per idololatriam, certè quidem externè *] summo, ut putabat, numini; sententiam Ægyptiorum arctius amplectebatur, quòd illorum nomen eo tempore maximè clarum esset, & præ cæteris omnibus cunctarum regionum applausu in altum evehebatur, sicut ipsa terra situ regali pyramidum cælo verè propinqua.

** ut Cyrill. Gregor. & al. sed de interno actu Augustin. Sedul. Raban. omnesque Rabini.*

Floruerunt autem ex Ægypti Sacerdotibus, Naturæ universæ peritis, clari scientia hieroglyphica quàm plurimi, ante & post Mosen, virum illum maximum coram servis Pharaonis, & qui digitos Solis digito Dei Solius concusserat. Et ipsum omni sapientia Ægyptiorum præditum codex sacer refert; quam Philo in ejus Vita, dicit occultam Philosophiam fuisse, literis hieroglyphicis descriptam, notis nimirum animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus; præterea & arte Mathematicâ, & parte quavis alia Scientiæ, etiam de cœlestibus, & literis Assyriorum, tum his tum Chaldæis, Græcis, ac Ægyptiis magistris, animum incoctum habuisse. Iustinus Philosophus & Martyr, aliquà dissentiens à Philone, *Mosen*, asserit, *omisso studio omnium Mathematicarum, quæ tum in Ægypto vulgares & viles erant*, [fortè ob hanc rationem & Mosi neglectas autumat] *adjecisse animum ad solas hieroglyphicas disciplinas, quæ tum apud eos solæ in honore & pretio erant, & non quibuslibet sed præcipuis & probatissimis viris, & in abditis locis secretò tradebantur. Has cùm didicisset Moyses, nihil tamen unquam secundum eas aut dixit aut fecit, quod contrarium esset unius veri Dei cultui; neque credendum est, Moysen, potentem opere & sermone, ex vi Ægyptiacæ sapientiæ miracula operatum, sed ex sola veri Dei virtute miranda opera peregisse.* Clemens Alexandrinus, lib. v Stromatum, *Moysen*, ait, *juxtà hieroglyphicæ doctrinæ consuetudinem multa sub tropicis ac mysticis animalium symbolis vitæ moralis præcepta occulte tradidisse, solis divinæ legis amatoribus pervia; qualia sunt illa: neque porco, neque aquila, accipitre, aut corvo vescendum.* Hujus rationem nonnullam prodit Rambam, libro qui *More nebuchim* sive Doctor Perplexorum dicitur: nimirum, quoniam feras istas diis suis gentes offerebant, ut selecti ab omnibus Hebræi intactas has relinquerent, bovibus, arietibusque & aliis animalibus facientes Deo, quæ illi, contrario & abominabili cultu, deos faciebant. Sed quem tu nosti Lector ex Bibliis, in regia Ægypti, quæ tota sapientibus regebatur, à Pharaonis filia eductum, literas edoctum non dubitas puto, ipse suprà de hac re doctus, ubi in Trismegisti florentis tempore demonstrando fueramus. Quod cum ibi pronunciatum sit æquale Abrahamo, enarrandæ familiæ Hieroglyphorum, à Trimegisto magna cum autoritate descendentium, ætates, per quas doctrina sacra

*Qui claruerint hieroglyphicis, ex ante Moysen.*

*Ægypti Sapientia in Moyse celebrata.*

*Moyses, doctus Hieroglyphicorum,*

*& imitator.*

*Sacerdotum scripta usque à Trismegisto.*

ſacra uſque ad extremum ſtantis imperii Ægyptiaci tempus provecta vires accepit aut perdidit, inde uſque repetere conveniens duco.

*Ejuſdem primò quàmplurima.*

Scriptis equidem [nam ut ſæpe vidimus, præter hieroglyphicum etiam uſitatum literarum genus coluerunt, quod eſt ad voces explanandas, ac in Ibis, Mercurio ſacræ avis, pennis candidis ſuſpicitur] memoria proditis clariſſimum eſt nomen Hermetis, ſeu Thauti, qui Latinis ob id Mercurius dicitur, quaſi medicurrius, quum ſermo ſit medius inter homines, [alias à mercibus, quod mercatoribus præſideat.] Ejuſdem, dicunt apud Iamblichum in libro de myſteriis Ægyptiorum Seleucus & Manethus, de univerſa Ægyptiorum ſapientia fuiſſe libros triginta ſex millia, & quingentos viginti novem; quorum feruntur de diis empyreis libri centum, de æthereis totidem, de diis cæleſtibus mille libri; de quibus plerique ex Ægyptio in Græcum tranſlati ſunt à viris Philoſophis. Clemens Libro VI Stromat. ſcribit quod ætate ſua Ægyptiis ſuperfuerint de omni Philoſophia libri triginta ſex; nempe de Medicina ſex; de Sacerdotibus, decem; de Aſtrologia, quatuor tantum. Librorum verò numerum integrorum voluminum ne putes: libros enim lingua Ægyptia ponit pro certis quibuſdam ſyſtematibus hieroglyphicis, quibus variæ artes & ſcientiæ indicabantur; aut pro certis etiam Concluſionibus ſcientificis, ſeu ſcientiis ac gnomis de qualibet materia propoſitis: atque ita cape librorum nomen & numerum. Hæc, quæ nobis ſuprà fuit, ſententia concors omnium ex Oriente authorum eſt, ſcripta Mercurii in papyro lingua vulgari fuiſſe, nec niſi ſecretiora Columnis inciſa. De quo ipſe Hermes in libro ſacro, *Iſti arcana*, ait, *meorum ſcriptorum omnium agnoſcent & diſcernent, & aliqua ipſi continebunt. Quæ verò ad mortalium beneficium tendunt*, [hoc eſt quæ ad evitanda mala, & acquirenda bona Geniorum ope ſapienter inſtituta ſunt] *Columnis & Obeliſcis inſculpent.* Et idem erga eadem ibi ſua: *O libri ſacri rerum incorruptibilium, qui ſortiti eſtis à me deteriora dona quàm incorruptionis pharmacum, imm arceſcibiles toto tempore & incorruptibiles permanete, inconſpicui atque incomperti ab omni qui hanc diſciplinam transgreſſus fuerit.* Quibus verbis materiam de qua tractant, adeò ſublimem eſſe innuit, ut nemo eam ingenio aſſequi poſſit, niſi vivendi præcepta, in ſacro ſuo ſermone tradita, ad amuſſim ſervaverit: ac ſi velit, diſſolutos fugere ſapientiam.

*Liber quid dicatur Ægyptiis.*

*Triſmegiſtus de ſuis ſcriptis.*

*Probatio de literis.*

Paret hinc, quam falſa ſint, quæ dicuntur, ante Moſen apud Ægyptios non literas præter ſacras illas in uſu fuiſſe; quum clarâ authorum memoriâ tam conſtet uſitata ſermonis exaraſſe Ægyptios, quam in lapidibus quæ ab uſu remota fuerant inſigniviſſe.

*de lingua Ægyptiorum.*

Nec minus videtur, linguam Ægyptiacam ex variatione linguarum in Babel, ſecundas optimarum partes ſibi adſcribere, & poſt Hebraicam doctrinalem, qua omnium artium atque ſcientiarum monumenta conſignarentur, primam eſſe. Vtrumque verò librorum genus memoratum Græcos Philoſophos, huc profectos, perluſtraſſe, Iamblichus ibidem docet.

*de libris ſuperſtitibus.*

Supereſſe adhuc lingua Ægyptia codices veterum, & aliquos eorum vivum ſpirare Hermeticum quid, hoc eſt, altum & grave, vereque antiquum & initiali ſapientia cordatum præferentes, Hermes redivivus, ſive, interpres antiquitatis, Oedipus probat, Synopſin adjungens eorum librorum, quos in diverſis Ægypti bibliothecis, præſertim illâ Cayri, Madraſe dictâ, ſupereſſe, amicorum tranſmiſſis docet: digreſſus etiam ad ventilandos Hermetis partus, Poemandrum & Aſclepium; de quibus quod nos ſupra attigimus, aut hîc prætermittimus, eundem laxius diſſerentem, ſi velis, authorem conſule. Proprio in inimicos argumento ex his libris utitur Iuſtinus Martyr, omnium orthodoxorum philoſophorum vetuſtiſſimus, in Apologia contra Gentes, anno poſt Chriſtum nâtum CL. ubi refragantes ad Sybillina, Prophetarumque monumenta evolvenda exhortatur, & ipſa verba Mercurii ex cap. 8 Pœmand. & Aſclepii variis locis advocat.

*Libri Zoroaſtri nobis præteriti.*

Feruntur apud authores etiam Zoroaſtri, quem Chamum diximus, libri quàm plurimi, & quidem in cœlum feruntur, ut Pico Mirandulano in epiſtola ad Marſilium Ficinum: *Chaldaici hi libri ſunt, ſi libri ſunt & non theſauri: audi inſcriptio-*

*ſcriptiones : Patris Ezræ, Zoroaſtris, & Melchior Magorum Oracula. In quibus & illa quoque quæ apud Græcos mendoſa , & mutila circumferuntur , leguntur integra , & abſoluta , &c.* Sed quoniam ad hieroglyphica noſtra, aut eorum doctrinam nihil facere puto, illos præteritos pergam , & reliqua huc pertinentia ſubjungam. Ex Thouti igitur libris primùm Chaldæi, deinde Sabæi [qui ex ſemine Cuſii fuerunt] ſuperſtitionis ſuæ fundamenta hauſerunt. Hi verò , Zoroaſtris nigris artibus Magicis imbuti , atque ob id ab Hermete , rerum in Ægypto potiente , tanquam hæretici expulſi , Arabiæ felicis partes ad Chaldæam tenuerunt : & in horum certè libris,quorum fragmenta hauriri poſſunt ex Chaldæis Arabibuſque authoribus, [jactabant enim iis contineri eruditiorem Hermetis doctrinam, de Aſtrologia, de ſtellarum occultis influxibus , de ſtatuarum ſacrarum confectione , inſtitutione ſive fabrica imaginum loquentium , de viribus herbarum , fructuum , ſeminum, arborum, animalium,quæ omnia viva deorum habitacula eſſe credebant ; ſed habitaculis Dei vivi,Chriſtianis,cum pudore memoranda] ſi ullis aliis monumentis , apertè juxta genuinas rationes hieroglyphica doctrina, quamvis innumeris corrupta ſuperſtitionibus, exponitur. De Sabæis & eorum libris illo ſeculo totum per orbem famoſiſſimis , ( præcipue de agricultura Ægyptiorum , quem vertit Abenuaſchia, primus Ægyptiorum ſcriptorum tranſlator,in idioma Arabicum, plenum inſaniarum rerumque ad quas vulgò homines propendunt, de deſcenſu ſpirituum familiarium , dæmonibus deſertorum,ut ſunt Satyri,&c.) audi celeberrimum apud Hebræos Rambam, parte tertia lib. More nebuchim , cap. XXIX. *Notum eſt Abrahamum patrem noſtrum educatum eſſe in fide Sabæorum , qui ſtatuerunt nullum eſſe Deum præter ſtellas. Sed cum tibi indicavero in hoc capite libros ipſorum, & annales antiquos, & exinde ſententias eorum adduxero ; videbis eos expreſſe dicere ſtellas eſſe deos,& ſolem eſſe magnum deum,&c.* Apud eundem diſertè exprimitur , longè ante Moyſis tempora Sabæos illos libros ſcripſiſſe , ſed ex libris & præceptis Mercurii , ut Euſebius ex Philone, hic ex Sanchoniathone teſtatur , hiſce verbis : *Hæc verò primi omnium tranſcripta poſteris tradiderunt ſeptem filii Cabii* ( lege Sabii ) *& Octavus eorum frater Aſclepius, quemadmodum illis Deus Tautus præceperat.* Tatum verò Tauti filium Myſtam & Sacerdotem veluti myſteria quædam primùm mundo ſub analogiis naturam mundumque reſpicientibus publicaſſe, idem apud Euſebium teſtis eſt. Sequentibus poſt Hermetem regibus,alii ſacerdotum, uſque ad Moſis ætatem, claruerunt, inter quos retrò memoratus Putiphar , ſocer Nazaræi Ioſephi, Scriptura teſte : illiſque doctrina Hermetis ſummâ admiratione habita , in apertam demum ſuperſtitionem tracta eſt. Poſt Moyſen verò, cum regnum Ægypti, rectoribus vacuum , qui Sacerdotum ſtudia magnifica promoverent non haberet, præſidio eorum omni per Dominum in maris Rubri fluctibus involuto, ſacra doctrina jacuit derelicta , ad Manuphta uſque, & Sothin, quos ſuperius diximus, reges Ægypti,ultra annos centum : tum demum per feliciſſimos principes omnium ſcientiarum chorus ampliſſimè reſtituebatur. Prodiitque præ cæteris Sanchuniathon,de quo, jam ante laudato,quod ad ſcripta atque ætatis tempora attinet hîc ampliùs enarrabimus. Ex Beiruth igitur , ſive Beryto , Phœnicem eſſe conſtat, & poſt Moſen vetuſtiſſimum. Ille enim , non Inachi temporibus , IↃCLXXV annis ante excidium Trojanum , ut Appion Alexandrinus vult, ſed Cecropis , primi Athenienſium regis , Teucrique in Phrygia , ſeculo, quod eſt apud Euſebium , vitâ functus, hoc eſt , ducentis ſeptuaginta quinque annis ἁλώσω Ilii præcedens, Sanchoniathonem , raris tunc temporis ſcriptoribus, (Barbaros intelligo, Ægyptios , Phœnices, Babylonios : Græcia enim nondum dabat Hiſtoricos , quippe quorum monumenta nulla non quingentis & ampliùs annis recentiora ſunt profugio viri illius Virgilio decantati) aliquo temporis intervallo proximum habere potuit. Vnde Euſebius : *Sanchoniathon vir vetuſtiſſimus , & Trojanis temporibus, ut dicitur, antiquior ; quem Phœnicum hiſtoriam maximâ diligentiâ & veritate ſcripſiſſe teſtantur ; Philo verò Biblius* , [qui vixit temporibus Adriani Cæſaris ] *hujus totam deſcriptionem ex linguâ Phœnicum in*

*Lati-*

*Sabæi ab Ægyptiis diſſentientes:*
*Libri eorum quid continuerint,*
*Cui primum, juxtaque Ægyptii tranſlati,*
*Quo facti tempore.*
*Tatus Tauti filius.*
*Potiphar.*
*Excedit doctrina ad ſuperſtitionem,*
*tum ferè è medio:*
*Manuphta & Sothes reſtituunt.*
*Sanchoniathonis & Moſis ætas:*
*Græciæ in hiſtoricis minor vetuſtas.*

*Porphyrius explicatus.* *Latinam transtulit.* Porphyrius libro quarto contra Christianos; Sanchuniathonem Semiramidi æquat, erroneè; cladem tamen Trojanam apponit, quod scilicet præcipue velle, suprà notavimus. Sed quum Sanchoniaton ipse temporis quo Tyrus condita est meminerit, *Tyrus condita.* & quidem ut rei antiquæ, benè id observante Scaligero; quæ fundata ante eversam Priami urbem annis non uno duntaxat [quod Iustinus in Epitome sua, libro duodevigesimo, falsò tradit,] sed *Error in Iustino.* nonaginta & uno; adnumeratis nimirum quindecim illis, in quibus anachronismo peccat Eusebius: Hinc authorem Phœnicem decantatissimis toto Orbe temporibus Troiis vel parem vel saltem supparem facimus. Illud disertim *Suidas de Sanchoniathone.* & Suidas testatur: ex quo porrò discimus, eum præter libros de institutis Phœnicum, quæ Ægyptiis parallela fuerant, etiam scripsisse de Mercurii φυσιολογίᾳ, item de Theologia Ægyptiaca; ex singulis nempe Vrbium annalibus, partimque ex scriptis sacris adytorum; sed de quibus non nisi pauca fragmenta pervenerunt ad hæc tempora, Oedipo nostro nonnihil ex iis adducente ad hieroglyphicorum interpretationem. Hunc *Bitis,* sequitur Bitis Propheta, hieroglyphicæ doctrinæ commentator. Fuit & alius *& Epies, hieroglyphicorum doctores:* in Ægypto Propheta & Sacerdos, Epies nomine, cujus de Ægyptiorum reconditioribus literis opera ex Copta lingua in Græcam transtulit Arius; hujus *Phœnix & Cadmus usitatæ scriptionis.* meminit Eusebius l. I. c. VII circa finem. Phœnix quoque & Cadmus Ægypti patrias literas Phœnicibus & Græcis primi tradiderunt. Hinc floruerunt uno *Præ multis Manethon in sacra doctrina:* tempore Anebo, Manethon, Sonchus Memphites, Calosiris, aliique, teste Heliodoro lib. III, quorum monumenta partim Græci, partim Hebræi, Arabesque sui juris facta posteritati concrediderunt. Manethon verò genuinus [sub *Annii Viterbiensis commentum.* falso enim nomine Manethonis edidit Annius Viterbiensis aliqua,] apud varios authores, scriptisque compluribus citatur; præcipuè Eusebio, cujus lo- *De Manethone, Euseb. Chron. ad a. XV Man. & ad a. VII Thuor. Ægypti regg.* cum illustrem, Oedipo etiam in Pamphilio Obelisco usurpatum, adscribam, ut ex eo cognoscas quis fuerit, & unde rem suam hauserit, quod hîc præcipue intenditur. Ejus verò hæc sententia est: *Ex libris Manethonis Sebennitæ; qui cum temporibus Ptolemæi Philadelphi flamen sacrorum esset, sive malis idolorum [impurorum sacrorum* dicitur Georgio Syncello; Eusebio *Georg. Syncellus.* posteà *scriba adytorum*] *eruit ista ex columnis in Seriadica terra positis; quibus sacrâ, ut ait, dialecto sacræ erant notæ insculptæ à Thoüt, primo Mercurio: eæ verò post diluvium ex sacra lingua in Græcam notis ibidem sacris versæ fuerunt; interque libros in adyta Ægyptia relatæ ab Agathodæmone altero Mercurio, patre Tat. Hæc verò Manethos Philadelpho, secundo è Ptolemæis dicavit: ad quem ita perscripsit in Sothis libro*: hoc est libro Iûs, sive Isidis; à cujus peregrinatione Manethos ordiebatur. Post ista subjungit Eusebius epistolium Manethonis ad Philadelphum; quo relicto, dico optandum ut scriptor hic integer ad nos pervenisset; sed benè saltem, quòd luculenta quædam fragmenta de eo conser- *Iosephus de scriptis Manethonis.* vavit Fl. Iosephus lib. I contra Apionem; in quibus egregiè distinguit ea, quæ Manethon ex libris sacris, quæque ex vulgi hauserat fabellis, posteriora solidè refellens. Benè etiam est quod Africani beneficio epitomen totius Manethonis habemus.

Ad hæc usque tempora, per varias vicissitudines, authoritas hieroglyphicæ sapientię, licet ab omni detrimento haud syncera, sarta tamen, sed ad alienos tecta, superfuit; florentibus ejus cultu, quos hactenus enarravimus, & plurimis præter hos hieroglyphis, maximâ veneratione viris. Deinde verò ob graves mu- *Amisso regno doctrinæ conclamatum est:* tationes temporum Typhone multo turbulentorum, doctrina ipsa parte ferè omni perdita est, & unà cum falsis præsidibus, præsidio destitutis, alogis illis, cumque analogis eorum cultoribus, nocti & silentio æterno mancipatis, ab hominum luce remota fuit. Postquam verò seculis seris non rerum vanitate, sed ingeniorum felicitate, quæ seculi hujus ferrei plus quam aurea beatitudo est, nonnulli de doctorum haud infima *Restitutâ clarescunt cum proximis seri.* curia, quos deinceps laudamus, ossa Osiridis dispersa, hoc est, partes sapientiæ Ægyptiacæ distractas colligere, & integritati suæ restituere tentarunt: hinc primis adhuc authoribus subjungendi veniunt posteriores, discipuli eorum, quorum scriptis, quanquam dispersè, doctrina hieroglyphica servata est; & ii denique quos congregatæ infinitæ

rei gloria non mediis tantùm antepo- *[Hieroglyphica doctrina paucis penetrata,]* suit [ de quibus paucis, ut nec cuiquam multis inde seculis, donec oblituerat plane ab omnium notitiâ, contigit ab utroque profundissimo mari, symbolorum scilicet, & significatorum dogmatum, inclusam hanc adire Corinthum ] *[certa tamen investigando.]* sed primis quoque multis composuit, quibus propinquior Rhodus saltum tam strenuum nobilemque non creavit. Adnumerabo verò ideo diligentiùs, ut infallibilia vestigia ejus sapientiæ, quibus illi olim, aut hi postremùm institerint, quæque si velis excipias, cognoscere possis.

*[Quando gentium, & ad quos doctrina Ægyptiorum derivata sit.]* Post Phœnicem itaque & Cadmum Ægyptiacæ disciplinæ traductores, in Græciam transgressos, secuti ex Hellade Orpheus, Museus, Amphion, varia memoriæ reliquerunt fragmenta hieroglyphicæ eruditionis, quæ posteritati demum concredidit Timotheus Thamyris, Philammon musicus, Demodotus Phœnix, Sybilla Ægyptia, Epimenides Cretensis, & ex his deinceps Clemens, Eusebius, Origenes aliique quæ suis locis producuntur desumserunt. *[Opera Græcorum ante Æneam Troium:]* Pherecides quoque Syrus Sacerdotum discipulus erat, cujus multa sunt, quæ ad arcana hieroglyphicorum reseranda faciunt. Post Trojana verò tempora, teste Porphyrio de Abstinentia lib. II, *[Et eorundem post profugum illum.]* ex Græcis Ægyptiorum discipuli fuerunt Homerus, Hesiodus, Herodotus, Pythagoras, cui in adyta admisso magister erat Oenuphæus Heliopolites; item Eudoxus, præceptore usus Conophæo Memphite, tum Democritus, Plato, Aristoteles, Socrates, Demetrius Phaleræus, his omnibus juxta institutum suum varia sunt prodita argumenta & fontes, unde deductis rivulis Oedipi prata bibunt. *[Pythagoras totus Ægyptiorum.]* Pythagoras equidem Ægyptiorum doctrinam præ cæteris approbasse fertur, quod & abdita illa quam de rebus tradidit, haud multum ab Hermeticis disciplinis discrepans indicat philosophia. Quid enim aliud sunt gryphi & parabolæ ejus reconditissimæ, quàm Isiacæ gnomæ ad normam sacerdotum? quid ipsa ratio vitæ Pythagoricæ, per abstinentiam à variis rerum generibus, & silentium tot annis diuturnum excultæ, nisi certus character eorum qui se in characteres transformabant in adytis? Similiter & Plato, *[Plato.]* qui in omnibus dialogis per ideas nihil aliud quàm significationes theologicas aut politicas intendit, quales Ægyptiorum erant. Et Eudoxi quæ sunt *[Eudoxus.]* de rerum principiis, teste Clemente, ad Sacerdotum formas sunt. Aristoteles *[Aristoteles.]* quoque ad hunc solem ambulat: quæque eximia Solon de legumlatione protulit, ab Ægypto, Sonchiten ibi Saiten *[Solon Sonchitis sectator.]* secutus, tulit. Longiorem hac de re vide Diodorum libro II Bibliothecæ suæ; Porphyrium lib. II de Abstinent. Strabonem lib. XVI. Ex Hebræis & Chaldæis, *[Hebræor. ac Chald. quinam in Ægyptiacis studuerint.]* præter Philonem, Iochaidem, Berosum [ cujus, utcunque ætas incerta redditur dissensione authorum, historia certè temporibus Ptolemæi Philadelphi, *[Berosus quando prodierit.]* quibus Manethus suprà citatus vixerat, emissa est ] supraque Appionem Alexandrinum Horus Niliacus insignem librum de Hieroglyphicis scripsit lingua Copta. Longum esset adscribere reliquos, quos apud Oedipum enarratos videas: tantummodo illis altiùs nobis memoratis *[Apud quos de Patribus Hieroglyphicorum vestigia;]* Ecclesiæ scriptoribus addam qui supersunt, Athanasium, Epiphanium, Lactantium Firm. Augustinum, Hieronymum; etiam ex gentilibus *[deque Gentilibus.]* Ammianum Marcel. Martianum Cap. Plinium, Ælianum, Solinum, Macrobium cæterosque innumeros post Christum natum florentes authores, quorum indiciis Vulcania securis in Palladis editionem excitari potuit. Post hos longa seculorum intercapedine, *[Postremùm qui nostro seculo, & quid in Ægyptiacis præstiterint.]* secuti sunt Pierius Valerianus, Causinus, qui in Horum vastos quidem dederunt commentarios, uterque verò ex omnibus omnium temporum historiis confarcinatam diatribem quàm veræ hieroglyphicæ interpretationis specimen protulit. Excipit illos Laurentius Pignora, vir peringeniosus, qui interpretationem Bembinæ, cujus suprà mentionem fecimus, tabulæ aggressus, adeò paucis tamen perstrinxit, ut vix nudum symbolorum corticem attigerit. Omnium chorum claudit, aut antevertit, Athanasius Kircherius, Soc. Iesu Presbyter, *[Nostri authoris studium conceptum.]* qui, ut ipse de se fatetur, quum ab ineunte ætate singulari animo fuisset non tantum ad linguas Orientalium, sed præsertim ad arcana eorum; & in Obeliscis Sixti V primò characterum Hieroglyphi-

*Oedipus de se ipse.*

roglyphicorum tot seculis ab omni incommodo syncerorum reserationem, quamvis adhuc à nemine factam, præsumsisset, spe præditus, fore, si non in Latinis aut Græcis, tamen in Orientalium abditis monumentis ut superessent vestigia nonnulla doctrinæ quam adsignificarent; igitur acri instinctu ad horum scrutinium percitus, rem hactenus Vrbi & Orbi toto desperatam suscepit,

*De Oedipo alii.*

& ut summi viri de ipso testantur, summa felicitate ingenii, ingeniorum quasi limites superexcellens, seculum nostrum [quod jam secula retrò omnia multa luce rerum repertarum potest absolvere] illustravit miraculo rei pulcherrimè exactæ; labore,per viginti annorum spatium, multo, quod facile credis Lector, in re nemini antè perspectâ aut prætentata; studio tamen pertinaci, & indefesso; artificio usus proprio & gravissimo, quasi per medium profundum innumerorum scriptorum incedens, ingenuo in singulis modo; judicii pondere ceu totius universi appenso, antequam moles improba antiquitatis humeris Herculeis cederet; faverunt verò Musæ & maxima admiratione ac amœnitate ductæ applaudunt, inde de mysteriorum iniqua sphynge triumphantes, chorosque alternos, initialis authoritatis & augustæ posteritatis, ostendentes.

*Clarat labor artificem.*

*Hieroglyphicorum callium infractus uterque, & superatus.*

Duplex autem hujus studii via est, prima symbolorum, altera doctrinæ, quam symbola significant. Vtriusque modum, & industriæ rationem quâ processerit, finemque, ex ipsius auctoris verbis aperte cognoscas: *Contigit*, ait, *ut ego bellorum tumultibus Germaniæ extorris, dum varias nationes peragro; hoc unicum intenderim, ut ubicunque liceret, de rebus Ægyptiacis, Authoribusque meum institutum respicientibus, minutam acciperem informationem: nec defuit votis meis divina bonitas, dum in libros, & subsidia varia, inexpectato casu, vero divinæ voluntatis me incitantis symbolo, incidi. Visis itaque lustratisque præcipuis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ Bibliothecis, tum Romæ potissimùm omnes eos authores sive manuscriptos, sive impressos, Latinos, Græcos, Hebræos, Arabicos, Chaldæos, Ægyptiacos, Syriacos, Armenos, Æthiopicos, aliisque sub linguis Europæ usitatis editos, in Bibliothecis, Vaticana, Angelica, Barberina, Sfortiana, Collegiorum Soc. Jesu, aliorumque privatis Musæis latentes, qui aliquam rerum Ægyptiacarum mentionem faciebant, perlectos trutinando, loca singulorum intenso studio & pertinaci speculatione in certas quasdam series rerum, non sine sumptibus, excerpenda curavi; ita ut quæcunque de hieroglyphicis animalibus, plantis, instrumentis, sacrificiis, ritibus, lapidibus, coronis, stellis, cæterisque figuris sacræ doctrinæ servientibus reperirem, in classes, ut dixi, singula seorsim seposuerim; deinde ex omnibus, quæ nancisci licuit, Ægyptiacis monumentis characteres hieroglyphicos, secundùm classes pariter depromserim; Quopacto analyticæ artis subsidio, per artificiosam combinationem figuras singulas cum textibus Authorum, figuris correspondentibus, multorum annorum labore incessabili, & operatione paucis nota tentataque contuli. Qua quidem singulari industria factum est, ut paulatim in abditam rerum notitiam pervenirem, contextusque hieroglyphici rationem aperte cognoscerem. Atque hisce fundamentis feliciter jactis, eò tandem profeci, ut jam nullam prorsus in communiorum hieroglyphicorum significatis difficultatem reperirem. Verùm cum multa hinc inde occurrerent symbola, abstrusa sane, & quasi impervia, quorum figura nec hominem, nec animal, nec plantam, nec certam figuram ex iis, quæ notæ esse poterant, haberent; sed incognita nobis vasa, variaque in sacris usitata suppellectilia referrent, nec libri essent qui eorundem vel umbratilem notitiam innuerent; hinc idola & simulachra, lapidum fragmenta, gemmæ, amuleta, periapta, Camæa Telismata Gnosticorum, ex omnibus Gazophylaciis Antiquitatum tum Romæ, tum alibi superstitibus, consulenda fuerunt; ex quorum continua & incredibilis laboris combinatione, dum figuras cum figuris, apices cum apicibus, instrumenta cum instrumentis studiose confero, Dei gratiâ id, de quo dubitabam, perfectè cognovi. Quæcunque enim in Obeliscis hinc inde confuse, obscurè & imperfectè incisa fuerant, ea ita clarè, expressè & perfectè in dictis vel statuarum, vel abacorum, camæorumque monumentis reperi, ut de veritate significatorum ampliùs dubitare non liceret; quæ novâ cum authorum locis & textibus combinatione conferendo tandem veritatem rerum, Dei luminum patris gratiâ, adeptus sum.*

*Kircherius in Ep. Parænetica Ob. Pamphil.*

*Multa se perquisita habere.*

*Quæ via quærendi.*

*Quæ conferendi.*

*Prima palma de communibus.*

*Penitiora quantæ quæstionis.*

*Rudis demum merita.*

Appellat posteà auctor noster quàm plurima literarum monumenta & antiquissimæ, & antiquæ, & proximæ abinde authoritatis, quorum usu & lectione, summa nempe diligentiâ & intenso studio identidem sibi pervolutorum, profe-

*Fides & moles reparatæ literaturæ.*

*Fines auctorum, Gentilium, Ecclesiastic.*

profecerit : omnia Hermeticorum & jam memoratorum philosophorum volumina, totosque eorundem alumnos ; deinde recensitos SS. Patres, & vetustissimos apud eos scriptores ; itemque Historicos & Oratores, & Poetas Lexicographos & Grammaticos, Græcos, aut Latinos ; tum præterea ab Hebræis & Chaldæis libros varios, & eorum commentatores Rabbinos, cum operibus Cabalisticis, cum Arabibus quam plurimis, etiam Syris, & Æthiopicis & Coptitis, & omnibus quos argumento Hieroglyphico minimè absona tradentes, dignos existimavit inter probatos veritati, & veritatem probantes, adultæ nimirum apud curiam doctorum fidei, scriptores numerari.

*Historiis, Literis, interioribus scientiis clarissimorum ;*

*eruditionis ;*

Amplius quoque de se ostendit, quod sicuti nullam linguam exoticam adduxerit, cujus non mediocrem saltem cognitionem habuerit, nulli non adductorum libri in fonte ipso sedulò, studiosè & sæpius repetita lectione expensi sint.

*& diligentiæ :*

*Nihil non suppeditante Iunone Ægyptiâ ;*

Singula omnium describere, nostrum non est, nec quæ porrò non tacet Gazophylacia, & Ergasteria virorum principum variis in populis, aut supellectilia Ægyptiaca hominum amplissimorum, vel privata Musæa amicorum optimorum: vel lumina denique omnia orbe omni clarissimorum; quorum opera exceptione majori singulorumque serenissimâ, Oedipus, sublimiori carpento, quàm quo Triptolemus legitur, vectus, alisque passis magis & excelsioribus quàm quibus Bellerophon ad cæli tabulata appulit, [ alite * nimirum fulminum Palladumque parentis *, cui Rex Deorum, sæpe fidelem expertus, regnum in reges permisit, vel alas novas ipsi sufficiente, vel pietatis & affectus sui alis optim. maximis eum sustentante ac protegente, ut gratus ipse ubique testificatur, ] eò tandem penetravit, ubi vertice sydereo latratus invidorum, aut pertinacioris fortè cerebri, despicere possit.

*Nihil non præeunte Osiride.*

** vel eo cujus ille minister.*

** Germaniæ, Iovis æmulæ bombardis typisque suis.*

*Kircherius.*

*Consonare Hieroglyph. & aliorum monumentis.*

*Patuit verò*, addit, *quod quæcunque in Hermetis, Platonis, vel Pythagoræ, eorumque sectatorum monumentis arcana habentur & abdita, ea ex hujusmodi doctrina hieroglyphica profluxisse; differentia nulla intercedente, nisi, quam Ægyptii, abstrusiorum symbolorum cortice involutam, paucis & non nisi sacerdotalis ordinis viris sapientiâ conspicuis aperuerunt, illam veluti expansam & involucris evolutam suæ sectæ hominibus tradiderunt Hermetici, Pythagorei, & Platonici sectatores.*

Et hinc apertum facit exemplo suo, nunquam deperiisse literaturam Hieroglyphicam, sed semper in authorum veterum memoriæ proditis monumentis sparsam disjectamque, sub variarum scientiarum cortice veluti medullam latuisse : tantùmque defuisse qui congregatam ex abstrusis definitionibus effatorum, & aptè comparatam cum figuris hieroglyphicis, quasi utraque manu, assereret. Quod cùm nemo ante eum præstiterit, mirum non esse, hanc ipsam Ægypti doctrinam, quamvis tantâ circumdatam famâ, penitus desertam oblituisse. Pro certo tamen negatur, si Obelisci symbolis hieroglyphicis inscripti, annis bis mille jam perenniores, in Ægypto aut Vrbe non superfuissent, doctrinam sacram instaurari aliqua ratione potuisse : omne quippe studium ejus sine his quasi navigatio sine anima, sine sydere, sine portu fuisset: tantæque molis rem, tamque abstrusam, absque Solis digitis, quibus, quidquid luminis aut salutis repertum, contestatur ac præpanditur, Hercules nullus penetrasset, absque Pharaonis acubus Oedipus nemo unus tetigisset.

*Doctrinam Hieroglyphicam antiquis nullis non provectam,*

*desiderasse aliquem qui pervenaretur ;*

*Concentu Mercurii columnis non servato non revocanda.*

Sapientiam igitur Ægyptiorum synceram, tam Perennitatis genio servatam, quàm Bonitatis ingenio reseratam amplecteris meritò, Lector, & æstimatis locis allegatorum, ipso quoque, apud quem citatos videris, ponderato, gaudebis rivulis illis quasi fontibus Nili repertis, quos magna Deum mater, rerum venerabilis Scientia cœlo, perire immerito Osiridi recluso, deduxit, iisque partes ejus omnes, Typhoniis temporum malis distractas, fovet & restituit : plurimum verò celebres factum inde flumen amplissimum auctoris nostri, quod ostiis trinis, aut septenis, novenis vel duodenis, vel si præterea gaudent alio numero quotquot sunt præsidio rerum optimo clara dæmonia, in mare magnum posteritatis, utilissimo incremento ad excolendas varias eruditorum provincias, emisit.

*Invitamur ad fontes & incrementa nova sapientiæ Niliacæ.*

Hic inferes, Lector, de sapientia, quomodo illa sola felicitatis omnis creatrix, malorumque expultrix, sub varios

*Subjicitur de sacro studio intermisso.*

tamen *so.*

tamen Typhonios, temporum scilicet turbulentorum, casus subjecta dicatur; sæpe fugata, & quasi sublata, longasque retrusa in tenebras, quæ cum filiis hominum in perpetuum esse gaudeat? Mortalem equidem mortalium felicitatem omnem Euripides pronunciat: Sapientiam verò, animi ornamentum, mens sapiens meritò excipiat. Est nimirùm illa mater omnium benefactorum; benefacta verò in luce volunt collocari; & lux demum nunquam est peritura: Sapientiam igitur claram & æternam dico: nec occiduam vel ante mortem, quum quæ ultrà sunt videat; nec post mortem, quòd ortus ejus sit ante tuum procreatus; nec in ipsa denique morte morituram, quippe quæ vivos inter, non mortuos agat. Eandem ponimus in primis humani generis sedibus, apud omnium hominum parentes, statim ac in lucem edita sit, maturitatem suam esse adsecutam, indeque per omnes partes longè ac latè fusam, iisdem, quibus universum genus humanum, incrementis auctam; educatam deinde apud Barbaros, atque enutritam à Græcis, à Romanis excultam, viresque cum virtutibus Ecclesiæ nunquam non tenuisse. Sed quum vera sit, atque ideo sancta, sobria quoque & libera, obsequiis enimverò deformibus vanitatum & noxiosorum carminum marcida esse, aut idololatricis involucris premi diutius nescivit. Ipsa itaque, tanquam divinæ mentis character, Tauticos in adytis aut Dæmonum aliorum characteres transformatos meritò dereliquit; & Hellenes quoque desciscentes à veriori ratione rerum, ad novitates rumorum, aut deitates incognitorum, noctes atque dies græcantes, destituens, adeò ut nec in Ægypto nec Græcia omni vestigium sapientiæ supersit, sed in illa perversissimi mortalium semiferos illos deos aut dæmones, quos falsò dicti sacerdotes aut sapientes stolida ac profana diathesi exprimere satagebant, moribus immanis referant; & hæc sub iisdem omnium sapientiæ studiorum hostibus, quæ quondam lux orbis erat, nunc nihil sit nisi tota Barbaries. Divinæ proinde sapientiæ imago, vultus humanos serenans, ac si videri posset, pulcherrimos sui amores excitatura, inimi-

*Sapientiæ radices mortali conditione altiores,*

*excolendæ per Doctrinam,*

*perque Mores.*

*Ridet Sapientia vanos:*

corum aut falsorum sectatorum, in dictis aut factis, speciebus abominabilibus fugatur; & propterea invitatos nos ad epulas suas novantiquas, etiam ad contemtos sibi ministros videndos advocat [qualiter in futuro per Sapientiam Magistro ipso sociandis agminibus ostendentur ipsius reprobati,] nimirum ut caveamus ne ob mentem etiam nobis lævam Marti lævum quàm Musis intonans cœlum, inimicis sapientiæ & nostris sedes nostras cum imagine, quam Patrifamilias odiosam colimus, tradat evertendas, donaque contraria rejiciat perpetuâ antiquatione. Demùm, quæ pretii est admodùm pretiosi & infiniti, venerabilis illa Sapientia rerum, haud dat cervicibus hominum duris ac immemoribus brachia sua, nisi si quas junxerit plurimo antè labori, multâque presserit curâ: atque ideo seculis omnibus idem, & hominum unicuique ferè unumquodque recoquit, ut nempe plures exerceat, plurimosque beet: quo magis laborata, hoc magis libera & divina inter mortales; quantoque durior multis, tantò uni, instar mille, gratior.

*Non ridet incipientibus,*

*at proficientibus tandem.*

De veterum Ægyptiorum sacerdotibus, quorum nempe authoritate, aut superstitione, quod monemur Tertulliano, hieroglyphica obeliscis, Soli ut ait prostitutis, incisa sunt, vidimus hucusq;: nunc ipsa tantum scriptura superesse videtur. Est ea verò nihil aliud quàm notatio symbolica rei sacræ in lapidibus incisæ: & inde dicitur hieroglyphica, ἀπὸ τοῦ ἱερὸς καὶ γλύφειν, à sacra sculptura. Sacræ verò appellatio vel à sacerdotibus est, quos, sacratos multiplici cultu ac laude eruditionis, Cyrillus, *magna*, ait, *ænigmatum industria & gravitate præditos templis & Obeliscis notas insculpsisse, Ægyptiis ἱερογλύφυς nominatos, non vulgaribus usos literis, sed figuris aliis effinxisse rerum naturas, & prudentiorum auxisse scientiam.* Cassiodorus ἱερογραμματεῖς *dictos* vult, à sacris videlicet literarum; quòd his *solis eas dicere,* [lego *discere,*] *fas* erat: Vel ipsa potiùs doctrina, quæ varias apud gentes sacratissima habita, & ob venerationem nimiam in superstitionem tracta, sub symbolis religiosis nihil non sanctum tractans, sacram facit manum inscriptorum. Modum sculpendi hinc inferiorà explicatiorem red-

*Scalptura quid;*

*unde dicta sacra.*

*De Obeliscis.* N dent;

dent: de materia verò recipiente, in præmissis tractatum abunde est; de varietate tamen ejusdem jamjam nonnihil attingemus. Notationis verò genere meritò notaveris hieroglyphicam literaturam. Notæ enim figuræ sunt, vel ad verba brevianda inventæ, vel ad sensus exprimendos, vel diversas ad causas constitutæ: & hieroplyphica, modo utroque excellentiori, singula singulis nominibus serviunt, nomina autem integris sensibus; significantque innumeris apicibus summarum rerum inenarrabilem copiam, immensis ingenii finibus productam. Symbolorum denique, ex parte contentorum majori, quæ sunt symbola, denominatio est; accepta nobis pro nota alicujus arcanioris mysterii significativa: alias enim symboli denotationes hoc loco brevitatis gratia præterimus. Ex hoc genere συμβολικὴ Θεολογία est, τελεστικὴ seu μυθικὴ, quæ sensus scripturæ reconditos & eorum mysteria exponit; item τὰ σύμβολα πυθαγορικὰ apud Platonem VIII Symp. & Cælium Rhodigin. l. x Ant. lect. Symbolorum autem & parabolarum genus Ægyptiis duplex fuit: unum δημῶδες, tritas & vulgares similitudines complectens; alterum ἱερὸν, ex interioris doctrinæ recessu abditissimo ac sanctissimo depromtum: cujus penetratione mentis, & contemplatione continua non tantum sapientia perfici habitum humani animi, sed indui plane divinitate crediderunt. Et hoc demum genus symboli, rerum nempe idealium, intellectualium, & quæ difficiles capi, de divinæ scilicet proprietatibus naturæ, deque ordinum & præsidiorum, quæ Ægyptii supra mundum elementarem ponunt, distributione, idque etiam ad rationem Theurgiæ & religiosarum expiationum, sub sacris obeliscorum notis repertores ingeniosissimi tradiderunt; ut mysteria sapientiæ per ænigmata arcana profanis quibusque essent occulta, & nemini uni paterent, nisi sacerdotalis ordinis, optimis maximisque, quibus commissa sacrorum cura, aut spes esset ad regnum evehendi.

*Nota quid denotet:*

*Quid symbolum nobis,*

*quotuplex Ægyptiis,*

*quodnam in obeliscis,*

*& ad quid;*

Illius iterum prædicanda ratione doctrinæ Hieroglyphica vel lapidibus, vel alii materiarum sunt addicta. Nam quod ad totam disciplinæ substantiam pertinebat, hoc Obeliscis, vel templis insculpebant, parietibus nimirum, aut valvis; deorum item simulachris, tabulisque saxeis, ut materiæ perennitate temporum fuga aut injuria impotens esset diruere monumenta, sed ea sincera ac sartatecta promitterentur æternitati. Siquid verò de symbolorum partibus agebat, aut usui singulorum privato destinatum erat, ut sunt amuleta omnium communia, pro cujusque facultate materiis variis, ligneis, papyraceis, testaceis, involucrorumque fasciis ac fimbriis includebant.

*pro incidendi materia incisum sæpe.*

Igitur minimè laudes aut vota vel fata regum, vel historiæ, quod multi adhuc falsò sibi persuaserunt, artesve aut simile quicquam in Obeliscis continebatur: neque quod Herodotus, Diodorus Siculus, Plinius, ac alii dicunt, de Obeliscis dictum putes; Ægyptia scilicet monimenta inscripta servasse regum gesta, expensas in varias fabricas, & expeditiones per Orbem susceptas, sumptus in allia & cæpulas, &c. id verò, ut symbolicis arcanis rationibus & nodis ænigmatum non conveniens, rectiùs de Pyramidibus & columnis capitur, utpote quibus res præclare gestas ac historicas, ut in omnium animis versarentur, vulgi usitato charactere, qualem Oedipus noster Coptum facit, inscribere solebant. Contestantur idipsum quàm multi multa authoritate scriptores, de quibus vel quos testimonii divinitas, vel ipsa de figuris lapidum fides oculata, vel acceptum oretenus sacramentum doctrinæ probat, nonnullos antea audivimus, deinceps plures & ampliores audituri. Planiùs enim de symbolis, cum primò de literis pleniùs egerimus, & postremò de significatis illorum, summis doctrinæ hieroglyphicæ partibus, dicemus; nihil tamen non faciemus compendii.

*Contraposita,*

*moraliter refutata.*

Notas igitur in lapidibus & figuras Philosophus suprà recitato loco *formas* dicit *mirandas & absconditas*: indicium quoque desiderans, qua nimirum ratione easdem attingeret. Plotinus illas definit *imagines rerum singulas singularum*, quas qui descripsissent vel depinxissent, in sacris rei ipsius discursum clàm significasse, *quod videlicet scientia & sapientia quadam sit unaquæque imago sive exemplar, & subje-*

*De formis sacris Aristoteles.*

*Plotinus.*

*subjectum illud spectaculum totum unà collectum neque sit excogitatio quædam neque consilium.* De iisdem Ammianus Marcellinus: *Formarum autem innumeras notas, quas Obelisco undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit authoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes; ad ævi quoque sequentis ætates imperatorum vulgatius proveniente memoria; promissa vel soluta regum vota monstrabant.* [hanc sententiam ponit non tam sibi certam, quàm prolatam Hermapioni, cujus interpretationem literis Græcis post pauca subjicit.] *Non enim, ut nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii; sed singulæ literæ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus, &c:* Ex imperitia scribendi factas easdem Lucanus existimat:

*Ammianus Marcellinus lib.* XVII.

*Lucanus.*

*Nondum flumineas Memphis intexere biblos*
*Noverat; in saxis tantùm volucresq; feræque*
*Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*

Magicas equidem, sive σοφικὰς, sapientum, potiùs quàm pompaticas regum: res quippe merè philosophicæ, & indicativæ rerum divinarum, aut humanarum effectivæ, solis sapientibus, Magis ac Hermetibus patentes, figuris animalium cæterisque notis hieroglyphicis indicabantur. D. Hieronymus: *Restant adhuc notæ, quæ cum ex Barbarorum puto ortu natæ sunt, rationem omisere.* Alii verò ubi mentem minus acutam, nares nihilominus habent acutas. Sed ecce tibi Apuleji antè citatus locus, *De opertis adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris, hujuscemodi animalium, concepti sermonis compendiosa verba suggerentes; partim nodosis & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus à curiositate profanorum lectione munita.* Per ignorabiles verò aut nodosas & tortuosas literarum, quas tumidum illud divitiis Latinis os Afrum detornat, intelligit primùm characteres Zoomorphos, deinde literas Chaldæas, vel Ægyptias, quas quidem in hieroglyphicis insertas subinde occurrere, monstrat Oedipus: ut proinde literatura sacra non ex mysticis tantùm characteribus, sed ex literis quoque & nominibus vulgaribus constet; claro nimirum contra diversos sententiæ testimonio, quod populari sermone genus scribendi apud priscos Ægypti sapientes in usu fuerit, ex quo inter hieroglyphica assumtum. Sed hoc deinde liquebit, ubi demonstrationes authoris ex bonæ fidei religione antiqua productas audieris.

*D. Hieronymus.*

*Apulejus lib.* II *Asini.*

*Hieroglyphica duplici genere.*

Prima itaque hac luce diversæ hieroglyphicorum compositionis accepta, secuti nostrum authorem, ab ovo, ut ait, rem ordiri volentem, altè omnia repetentes faciliora principio ponamus, ut reliquis accommodate definitis, facillimus deinde sit totius generis amplexus; nec ignorabile quicquam, aut intactum ratione, aut sine numero remittatur. Characterum verò vocibus efferendis comparatorum constitutio ut antiquior, ita prior quoque consyderatio est. Antecedere enim idealibus illis, vel hinc patet, quod ex horum ordine & constructione, ut diximus, in conceptionem eorum profundiorem non pauca sint suscepta. Et fieri nequit, ut rerum cumulatissima perfectio cuncta non habeat ante se principiorum. Sed tam literarum vocis, quam symbolorum mentis significativorum, usus primus ad illa feliciora & synceriora secula ultra diluvium refertur, primævis ascriptus Patribus, & ipsi Protoplasto, mortalium sapientissimo & curis ac studiis in posteros suos plenissimo. Et ab hoc fonte quo excolendi utrorumque ratio longius provecta, hoc facta corruptior. De symbolis id testantur Rabinorum gravissimi & celeberrimi; paretque præcipue ex significatorum sub illis arcanis dogmatum, apud gentium longè diversarum scriptores varios, plana similitudine; tum ex rerum non alienarum non æqua tamen inter omnes definitione aut usus conversione, quod fortè infrà deinde Lectori benevolo fiat apertius. In literis idipsum declarant innumeri deflexus primi characteris, vere divinitus reperti à principibus mortalium. Omnium enim ubiq; per orbem terrarum usitata literarum genera ab unico illo charactere primitivo deducta & deformata esse, non obscurè innuunt ingeniorum clarissima monumenta. Et initiale quidem illud formæ genus Hebræum seu Chaldæum ducit Kircherius, unicum ante variationem linguæ

*Institutio sequentium,*

*in literis,*

*& symbolis:*

*utrorumque ortus primus demonstratus,*

*Idealium characterum,*

*& epistolicorum,*

*omnis generis comparata specie.*

*Lingua primigenia.*

linguæ ejusdem, unius tum omnium Noë in Mesopotamia familiarum, singularumque ad Babel congregatarum copiarum: post disturbatam verò linguæ paritatem, apud quem de Patriarchis, filiis ac nepotibus Noe, aut si in domo Semi, quod quidem maxime credo, cum quo posterorum incorruptum manserit primigeniæ & doctrinalis linguæ idioma; præterea si non Aramæum, sed Abrahæum syncerius sit, quis tum verus ille & genuinus, primitus usitatus, vel divinitus in tabula legis Mosaica insignitus character dicendus, utrum Assyrius quem dicunt, an Samaritanus, Siriusve, non hoc loco asserimus, nam inter discrepantes illarum sententiarum divortiis

*[Vsitatus Character Patriarcharum:]* *[Linguæ Aramææ, Hebrææ,]* *[Decalogi.]*

*Non nostrum est tantas componere lites:*
& frustrà haud rarò ei accedimus
——— *Fraternos quisquis amores*
*Aut metuet dulces, aut experietur amaros:*

digna forte unicuique probandæ assensionis & hæc & altera pars, si cura humili, amica nimirum veritatis, & indagine subtili pervenaremur rem totam, omnemque moveremus lapidem, tanto studio, quanto aliena, ac nihil profutura petimus. Alterum ergo conveniens est ut demonstretur, nempe quod inter omnes cognatio quædam sit, similisque origo. De hac re quibus testibus magis credemus quàm oculis nostris, quum gentium quarumcunque literas vel ex vicinis plane expressas videamus, easdemque esse numero, situ, figura, potestate; vel si quæ abludant, has tamen ad aliarum viciniam, & nullas non ad alias parte aliqua descendere. Ita ex earum comparatione per te ipse colligas, literas Græcas è Phœniciis natas, quarum idem ordo sit, eademque forma quæ Phœniciarum, quibus omnes olim & Chananæi, & Hebræi usi sunt, adhucque Samaritani utuntur; neque aliæ in usu fuerunt à temporibus Mosis, usque ad excidium Templi. Nam ea quibus hodie Iudæi sacros libros, & omnia acta sua conscribunt, sunt ad exemplum magis Syriacarum; nec illæ non Samaritanas referunt: quod vero hac parte controversum est inter authores, non tango, quoniam nec ejus dubii ad me cura pertinet. Chaldææ quasi mediæ sunt inter Phœnicias & Iudaicas vel Arabicas hodiernas: Chaldæas verò vocavi, quibus hodie Ecclesia Antiochena utitur, item Christiani Nestoriani & Maronitæ; qui, quemadmodum Græci & Latini, habent duplices, majusculas, quas Capitales vocamus, & minusculas, quas Practicas vel Cursivas dicimus, ad celeritatem scribendi excogitatas. Capitales Chaldææ ita expressæ sunt ex Phœniciis, ut negari non possit, eas ex illis fluxisse, ut nostras minusculas à majusculis veteribus Romanis. Horum quæ hodieque in oculis nobis sunt, & ex quibus Itali, Galli, Germani, Hispani & alii, quorum manus horum assimilat stylum, suas omnes adumbrarunt, eædem pene sunt cum Ioniis veteribus; quod ex Plinii verbis acceptum oculis judicare possumus, si exempla unarum cum alteris conferamus. Hoc de Phœniciis, Græcisque recentioribus & Ionum veteribus, itemque Latinis fecit in Eusebianis Animadversionibus Scaliger: demonstratque præterea ex Cadmeis grammatis sive Phœniciis, originem literarum Ionicarum vetustissimarum; de quibus Plinius: *Gentium consensus tacitus primus omnium conspiravit, ut Ionum literis uterentur.* deinde variarum de differentiis agit, exinde verò quot & quas Græci à Phœnicibus acceperint, quas reliquerint, quas adjecerint, quas priùs usurparint antequam illas adjicerent. Hæc omnia quo potest modo, hoc est divino, & quæ potest, hoc est, quæ tu cunque scire velis, tractat clarissimum orbis eruditi lumen; id quod in primo hujus seculi decade occidit & secula retrò omnia, cœlo labore Herculis dimidiatum per seculum indefessi recluso, vetat occidere; illustrissimus Scaliger, qui huic cæli oculo proximus, ad nullam non partem Heliconis scalas gradusque jecit, quasi vis quædam major industriæ & intelligentiæ, omnium Facultatum & bonarum literarum consultis præstans, quo sua ars auctior, & utilitas omnis divinior fit, *ut jam Scaligeri nomen non pro Erudito homine sumatur, sed pro Eruditione.* De ipso cùm alii nulla aut sibi laude, aut illi satisfacere videntur, paucissima dicere mihi consultissimum est, & vel ad cœlum, Lector, te mittere, ubi Scaligerum, genus deorum, velut in figura videas, vel ubi velut in typo intuearis Scaligerum humanissimum

*[Omnium scribendi generum similitudo probata:]* *[Phœnicii cum Græco;]* *[Phœnicii cum Hebræo;]* *[Phœnicii cum Chaldæo, quonam,]* *[& quotuplici:]* *[Græcum & Latinum utrumque;]* *[Latinum cum Europæorum humaniori;]* *[Cadmeium,]* *[Ionium cum gentilibus universis.]* *[Iosephus Scaliger, Sol eruditorum.]* *[Daniel Heinsius de Scalig.]*

mum, ad terram te remittere, Batavam præcipuè, ubi deus ille, divi patris æmulus, otii, medias inter turbas & impetus, ac mollis quietis fata beata elegit; nisi hæc cœlum magis quàm terra sit dicenda; nempe cui in urbibus, oppidis, pagisque, templorum, palatiorum, domuum cuncta lautitia, munditia, elegantia, quasi cœlesti nitore fulgent; ubi publicum omne, pontesque, navesque *ut pura nocturno renident Luna mari*; privatus verò mundus [ sic universa merito dicitur supellex, quum nihil occurrat nisi mundum ] astris ipsis lucidissimis certare videtur: Batavia inquam, ubi hospites triumphant principes, liberi agunt quos nominaveris omnes; felices cohabitant divites, bene semper habent pauperes, belli nulli non videntur erectiores, humaniores, diviniores: Bataviæ dico Hollandiam, Scaligeri Tutelarem, ubi inter cives universos par, civibusque & hospitibus æqua residet Astræa: quæ cum singula, quam aliis in terris obtineant celsiora, omnique modo majora, modo meliori hanc nuncupem præ cæteris divinam sedem. Quo trahitis me nudo choro deæ? revoco gradum ad characteres nostros à mentis gratæ charactere. Similem nempe Scaligero operam [ parem quis præstabit reliquis? ] Oedipus noster in Grammatica sua Gymnas. hieroglyphici navavit, pluribus invicem compositis linguarum ac literarum monumentis, hoc est primævis formis ac characteribus, tam eorum, quorum confiniis littorum Phœbus surgit, quosque decursu immenso vel noctis colore vel diei conspicuos, interque eos nocte dieque studiis literarum nobiles videt, quàm penes quos Hesperium subit cubile. Quas Cambdenus de prisci Germaniæ populi Saxonum literis in Anglia superstitibus producit; quasve longè antiquioris gentis Gothicæ runas sive notas literarum prodiderunt Ioh. & Olaus Magni, fratres, aut in Tyrocinio runico Ioh. Buræus, citante Michaële Wexionio in Epit. Descript. Suec. nonne vestigia clara habent, tam in figura quam valore, similitudinis cum iis, quæ nobis hactenus visæ sunt, & propterea indubitatè productæ originis? Posteriora hujus populi literarum elementa, de quibus

*Hollandiæ, ex occasione laus semper propria, Lautitiæ, Charitatis, Iudicii.*

*Oedip. Ægypt. Tom. II. Class. II.*

*Saxonum veterum literæ.*

*Runæ Gothorum.*

*Suecorum literæ posteriores,*

*De Obeliscis.*

Chron. Vrspergensis assertio pro vera habetur, quòd Vlpias Episcopus tempore Imp. Arriani eas invenerit, alium assertorem non requirunt, quum nulla eorum quæ non Latina, & antiquiorum Grecorum sint: quas verò hodiernus usus inter illos introduxit, illæ nihil habent nisi Romano-Germanicum. Moschovitæ & veteres Russii Græcis literis utuntur, aliquas tamen extra Alphabetum Græcum commenti, sine quibus claudicaret eorum scriptio: habent hi etiam ἐπίσημα sua quædam, quibus locus quidem est in Alphabeto, sed ut numeri tantum munia expleant, non literarum. Idem dicas de Coptitis, qui & Alphabeto Græco utuntur, & alias literas præter Græcas habent; sed de horum vario stylo mox latius dicemus. Satis vero superque probatum concludimus, jam dicta literarum genera præterque de universis ad hæc imitata reliqua, quæ vocum humanarum modum comprehendere apta, sunt ad unum omnia scribendi archetypum referri: quum nihil quicquam inter se differant, nisi quod tractatio & usus, & progressus longi temporis à primigenia forma mutavit, ut omnibus in rebus evenire solet. Hinc porrò optima ratione inducimur, quod pro certo quoque supra relatum est, & authoritate SS. Patrum firmatum, credere quod ante terrarum inundationem scripturæ usus primus fuerit, apud principes humani generis: eundemque ad tempora citra diluvium descendisse, non alienæ probationis est: quum singula quantumvis longissime deflectentium genera archetypum aliquem, forma, vel potestate simillima præsentent, nec nisi ejusdem semper variationem factam videamus; maximam nimirum post multiplicationem linguarum [nam & ante diluvium apud Caini sobolem depravationem aliquam factam vult Kircherius] lapsu temporum ac multiformi idiomatum necessitate exprimendi majorem in modum productam.

*Europæorum barbariores: quibus adde Illyricas &c. Kircherio productas.*

*Coptitarum epistolographicæ.*

*Archetypus character, Hebræus, ante diluvium fuit.*

Neminem itaque de posteris Noë architectum literarum duco, sed quisquis ille post egressum ex Arca fuerit Idris aut Hermes ac Mercurius, cæterique quiqui monstrantes usum scribendi & legendi, non conditores sed præcipuos

*Inventio literarum Mercurio non ascribenda:*

puos tantùm cultores dico, humanæ vocis notarum jam tum prægenitarum; perinde ac symbolorum, soli intelle-

*tractatio tamen præcipue.*

ctui aptatorum, initiamenta prima haud citerioribus cataclysmo diebus ponimus, at utrisque deorum bifrontium & inde deductis seculis utriusque scripturæ præceptores & auctores varios. Horum postremos cùm ordinatæ ac præformatæ literaturæ nonnihil addiderint, pro diverso nimirum exprimendi modo, aut, quòd deflecterent ad alia considerationum, iccirco in partibus particulas immutaverint, transtulerint, & aptaverint ubique omnia authoritati suæ, sectatorum vulgus ipsos in originem inventionis adscripsit.

*Protoplastus author scribendi,*

Sed quem librorum scriptorem primum; dubio procul etiam literarum authorem facit ipsa literarum clara posteritas: quoniam à Deo, omnium bonorum fonte, proximior nemo est. Hunc enim divinæ literæ enarrant primum

*authoritate Gentilium,*

hominem, & omnium hominum parentem; eundem Hebræi, Chaldæi, Samaritani, Arabes, Æthiopes, Ægyptii, Græci, Latini, & cæteri consensu unanimi dicunt principem scriptorum, & literarum genitorem. Anne Scriptura sacra de illo hoc ipsum quoque adsignificet, & memoriæ interpretetur, Lectori ejus docto & sapienti judicandum relinquo; & rem, gravioris considerationis quàm pro hoc loco, quasi nutu demonstra-

*& Iudæorum Rabbinorum.*

tam, leviter tango. Ad initium nempe Geneseos quinto, quod est, *Liber generationum Adam*, commentantes Rabbinorum plerique, librum Adamo à Deo dictatum ajunt. Sed de eodem Suidas: *Hujus sunt artes & literæ, hujus scientiæ rationales, hujus prophetiæ sacrorumque operationes, hujus leges scriptæ & sine scripto; hujus inventiones; &c.* Habet hac de re varia literarum monumenta Liber Obelisci Pamphilii I, eâ linguâ & charactere, quo quæque sunt prodita; quibus nisi grave est, amplius consideres, Lector, quo-

*Scripsisse Sethum,*

modo ab Adamo ad Sethum, (quem librorum aliquorum scriptorem varii volunt, & esse verum videtur;) cæterosque filios aut nepotes, usque ad Enoch per succedentium traditionem bonum scri-

*atque Enochum:*

bendi sit translatum. De Enocho & ejus libris meminimus quos supra appellavimus Ecclesiæ doctores, & quæ ibidem ex Tertulliano audivimus. Conti-

*de eo Origines, & Procopius.*

nuisse autem libros illos, perhibent Origines & Procopius, multa vaticinia, videlicet de his quæ eventura erant filiis ac nepotibus Patriarcharum, de futuris Hebræorum sceleribus & pœnis, de mundi Salvatore ab eis occidendo, de eorundem eversione, captivitate, & dispersione inter gentes perpetua. Iosephus Scaliger, de quo nonnulla jam recordati sumus, in Eusebio suo [Scalige-

*Eusebius Pamphili.*

ri enim quàm Pamphili esse illum, jam quis neget, aut ipsi Eusebio, si uterque vesceretur aura, in Scaligeri quàm suo nomine plus esse gloriæ?] adduxit fragmentum quoddam ex libro Enoch; quod celeberrimo Kircherio visum dicitur in Bibliotheca Græca Monasterii Salvatoris Messanensis urbis; eidem, authori nostro, in Gymnasio Hieroglyphico apponitur, è Græco in Latinum translatum, quod sciamus, antea nemi-

*Iosephus lib. 1 Antiquit.*

ni. Ad hæc faciant, quæ Iosephus refert de filiis Seth, qui sideralem scientiam ad cœlestium rerum cognitionem excogitassent; sed cum scirent prædicta

*Prognosis Adami.*

Adami, de duplici rerum in universum interitu, incendii nimirum & diluvii, veriti, ne inventa sua priùs perirent, quàm pernoscerentur, excitatis, duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt: quas ambas etiam suis temporibus existere, affirmat idem. De Chami Noemi filii ante diluvium varias artes edocti, columnis septem æreis, totidemque lateritiis, & scientiarum præceptis insignitis, hic dicere possem, nisi satis essent ad hunc locum quæ hactenus diximus. Revocamus itaque gradum ad inventas jam literas.

*Literæ à patre luminum profectæ;*

Divino verò prolatas has modo, dicimus ut suprà, tum quod diis in initiali ævo, hoc est primis tum patriarchis & principibus institutæ sint, tum quod earum rationes ipsi protoplasto angelos cœlites suggessisse nonnulli sint autho-

*Ipsique Numini exaratæ.*

res: sed præcipuè, quum à Dei digito, Optimi Maximi, quem notas verborum æternis non intercasurorum temporibus ipsum scripsisse, credimus ejus angelis, vel ipso Creatore fato Adamo, vel nato Iared Henocho, datæ & monstratæ fuerint, in salutem hominum. Et-

*Respectio ad characterem.*

enim quoniam Deus in lege binarum tabularum notis usus haud ignotis, (de

quibus

quibus præter Rabbinorum, ad quos te rejicimus, aliud argumentum artis non proferam, horrendæ multorum hodie dissensionis dolore, qui tædium meritò dictans efficit ut disputandi materiam haud obscure fugiam, sua quemque cum arte, quam sibi credit efficere nihil non amplius posse, relinquens,) num quis credendum ducit, majestatem Omnipotentis & Gloriosi, quam prædicavit Enochus, quæ deduxit Abrahamum, quæ regnat super Israël, Dei nostri, non habuisse notas ad exarandum præparatas, nisi alienorum? Et quisnam præstitit quicquam Domino, adde quæ sunt Domini, domui ipsius, cujus sibi referenda sit gratia accepti? Sed literarum quis divinitatem enarret? si quæritur immortalitas, adest puto: si voluptas, non negatur: si præsidium & decus, non desideratur: si commodum & usus, nihil est ad vitam & vitæ adeò immortalitatem compositius. Altrices enim artis & laudis, tum adolescentiæ, primævoque flori, tum provectæ ætatis fructibus serviunt; educatrices gloriæ, principibus cum populo proficiunt; famæ nutrices, omnibus & singulis commodæ sunt: antiquitatis testes, nullis non temporum posteriorum consulunt; memoriæ custodes, unamquamque ætatem sustentant & recreant; immortalitatis conservatrices, quidquid est rerum tutantur, ut non inepte dicatur de iis, qui literis omninò dediti vivunt, hos in altero degere mundo:

*Literarum prædicatio:*

*ipsæ, Deum parentem imitatæ, mater sunt lucis & bonitatis,*

*Queis nihil majus meliusve terris*
*Fata donavere, bonique divi,*
*Nec dabunt; quamvis redeant in aurum*
*Tempora priscum.*

Sed quid attinet, me illas aspergere laude, quæ, sive rubris sive nigris prostent coloribus, nullibi non aurea clarent laude sua, immortali, quòd de æternis nobis retulerunt, & infinitâ, quum non uni orbi, nec uni seculo omnibus orbis & seculi bonis meliora tradiderunt. Erubescant verò quæcunque non laudes Dei continent, aut ad laudem ejus nominis compositæ non sunt. Et atro colore quid significent, impiorum manu exaratæ, quid inquam, nisi inscripta terræ nomina non regum, servientium scilicet voluptatibus suis? Dei itaque solius nomini (quod quatuor non tantùm literarum, aut plurium aliquarum numero, sed innumeris plurimorum sacramentis, neque sic tamen plene exprimitur) super dono hoc optimo decenter laudes dico. Per literas enim ad lucem cœlestis vitæ absconditam penetrantes, divinum haurimus eloquium, sensusque beatos septiformis munere sapientiæ, nullis aliis symbolis scriptorum mentibus præpassos; quod est ad commendationem apertæ simplicitatis. Literis terricolæ mundum hunc maximum, seque ipsos, minorem, perlustrant. Literis modo mirando ii qui absunt, cum præsentibus, & qui multis ante seculis floruerunt, cum omni posteritate quasi colloquuntur. Et hinc sanctos quoque Dei viros, lumina prima literarum, merito prædico, illas nempe

*& ut ipsæ linguæ, ad solius laudem Dei.*

*Exempla aspiciantur apud Oedipum Tom. II. Class. IV.*

*Effecta literarum felicissima.*

*Literati quo reperti honore.*

*Felices animas quibus hæc cognoscere primis,*
*Inque domos superas scandere, cura fuit.*

Non minori honore impertio, quoscunque literarum memoria æviterna sacravit; quos vivos ipsa supra sedes mortalium extulit, vita verò functos sepulchro quoque altiùs posuit: nec non gratulatus universis, quos vitam omnem in literis, aut bonam partem optimis earum partibus trivisse non pœniteat; in literis nempe, rerum dominis, quæ, ut præclare quidam ait, plebeis argenti, nobilibus auri, illustribus ac generosis gemmarum loco sunt. Sed dum unumquodque quod literæ nobis afferunt mente repeto, immenso plus reperio, & quod enarrandum præsumere, hoc præsertim loco, id magnum esset mare manu exhaurire velle.

Modum insigniendi literas apud veteres usitatum, quem ad hunc locum rejecimus, Tibi interpretari aptum modò ducimus. Omnis autem scriptio duplici via perfici potest, pingendo scilicet, & insculpendo. Vtraq; in ratione sunt duo quæ spectantur, instrumentum scribentis, & materies inscripti. Illud est naturæ, aut usus externi. Naturale instrumentum est manus humana, quæ & ipsa vicem styli subinde præstitit. Sic ipse Christus Dominus Ierosolymis in templo inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Ita apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regis

*Scribendi modus duplex.*

*Digitoque,*

*Dan. v.*

gis Baltaſſaris, exarantes articulos fatifero horrore ſpectantis. *ſtyloque.* Externum inſtrumentum ſtylus eſt, qui primò ferreus fuit, aut ex alia quadam prædura materia metallica; & hoc inſtrumento ſaxis ſeu laminis metallicis inſculpere ſua ſolebant antiqui, ut eſt apud Iobum; *Liber Iobi.* qui liber cùm omnium vetuſtiſſimus ſit, meritò ei circa narrationem de ratione ſcribendi veterum, utpote primò ſeculo viciniſſimo, fides habenda eſt. Omnes enim ſcribendi rationes, quæ unquam in uſu fuerunt mortalibus, ille indicare videtur. *Quadruplex genus ſcriptionis,* Quatuor autem omninò refert. Primò communem aliquam, & privatam his verbis: *Privatæ, Cap. XIX.* *Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei?* Secundo firmiorem aliam & diuturniorem ad publica monumenta: *Publicæ,* *Quis mihi det, ut exarentur in libro.* ad hanc pertinent, quæ tanquam firma & rata perſcribuntur ad publicam memoriam, cujusmodi ſunt ſtatuta, jura, leges, quæ vel impreſſis characteribus, vel diuturnioribus notis conſervata volumus, quod & vox Hebræa יחקו i. e. decernantur, ſatis ſuperque inſinuat. Tertio autem *in plumbi lamina*, *in plumbo,* aut ærea quacunque materia, *ſtylo ferreo*: Quarto vel *in ſilice*, *in ſilice,* aut aliâ quâvis præedurâ materia. Ad primam quidem & ſecundam reducuntur vulgares illæ & communes ſcribendi rationes, in foliis arborum, aut codicibus; ad tertiam & quartam rationem lapideæ & metallicæ laminæ, & ſaxeæ moles, *aut materia quacunque.* cujusmodi Pyramides erant, aliaque monumenta veterum.

*Literæ Ægyptiæ,* Hinc ad Ægyptios redimus: quorum literas, ad Græcarum, Phœniciarum, & aliarum ſimilitudinem inclinantes, eundem contingere vicinitate aut origine characterem initialem, à quo reliquæ omnes profluxiſſe demonſtravimus, apertum eſt; quanquam longius ab archetypo deformatores videantur deciḋiſſe. *quibus Dædalis deformatæ,* Ægyptii enim veteres degeneres à vera Hebræorum [quibus primitivum characterem traditum eſſe ſentimus] propagine, proavorum tamen unde deſcenderant veluti ſimiæ eo ſuas literas modo poſuerunt aut diſpoſuerunt, ut quanquam figurarum diverſarum, ſignificatio tamen cum Hebræis in omnibus *quid ad figuram Hebræarum,* par eſſet & arcanorum prorſus analoga; ut deinde clariùs liquebit. Confirmat ſententiam illam, quod Plutarchus & Volaterranus cum multis aliis apud Cœlium Rhodiginum citatis, dicunt, *eædem quàm ſint vetuſtæ.* poſt Hebræos Ægyptios primos literarum uſum tradidiſſe, à Mercurio inventarum. Repertorem verò Mercurium dici puto, quòd monſtraverit uſum literarum, *Hermes qui ſit inventor literarum.* quas ex libris primi Thouti, Enochi, tum quoque à diis, hoc eſt, Patribus grandævis, filiis Noe, cum quibus ævum primum nec non extentum vixit, vel ab ipſo Melchiſedecho [quem nonnulli cum Tautho confundunt] acceperat, aut ipſe auxerat, & abundanti ingenio Ægyptiis aptaverat, ad ſimilitudinem rerum, ſpeciemque animalium præſentandam conformatas, quod paulo poſt explicabimus. *Beda.* Venerabilis Beda, veteres non ſolùm dictionibus, ut nos, ſcripſiſſe, aut locutos; verùm etiam quæcunque mundus continet & à nobis comprehendi poſſunt, certâ quadam induſtria ad res ſignificandas transtuliſſe, docet; tanta, ait, eſt alphabetorum diverſitas, tanta literarum characterumque differentia; quorum ductus, figuras, chiaſmata, vel ex ſimilitudine rerum materialium, aut beſtiarum inceſſu, aut avium volucrumque volatu, aut aliâ ſimili quadam occaſione originem ſuam habere veriſimile eſt. *Abenephi.* Abenephi inter Arabes clariſſimus auctor, quem Oedipus in hoc negotio potiſſimum ſequitur, ait Ægyptios quadruplici uſos eſſe literarum ſeu characterum genere: *Quatuor apud Ægyptios literarum genera.* primum quod apud vulgus in uſu eſſet; alterum in ſapientum ſchola; tertium quod mixtum ex characteribus & Symbolis; quartum penes ſacerdotes manens, quæ literæ avium erant [ita enim appellant Arabes hieroglyphica,] quibus ſacramenta indicabant divinitatis. *Clemens.* Huic ſententiæ conſonat illa Clementis Alexandrini lib. v Strom. de Charact. Ægyptiorum: quos primò ait *docere viam & rationem characterum quorundam, quam vocant ἐπιστολογραφικὴν, hoc eſt, aptam ad conſcribendas epiſtolas; ſecundò autem ſacerdotalem, quà utuntur ἱερογραμματεῖς, ii qui de rebus ſacris ſcribebant; ultimò verò ἱερογλυφικὴν, id eſt, ſacram quæ inſculpitur ſcripturam, cujus una quidem eſt per prima elementa κυριολογικὴ, id eſt, propriè loquens; altera verò ſymbolica, ſive per ſigna ſignificans. Symbolicæ autem una quidem propriè*

*priè loquens per imitationem, alia verò scribitur velut tropicè, alia verò apertè sumitur allegoricè per quædam ænigmata: qui solem pingunt, faciunt circulum; Lunam autem, figuram Lunæ curvatæ formam præ se ferentem, convenienter ei formæ quæ propriè dicitur.* Sed jam quæ ad scripturam pertinent epistolographicam, hoc est, quâ in conscribendis epistolis, prodendisque animi conceptibus utebantur, præcipiamus, de hieroglyphicis deinceps dicturi: his enim illam priorem esse, non est dubium; plurimaque ex eadem inter hieroglyphica pro symbolis cessisse, jam antea notavimus.

*Literarum Ægypti aliæ adscitæ, aliæ non.*

Verùm pauca ab initio cùm essent elementa, non accersita, crevit progressu temporis numerus ad triginta duo, quas nimirum hinc inde vicinis de gentibus mutuaverant, quod author noster in Supplemento Prodromi Copti ostendit, alphabeto eorum proposito.

*Lingua Ægyptiorum;*

Sic ipsam quoque Linguam Ægyptiacam, quam indigenam de Matribus linguis unam ducit, quæque cum nulla alia habeat affinitatem, quantum ex idiotismo, conjugatione & inclinatione nominum ipsi colligere licuit;

*eadem post Alexandrum corrupta.*

plurimas tamen voces Græcanicas, ab Alexandri Magni, & deinceps temporibus, ex frequentia cum Græcis Ægypti dominis, Copticis mistas habere, idem ille probat. Nec Græcis tantum linguam Coptam, sed & Latinis, Arabicis, Hebraicis, Samaritanisque vocabulis & cognatis aliis repletam esse. Dicimus autem hoc loco de Ægyptiaco communi idiomate, quod Coptum seu Pharaonicum appellat Oedipus: qui & aliud, nempe secretius dicendi genus dat Solis sacerdotibus, Prophetis & Hierogrammatæis, similibusque hominibus Mercurialibus sive philosophis, aut regiis; quod vocat Hieroglyphicum, & in symbolica tractatione nobis allegetur. Ad literas regredimur.

*Principio rerum quot literæ fuerint Ægyptiis:*

Quarum priorum quot fuerint, diversæ Authorum sententiæ sunt. Demetrius Phaleræus celeberrimæ Bibliothecæ Alexandrinæ, postmodum, magno posteritatis detrimento exustæ, custos, dicit Ægyptios habuisse septem literas vocales, diis totidem dedicatas.

*Sono literarum celebrata Numina.*

*In Ægypto, autem*, ait, *& deos septem vocalibus sacerdotes celebrant, deinceps ipsas sonantes, & pro tibia & cythara literarum harum*



*sonus auditur, ob suavitatem vocis.* Hæc rectè quidem, sed de sono septemplici, non capio; cum natura non nisi quincuplicem vocis intentioni dederit: nisi si forsan aspirationis duas notas simul adnumerarint vocalibus literis.

*Pierius & authores alii de origine literarum quid prodiderint.*

Pierius putat quindecim omnino fuisse, ex animalis alicujus effigie membroque figuratas: quarum quatuor tantùm assignat. Primam A ponit Ibin; secundam B, ovem; tertiam dicit falcem, loco Γ; quartam Δ: & cum omnes alii authores ex animalibus desumtos characteres referant, quinam illi sint, silent. Hinc nos, infit Oedipus, nihil non agentes, quo aliquam ad notitiam hujus rei pervenire possemus, tandem invenimus, primam literarum Ægyptiarum στοιχείωσιν ex quatuordecim literis fuisse concinnatam, ut rectè quoque Clemens, Eusebius, cæterique tradunt, ex sacrorum animalium forma, incessu, aliarumque corporis partium symmetria desumtam; ut & author Scalæ magnæ Copticæ, sive Dictionarii Ægyptiaci, in primordio dicit: *Ægyptus primos suos characteres ex figura desumpsit animalium.* Quomodo autem prima illa elementorum institutio peracta sit, restat declarandum.

*Osiris diducto Nilo Delta profert.*

Priscis rerum Ægyptiarum scriptoribus Osiris fertur, primus regum, partem terræ inferiorem, pelago pressam, cum altior indies limi ac arenarum, defluente Nilo volutantium, aggestus spem fecisset terrenæ soliditatis gignendæ, diduxisse flumen in rivos, ut sinus aut æstuarium maris, munitum à restagnationibus, exiccaretur aptitudini cultus humani; sed mox, cum copiâ ingenti colubribus, ex humore pinguis Nili putrefacto genitis, natus amœnissimus regni locus infestus redderetur, adeo ut multi quotidie, & inter illos Canopus navarchus Osiridis, ore exitioso perirent,

*Ibis domitrix Serpentum;*

magnam vim Ibidum idem ipsi immisisse, qui brevi tempore terram purgarent ab hoc malo. Ibidum dein numero crescente, posteris, quibus liberatores sui in oculis semper ferebantur, quod multa bona ab hac avi nata essent, relata est inter sacra animalia, & Agathodæmon appellata; quo nomine & ipsum de quo loquimur locum regni insigniverunt, ut apertè verba Ptole-

*Eadem prima sacror. animalium.*

mæi notant: Δέλτα μέγιστον ἐκεῖνο καλεῖται καθ' ὃ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς λεγόμενος Ἀγαθὸς Δαίμων. Notatæ autem porrò ſunt veneratæque variæ ſpecies, quas vario illa corporis poſitu formaret; adeò ut primò ex roſtro cum pedibus juncto ipſum Agathodæmonis nomen oſtenderent. Ibis enim divaricatis cruribus & roſtro iis transverſim inſerto, exprimit primam Alphabeti literam A, quod idem ſonat ac ἀγαθὸς Δαίμων. Ita Plutarchus Sympoſ. v. Ἶβις δὲ ποιεῖ τῇ τῶν ποδῶν ἀποστάσει πρὸς ἀλλήλους καὶ πρὸς τὸ ῥύγχος ἰσόπλευρον τρίγωνον. Idem lib. IX Symp. III. Ἑρμῆς λέγεται Θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον ἶβιν γράφουσι, ὡς Ἑρμῇ (Ἀγαθοδαίμονι) προσήκουσαν, *Mercurius primus deorum in Ægypto traditur inveniſſe literas, atque ideo Ibin Ægyptii primam literam faciunt, Mercurio, (Agathodæmoni) convenientem.* Dicitur nimirum inventor, qui monſtrator antèformatarum literarum erat, quod in præcedentibus monſtravimus, aut qui ad normam, formam & poteſtatem antè uſitati characteris redegerat obſervata ſibi aut commenta de animalibus religioſa; niſi ſi ejus ſucceſſores magis ad mentitiones figurarum ſacrarum, à longè diviniori & myſteriis multò ſacratiſſimis perfectiori charactere Hebræo deceſſiſſe longiùs velis. Bonum autem ſive bonorum ſcientem, & ante multos ſcientiſſimum, hominis illud dæmonium dixere meritò, ob literarum tam inveniendi, vel inſtituendi, quàm omnium rerum, quarum ille conſultiſſimus erat, uſui feliciſſimo adhibendi rationem.

*Ἄλφα Græcis, Syriſque veterib. quod Tyriis* bovis *nomen. vide Plutarch. paulò infrà.*

*Hermes cultor & index ſcribendi:*

*Succeſſores Mercuriales.*

Altera litera fuit Ibidis colli, roſtro prominente figuram normæ facientis, & hinc literæ nomen. Ea verò apte conſtituta videtur normæ ratione Geometricæ, quod nimirum Mercurius & hujus artis inventor ac dux bonus haberetur. Tertia eſt crurum tantùm divaricatorum, ſine roſtro inſerto, quod ad primam literam erat; cuneata nimirum ſummitate, ſuam ad longitudinem crura diſtabant, quibus junctis per planum illud ſubjecti, figura triquetra redditur, ſive iſoſcelis trianguli, quod eſt Delta: quo nomine etiam ipſe locus quem dicimus ad mare jacere, maris quondam infuſioni ſubjectum, Ægyptiis hodieque appellatur, triangulo ampliſſimo & feliciſſimo expaſſus. *Nam pars illa fluminis Nili derivata inter ſe duobus itineribus, paulatim medium ſpatium relinquens, diverſiſſimo ad littus intervallo, à mari adjungitur.* Pauſanias apud Pierium lib. XVII. *Eſt & alia ratio, cur Ægyptum hieroglyphice ſignificarent Ibes, nempe cùm ea regio Delton à Δ Græcæ linguæ figura nuncuparetur, eam cum Ibibus ſimilitudinem habet, quòd alites hæ literam eo inceſſu pedum interſtitio ad æquales trianguli lineas deducto, ſignare videntur; idemque roſtrum patefactum ſignat.*

*Γάμμα Græc. peperit* C *Latinum, ejus vice antè functum: ut, Cajus, Gajus. Foca, Fuga.*

*Δέλτα, cui formâ & voce ſimile Romuleum D. contrà quàm Auſon.*

*Hircius Lib.* IV *Bell. Civ.*

*Pauſanias.*

Quarta litera V, deſumpta ex apertione roſtri, eſt veteribus Græcis ſimpliciter pronunciatum Y. Theogenes: ὃς ἐδίδαξας γραμμὰς καὶ γράμματα ἐκ τοῦ ῥύγχους τῶν ὀρνίθων. Ex hoc quoque roſtri aperti hiatu primò didicerunt Ægyptii uſum circini. Quinta literarum erat apud ipſos O, cui Græcorum omicron reſpondebat. Ibis enim dum vel cliſtere ſe purgaret, vel plumas diſſipatas diſponeret, collum in circulum contorquebat, unde litera circuli religioſis illis obſervatoribus, ſive mimis animalium, concepta; quamvis alii velint ad ſolis rotam figurandam contemplatoribus cœleſtium productam eſſe. Habemus itaque quintuplices literas ab unius profectas formatione Ibidis, quæ tanto apud Ægyptios in honore, ut mirum non ſit totam rationem Geometriæ proceſſuumque quantitatis ab ipſa relatam: ut Lineas à varia colli, pedumque porrectione; angulos à roſtri ac pedum diductione; triangulos rectilineos expreſſos per duo crura, quibus divaricatis roſtrum inſertum transverſarium, efficit æquilaterum triangulum; factamque per ſectionem ratio perfecta eſt quantitatis triangularis: quæ omnia ſunt fundamenta prima Geometriæ ſpeculativæ & activæ.

*Υψιλὸν hodie. vi eâdem cum F Æol. & V Ion. ac Lat. cum δίγαμμον eſt. idem ac Ⅎ Claud. Cæſ.*

*Ratio circini.*

*O vet. Græc. pronunciatum ut ου, hinc dicitur in proverb. Φιλοξένιον γράμμα.*

*Ex Ibi demonſtrata Geometria.*

Sexta litera erat Λ, quod ipſum eſt Græcorum lambda; figuratum ex ambulantis Ibis pedibus prolatis, unde Progreſſus nomine Ægyptiis ſignificatur. Hinc etiam inventio cubiti Ægyptiaci ſeu Ibiaci orta, quem ex veſtigiis hujus avis in littore fluminis limoſo impreſſis deprehenderunt. Ex hac litera contrapoſita ſub præcedenti V, naſcitur alia X, frequens in Obeliſcis, quâ animæ Mundi proceſſum verſus inferiora & iterum ad ſuperiora indigitabant. Atque hinc patet, cur Plutarchus, Cle-

*Lamda Syris; Græcis & λάβδα.*

*Binæ literæ deſcriptæ in aliam.*

*X vet. pronunc. ut Schin Hebr. x Hiſp. ch. Gall. cia Hetruſc. ſch Germ.*

Clemens, aliique Ibin primam literam dixerint; nempe cum ex hac non literæ tantum sed & hieroglyphicorum arcana ratio profecta sit. Sumitur autem litera apud illos non pro figura simplici alicujus grammatis, sed sed integro systemate hieroglyphico; quod cum unum esset, varia tamen & maxima sui forma exhibebat Ibis. Hinc soli Mercurio, ut retrò in mentione ipsius diximus, hanc avem dicatam habuerunt.

*Litera quid Plutarcho.*

De reliquarum literarum inveniendi modo monumenta memoriæ hæc prodiderunt. Bovem nimirum ob insignia beneficia apud Ægyptios divinis honoribus cultum, adeò ut Osirin sub Bovis forma varias res ad humanam vitam sustentandam necessarias, homines docuisse crediderint. Ejus proinde figuram, ut ipsis solitum erat, observantes, tres characteres pepererunt: primum ex cornuum bifurco, quem Sima vocabant, hoc est symbolum Lunæ; alterum ex fronte quadrata *, quem O magnum appellatum, nam varia hujus figuræ symbolo mysteria exhibebant. Hic verò cum cornibus conjunctus characterem alium suppeditabat, qui βȣ̃ς à figura bovis dictus respondebat Græcorum ȣ; talemque vocalem mugitus bovis edebat. Fuit autem hæc litera ipsa non simplex tantum, sed idealis & hieroglyphica, multos & varios conceptus implicans, uti in explicatione ejus parebit. Quæ ita se habere Plutarchus asserit lib. IX. Symp. q. III. Καδμὸν φασὶ, τὸ ἄλφα πάντων προτάξαι διὰ τὸ τοὺς φοίνικας, οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν, οὐ δεύτερον οὐδὲ τρίτον (ὥσπερ Ἡσίοδος) ἀλλὰ πρῶτον τίθεσθαι τῶν ἀναγκαίων. Id est *Cadmum ferunt ideo Alpha primam literam posuiße, quod βȣ̃ς ita lingua Phœnicum dicitur, quem non secundum aut tertium, ut Hesiodus, sed primum locum inter res necessarias existimabant.*

*Bos Ægyptiis divinus.*

*ab eo literæ.*

*C forma Stibadii.*

** De liter. figura quadrata & rotunda videas citatum suprà Scalig.*

*Plutarchus.*

Tertium apud Ægyptios animal sacrum fuit Accipiter, ex quo similiter characteres tum vulgares, tum symbolicos mutuatos legimus. Et caput quidem cum rostro dedit literam, quam in Alphabeto Sima vocabant, id est visionem, eò quod per Accipitris caput, quod hunc characterem exprimebat, Deum omnia videntem, occulta allegoria indicarent. Quartum animal sacrum erat Canis, quem suprà quidem in pompa Isiaca ex Apulejo vidimus; at qualis inde prolata sit litera hactenus incompertum habet Oedipus. Sunt autem hæc illa quatuor animalia quas appellabant literas, eò quòd literarum præcipuas ex iis addidicissent; quæque in Comasiarum solennitatibus circumferre solebant. De iis omnibus Clementis Alexandrini lib. v. Stromat. hæc sententia est: *Iam verò in iis, quæ ab aliis vocantur deorum Comasiæ, aureas eorum imagines, duos quidem Canes, unum Accipitrem, & unam Ibidem circumferunt, & vocant quatuor illa simulachra quatuor literas*: in honorem videlicet Mercurii, qui quomodo ex eorum forma literarum elementa extraxerit, abunde jam dictum est. Habemus nempe decem literas ex quatuor dictis animalibus genitas. Reliquas verò ex cæteris animantibus, aut instrumentorum similitudine receperunt. Ex Arietis, quem Amun, sive Iovis Hammonii habitaculum dicebant, capite cornuto, figurarunt literam Amun, respondentem nostro B, cujus consonantiam in voce pronunciata didicerunt ex balante eodem animali. Etymologicorum interpretem huc respexisse, verisimile est:

*Accipiter,*

*quam paterit literam.*

*Σίγμα Græcis, dictum & σῶν.*

*Clemens.*

*Animalia extra Comasiorum ordinem sacra.*

*Aries Amun.*

*Βῆτα veteribus Syris. pro B & Vau Latinis indifferenter usurpatum.*

Ὁ Διλίθιος ὥσπερ προβάτων βὴ βὴ λέγων βαδίζει.

*Stolidum tanquam pecus Be Be dicens ambulat.*

Hinc Pierius quoque ovem secundam Ægyptiorum literam fuisse asserit. Porrò à Serpente assumebatur alia litera quam Zeuta vocabant, hoc est vitam, eò quòd Serpens vitæ symbolum apud eos esset: respondebatque Græcorum ζ. Præterea circulo igneo serpentem per transversum includentes efformabant literam Thauta, sive Thot, quam Græcorum refert Θ Thita. Erat hic unus ex maximè mysticis characteribus: quod nempe per circulum igneum, mundum, per serpentem verò mundi conservatorem occulte indigitarent: pulchra nimis, per quam jucundissima ac Paradisia rationis amœnitate, utriusque scilicet διαθήκης, sive Fœderis Veteris ac Novi, purpura lucentis ad fidei consortes, si christianè adspiciatur. Illa verò descripta sunt apud Eusebium: *Therecides quoque de Phœnicibus efformationes accipiens edoctus divinitus*

*De Serpente literæ;*

*Ζῆτα etiam priscis Syris, pro quo Latinis antiquitus G.*

*Θῆτα gratissima ratione.*

*Eusebius.*

de

*de Deo quem Ophionea dicebant & de Ophionidibus mirum in modum disseruit: verùm Ægyptii universum depingentes mundum, hac ipsa inducti sententia, in Circulum astralem igneumque in superficie circumfusum Serpentem forma Accipitris extendunt, ut sit Thita græcæ literæ figura consimilis; magnitudinem mundi ac formam per Circulum significantes, per Serpentem vero qui in circulo positus est bonum dæmona conservatorem omnium, cujus virtute Mundus contineatur.* Ex hoc autem Symbolo, sive litera, aliam efformarunt, φϑλο dictam, sive Amorem; cui similis erat Græcorum φ. Hujusce literæ mysteria strictim hic attacta fusius explicat author in Prodromo Copto suo, quod hic indicasse satis est.

*Ex rerum similitudine figuratæ literæ.*

Multos insuper characteres non ex animalibus, sed ex similitudine rerum quas referebant, natos reperies. Sic litera M, aquæ euntis fluctum exprimit κυριολογικῶς; atque inde nomen gerit: sed ξ catenæ figuram edit, nomenque habet: ipse cum præcedenti frequens est in Obeliscorum hieroglyphicis schematis. N litera pyramidis invicem sibi contrapositæ signum est. P κυριολογικὴ ἁρπαγὸς; figuram harpagonis servat, quo corpus Osiridis ex undis extractum fingunt. O & C verò non ex Ibide tantum & Bove petitæ, quod paulo antè dictum est, sed, teste Clemente, literæ erant κυριολογικαὶ, ex similitudine Solis & Lunæ. Sententia scriptoris est ex libro V Stromatum: *Qui solem scribere volunt, circulum pingunt; qui Lunam, figuram cornigeram, juxta propriam formam, referunt.* Sequitur tandem litera Tautica, omnium mysteriosissima, cui T Græcorum æquivalet. De hac ampliora infrà tractatio hieroglyphica dabit: structuram tamen sed & mysteria etiam in Prodromo Copto allegato locuples author habet. Hæc illa sunt elementa Ægyptiorum quibus vulgaris scriptio perficiebatur, nec non mysteria maxima apud Sacerdotes, hos tamen non transgredientia, tractabantur. Quæ, qualia fuerint, paucis subjungam.

*ξ antea Græcis ἐπίσημον erat, dictumque σίγμα. vet. Syr. Simcha.*

*Clemens Alexandrinus.*

*Sub literis vulgaribus mysteria:*

*Sub prima quæ dicantur;*

Sub primi figura characteris, qui dicebatur Ἀγαθὸς Δαίμων A & Δ initalia vocum earum monogrammaticè comprehendebantur, scilicet etiam figura antè memoratæ regionis, quam Delta passim aut Copticè *bonum agrum* dicebant; hujus generis literam, utplurimum ex tribus vel perseæ vel papyri ramusculis seu thyrsis, in figuram primæ literæ Alphabeticæ adaptis, compositam, in solemnitatibus Comasiarum, ante deorum statuas, ac potissimum Mercurii ἰβιμόρφῳ, ferebant, quam & Hieralpham vocabant. Invenitur autem hæc litera hieroglyphica in omnibus fere Ægyptiacis inscriptionibus, potissimum in Obeliscis Barberino, Lateranensi, Flaminio, Mahutæo, Medicæo, quos vocant, & infrà ubi convenit locorum suorum dicetur. Alterâ literâ, quæ Græcorum γάμμα efformat, hieroglyphicè nihil aliud indicatur quàm Symmetria rerum Vniversi; unde Mundi sensibilis moderatoris Hori manibus passim inserta spectatur: scilicet quemadmodum normâ sive gnomone omnia justâ mensurâ & proportione disponuntur in Architectonicis operationibus, ita Vniversi Genius in mundi sensibilis fabrica, omnibus justam dat porportionem, mensuram, pondus. Tertius character, *Bonus ager* dictus, Delta Niloticum regionemque quam paulò supra descripsimus, indicat. Et quia bonorum omnium ubertas à supremis Potentiis in hæc inferiora influunt, aptè hanc literam pyramidalis figura præsentabat. Quarto, qui Græcis præstitit Ypsilon, processum inferiorum ad superiora rectè indicabant, à centro nimirum ad circumferentiam. Quintus, quem ex collo contorto quo Ibis subinde circulum facere videtur, denotarunt, Ægyptio nomine *dominus orbis* dictus est, superstitiose persuasis, à Mercurio in Ibin transmutato se de insigni quopiam mysterio moneri. Alludit ad hoc Plutarchus Libro de Oside & Iside, dum nomen Omphis (veriùs dicas Ophta) explicat. Sextus character, qui respondet τῷ λάμβδα Græcorum & Coptitarum, literæ præcedenti contrarium modum significat superiorum descendendi ad inferiora: sed quum passim in hieroglyphicis occurrant, ibi suis locis attingetur. Ex his duobus in adversum sibi junctis nata septima literarum, decussatim factis linearum ductibus totum animæ mundi processum, ἄνω καὶ κάτω, suggerit. Quæ verò numero suo refert mysteria, rectiùs videas

*Secunda quæ ferat.*

*Quæ tertia.*

*Quartam quid insigniat.*

*Quintæ quid fecerit admirationem.*

*Quid sextâ significetur.*

*Septima chiasmo quid velit.*

*Quid exprimant octava,* videas apud Oedipum in Arithmetica hieroglyphica. Octava litera, ſive character, bovis caput cornutum exprimit, quanquam nonnulli quoque hanc literam pro omega vel quæ omicron & ypſilon jungit accipiant, eſt tamen quòd potiùs Ægyptiorum ſententiæ adhæreas. Notatque præterea conjunctionem Solis & Lunæ, ita quidem ut caput bovis illum, cornua hanc adſignificent. *Nona,* Nonam literarum, Ægyptiis dictam Viſionem, reſpondentemque literæ Coptitarum aut Græcorum σ, caput Accipitris peperit; cui cùm acutiſſimus viſus ſit, rectè literam hanc iſti numini, quod viſu omnia Mundi receptacula penetraret, id eſt Soli, conſecrarunt. Sol enim lumine longè quam terrarum orbis capit diffuſiori, omnia fovet, & animat. *Decima,* Decimæ appellatio Ægyptiace ſonat *Fœcunditatem*: eſt enim ex Arietis capite, quod Amun vocabant; & cum fœcunditatis Symbolum ſit, recte is capite Arietis exhibetur, cui cornua in adverſum reflectuntur, vel ut Plinius huic generi tribuit, convolvuntur in anfractum, in effigiem ſcilicet literæ B. *ſupra decimam Prima,* Vndecimæ inter ſacros characteres literæ Vita nomen dicitur; Serpentem verò, cum ſit ſymbolum vitæ, ut diximus paulo ſuprà, mirum non eſt, nec dubium, huic appellationi originem dediſſe. *Altera,* Duodecima, quæ litera Tauti, hieroglyphice nihil ſignificat aliud, niſi vitam mundi, quam ſerpens in circulo igneo incluſa denotat: ſpectatur autem hujuſmodi hieroglyphicum paſſim in Obeliſcis, cæteriſque monumentis hieroglyphicis, ubi quod hîc prætermiſſum eſt, accommodatiùs oſtendetur. *Tertia,* Tertia decima, quæ Amoris appellatione, omnibus inſigniori, celebratur, oſtendit cuncta membra Mundi per vitam univerſalem amore connecti; unde & Sphæra Amoris dicitur: de hac ampliùs Prodromus Coptus authoris. *Quarta,* Quarta decima apud Ægyptios Aqua audit, cujus volventis fluctum exprimit, atque adeo κυκλολογικὸν τοῦ ὕδατος σύμβολον eſt, reſpondetque M Coptitarum, Græcorum, Latinorum, &c. quo inter hieroglyphica nihil occurrit frequentius. *Quinta,* Quinta decima *Catenæ* nomine ſignificatur Ægyptiis, & figura catenæ circulis connexæ formatur: eſtque κυκλολογικὸν τῆς σειρᾶς τῶν Θεῶν σύμβολον, uti Pſellus in Zoroaſtreæ Philoſophiæ expoſitione docet, & reſpondet Græcorum ξ. *Sexta,* Sexta decima idem eſt ac rerum elementarium proceſſus, ἄνω καὶ κάθω, quod ad liquidum infra repetemus. *Septima,* Decima ſeptima eſt Κυκλολογικὸν τοῦ ἅρπαγος σύμβολον, ideo & harpagonis figura deſcripta fuit, quo Oſiridis corpus, à Typhone in fluenta Nili conjectum, ab Iſide extractum fuit; frequentiſſimumque eſt inter hieroglyphica, cum Coptitarum & Græcorum ῥῶ conveniens. *Cum ſequentibus.* Duodevicesima cum ſequenti ſunt κυκλολογικὰ τοῦ Ἡλίου, καὶ τῆς σελήνης, σύμβολα: quid repræſentent ipſæ figuræ continuo oſtendunt, Solis & Lunæ imagine haud ignorabiles: eademque ſunt O & C Copta aut Græca. Demonſtrat verò author noſter ex fragmentis vetuſtatis productis, id quod *Clemens Alexandrinus de Κυκλολογικοῖς.* Clemens libro ſexto Strom. habet, Ægyptios, ſicuti per Π patens & apertum ad ſubjecta, mundi machinam ſymbolice notarunt, quæ nimirum ſuperiora habet inferioribus influentia, ſed haud contrà; ita per literas memoratas O & C Solem atque Lunam indicaſſe, præſides ac dominos in medio hujus domus patentiſſimæ conſtitutos, ad participandum partes unas ab aliis, & juſtè communicandum inter omnes. Denique litera Toth ſive Mercurii, quæ forma & poteſtate omnino cum T Græcorum, etiam aliarum gentium cognatis concurrit, quoniam ſæpiſſimè dehinc repetetur, in ſuperfluum hic non venit enarranda. Tantum hoc loco etiam de literarum vulgarium myſteriis minimè vulgaribus; ob quæ inter hieroglyphica pro Symbolis habita, cum integris non minus vocabulis deſcriptis, diximus antea, & utrumque locis deinde ſuis videbimus.

*Coptitarum literæ.* Veterum verò literis ſucceſſerunt Coptæ, numero XXXII, quarum figuras, nomina, poteſtates in fronte Onomaſtici Copti author contemplanda proponit, qui & in Prodromo ſuo oſtendit, omnes eas, paucis exceptis, ſimillimas eſſe illis quas hactenus deſcripſimus, & ferè eaſdem tam ordine compoſitionis, quàm myſterio ſignificationis. Ab antiquis enim Ægyptiorum myſtagogis, quos hac in parte Hebræorum imitatores fuiſſe diximus anteà, poſteri

Coptitæ plane parallela figurarum significatorumque ratione tam prope absunt, ut priscam & initialem sapientiæ Hierophanticæ authoritatem & affectasse & æquasse, nec à Christianæ fidei mysteriis longe esse videantur. Appellantur autem

*Copti nominis originatio.*

Coptitæ à *Copt* antiquissima regione, unde Ægyptus omnis nonnunquam *Coptos* vel corrupte *Giptos* dicta est. De hac ipsa

*Gelaldinus.*

Gelaldinus Arabs in Historia regum Ægypti: *Successit ipsi Bother * filius ejus Mesra, divisitque in singulos fratres suos Ægypti partem; sibi ipsi parum quoque de terra servavit, quam distribuit filiis suis; cumque multiplicarentur filii Mesra, & filii filiorum ejus, singulis iterum dedit partem unam & filio suo Copt eam quæ est juxta Nilum, locum videlicet Copt vel Gipt, qui ab habitatore suo nomen habuit, fuitque ejus ditioni subjectum quicquid est supra Copt, usque in Esuan, vel Thebas, atque infra eandem in Esmun usque, quicquid orientis & occidentis plaga continebatur.* Coptitica igitur præfectura seu Nomus Coptus, quem in superiori Ægypto quarto loco numerat

** aliàs Busiris, Arabib. dicitur filius Chami, coloniæ Ægyptiorum authoris.*

*Copt habetur pro Mesraim.*

Oedipus, ex primis totius Ægypti fuit, fundata à Mesraim, quem Ægyptii & Arabes passim *Kopt* appellant, ipsi Coptitæ *Kest*. In hac regione sita erat urbs

*Vrbs Coptus,*

Coptus, quam Strabo commune emporium Ægyptiorum atque Arabum dicit, ad quod omnes Indicæ ac Æthiopicæ merces ex mari rubro deferantur; eadem quæ Arabibus hodie vocatur

*quæ Arabibus Cana.*

*Kana*, quæ mercatoribus etiam nunc frequentissima. Osiridem hic cum Iside & Horo cultum, testatur Plutarchus.

*Lingua & Sapientia Coptitarum periit,*

Lingua verò Copta, quæ maxime florebat tempore Sestris, sive Sesostris, regis Ægypti, declinavit in occasum post Persarum regem Cambysen Ægypti victorem, qui universam regionem

*Cambysis pestiferâ crudelitate,*

subjugatam sævitia inexorabili afflictavit, & in magnificentiam publicam ac privatam debacchatus est, eruditionis & antiquitatis ferus hostis. Hæc prima fuit clades; altera verò, quæ ab hominum memoria eam pene abolevit, fuit Græcorum in Ægyptios imperium, nobilissimæque Bibliothecæ Alexandrinæ

*tum Bibliothecæ Alexandrinæ flammis.*

per incendium omnibus sæculis deplorandum interitus, quo præstantissimorum lingua Copta conscriptorum Codicum innumera perierunt exemplaria, nec quicquam remansit deinde, nisi paucula inter sacerdotes, & patriorum rituum sectatores, quædam velut assamenta, ex tam celebri naufragio relicta. Deficientibus verò paulatim sacerdotibus, ritibusque Ægyptiis, ita quoque hæc lingua paulatim defecit, ut vix ejusdem vestigium amplius superesse videretur: donec pòst salutiferum Christi adventum Gentiles Ægyptii luce

*Lingua Copta instaurata.*

Euangelii illustrati, relictas veluti tabulas, patriæ inquam linguæ fragmenta, colligentes, ut potuerunt, in integrum restituere conati sunt, qua in album doctrinalium idiomatum relatâ in sacris & ecclesiasticis codicibus usi sunt; scilicet ut Ecclesia Ægyptiaca à cæteris Orientalium dignosceretur, nec fidei mysteria ab infidelibus contaminarentur, atque ideo illa sub inusitato hoc idiomate recondiderunt, curaruntque ut ne lingua antiqua, patriaque & tot sapientiæ conceptionibus insignis, periret.

Enumeratæ verò literæ illæ Ægyptiorum utrum Phœniciis Græcisque originem dederint, nonnihil attingere invita non sit Minerva. Magna sane inter authores, respondet author noster, de literis Græcis, unde originem suam habuerint, controversia est: alii enim Cecropi, quidam Inacho, nonnulli Palamedi earundem inventionem adscribunt. Nos ut paucis rem expediamus, asserimus, omnem tum literarum, tum scientiarum notitiam primùm ex Ægypto in Græciam introductam. Et literas quidem alias esse non potuisse ajo, quàm mysticas illas, quas paullò ante adduximus; quæ quidem ad quemlibet animi conceptum scripto exprimendum sufficiunt; tametsi Græci temporum successu semper alias & alias, uti ex alphabeto illorum patet, adjecerint.

*Vtrumne ratio scribendi Græcorum deducta ab Ægyptiis.*

Atque has literas usui communi accommodatas, neglectis animalium figuris, per Cadmum ad Græcos primùm translatas, ex Herodoto in Terpsichore & alibi patet; quæ & ideo Cadmea grammata, vel, ut Herodoti verbis utar, φοινικὰ ϗ Κάδμεα γράμματα dicuntur. Hinc quæ sequuntur, auctori ex suprà allegato Scaligero deprompta sunt, ex quo quum plurima ad hunc locum facientia amœnitati considerationis adjicere potuissemus, remisimus tamen hanc causam

*Cadmea Grammata.*

ſam ad gratiam Lectoris ſtudioſi, ut ſi velit apud ipſum laudatum authorem plura perquirat; ſufficit enim hoc loco thymum indicaſſe agili alicui; nec placuit, Oedipo noſtro, nubibus antiquitatis aquilæ, de alienis ſcriptis aliqua adjicere, quæ ſive ex theſauro vetuſtatis, ſive ex privatis alicujus opibus ſumpta ipſe luculentus ſcriptor urna judicii aurea non hauſerit; uti nec in diſputationes hujus loci admiſcere plura decuit, quibus ſuperfluis gratiam Lectoris tædium ſubeat. Audi verò Scaligerum: *Conſenſus*, ait, *vetuſtiſſimus totius Græciæ ſatis convincit literas à Cadmo Græcos accepiſſe; neque cauſſæ eſſe, cur rem tam manifeſtam aut negemus, aut Tzetzæ neganti aſſentiamur, qui duplici argumento probare nititur Græcos ante Cadmum literas habuiſſe. Priore, quod oraculum redditum fuit Cadmo:* φράζεο δὴ τὸν μῦθον Ἀγήνορος ἔκγονε Κάδμε. *&c. altero argumento, quod Bellerophon antiquior Cadmo ſcriptas tabellas de ſua cæde attulit. Utrumque argumentum futiliſſimum eſt. Nam utrumque geſtum fictum eſt à Poëtis. Quare Cadmeæ literæ vocatæ, ſi Cadmo authori acceptæ non referuntur? & ſi Cadmus author aut ſaltem primus doctor & index earum in Græcia, quomodo ante Cadmum literas habuerunt Græci? Quare vetuſtiores nuſquam repertæ ſunt in veteribus monumentis, quam eæ, quæ* Καδμεῖα γράμματα *vocabantur; item eæ, quas Ionicas vocabant Cadmeis ſimillimas, ut teſtatur Herodotus.* Tzetzen illum, quem tangit adverſantem, ibidem poſt aliqua dicit doctum Græculum, ſed ventoſæ oſtentationis hominem; &, ut aliquid ſupra alios ſapere videretur, non Cadmum ſed Palamedem ſexdecim illas literas [de quibus Euſebius citato loco * meminit] inveniſſe, impudentiſſime mentitum. De Literis verò illis indicat Phœbus iſte eruditorum, quid meliori tantum parti viſum eſt, haſce recenſens: Α, Β, Γ, Δ, Ε, Η, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ: omnibus quippe in hoc convenire, eas fuiſſe; at ipſe tamen indubitatè Υ adjicit, ut fuerint omnes ab initio ſtatim numero decem ſeptem; neque aliter putaviſſe Ariſtotelem, qui XVIII ſtatuit apud Plinium, hac ratione credit, quod Φ recentius habeatur: monſtrat præterea locum allegatum Plinii corrigendum eſſe, ubi Ζ pro Η perperam poſitum. Sed, ut gratus Lector habeat tam quæ de ſedecim primis Græcorum literis veteres cenſuere, quàm quæ ad earum ſingulas inter peritos antea diſputata ſunt, illuſtrem adſcribam locum Marii Victorini, qui huc ſpectat: *Scripſeram autem vobis, quantum repeto, & alia plura inter quæ noſtros antea, ſicut & Græcos quoque* XVI *literis uſos: ex quibus fuiſſe vocales apud utroſque: his poſteà quandam à Palamede, & alias à Simonide adjectas impleſſe numerum* XXIV: *ex adjectis autem noſtros ſolum* X *recepiſſe,* F *verò,* G, & Q *in Græcis etiam literis fuiſſe, & nunc eſſe: ſed* Q *numero ſervire, atque nonaginta ſignificare:* F *autem Aeolijs duntaxat idem valere, quod nos* V, *quum pro conſonante ſcribitur, vocarique* βαῦ *& Digamma: & ſignificaveram, priuſquam Græcis vocales repertæ ſunt* Η & Ω *vicem earum tam apud illos, quàm apud nos expleſſe* E & O: & O *etiam ſcribi ſolitam pro ſyllaba* ΟΥ: E *autem pro* Ἦτα, *&* Ἰῶτα: *eaſdemque* & O, & E, *quoties accepiſſent in finem* Ἰῶτα, *dativum caſum apud utroſque ſignificare. Et harum ſcriptionum exempla non ſolum ex libris veteribus, ſed etiam ex peritorum. &c.* Cadmum verò & Phœnicem fratres fuiſſe, & Ægypto, teſtatur S. Hieronymus, ab urbe Thebis nimirum profectos in Syriam; ut veriſimile ſit tempore Othonielis è Phœnicia in Græciam veniſſe, atque ibi in memoriam Thebarum Ægyptiarum Thebas Bœotias condidiſſe, relicta Phœniciâ Phœnici. Igitur dubium nullum eſt, Cadmum fuiſſe primum qui Græcos literis Ægyptiis perfecte imbuit. Crediderim tamen Græciam ante Cadmum etiam ſemen quoddam ſeu rudimentum habuiſſe harum literarum, viroſque doctos; à Philone adductus, quem ſuprà audivimus de Moyſe referentem, quod ex Græcia ad ejus inſtructionem doctiſſimi quique magnis promiſſis vocati fuiſſent. Proprias itaque tunc temporis habere potuerunt literas, à Cecrope primo Athenienſium rege ex Ægypto illatas, vel ante illum ab Inacho introductas, unde fabulam poſtea emerſiſſe, literas ſcilicet fuiſſe Græcis ante Cadmum, veriſimile eſt: Cecrops enim, qui & Ægyptius, Cadmo fere uno ſeculo antiquior, & Moyſi, teſte Euſebio, ſynchronus fuit, Tzetzæ ideo Διφυὴς dictus, quòd Græcam & Ægyptiacam linguam ex æquo calleret: atque eodem duce βασιλείαν Ægyptiorum

*Scaliger, animadverſ. in Euſeb.*

*Tzetzes notatus Scaligero.*

* *ad Annum* MDCXVII

*Literæ Græcorum primæ.*

*Scaligeri mens, de* Υ *&* Φ.

*Mendum in Plinio.*

*Marius Victorinus apud Scaligero citato loco.*

*Cadmus & Phœnix fratres.*

*An Græcia habueritne literas ante Cadmum.*

ptiorum ad Græcos penetrasse, author est cum Tzetze Pausanias.

*De reliquis scribendi generibus, ex superiori mentione.* De secundi, tertii, quarti generis literis, quibus soli sapientes usi sunt, Abenephi Arabe, & Clemente Alexandrino paulo ante narrantibus, non multæ inter Obeliscorum aut cæterorum monumentorum reliquias occurrunt, quamvis de præmemoratis vulgaribus multas inter hieroglyphica pro Symbolis cessisse, aut Symbola nonnulla etiam ad formæ illarum figuram constructa esse, non tamen in Obeliscis aut majoribus monumentis, suprà diximus. *Secundum literarum genus, Gnomicum;* Princeps quidem genus, secretum ab epistolographicis literis, non incongrue Gnomicum sive parabolicum appellatur; consistebatque in certis sententiis & documentis politicis, quæ arguto symbolorum apparatu exprimebant: cujusmodi sunt ea quæ Horapollo posteritati reliquit. Nec ad hanc classem non revocentur ea, queis Pythagoram usum legimus: qualia fuse prosequitur Clemens Alexandrinus Stromatum libro sexto. Exemplo est, apud Horapollinem, ostreum & cancer, quibus significatur homo securus & secors, cui nulla sui cura aut ratio est; ita hominem ingluviosum indicaturi, scarum piscem pingebant, ob summam ejusdem voracitatem; & similia plura vide apud citatum authorem. *Tertium,* Alterum genus, seu tertium erat partim ex simplicibus literis, partim symbolicis compositum. Certum enim est, Ægyptios non tantum characteres vulgares symbolicis miscuisse, sed & integra verba Copti sermonis, ut jam monstrabamus. *cum quarto.* Quartum genus scribendi, cujus mentionem injecimus, constabat meris symbolis, per animalia, homines, aves, instrumenta, herbas, partes humani corporis, figurasque omnis generis mystice expressis. Huc respiciant forte illa suprà recitata Lucani:

——— *Saxis tantum volucresque feræque*
*Sculptaq; servabant magicas animalia linguas.*

Diserte verò Alexander ab Alexandro, Ægyptios & Phœnices per multifarias diversorum animalium figuras, literarum loco lapidibus insculptas, primum mentis suæ sensus arcanaque effinxisse, commemorat. *Diodorus lib. IV.* Clarè de re eadem Diodorus Siculus: *Sunt Ægyptiorum literæ variis animantibus, extremitatibusque hominum atque instrumentis, sed præcipue artificum persimiles; non enim syllabarum sed imaginum forma, eorum significatione, usu, memoria hominum tradita.* & paulo post: *Eodem modo & cæterarum corporis partium figura atque instrumenta aliquid certum notabant, quæ memoria hominum, longo usu ac meditatione observata, è vestigio quid ea exprimerent internoscebant.* *Pet. Crinitus.* Petrus Crinitus, libro VII, cap. II, ubi primò de figuris & effigiebus animalium, herbarum, fluviorum, & arborum sculptis dixit, quod ejus gentis philosophiam designent, quodque hieroglyphicæ notæ rerum naturæ interpretationem servent, atque ita Ægyptiorum philosophiam credi primo illustratam; hanc denique rationem symbolorum aperte describit: *Inter alias verò effigies, scarabæos, apes, fluvios, boves, vultures, aliaque id genus notare consueverunt. Porrò ipsa effigie apis symbolum regis signabatur, quod is in subeundis vitæ officiis non minus justitiæ aculeum, quàm dulcem mellis clementiam habere debeat. In vulture naturæ genium ac majestatem indicabant, quod inter has fœminæ duntaxat reperiantur.* *Chæremon, Horapollo.* Consentiunt his Chæremon, & Horapollo, qui harum figurarum in monumentis suis nonnulla ad huc vestigia reliquerunt. Apud Cælium Rhodiginum libro XXIX antiquar. Lection. cap. XXVI, *Ammianus Marcellinus.* Ammianus Marcellinus dicit, hujusmodi literas animalium figuris ac reliquis similibus corporibus ac signis reliquis constitisse; additque Cælius: *Cælius Rhodig.* *per perdices contumeliosos monstrare videntur, quoniam hujusmodi aves senio confectæ contumelia se afficiant; sicuti anguilla invidiam significare videtur, quæ ita bonis infesta omnibus est, ut anguilla piscibus, quorum omnium societatem & communitatem fugit. Hippopotami ungulæ deorsum versæ impium, injustum, ingratumque significant.* *Hippopotamus symbolum injustitiæ.* *Nam equus fluvialis, cum primum per ætatem licuerit, patrem experitur viribus, quem si pugnà superarit, ac sibi locum cedere animadverterit, matrem init, vita patri concessa; quod si victus pater minus ei permittat cum matre concubitum, tum patrem filius robore viribusque fretus interimit, ac matrem comprimit.* Hinc non absurde Ægyptii ad indicandum ingratitudinis vitium duas Hippopotami ungulas pingere videntur: quum nempe ex eadem ratione etiam illud videtur defluxisse, quod in regum sceptris superne

*Sceptro regis quid suprà subterque affictum.*

perne ciconiam figurabant, inferne verò hippopotamum; quo innuebant vim justitiæ parcæ subjectorum sanguinis.

*Ardor studii symbolici.*

Tanta autem sive bona sive damnata libido fuit per hujusmodi figuras animalium scribendi, ut nullis non gentibus hic modus proprius ac perennis factus.

*Cœlii Rhodigini de usu symbolico.*

Hinc Cœlius Rhodiginus secutus Ammianum & Heliodorum, ait, Ægyptios ad Æthiopes usum horum characterum symbolicorum primum transtulisse:

*Volaterranus, Aliique de hac re.*

Volaterranus tamen de Æthiopibus Ægyptios hunc accepisse, nempe à Chus Chami filio; aliique eosdem ab Indorum sapientibus * hunc didicisse asserunt.

** Vide quæ paulò infrà de Indicis literis repetuntur.*

Ita Arrianus Indos olim dicit alium literarum usum non habuisse; & recentiores Maffejus & Iarricus hujusmodi characteres in multis adhuc locis apud Indos videri asserunt. Tales sunt quæ ex India & Mexica nonnunquam afferuntur, hominum animaliumque figuris variè transformati: ex quibus nimirum apparet hunc usum literarum omnibus antiquioribus sapientibus velut communem fuisse, eumque adhibuisse potissimum ad sapientiæ suæ excellentiæque admirationem apud posteros excitandam.

*Symbolica scriptio fuit omnium veterum Sapientum communis, nonnullis æterna habita.*

*Marsilius Ficinus cap. XXIX.*

Marsilius Ficinus in Platonis Philebum comment. habet, quod ejusmodi literarum usus, juxta Platonem & Plinium, fuerit sempiternus; proprios nihilominus & particulares characteres formasque scribendi fuisse à diversis hominibus inventas & introductas: sic ait, Zoroastrum & ejus sacerdotes unam particularem scribendi methodum, à vulgari multum discrepantem, habuisse, quâ formatis de figuris signorum cœlestium, stellarum, aliorumque siderum characteribus sapientiæ suæ occultarent mysteria; at Mercurium Trismegistum exemplo Zoroastri edoctum, de non temerè cuilibet manifestandis sublimioribus sapientiæ mysteriis, inventum Zoroastri ampliasse novumque addidisse ζωαλφάβητον, sive per diversi generis animalia, plantas quoque & alia rerum confictum Alphabetum, quo solis sacerdotibus in recondendis mentis arcanis uti præcepisset. Hæc nimirum sententia non longè facere videtur ab iisdem quæ suprà probavimus, de Ægyptiorum sapientia ab Hebræis per Zoroastrum seu Chamum, tum deinde à Mercurio deducta atque aucta, hinc ad Phœnices, & Græcos demum, perque orbem universum profecta.

*Olaus Magnus Gothus.*

Similia Olaus Magnus in septentrionali historia de montibus Angermanniæ refert, ubi in saxis, in rupibus, diversæ animalium figuræ insculptæ significationem haberent bonæ rationis. Ostendunt hoc item nummi antiquorum, in quibus templa, urbes, caducea, dextræ inter se junctæ, Iani bifrontes, quadrifrontesque, item naves, aut manipulos, cornua copiæ, capræ Amaltheæ, bigæ, mater Cybele, apri, canes, delphini &c. pilei cum pugionibus, Mercurioli petasati, sol, luna & infinita alia inclusa nihil aliud sunt, quàm quædam symbola queis Ægyptiorum exemplo veteres utebantur. Movet hoc loco Oedipus mentionem notarum Ciceronis, quibus in epistolis secretioribus usus est, quosque Trithemius dicit similes fuisse Ægyptiis hieroglyphicis;

*Trithemius, Abbas.*

sed characteres hieroglyphicos dici non posse hoc modo probatur, quod Ciceronianæ notæ singulæ singulis verbis & nominibus responderent, sapientum verò notæ nullatenus, scilicet cum in iis singula suos proprios & mysticos conceptus habeant, quod non fieret, si singula symbolorum singulis vocabulis responderent: accedit quod labor legendi quippiam hujusmodi notis scriptum tantus erat, ut vel ipsi, qui eos excogitarant, ob infinitam propè characterum multitudinem, vix semet extricare valuerint; Ægyptios autem non multitudinem characterum, sed multitudinem rerum per paucos characteres signatarum quæsivisse, constat.

*Notæ Ciceronis secretorum.*

Quam quidem mysticam scribendi consuetudinem ab Hebræis & patriarchis ex ante diluvium descendisse ad hanc gentem, suprà innuimus. Certum nimirum est, & Mosen pleraque in sacris libris mystice exhibuisse.

*Mosen mystica plurima comparasse.*

Et primò physicam rerum expositionem si velis, quam intenderunt præcipue apud Hebræos insignes quidam scriptores in Exodum & Leviticum Moysis, exemplum ex Philone, Iosepho, & Hieronymo, super Moysis tabernaculo, potissimum ex Clemente Alexandrino collectum, hoc est: *Si quis Tabernaculi Mosaici fabricam, & quæ in eo sunt contempletur,*

*Physica ratio in Tabernaculo faciendo.*

*& singula non otiose sed prudenter consyderet, comperiet Moysen divinum virum in his omnibus repræsentasse quodammodo totius universi naturam. Oportebat enim, ut, qui tabernaculum manufactum* Deo *totius Orbis authori condere instituerat, similitudinem earum rerum sumeret, ex quibus mundus à* Deo *conditus est. Primum igitur omnium ob hanc causam partitus est admirabilem tabernaculi sui structuram in partes tres, nempe in vestibulum, aulam & penetrale; sive in atrium, aulam, & adyta; quæ nobis universitatem divini opificii repræsentarent in tres partes, sive tres mundos distinctam; hoc est, in mundum hunc sublunarem, quem nos incolimus, in proximum huic cœlestem, & in supremum denique omnium, ultramundanum, quem Theologi angelicum, Philosophi intellectualem vocant, à nemine satis, ut Plato inquit, pro dignitate decantatum.* Plura de hac causa apud Oedipum invenies lector; & hic super eadem satis sit dictum.

*Dispertitum Tabernaculum ad rationem Universi.*

Literarum verò & scripturæ nomine, tam vulgaris & quæ certo aliquo ordine ac numero definita, quàm significativæ & integrum alicujus rei conceptum involventis, hoc jam loco succedat characterum genus quod in usu esse apud populos, nobisque dicendum solum superesse, meminimus. Et cùm nulla ferè gens tam barbara atque inculta sit, ut non ad mentis conceptus infallibili ratione prodendos signa sua sibi condiderit, præ cæteris quàm maximè mirandum est hac in re Sinarum, tum Brachmanum & Mexicanorum ingenium. Inter quos illorum notæ tam unicuique ex ipsorum natione, quàm sapientibus cognitæ, cum hieroglyphicis Ægyptiis meritissimo suo componendæ veniant, nempe quo evolutis utrisque, harum definitio apertior fit.

*Characteres Sinensium, tum Brachmanum, & Mexicanorum:*

Sunt autem Sinensium characteres signa rerum mente conceptarum, omnibus communium: sed ad verba tantum & sententias usitatas simpliciter indicandas comparati. Ideoque non aliud mysterium ultrà continent. quamvis non negatur, aliquando significatis tam apte convenire, ut inde ingeniosæ allusionis species eluceat; sed quæ ad sublimitatem & ingenium hieroglyphicorum nullatenus accedat. Sinensis verò liber de Successione regum, quem Oedipus allegat, refert literas eorum acceptas regi *Fohi*, trecentis ferè annis post diluvium: eo nimirum tempore quo filii Noëmi Mundo dominabantur & in omnes fines terrarum colonias ducebant; nec gens aut princeps Sinarum ab aliis quàm his authoribus tam propaginis, quàm regiminis sui, scribendi rationem edocti sunt. Et similem quidem originem characterum Sinicorum & Ægyptiorum arguit veteriorum illorum his omnibus æmulorum cognata planè eorundem, formæ figura. Primò nempe ex omnibus in orbe mundi rebus, quæ sub sensum cernendi cadunt, Sinicos characteres constructos, perinde ac Ægyptios, tam Chronica Sinica testantur, quam forma ipsa notarum Ægyptiis convenientissima, ex animalibus, volucribus, reptilibus, piscibus, herbis, arborumque ramis, funiculis, filis, punctis, circulis, & id genus plurimis, alia tamen atque alia dispositionis ratione. Posteriores vero Sinæ, rerum experientia doctiores, cùm magnam in tanta animalium plantarumque &c. congerie confusionem viderent, Characteres hujusmodi varie figuratos, certis punctarum linearumque ductibus æmulati, in breviorem methodum concinnarunt, quâ & in hunc usque diem utuntur. Quorum quidem tantus est numerus, ut hodie è summorum literatorum numero non habeatur, qui ad summum octoginta characterum millium notitiam non possederit; atque adeo, quanto quis plurium literarum cognitionem habuerit, tantò cæteris doctior habeatur: è quibus tamen decem millia ad mediocre commercium linguæ sufficiunt.

*Sinicorum definitio,*

*& prima inventio.*

*Sinici characteres cum symbolica scriptione Ægyptiorum similem habent originem;*

*unde desumpti;*

*posteris facti compendiosiores:*

*eorundem multitudo ex rerum infinitate:*

*in ipsis scientia;*

In Alphabethi verò morem literas Sinæ nulla ratione dispositas, neque voces ex literis & syllabis compositas habent: at singuli characteres singulis vocibus & nominibus respondent; adeoque tot characteres opus sunt, quot rerum sunt indicanda nomina: ut copulentur tamen, non est usus declinatione aut conjugatione, cùm hæc omnia in ipsis characteribus implicentur. Igitur qui velit in eisdem erudiri, acumine & ubertate ingenii, memoriæque firmitudine indiget, quæ lumen sola ferè præstet in his nodis colligendis, dignoscendisque & servandis ad promte redden-

*omnium enumerandi proximitas;*

*Syntaxis singulorum.*

*Memoria ad characteres necessaria.*

reddendum. Mirandum nimirum eſt ingenium humanum, tam perfectione ſua, quâ, quantùm varia ubique ſemperque dentur lineamenta animi & figuræ faciei humanæ, tantùm diverſus modus cognoſcendi ſit rerum infinitarum; quam imperfectis quæ obtinent plurimis, in quibus tamen quàm minima pars non minus plenitudinem immerſæ divinitatis indicare poteſt; ut ſolet ubivis per anguſtiſſima quæque hauſta pars luminis ſolaris totum referre Phœbum incumbentem, quamquam diffuſiſſimos radios nec unius cœli nec terrarum orbis capiat. Plurimi plurima vident, qui cuncta perſpiciat eſt Deus ſolus, quem ideo verum dixeris Solem: à quo quicquid ſinguli habent proficiſcitur, & ipſe omnia eſt unus in omnibus; nam quæcunque imperfecta ſunt omnibus unus habet omnia perfecta. Anguſtiis verò humani animi, quæ diffuſam & varia percurrentem mentem premunt, guttis tantum inſtillat ſe fons ubertatis divinæ; motibuſque ejuſdem affectu terreno tardatis, non infinitum nec omnem quem poteſt peragit curſum pars illa rationis quantumvis ſyderea. Nec ſol, maximum creatorum cœli luminum, omnia æquè, aut omni tempore aſpicit. Tamen ut ipſe deflexa rota repetit nil niſi antiqua, nec ſi diſſono curſu longius iret, latiusve, novi aliquid offenſurus; ita ratio humana non tam accipere nova quæque, quam ipſa ex ſe parere, neque audire primo, quàm reminiſcens videtur recordari, ex illa vetere Platonis ſententia de animorum æternitate. Hanc enim verò iterum interpretor Divinam mentem, quæ, ut varios per populos longè diverſa ſapientiæ dona, quanquam ab una rerum veritate procedentia, diſtribuit, ita ſi quæ referantur aliorum ad alios, eadem ſua & hos ex ſe agnoſcere facit, veraque amplecti. Hinc quamvis priſci Ægyptii utramque ſcribendi rationem, ſymbolicam & epiſtolographicam, ex æquo coluerint, nec vetuſtæ in Europa gentes alterutra caruerint, ut jam dictum eſt, quum tamen ad nos ea ſola deſcenderit, qua voces mortalium rationales & articulatas concipimus, illa jam nova, quæ tot populorum antiquiſſimorum uſu & auctoritate non minus vetuſta habetur, & ſignificationibus rerum non vocum explicata, infinitam apud nos admirationem habet; quanquam & non ſuo ſed noſtro aliquorum vitio, qui pleni ſunt ſuarum tantum rerum imagine, inſolentiam, faſtidium, aſpernationem; ut ignorabilis, tortuoſa, capreolatim figurata vel formicarum foraminibus detortis aut rectis comparanda dicatur. Quod ſi verò inquiſiveris in hanc ipſam, reperies, quantumvis linguæ ambiguæ, ſcripturam accuratiſſimam & à dubiis perquàm eſſe munitam; præterea, quo multis facile præſtat, quum rerum immediate ſpeciebus, non nominibus earundem addicta ſit, omnibus omnino populis, ut lingua multorum divertat, ſervire tamen ex æquo poſſe.

*Varia in populis ſapientia unius ubique eſt veritatis.*

*Sinarum ſcriptura accuratiſſima.*

Hinc regnis Sinarum, & Iaponiæ, Coreæ, Conchinchinæ, Tenchini communis eſt, ut unaquæque gens ſcripta alterius legere & intelligere queat, nullo quamvis linguæ commercio; non ſecus ac notæ noſtrorum numerorum Europæ omni uſitatæ ſunt in eadem ſignificatione, cùm diverſo tamen ore diverſis populorum uſurpentur. Legendo verò quique ſignificatis charactere argumentis rerum accommodat vocabula uſitata: ſuo idiomate Sina, & cæteræ terræ proprio ore, quantumvis ab illis diſcrepante, enunciant eundem unius rei characterem. Vnde nimirum aliud eſt, noſſe caracteres Sinicos, & aliud longè, eorum lingua loqui: poteritque externus quiſpiam, ſi memoria & ingenio poteſt, adhibito ſtudio ſummam ad eruditionem pervenire librorum Sinicorum lectione, etſi linguæ eorum ſit indoctus; aut ſi unam regnorum eorum linguam unà cum literis noverit, non ſolum per omnia regna Sinarum, ſed multa alia, etiam Indorum, peragrare ſcripto. Numeroſa autem ac laborioſa admodum iſta characterum cumulatio, ex vocabulorum varietate procedens, ſi literis Europæis utamur, evitari facile poteſt, & intellectus humanus ad omne quod docere velis leviori via duci, nec ſimul & rerum multitudine & ſignorum varietate onerari neceſſe habet. Nihil interim detrahere licet hujus ſcripturæ laudi, quæ animi ſententias ſine fraude expandit, ubertatem vero dicendi breviſſime & copioſiſſime habet;

*Diverſis idiomate populis una,*

*peregrinis quoque communicanda.*

*Characteres interpretatos literis noſtris deſcribere.*

*Commendatio ſcripturæ ſignificativa.*

habet ; cujus imaginibus si expressa fuisset sonans illa eloquentia, nunquam puto urbe aliqua esset expulsa. Sed quum æquivoca valdè sit Sinarum lingua, ut unica vox sæpe triginta & plures significationes habeat, quas solus in gutture sonus pronunciantis discernit ; quàm multos tamen, quàm diversissimos habet scribendi characteres, quòd unicuique rerum significatarum propriam assignet. Nostris autem literis descripta vox, si accentu mutando opus sit, signum tantummodo adsciscit, nihil mutata compositione. Et Sinæ quidem doctores, cùm characteres non vocem sed rem ipsam indicent, accentum, cujus ab incunabulis assueti sunt, haud adnotant ; mirantur autem majorem in modum, cùm Europęi pronunciata verba eorum literis Latinis scribunt, & tam genuine repræsentant. Nempe enim in Dei causa negotiantes viri apostolici, quorum ibi plurimi sunt de Societate Iesu, & Franciscani ordinis nonnulli, ad idioma populi, quod nimirum maximum exteris laborem & mille reflexionum impedimentum creat, facilius certiusque addiscendum, juxta scalam musicam notas ascensus descensusque Sinicorum accentuum, in pronunciatione observatorum, invenerunt, quas supra dictiones Sinicas ad modum Europæum scriptas ponunt, quæ sunt sequentes : ^, ¯, `, ´, ˘. Quarum prima respondet clavi *c* & sonus seu enunciatio Sinicè vocatur *chŏ pîm*, quasi dicas, prima vox prodiens æqualis. Secunda nota designat vocem in *d*, & sonus Sinis dicitur *pîm xìm*, quasi dicas, clara vox æqualis. Tertia est clavis *e*, quæ Sinis est *xām xìm*, sive vox alta. Quarta sonat *f*, Sinis *Kiú xìm*, quasi abeuntis alta vox. Quinta ascendit in *g*, auditque apud Sinas *gĕ xìm*, ingredientis propera vox. Exempli gratia dictio *ya*, si scribatur Europæis literis, notisque jam dictis varietur, quintuplicem habet enunciationem, quæ apud Sinas tot parit singulares characteres. Eadem verò dictio diversùm pronunciata diversas ingerit auribus audientium significationes. Significat igitur yâ Dentem, yā Mutum, yà Excellentem, yá Stuporem, yă Anserem. Oratio verò paulatim prolata mensuratur ad tempora canentium, refertque ex monosyllabis dictionibus (nulla enim apud Sinas polysyllaba) ordinatam harmoniam.

*Plurimis ejusdem soni vocabulis frequens lingua Sinica.*

*Repertæ accentus Sinici difficillimi notæ.*

*Ad scalam Musicam:*

VT.

RE.

MI.

FA.

SOL.

Singulare est huic populo, & quo Ægyptiis comparandi non æquant tantum eorum morem, sed superare videntur, quòd eruditissimos quosque, & ipsos solos quidem, domi non solùm rebus gravissimis præficiunt, sed militiæ quoque & belli ad præfecturas & munia Gradivi adjungunt, quasi quo quis doctior, hoc sive toga sive saga fortior habendus. Triplicem nimirum inter hanc gentem religionem seu sectam ab antiquo esse, refert Rev. P. Martinus Martinius, ex Sina nuper ad Vrbem rediens, in Atlante suo ; *Prima*, ait, *eaque antiquissima, Philosophica est, quæ inter reliquas & re & auctoritate eminet; penes hanc regni regimen est. soli enim Philosophi ad rempublicam administrandam admittuntur. Iukiao sectæ nomen ; nihilque spectat magis quam justum ac perfectum reipublicæ regimen, virtutumque moralium exercitationem.* Hoc institutum non tantùm antiquissima & heroica, deorumque tempora respicit, sed cum ipsis Ægyptiis, apud quos idem in literatis mos, & in literis quoque modus simillimus obtinebat, cognationem indicare videtur. Hieroglyphica tamen & Characteres Sinicorum hac ratione plurimum inter se discrepant, quod his in commune receptis non soli principes aut sapientes, at quivis de populo erudiatur ; hieroglyphica nequaquam vulgo tractata sint, quippe quæ nemo unus docebatur, nisi cui leges ejus rei gratiam faciebant. Communis nihilominus inter gentes ipsas, Ægyptiam & Sinicam, tam originis quam institutionis literarum, argumento est, cultus Serapidis apud hos, qui inter illos celebris erat ; eundem vero indicat inter characteres frequentissima crux ansata, denotatque illis juxta ac Ægyptiis denarium numerum : & porro si eidem crucis erectæ figuræ subjiciant aliam lineam, in fundamentum, erit character terram significans ; si vertici tertia additur per transversum linea, fit character regem denotans ; demum ubi cruci, jam sex brachiis notabili, præposuerint lineolam ad cornu sinistrum verticis, habebitur

*Doctores sapientiæ Belli Domique Ductores.*

*Familiæ Philosophorum apud Sinas.*

*Discrimen inter characteres & hieroglyphica.*

*Litera Tautica inter Sinicas.*

bitur character qui deſignet gemmam. Qui tres ultimi characteres, uti in ſuo genere perſectionem quandam indicant, ita non incongrue per crucem conſtituuntur.

*In quo porro differant Ægyptiorum,*

Sed Ægyptii, quum non temerè aut ἀλόγως animalium figuris uterentur, per occultas eorum virtutes & operationes ſumma in natura rerum, quod ubique in Obeliſcis patet, myſteria ſignificabant. Et præterea apud illos Hieroglyphica non voces ſimplices aut nomina rerum, ſed integros conceptus ideales involvebant: ita ſcarabæum intuentes, non animal, aut Solem præciſè, ſed occultas operationes quas ſol materialis in hoc ſenſibili mundo, & inſuper archetypus in intelligibili mundo efficit, intelligebant.

*& Sinenſium literæ:*

Aſt talia in Sinenſium characterum ſtructura prorſus deficiunt.

*harum origo repetita.*

Iam quomodo Sinæ veteres, Ægyptios, à quibus deſcenderant rationemque ſcribendi deduxerant, ſecuti, ſcripturam ſuam non literarum compoſitione, ſed meris figuris, ex variis rebus naturalibus comparatis, peregerint, videſis luculente expoſitum in Oedipi Theatro Hieroglyphico; nos paucis quoque ex eo rem delibabimus.

*Quo authore, & unde primum genus characterum Sinenſium:*

Primum igitur Sinarum regem Fòhì certum quoddam characterum genus reperiſſe ex ſerpentibus & draconibus, referunt Annales Sinici; unde & liber, quem de rebus Mathematicis conſcripſit, draconum liber dicitur.

*Alterum,*

Secunda priſcarum literarum forma ex agriculturæ rebus deſumitur, quibus rex Sinarum Xîm Nûm, in deſcribendis rebus ad agriculturam pertinentibus, uſus eſt.

*Tertium.*

Tertia formarum ſpecies avis *Fumhoam* pennas varietate ſitus & coloris elegantiſſimas repræſentat. Eſt autem avicula illa omnium quæ oculis ſpectatur pulcherrima, eandemque credere inducor deſcriptione & nomine, de qua P. M. Martinius in Atlante ſuo: *Res mira & ſpectatu jucunda eſt in urbe* [urbium *Suchuen*, quæ dicitur *Chingtu:*] *avicula quædam quam Tunghoaſung vocant Sinæ, roſtrum habet rubeſcens ut minium, maxima colorum varietate omnes rapit in admirationem; ex flore naſcitur Tunghoa, unde aviculæ nomen ſimile matri, uti & ipſa eſt; vivit autem tamdiu, quam flos ipſe arboris durat; vivum ac volantem florem credas, adeo & pulchritudine & exigui temporis florente ætatula flori ſimilis eſt.*

*Ex flore æſtivo avicula, lectiſſimo colorum, velociſſimo vitæ floſculo.*

*De Obeliſcis.*

Naſci nimirum ex arboribus aves, ex Hibernia vetus auditio eſt; & alibi in Sina, in Provincia Peking ad civitatem Hien, ſub urbe Hokien, tum in provincia Junnan in confiniis urbis Vuting, ipſe Martinius narrat, Sinicum ſcriptorem in hanc ſententiam appellans: *Hoeineao lacus ad urbis Barrolybicum quinque ſtadiorum eſt, undique arboribus pulchre ſeptus, vocatur* reddens aves, *quia folia, quæ in eum incidunt, non omnia, ſed certæ arboris, in nigras mutantur aviculas, tanta cum admiratione ac ſtupore accolarum, ut ſpiritus eſſe credant.* Notis vero ex avis prædictæ pulcherrimæ ſimilitudine factis librum ſuum de volucribus ſcripſiſſe, dicitur Xau-hoam rex.

*Aviculas ex arborum foliis gigni.*

*De genere characterum quarto,*

Quartæ priſcarum notarum, ſimilitudinem habent oſtrearum ac vermiculorum, authore Chuen Kim, rege:

*Quinto,*

Quintæ verò herbarum radices referunt, dicunturque Sinico titulo Literæ quibus ſcribebant literas & libros.

*Sexto,*

Sextâ figurâ literæ ſunt quaſi decurtata avium veſtigia, ab authore olim rege Choam Ham, ut indicat inſcriptio Sinarum.

*Septimo,*

Septimarum ſtructuram ex teſtudinibus invenit Yao rex, ut ipſi volunt.

*Octavo,*

Octavi generis character eſt avium & pavonum, juxta argumentum verborum Sinicorum.

*Nono,*

Nonum eſt ex herbis, alis, & faſciis.

*Decimo cùm reliquis:*

Decimum, Çò authore tabularum quarundam, recordandi gratia compoſitum dicitur Sinis; apud quos aliud præterea dicatum edictis, privilegiiſque & magnis compoſitionibus; & aliud deinde rebus aliis; deinde ſingulare lætitiæ, ſcientiæ, diſcurſus, obſcuritatis, claritatis; & alia non nulla, vel ex fluminibus & piſcibus deformata, vel quæ propria ſigillorum aut magnificarum inſcriptionum. Hæc præcipuè de vetuſtis Sinicorum characterum figuris, & præformationibus, ex antiquitatibus eorum referuntur, ſed, uti diximus, poſteri hodie imagines illas certis tantùm linearum ductibus & punctis imitantur.

*nonnullos appoſitum quid ad myſteria habere:*

Sunt tamen & characteres multi ab aliis compoſiti, quos idcirco myſterioſos magis, quàm cæteri ſunt, reperies:

*Character afflicti.*

exempli cauſa ſit character, qui apud illos afflictum ſignificat; hunc nempe ex duobus aliis characteribus compoſitum habent, uno qui cor notat, altero qui portam valet; quaſi velint indicare

portam cordis clausam; homo enim, dum in afflictione constitutus est, omnes spiritus intra cordis ostium concludi sentiat, unde pavor & angustia pectoris &c. Ita & indicaturi hominem perfectum, formant characterem ex altero qui hominem significat, & altero qui regem, quod sit indicio, inter homines regem solum perfectum esse.

*Characteres notantes hominem perfectum,*

Quod hominem denotat alicujus amore captum, tripliciter conflatum est: primum mulierem refert, secundum inducit filum, tertium designat verbum: ex his compositum hoc sibi vult, ut quomodo filum seu funiculus res fortissimas trahit, sive ut verbo hominem homo tangit, ita mulier virum tenet.

*aut quem appetit amor,*

Similiter quod claritatem ipsis declaret, concrescit ex Solis & Lunæ characteribus, quæ sunt clarissima cæli sydera, unde noctique dieique lumen omne affulget. Sed quanquam allusiones illæ argutæ sint atque amoenæ, nihil tamen ad mysteria hieroglyphicorum esse, patet tam ex ipsis quàm ex superioribus nostris abunde: neque Sinæ suam scripturam stilo aut ferro aliquo perficiunt, nec calamo quidem, sed penicillo pingunt characteres, tam expedita celerique manu, ut aliud scriptorium instrumentum illi aptius esse neges.

*vel claritatem indicans.*

*Quo instrumento scriptitent Sinæ.*

Proximum ab Sinensium characteribus locum obtinent literæ Indicæ Gymnosophistarum, quas posteri Brachmanes dixerunt, inter antiquissimos Hieromantas sapientiæ laude cum primis illustres. Nempe quod apud Chaldæos Magi, apud Hebræos Cabalistæ, apud Græcos Philosophi, apud Ægyptios Sacerdotes & Prophetæ, hoc apud Indos fuerunt Gymnosophistæ. Hi enim, ut est apud Philostratum, & Xenophontem, relicto fallaci insipientium hominum consortio, omnium deliciarum, opum, commoditatum voluptatibus posthabitis, soli studio sapientiæ incumbentes, vitam in deserto Orientalis Indiæ agebant. Erant iis in cibum herbarum radices, fructus, similiaque quæ benigna mater Tellus omnibus suppeditat vitæ subsidia; aquæ gratuitæ ad sitim extinguendam; pro domo antrum, pro cubili terra graminibus foliisque instrata. Hisce vitæ institutis ad magnam rerum notitiam pervenerunt; atque insignia naturæ sacramenta, ne sibi solis vixisse viderentur, certo Scripturæ genere posteris consignarunt, iis tamen obscuritatum velaminibus involuto, ut solis sapientibus ad ea penetranda aditus daretur.

*Scriptura Brachmanum:*

*Descriptio eorundem.*

Sunt autem Literæ illæ nihil nisi notæ simplices rerum mysteriosarum, pro arbitrio dictorum sapientum institutæ. Ipsi enim sive traditione ab Ægyptiis accepta, sive propria inventione & studio acquisita scientia, triplicem Mundum ponebant, Intelligibilem, Cœlestem, Elementarem. Quos quidem tres mundos ita sibi invicem subordinatos credebant, ut inferiori Mundo influeret ex Cœlesti, & huic ex Intelligibili; adeoque nihil in sublunaris Mundi sinu delitesceret, quod non suum in sydereo mundo astrum haberet, ad se participandum ab influentibus alterius mundi; neque astrum, cui in Intellectuali mundo non responderet intelligentia, & astri cœlestis & elementaris dominatrix. Quæ sententia prorsus Ægyptiaca est.

*Quid sint literæ illorum:*

*Quæ sit ipsis doctrina de Mundo.*

Hinc duodecim signis Zodiaci, septem Planetis & Elementaris mundi rebus, certas quasdam literas assignarunt, quibus cui signo aut planetæ quævis res subjecta foret, dignosci posset; præterea tam signorum duodecim, quam septem planetarum, proprietates, effectus, & operationes literis singulis indicarunt. Hoc pacto res ad Medicinam, Agriculturam, Oeconomiam, Politicen, Ethicam, & scientias pertinentes, totidem literis expresserunt: v. g. quos Saturnus, quos Iupiter, quos Mars, quos Sol, Venus, Mercurius, Luna, in singulis duodecim signis Zodiaci effectus operarentur, determinaverunt, & non astris tantùm tribuentes multum, sed ipsis cœlis, nullo ad astra habito respectu. Characteribus memoratarum rerum singularium propriis propositis auxit Theatrum suum Oedipus noster, quod hac parte si velit consulat Lector: bono enim juxta ac oblectamento non esse non poterit. Sed quum ipse plurima ad peculiarem tractatum, quem plena omnium descriptio requireret, omisit, quòd non adeò ad nostrum institutum faciant, omnia nos transivimus: præsertim quòd rationes mysticas contineri sub formis illis non cognitum sit, at

*Notæ certæ ad signa cæli,*

*& res subjectas:*

*Magicas quam mysticas esse harum rationes.*

at inde verisimilius fiat, præcipuos characteres partium Mundi principalium ex Magicis signis esse, pactum apud eos implicitum vel explicitum involventibus; cujus rei causa patet ex Arabum Magia, qui hujusmodi characteribus & libros & amuleta referciunt, ut authoris nostri Cabala Saracenica exemplis nonnullis illustrat; vocanturque Arabibus Saracenis literæ Indicæ. Mahumedani enim, uti Hebræi ex combinatione literarum & permutatione textus Sacræ Scripturæ varia Dei Angelorumque nomina educunt, quæ magnam in certis à Deo petendis beneficiis vim habere putantur, simili ratione ex Alcorano suo plurima Dei nomina fingunt, vel ex initialibus diversorum Alcorani versuum literis, vel permutatione literarum, vel ex iis quæ Magicam Indorum doctrinam concernunt. Ea vero nomina in numeros resolvunt, quibus per quàm maximè potest mirabilem efficaciam inesse dicunt, fallaci stolidæ religionis fiduciâ. Numeri verò Indici, quos inter cætera sua mysteria adhibent, dicuntque Hendi, quod ab Indiæ Sapientibus, de quibus diximus, profecti sint (quanquàm verius à notis numeralibus Latinis processisse dicat qui unas cum alteris conferet,) nihil aliud sunt quàm numeri Latinorum inversi, & ex scriptionis usitatæ ejus depravatione nati; respondentque literis viginti duabus ex Arabicis, juxta Hebraici Alphabeti ordinem & numerum dispositis. Crescit numeratio ab unitate ad decem continua, progrediturque per decades, deinde per hecatontades ad quater centenos, non aliter ac apud nos: loco circuli tamen, quem nihil significantem significativis ad valorem gradu augendum nos adjicimus, punctum apponunt unum vel plura. Characteribus autem hujusmodi totus in India mons, quem Pagada Canarim vocant Lusitani, eò quòd ab Orientalibus populis diis esset dicatus, exaratus dicitur, oculatorum testium relatione; tametsi impressæ notæ à nullo hucusque indigenarum intelligi potuerint; nec mirum: sunt enim ex earum numero, quæ loco literæ integram certæ alicujus rei significationem exhibent: montisque saxeam planitiem veteres Indiæ sapientes literis ea de causa insignivisse videntur, quod putarent, hasce notas insignem virtutem & potestatem obtinere ad montem in deorum, quibus dicabatur, tutela & custodia conservandum. Tantum de Gymnosophistarum seu veterum Brachmanum notis hoc loco dixisse sufficit. Reliqua est scriptura sive signatura Mexicanorum.

*Literæ Indicæ.*

*Mahumedanorum Cabala imitata ad exemplum Hebraicæ.*

*Numerorum Indicorum cum Latinis similitudo.*

*Progressio eorum cum literis Arabicis.*

*Mons Indiæ plenus notarum.*

Hi inter populos indigenas Novæ Hispaniæ, qui infinita pene idiomatum non dialectis tantum sed toto genere discrepantium varietate inter se diffident, vulgatiori sermonis commercio excellunt, nimirum post imperii Mexicani fines longe lateque prolatos tam celebri, quam in Europa Latinum, aut in Oriente Arabicum, ita ut in singulis ferè provinciis interpretes illius habeantur, quos *Naquatlatos* vocant. Ipsi quum characteribus, literisque, utpote scriptoriæ artis ignari, destituantur, quibusdam tamen picturis mentem suam exprimere conati sunt. Hisce igitur primò Chronologiam regum, rerumque ab iis gestarum memoriam; deinde reditus & tributa regni, urbiumque; demum liberorum instituendorum leges posteris consignarunt. Figuræ verò sunt hominum, variorum animantium, herbarum, instrumentorum, rerumque omnium quas exprimere cupiunt; sub quibus tamen, præter id quod continuo significatur nihil arcani latet: nam ipsæ actiones seriesque rerum non secus ac pictura quadam relatæ produntur. Sic indicaturi de puero, figuram brevis personæ habitusque masculi pingunt; anniculum verò, bimulumve, aut trimulum dicturi juxta adpingunt totidem circulos: si nauticam, piscatoriam aut aliam quamvis artem sit docendus, scaphæ figura, hamive, aut alius rei exercitio tali necessariæ proponitur: ita colus & textoriæ artis supellex puellam in ea exercendam docet: & ita similia. Numeratio verò prima circulis peragitur, singuli namque denotant unitatem, & tot sint circuli quot continentur numeri unitates, ad viginti usque; hunc enim numerum per Γ Græcorum, altero crure breviori, notant; ejusque figuræ multiplicatione perveniunt usque ad 200, siquidem nota hæc bis posita, 40, ter repetita 60, & sic porro significat. Ampliora ad rem nostram nihil cum

*Scriptura seu pictura Mexicana.*

*Numeratio Mexicanorum.*

cum faciant, idcirco prætérita pergimus, quæ apud authorem noſtrum Theatrum ejus Hieroglyphicum, ut alia loca quod eſt ad alia, videre cupidis pleno ſacco profundit; hîc enim manu tantùm ſerimus.

*Poſt literas de ſymbolis, altero Hieroglyphico genere.*

Multa nos dicas ſuper literis ac generibus literarum hactenus conquiſiviſſe, ſed ex exemplo tamen authoris noſtri haud nimis, neque quàm ad rem & inſtitutionem hieroglyphicam ſuper; gratiæ verò Lectoris, quam æquam ubique retinere obſervantiſſimi ejus virtutis & ingenuitatis intendimus, nec dediſſe ſatis videmur. Abſoluta igitur notarum hieroglyphicarum parte prima, noſtram nunc conſiderationem in alteram intendemus, quæ eſt de ſymbolis explicandis. Quanquam enim & ipſa * notatio literarum dici meretur ſymbolica, nec vel character ſimplex, vel nomen integrum eodem expreſſum, niſi pro ſymbolis inter hieroglyphica veniat, quod ſæpe monuimus: tamen in formarum innumeris, ut ille ait, mirandiſque notis, non quidem ſignificatio aut ignoratio, doctis præſertim, profundior eſt, ſed ut in aliis quàm multis ſymbolorum generibus, ita & hieroglyphica ſtructura maximâ parte ex iiſdem conſtat, & ſub illis myſteria plurima tegit. Nonnulla de ſymbolis, deque avium literis, qua appellatione apud Arabes Hieroglyphica veniunt, antè præcepit tractatio ſingularium illorum ſcribendi generum, quæ inter ſapientes & ἱερογραμματέες ſolos erant, juxta citatos ibidem Abenephi, Clementem, & alios: Ideò paucis quæ ſuperſunt tractabimus; quæ præcerpta antè ſunt, non multum regerentes, nec ad ſuperflua digreſſuri.

** Videas retrè definitionem Hieroglyphicam noſtram.*

*Quid ſit ſymbolum, & quàm latè ſumptum,*

Eſt autem Symbolum vox generica, multas ſub ſe ſpecies comprehendens; & quam multas variarum rerum ſignificationes recipiens, teſte Stephano. Dicitur ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, quod idem valet ac *Conferre*, hoc eſt contendere, aut collectam dare, aut colloqui; itemque *Conjectare*, &c. Symbolum itaque inter alia ſignificat *Teſſeram*, nempe militarem, vel hoſpitalem; nec non *Conjecturam*, non quidem quæ per conſequentiam naturæ eſt, ut lac de partu mulieris, & fumus cui proxima flamma, & ſimilia; ſed quæ faciat fidem, indicium, ac argumentum rei geſtæ, aut reconditæ, altioriſque ac ſublimioris indaginis: ſtrictiori autem conſideratione nobis ſuprà acceptum eſt pro nota arcanioris myſterii ſignificativa, quomodo & Græcis dicitur Σημεῖον φανερὸν τῶν πραγμάτων ἀφανῶν. Ita retinuit & Simonides in Pentateuchum, cujus hæc eſt ex Hebræo ſententia: *Symbolum eſt certa quædam ſcripturæ proprietas, quâ Philoſophi & Sapientes interdum magna & illuſtria quædam myſteria ſubobſcurè ſignificant, parabolis, atque ænigmatibus glorioſiùs ſuperbientes; neque verò ſemper plane loquuntur, ſed diſſimulant quædam, obſcurique ſunt admodum, una & eâdem voce multa ſubinde complectentes.* Huic de eadem re conſentit Mor Iſaac, Syrus, opere ſuo Theologico-Philoſophico citatus Oedipo: *Symbolica doctrina eſt ſcientia, quâ brevibus & compendioſis verbis inſignia quædam myſteria ſignificamus; eſtque varia, alia ex dictis ſapientum ſumitur, alia ex rebus naturalibus, alia ex moralibus, alia ex hiſtoriis. Eſt autem ſymbolum nihil aliud, niſi ſignum rei arcanæ, variaſque habet diviſiones.* Hinc illam ſententiam Oedipus: *Natura ſymboli eſt, conducere animum noſtrum, mediante certâ aliquâ ſimilitudine ad intelligentiam alicujus rei, multum à rebus, quæ ſenſibus offeruntur exterioribus, differentibus; cujus proprietas eſt, eſſe celatum & abſconditum, ſub velo obſcuri dicti.* Sed ante ſymbolorum ſublimia & arcaniora illa genera, præmittam rectiùs, cum authore noſtro, vulgatiora ac magis obvia, quorum has præcipue ſpecies complectitur: Emblema, Impreſia, Nobilium inſignia, Ænigma, Gryphus, Logogryphus, Anagramma, Parabola, Apologus, Fabula ſeu Mythos, Proverbium: quibus ſingulis variæ iterum ſpecies ſubnectuntur, & Oedipus quam plurima propoſita totis claſſibus perſolvit, primis nimirum illis Gymnaſii; nec enim res infra claſſem cenſeo; ſed quum locus hicce nec de paucis talibus tam multa capiat, ad compendium dabo quæ circa inſtitutum noſtrum referre haud minimum videantur.

*unde aſſumptum,*

*& quomodo antè, ſtrictiùs.*

*Symbolum Simonidi deſcriptum,*

*& apud Mor Iſaac.*

*Lib. 2 Obeliſci Pamphilii, & Claſſe Symbolica Gymnaſ. Hieroglyph.*

*De Symboli generibus communioribus:*

*Emblema quid.*

Eſt igitur Emblema picta vel ficta imago, quæ aliud oculis atque animo proponit: diciturque παρὰ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, quòd eſt inſeri, interponi, injici: quidquid enim ornatus cauſa apponitur exemptile & quod detrahere rurſus liceat,

in

in parietibus, & pavimentis, aut supellectilibus, vasis, pateris, vestibus, tali opere artificioso interstinguendis, ἔμβλημα dicitur. Aliter quoque Emblema dicitur symbolum aliquod ingeniosum, imaginem cum lemmate habens, ut, quod intendatur tertium, ex convenientia alterius in alterum colligatur: ita patientiam rebus adversis illustratam declaret ceraunia gemma, cum epigraphe: *Fulmine crevit.* Delphinus anchoræ implicitus, cum hac gnoma, *Maturandum*, maturam rerum considerationem indicat; Chamælæon verò subjectæ rei colorem assimilans, & adscripta sententia, *Omnibus accedens*, assentatorem & Gnatonem denotat. Integris voluminibus hujusmodi symbola tractarunt Andreas Alciatus, Ioachimus Camerarius, & alii. De Phrenoschematibus, seu Impresiis, (ita dictis, ab Italico *Impresa*, aut Gallico *Entreprise*, quod rei magni momenti expeditionem significat; quum scilicet hæc symbola non nisi profunda & seria mentis applicatione conficiantur,) insignis quidam Philologus hanc nuper descriptionem dedit: *Sunt impresiæ arguta quædam literatorum hominum insignia ex figuris & lemmatis composita, domibus, libris, hortis, Bibliothecis, Academiis aliisque doctorum hominum phrontisteriis, ad occultum animi conceptum, vel passionem, aut insignem aliquam actionem, virtutemque moralem in seipsis vel in aliis demonstrandam, inscribi solita.* Dicuntur hæc Oedipo Emblemata Academica, quod Academici Itali eorum recte componendorum rationes & regulas primùm præscripserint, & servandas reliquerint. Quod ut intelligatur, notandum, hoc Italos peculiare institutum habere, ut in plerisque celebrioribus urbibus, communi doctorum conspiratione, certa quædam conventicula, quas Academias vulgo vocant, instituant, in quibus certis temporibus de iis maxime studiis, quæ vel ad ingenii vel ad morum aut literarum humaniorum culturam conferunt, laudabili sane instituto tractent. Quæ quidem Academiæ, uti variæ sunt & quamplurimæ, ita variis quoque Impresiis seu insignibus, ut ipsi inter se, & à plebæa hominum colluvie veluti ἐκ τοῦ τύπου distinguerentur, insignitæ sunt. Academici ipsi quoque ab impresiarum suarum capite præcipuo denominationem habent; ut videre est apud Kircherium in classe principe, Symbolica, allegati Gymnasii. Non possum non pauca de his admiratori Hesperii acuminis & argutiarum apponere. Nec enim illa quondam nutrix ingeniorum, nunc effœta talium dicatur, sed, si unquam & antehac semper, etiam nunc virorum in orbe toto celeberrimorum mater habenda; ipsa quæ frugibus, oppidis, familiis cultissima, nec magis sapientiæ disciplinis inculta, aut virtutum excellentiis minus incluta est, adeò summâ rerum omnium atque hominum famâ, ut Italia non pro terrarum pulcherrima & elegantissima, sed pro pulchritudine & elegantia sumatur; totaque, quantum Vrbis ab omni ævo unius, tantum nullius non Vrbanitatis laude sit, quicquid nimirum dici atque extolli possit.

*Alia definitio Emblematis.* — *Expressio Patientiæ,* — *Temporis properati,* — *Assentatoris.* — *Impresiæ unde dictæ.* — *Descriptio Impresiarum.* — *Academiæ particulares Italorum:* — *Variis ex symbolis nomen sortitæ.* — *Italia terrarum absolutissima.*

Redeo ad symbola Academicorum, quibus metaphorice notata materia variarum rerum formarumque, actionum, aut passionum, varias dedit appellationum causas, studiumque in his positum hanc maxime probavit descriptionem: *Impresia est symbolum seu Emblema Academicum, compositum ex variis figuris, tam naturalibus quam artificialibus, & verbis significantibus metaphoram aliquam, seu similitudinem supra figuram, quam verba indicant, fundatam; quâ nostram vel alterius cujuslibet mentem, statum, moresque argutè indicamus.* Dividuntur autem Impresiæ à nonnullis in tres species, ita ut aliæ constent solis literis, aliæ solis figuris, aliæ utrisque; divisione facta juxta triplicem Idealis, Cœlestis, & Terreni hominis conditionem. Idealem hominem accipiunt pro Angelo, qui est veluti homo quidam cœlestis sine corpore; & hunc assimilant verbis. Cœlestem hominem accipiunt pro mundo hoc visibili, seu sensibili & corporeo; atque huic attribuunt figuram. Tertiò hominem terrenum pro vero accipiunt, qui uti constat corpore & anima, ita & voces & figuras propriè ei in Emblematis tribuunt. Verùm duæ priores acceptiones Impresiæ nullâ ratione convenire possunt; unde sola tertia ipsi constituendæ apta est. Materiæ autem loco figura est; formæ, sententia, quæ per metaphoræ modum de sensu indicat. Sed

*Impresia Academicis Italis descripta.* — *Impresiarum species distinctæ,* — *Philosophicè ac tripliciter applicatæ;* — *tertia occupatione aptissima.* — *Impresiarum materia, & Forma.*

*Materiæ fines quam laxi,* Sed materia eadem etiam Emblemati convenit, quanquam indeterminata, & ad quaslibet res & rationes sese extendens; quam indefinitam rationem plerique Impresiarum authores respuunt. Nam uti neque animalia, aut herbæ incognitæ, numerive, aut mythicæ allegoriæ, ænigmaticæque locutiones Impresiarum materia sunt; ita neque res particulares, ut sunt instrumenta, cærimoniæ, usus & consuetudines (nisi forsan eo in loco ubi vigent) materia esse possunt; quæ minuta & scrupulosa usque adeò observantur nonnullis, ut ipsam humanam figuram ab impresiis excludant. *& Formæ.* Gnomis verò & sententiis, quæ ad figuræ significatum consyderationem impellunt, corpus illud, sive materiale, quod, cum ad multas promiscue significationes aptum esse potest, nulla non caret, illustratur ac quasi animatur: v. g. Solis figuræ, cujus ad variarum Impresiarum materiam indifferentia est, modo vitam modo divinitatem diffusam, tum autem splendorem animi, & alia atque alia denotantis, si verba accedant, certa ac determinata significatio erit, nomenque obtineat Impresiæ. *Ad Impresias præcepta:* Propterea dantur ad componenda phrenoschemata præcipue hæc præcepta: Vt *compositionis,* Impresia componatur ex figura & lemmate: utrisque tamen cum intentione authoris apta connexio sit, quæ fit per metaphoram Impresiæ ad authoris mentem. *rerum optimis cupitarum,* Sed sicuti non conveniunt Impresiæ illa lemmata, allegoriæ, fabulæ, aut aliæ similitudines quæ moribus optimis dissimiles sunt: ita nec ignotum legentibus, Chimæricum & peregrinum proponatur, neque ex coloribus ipsis quicquam *claritatis,* assumatur. Sit verò impresia arguta, & acuta, fundata in actione naturali, vel morali, vel in sententia sapienti, aut apophtegmate: quæ tamen obscura, aut ænigmatica ne sit, aut cui præter compositionis lucem interpres *altitudinis,* opus esset; neque adeò clara ut cuicunque primo statim aspectu pateat, sed ut in altitudine sua constet, nec nisi cum profundiori consyderatione intelligatur: *modi.* demum ut ne vitium aliquod, aut virtutem hominis, nisi per metaphoram allegent aut lemmata, aut figura ipsa. *Exemplum.* Igitur si quis flammam pinxerit, cum inscriptione, *Flamma divini amoris*, non attigit fines Impresiæ; nullus enim tropus est: rectiùs verò si cum tali lemmate, *Nunquam deorsum.* Exempla varia, apud Oedipum esse indicavi, ex quibus hæc videntur principibus locis: *Impresiæ Humoristarum,* Romanæ Academiæ, quæ de materia impresiæ dicitur *Humoristarum,* pro insigni est Nubes super mare elevata, & ibidem in pluviam resoluta, cum hoc lemmate: *Redit agmine dulci.* *Partheniorum,* Parthenia & Academica congregatio S. I. in collegio Romano, Magnetem lapidem annulos quasi in catenam pertrahentem ostendit, sub hac epigraphe, *Arcanis nodis.* Hæc instar multorum sint. *Germanica eximia.* Germanicum est illud, quo Leo cibum capit ex lintre à virgine nuda tenui loro adducto; Sententiam adjiciunt, Allzeit in Sorgen / hoc est, *Nunquam non metuens.* Ejusdem vis argutè explicatur hoc disticho:

*Nuda à præsidiis ego Virgo ministro Leoni;*
*Danda opera est magnis, sed comitante metu.*

Complectar & aliarum gentium similia. *Symbola Hebræorum,* Hebræorum verò symbola in quibusdam cum nostris conveniunt, in quibusdam discrepant. Nam & lemma & figuram habent, sed non quamlibet impresiis concessam: *quid recipiant;* nempe præter humanam nullam omninò viventis speciem admittunt, quòd putent imagines pingere, aut aliquid iisdem significare, esse *& quare non omnia:* quandam idololatriæ speciem. Solis igitur vegetabilium, inanimatarumque, aut artificialium rerum symbolis ad significandum uti videntur. *Lemmata eorum.* Præterea lemmata plerumque ex Cabalisticis dant compositionibus. Arabum quam arguta sunt, etsi à nostris discrepantia: nam omissa figura humana & animalium quorundam, artificialibus ferè atque partibus animalium utuntur; *Arabum Symbola cum nostris differentia.* lemmata verò & sententiæ eorum respiciunt ut plurimum apologos summo ingenio excogitatos. Inter alias impresias illam Selimi Turcarum Imperatoris cogitabilem proferam. *Thrax Imperator Selimus.* Quatuor candelabra sunt, quorum unum candela accensa fulget, reliqua lumine carent: super hoc lemma est: *Alla varà*, hoc est, *Deus dabit.* quo quidem nihil aliud innuere videtur, nisi voluntatem & desiderium de corripiendis omnis Mundi partibus religionis ac imperii sui flamma. At hoc votum Deus vertat in melius, & faxit ut ignem amoris divini,

quem

*Symbolum Arabicum peringeniosum.*

quem Iesus Christus efficere venit in hunc mundum, lumenque Catholicæ religionis sentiat universus orbis. Aliud est, quod felicioris Arabi existimo, Alveare ostendens, cujus ostiolo araneus adrepit, desuperque hæc inscriptio: *Intra terminos tuos.* quo apposite notatur, unumquemque sua sorte contentum esse, nec altiora quàm pro viribus periclitari debere: sed id genus tamen magis allegoricum quam emblematicum est. Æthiopica quoque, necnon Armenorum, Persarumque symbola cum producere potuisset Oedipus, omisit tamen, quod à vera emblematum impresiarumque ratione longiùs declinent. Demonstrare autem voluit, nullo non tempore ab omnibus gentibus hujusmodi studium cultum fuisse: quapropter te, Lector, suprà rejecimus ad exempla diversarum gentium, quæ ipse adducit, & quæ præcipui authores eidem advocati, Ruscellus, Ferrus, Tipotius, integris hac de re voluminibus editis.

*Insignia quid:*

Sequitur de Insignibus: quæ sunt symbola nihil non ex symbolis omnibus recipientia: nobisque hoc loco nihil aliud, nisi unius aut plurium figurarum in scuto aut vexillo collocatarum apta repræsentatio; ad memoriam bene gestorum aut distinctionem ordinum familiarumve instituta. Dicuntur insignia à singulari Insigne: cujus plurale abundare casibus ex secunda declinandi figura adscitis, magna pertinacia Doctores inter se diffident, ex veterum tamen Latinorum authoritate non probatur. In singulari verò & pro substantivo acceptum, idem aliquando valet; ut Tacito de moribus Germanorum: *Insigne superstitionis formas aprorum gestant.* Apud Virgilium pulcher ille Aventinus

*De vocabulo quæstio inter doctos:*

*Virgilius lib. VII Æneid.*

——*Clypeoque insigne paternum*
*Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.*

*Vocis originatio, & significationes diversæ.*

Derivantur insignia à signo, unde dicimus *insignia cicatricum, Codicillorum, hospitii, benevolentiæ, &c.* vel in homine *eminentiæ*, atque etiam in rebus aliis *ornatus*, nempe in unaquaque re insignia sunt quæ maxime conspicua. Vulgatissima omnium significatio est, quam in descriptione dedimus, ubi pro symbolo propriæ vel avitæ virtutis honoratæ venit; qua vi & ipsum symboli nomen synonymum habet, nec non Emblematis, Tesseræ, Decori, Argumenti, Titulorum, Sigillorum, quod maxime apud Jureconsultos in usu est; tum Signorum, Intersignii, seu Intersignis, & Intersignium, quæ vocabula nonnullis barbara judicantur. Respondent eidem & Schemata, Imagines, Arma, quæ hic sumuntur pro scutis, & nonnunquam conjunctim, Armorum insignia: nimirùm quod in armis sculpi depingique antiquitus, ut & nostris temporibus, consueverunt, ut cum facies operta armati inde dignoscerentur; & ipsa quoque insignium vox præter signa depicta clypeorum, tam dona quam signa militaria, vestitum bellicum & arma, cum scuto & galea, vel solum galeæ cimerium & ornatum denotet: ad notam verò signumve virtutis & gentilitatis exprimendum vix aliud quam insignium nomen appositum videtur. Dicuntur Insignia etiam Germanis Wapen/ quod æquivalet Armorum voci; item Clenodia, & Helm vnd Schild/ hoc est galea & scutum; Galli sua lingua vulgariter *Armoiries* appellare soliti sunt, ac si dicamus armorum memoriam. Et Italis *Carmas* sive *Scutos* suo idiomate vocare tradit Decianus.

*Synonyma.*

*Æquivocatio.*

*Aliarum gentium usitata vocabula.*

*Decian. resp. 19. num. 239 Vol. 3.*

Insignia igitur, cùm mysticis quibusdam & symbolicis rationibus constent, de eorum origine paulò altiora referre placuit. Et Vetustissimum Symbolorum armis inscribendorum usum esse, ipsæ sacræ literæ nos docent, lib. IV Mosis cap. II, ℣. II, ubi juxta vexillum & signum suum, & secundum domum patrum suorum castrametari singuli ex Israël jubentur; fuisse verò vexilla illa symbolis quibusdam inscripta, singulis familiis propria, non sacer tantùm textus juxta diversas translationes habet, sed & ipsi commentatores id expresse indicant; imò figuras, colores, aliasque circumstantias iis annexas producunt. Sed inter omnia vexilla illa potissimum eminebant, quæ in quatuor castrorum angulis erigebantur à quatuor primis principibus, de quibus Rabbi Abenezra ad citatum locum: *Fuerunt autem signa & symbola in singulis vexillis, dicuntque majores nostri, quod in vexillo Ruben fuerit depicta figura hominis, ex occasione quod quæsisset Mandragoras* * *in agro. Iuda verò habebat Leonem, quia is dominabatur Iacob. Ephraim Bovem,*

*Insignium gestandorum ratio antiqua.*

*Signa castrorum Israël,*

*eorum in quatuor angulis Labara.*

** Radices enim ejus figurâ humanâ sunt.*

*Bovem, juxta illud:* primogenitus bos ejus. *Dan aquilam: ita ut quadruplex vexillum hujusmodi perfectè assimilaretur Cherubim, quos vidit Ezechiel Propheta.* Rassi vero, eodem loco: Vir juxta signa sua: *id est, unicuique vexillo sit signum coloratum, ita ut color unus distinctus sit à calore alterius, juxta colores lapidum in Ephod seu Rationali.* De Castrorum dispositione mystica, quomodo Vniversi rationem repræsentabat, vide ipsius Oedipi Gymnasium Hieroglyphicum: &, quem allegat, Clementem Alexand. lib. v Strom. & Villalpandum tom. II Templi Hierosolym.

*Ingente Ægyptia insigniorum ratio.*

Inter cæteras mundi nationes hac symbolorum ratione præcellunt Ægyptii quoque, à quibus illa tota descendisse ad posteros videtur. Mos ipsis erat singula tribunalia certis quibusdam characteribus distinguere. Sed & reges propriis insigniis eminebant præ sacerdotibus: & hi suis discernebantur à plebe, ut pulchrè ostendit Plutarchus & Diodorus. Ex quo factum est, ut ex posteris sapientes quique inventioni illi ingeniosæ libris ac disputationibus suis multum ornamenti adjecerint. Initium eorum Diodorus repetere videtur ab ipsis temporibus Osiridis, quem nos primis post diluvium sæculis in Ægypto regnasse supra memoravimus: eundem nimirum contra hostes iturum cristæ aut clypeo animalium terribilium figuras, ut triste minaretur adversariis, addidisse.

*Apud alias item:*

Pindarus quoque testis est, Amphiaraum in expeditione Thebana pictum Draconem in clypeo circumtulisse. Polinicen Sphyngis imagine usum in scutis fuisse; in bello Trojano Agamemnonem gessisse Leonem constat, unà cum Epigrammate: οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν. Hippomedon ita Typhonem ore fumos efflantem; Perseus Medusæ Gorgonum reginæ caput detulit.

*Ex consuetudine & jure universarum.*

Rectissimè igitur sentire mihi videntur, qui insignium sive armorum initia ex armis temporibusque belli & communi nationum ac populorum usu & consuetudine repetenda censent; plerosque tamen ex authoritate potentiorum & gloriosissimorum, aut exemplo vicinorum sibi fucos & imagines, haud secus ac deos illos innumeros ex contactu aut contagio aliarum gentium, fecisse. Comparari enim ad aliorum fastum & fastigium volumus omnes, & in nullo inferiores esse; hinc ubique præcellere etiam in alienis & nihil profuturis, & multùm periculosis ac infamibus haud rarò rebus, cupere, atque adeò cæcos ruere videmus quamplurimos.

*Nullus esse nemo scilicet desyderat.*

Sic enim ipsi Israëlitæ regem sibi gentilem in morem flagitarunt. Imo reges ut essent, divique in vita hac fragili, aut post mortem numina veneranda haberentur, hinc nimirum bella prima tyrannorum, facinora gigantum, veneratio victorum, adoratio dominorum, scelus & ira superborum omnium, ut essent aliquid, omnino prorupit.

*Ex fastu impiorum bella prima,*

Hac re sibi rem fecisse unosquosque credimus; ac deos etiam; deisque sacra, quanta quisque maxima fingere ac cogitare potuit: non tam timore Dei, venerandi in seculum, sed ut terrore animos plebejos sibi principes illi obnoxios redderent, & quacuncunque possent ratione, deos essent, hoc est potentes & bene præscios rerum hujus mundi omnium.

*& religio fallax,*

Hæc nempe falsæ quoque sapientiæ causa multis fuit, tum potentissimæ in vulgus eloquentiæ. Eadem verò numinum quàm nominum magnorum causa obtinet. Cui enim de gentilibus, tempore heroum, genus divum non asseritur?

*cum sapientia damnosa.*

Ad Genus verò, præterque virtutem propriam, præsertim bellicam, demonstrandam, imagines & insignia clypeis inserebantur.

*Præcipuæ causæ insignium.*

Ideo Alexandrum Magnum serpentis imagine usum esse, novimus, ut se Jove Ammone genitum esse indicaret; Herculem verò, longè ante Romanorum tempora, in clypeo Draconis imaginem fulgentem, ostentasse, apud Hesiodum legimus.

*Alexandri insigne, Herculisque.*

Nam & justiori in militia, ad exemplum primorum bellatorum, communi velut placito eminentissimi quique peculiaria receperunt symbola, forte ut signis gerendis eminentiæ & generalitati vexillorum responderent; vel ut celsas animi virtutes sibi propositas omni commilitio ostenderent, imitandi gratia; quod haud minus gentium jure factum aut fieri adhuc, judicemus, quum nempe fidelitatis bestias nonnullas peritia censeri videamus, in quibus animositas & alia naturalia haud rarò super humanam fortitudinem elucent. Prout igitur quivis eorum certam aliquam virtutis imagi-

*Vsus insignium primævus.*

*Crebrior earum inveniendi occasio.*

imaginem complexus erat, ita rem aliquam excogitabat quæ depicta suâ aut formâ, aut naturâ, aut adjuncto alio, ideam illam authoris posteritati repræsentaret. Et hæc quidem hac occasione

*Principalis vulgarisque appellatio.*

primitùs adinventa simulachra ipsi suorum symbolorum, vulgus autem insignium, & (ut loquuntur) Armorum nomine insigniverunt. Ex his verò qui

*Melior insignium causa:*

pro Insignibus Imagines, non tam præteritæ conditionis indices, quàm symbola ad vitam utilibus præceptis instituendam accommodata, receperunt, Ulysses, clypeo Delphinum gerens, refertur.

*ex sententia Ithaci.*

Significabat enim inter alia catus ille, se animalis ejus dotes maximè sequi velle, quod simul & Hominum & Musices amore & mira celeritate cæteris præstaret omnibus.

*Humanior earundem ratio:*

Et hac ratione maximè laudantur, qua non odiosa aut otiosa, sed honesta & utili in lucem proferri queunt: præsertim si non tantum ad gloriæ ostentationem, sed sigillandi & testimonii dicendi usum apta pulchritudine sint, quo modo & ipsis sacris literis probantur.

*Alia apud varios.*

Sed cùm infinitæ sint Insignium Causæ & occasiones, aliaque à facto quodam heroico & insigni orta, alia à personæ locive nomine nata, vel aliunde petita inveniantur, utplurimum eorum obscura nobis esse solet ratio: sicut nihil non confundit deletque vetustas, nec finit rem veterem pro certo affirmare: adde quod illa tam vulgaria facta, ut nemo fere, tam ex prima, quam ima militiæ classe aut civium quoque genere sit, qui non sibi insigne aliquod armorum elegerit, aut ad armorum rationem compositum velit: quasi belli gloriâ supra omnem aliam triumpharent; & Ferrum quam Aurum potius esset mortalibus.

*Ad Ægyptiorum exemplum insignia assumta.*

In primis vero temporibus illis post orbis divisionem, Ægyptios juxta cum Babyloniis clarissimos & potentissimos fuisse populorum, nullum est dubium: & vel hinc insigniorum usum ad alias nationes profluxisse, credibile est; tam effuse ut Africam & Asiam cum Europa omni pervaserit.

*Frequens ubique usus authores alios supposuit.*

Inde nimirum tam variæ opiniones de primis authoribus ac parentibus horum symbolorum natæ sunt: aliis illa ad Assyrios referentibus; aliis ad Pictos, quos scilicet à pictis vario colore armis denominatos velint, sed quàm verè, ipsi viderint; nonnullis ad Cares Asiæ populos, quos simulachris clypeos ornasse, iisdemque lora adjunxisse & pennas galeis illigasse, præterea & ocreas & cristas invenisse, tradunt Herodotus in Clio, Strabo lib. XIV. Plin. lib. VII, cap. LVI.

*Herodot. lib. I, cap. 31.*

*Cares cum insigni suo compositi.*

Fuitque Carum consuetudo, parvum scutum & galeam cum mortuis defodere, agnitionis eorum inde antiquitus sumpta nota. Ita Thucydides: *Cum expiaretur ab Atheniensibus hoc bello Belus, destructis sepulchris eorum quicumque in ea insula decessissent, supra dimidium Cares agniti sunt genere armorum, cum quibus essent sepulti.*

*Thucydid. lib. I.*

*Post tempestatem Trojanam armorum usus ad varios penetravit populos.*

Videatur aliquibus & à Trojanorum ætate originem insignium petendam, aut quod usus eorum post profugum Æneam majori modo innotuerit; nimirum propter mentiones Homeri de Achillis & aliorum clypeis, & apud Virgilium locis quam multis. Sed quum inter omnes nationes & gentes ubiq; fere vestigia insignium deprehendantur, mirum tamen quod apud Sinas, extremæ Asiæ populum omnifero & absolutissimo cultu civili, perquam ingeniosissimum, & nobilissimum officiis ac magistratibus inter se, tum pene innumerabilibus urbium urbibus potentem, quibus ab Imperatoribus, Regibus & familiis principalibus variis decus & fastigium super alias additum est, nemo civium tamen, nullaque oppidorum munitionum aut urbium arma gentilitia vel insignia publica gerant; nec inter Tartaros primores ea habere puto, si rectè memini verba R. P. Martini Martinii, sæpius allegati: quamvis tamen in vestitu, cultuque rei familiaris, Titulisque differentia inter magnates, præcipuè Sinensium, haud parva sit.

*Sinæ non utuntur insignibus;*

*dubium an Tartari.*

*In Coloribus armorum, Hispani præcipui sunt:*

Sunt nonnulli qui insignium inventionem Hispanis attribuant; alii Anglis quibusdam equitibus in orbe errantibus; quidam Hunnis; nonnulli Carolo Magno & Friderico Barbarossæ Imperatoribus. Sed si de excultis apud eos rationibus symbolicis, non de primùm inventis, sentiant, nihil illis repugno: sic Hispanis simplicium insignium sive colorum inventionem do; Caroli studio, Equitumque vagationi Symbolorum coloribus perfectorum reperiendi modum; qui succedentibus temporibus auctus, apud Heroldos præsertim, ad

*in compositis Cæsares Germani:*

*nec non equites per orbem vagantes Angli.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

*Differunt inter se insignia.*

artem regulis suis comprehensam provectus est. De divisione armorum in simplicia & composita, jam innuimus: distribuuntur præterea in purè materialia, Symbolica & Logogriphica.

*Purè materialia,*

Purè materialia sunt, quæ præter id quod ostendunt nihil arcani referunt, qualia nimirum pleraque omnia tam publica provinciarum, urbiumque, quàm privata familiarum & singularium personarum, à principibus collata, aut à communionibus ab antiquo, certumque in usum recepta.

*Symbolica, Logogriphica.*

Symbolica dicuntur, quæ altiorem aliquem sensum habent: Logogriphica, quæ nihil nisi nomen authoris referunt, ad quod conficta sunt, nisi si illud ex ipsis bello acceptis assumtum sit; qualia ubique locorum innumera, videntur. Symbolica verò fuerunt præclara quàm multa magnorum Heroum, qui tum imperatoria felicitate, tum literarum divinitate inter divorum numina relati sunt.

*Symbolicum Augusti,*

Augustus Cæsar magnam sui animi moderationem, alienumque ab omni temeritate judicium, id est, maturitatem in rebus agendis ostensurus, in Armis & numismate papilionem unà cum fluviatili cancro cælari voluit; quorum altero tarditatem, altero celeritatem significabat.

*Vespasiani,*

Vespasianus Delphinum animalium omnium velocissimum, Anchora alligatum monstrabat, quo maturandum esse, non obscure innuebat.

*Imperii Romani,*

Ita Aquila imperialis potentiam, celsitudinem & dignitatis imperatoriæ fastigium, quo omnes alios principatus superet, denotat.

*& aliorum.*

Sic Leo magnanimitatem; serpens prudentiam; Fidelitatem canis; Gryphus dominium:

*Symbola colorum.*

color albus sinceritatem ac innocentiam, niger dolorem & luctum, ruber amorem & vindictam, cæruleus cogitationes cœlestes significat: & ex Compositis, Canis albus in Campo nigro, in rebus trepidis aut obscuris fidelitatem vel sagacitatem.

*Exempla compositorum.*

Sunt autem & alia scuta quæ quidem eadem symbola, de quibus vidimus, habent, at arcani nihil indicant: quum nempe ex indulgentia vel singulari gratia Principum nobilibus concessa, in signum subjectionis, aliusve præstationis; vel ad extraneos & qui subjecti non sunt honoris causà delata; nonnunquam ex sanguinis jure gestentur, ad indicandam agnationem: sicuti multis tam principibus quam ex nobilibus avis est biceps, similis pene imperiali illi; quum ad ipsos tamen non extendatur alitis fulminis supradictum, aut aliud levius fortè significatum; quippe quum rex deorum regnum ipsi in reges, populosque sublimius concesserit, nempe quòd in multò majoribus illum expertus sit fidelem ministrum.

*Aquila imperialis in scutis aliorum,*

*& alia signa regalia aliis quid denotent,*

Nihil itaque aliud sunt, nisi symbola imaginum, seu signa symbolorum alterius, non rem, ex qua princeps imago producta, primò, sed notionem secundam referentes, & propterea ad primam insignium speciem spectant.

*Liligeri multi, pauci servitute exempti.*

Plurimi similiter ubique ferè gentium videntur liliorum flores cùm nobilibus tum ignobilibus in scutis, quum tamen serenissimam illam legem Salicam non attineant, & apud multos non sint exempti onere laborandi.

*De ænigmatibus.*

Nec ænigmata, quanquam plurima variis de rebus in gentes descenderint, nisi ab Ægyptiis processerunt, illa nimirum quæ in scriptis Græcorum Philosophorum inveniuntur.

*Pharao Ægyptius filius sapientum.*

Sacerdotum enim collegium [in quod & principes, ex bellatoribus ad fastigium regale designati, continuò allegabantur, ut in consortium philosophicorum arcanorum venirent, indeque authoritatem suam auspicati sibi & suis diviniori modo sufficerent; quibus ideò merito majori applausus *Philosophiæ Tuæ*, qualem inter alia Romani imperatoribus suis nonnunquam dederunt, convenire potuit] omnia sua dogmata quibusdam veluti fabularum, aut ænigmatum integumentis involvebant:

*Pythagoras sectator Ægyptiorum.*

quam consuetudinem discipulus eorum Pythagoras secutus, nefas esse arbitrabatur de rebus divinis tam apertè docere, ut unusquisque nullo labore universa accipere arcana divina: nemo quippe pondera & virtutem doctrinæ, nisi maximo adductus pondere & virtute, percipit; plurimi verò res optimas, ut plerasque omnes hujus mundi miraculosi & latentium causarum faciendæ intelligentiæ comparatarum pleni, negligunt despiciuntque, tanta negligentia, stupiditas aut protervitas hominibus innata est.

*Grammaticorum definitio Ænigmatis.*

Grammatici verò, Diomedes & Donatus, Ænigma definiunt *Obscuram sententiam*; sed cùm hac ratione ab Allegoria non

non discrepet, quærenda alia est: Addunt aliqui, *per occultam rerum similitudinem enunciatam*; sed nec ita ab Emblemate differet: Dicimus itaque, Ænigma esse propositionem jocosam & obscuram, vel scripto, vel voce alicui per occultam rerum similitudinem de aliqua re factam. vel, quod sit rerum reconditarum, per similium aut proximarum rerum argumenta facta propositio. Neque differt à Gripho, nisi quòd Ænigma lusum tantùm habeat & jocum, Griphus etiam studium & curam. Hunc Clearchus Solensis ita definit: Griphus est quæstio ludicra, quæ imperat, ut per inquisitionem in sententia inveniatur, quod quæsitum est honoris aut vituperii causa. Distinguuntur itaque Ænigma & Griphus ab Emblemate hac ratione, ut sint illi propositiones quædam obscuræ & jocosæ, hoc autem pictura quæ serium aliquid ad mores pertinens exhibeat. Igitur quoniam à M. Tullio aliisque Oratoribus præceptum est, non admodum licere in orationibus frequenter uti Ænigmatibus, maximum quippe vitium esse obscuritatem orationis; hinc Apulejus ejusque sectatores in schematibus talibus non cuivis imitandi sunt. Sed Ænigmata tamen Ægyptiorum nihil jocosum aut ludicrum, at serium omninò & plenum sapientia continebant, ut deinceps in plurimis liquebit. Logogriphus autem est Ænigma quoddam, quod in verbo aut nomine quopiam varias significationes obscurè per additionem, aut subtractionem alteri profert. Ænigmatum verò & Griphorum & Logogriphorum magna est diversitas: quædam enim verbis tantùm constant; quædam sententiam aliquam expendunt, alia sunt in utroque obscura; ac nonnulla literis & syllabis arguunt. Aliqua etiam vim proverbii obtinere videntur, aut quæstionis & problematis: ita quidem ut septem differentiæ modos referat Clearchus. Nos præter hæc consultiùs Ænigmata dividemus in Grammatica, Ludicra, Rhetorica, Poëtica, Logica, Arithmetica, Geometrica, Musica, Astronomica, Naturalia, seu Physica, Medica, Moralia, Theologica; quorum omnium exempla varia apud authores occurrunt.

*De eodem perfectior.* — *Griphus Clearcho definitus.* — *Ænigma, Griphus, Emblema, quomodo differant.* — *Ænigmatum ratio non ubique apta:* — *quænam apud Ægyptios.* — *Logogriphus,* — *horum symbolorum quanta diversitas sit,* — *qualisque divisio.*

Moralibus ænigmatibus, quæ sumuntur à moribus, seu materia Ethica, accensentur Æsopi illa: quid sapientissimum, quid optimum, quid facillimum: quibus respondet consultus, Veritatem esse, Deumque & Voluptatem. Theologicis adjungit Oedipus varia antiquorum de variis rebus & eventibus Ænigmata: ut Magorum illud de Mente: Est res undique lucida, partim obscura. Simile est responsum piscatorum Arcadum, Homero datum, quod refert Plutarchus: Quæ cepimus, reliquimus; quæ non cepimus, portamus. quam rem cum non assequeretur, indignatione contabuisse dicitur. Sphyngis verò ænigma de homine illud erat: Τίς δὲ τετράπους, δίπους, καὶ πάλιν τρίπους. Sed qui plura hujusmodi desiderat, consulat Diomedem Grammaticum, Varronem, Petrum Crinitum, Athenæum, Sophoclem, Erasmum &c.

*Æsopi propositiones ænigmaticæ morales.* — *Ænigma Theologicum Magorum.* — *Homerum quod cepit problema.* — *Sphingis de homine propositio.*

Logogriphus differt ab ænigmate, quòd is plures significationes in una voce obscure indicet, idque vel per additionem, vel subtractionem: exempli gratia sit Musici illius Romani gratiarum actionis clausula *Clamore*, hoc est clamore, amore, more, ore, re. Simile illud est de voce *Caper*, cui si caput demseris *C* significet animal diversum: alio modo arguit hoc solis vocabulum:

*Anguis, & Annulus, & super addita norma, quod usquam*
*Est rerum, his vitam tribuunt, augentque tributam.*

*Logogriphus ab ænigmate distinctus;* — *Musici Romani argutus; & aliorum.*

Notandum igitur & Ægyptios inter sua Hieroglyphica similes Logogriphos adhibuisse, quod infrà paret; ut perspicuum inde sit ænigmatum solertem inventionem, Griphorumque lusus aculeatos magnam habere antiquitatis commendationem, ut qui penè cum ipsis antiquæ sapientiæ incunabulis cœperint. Celebris in eo genere Cleobulina refertur, sive Eumethis Cleobuli filia, cujus etiam scirpi flexuosis ambagibus intorti ad Ægyptiorum regem & sapientes deferebantur.

*Logogriphi inter hieroglyphica.* — *Cleobulina.*

Parabola est similitudo quædam ducta à forma ad formam, ut vult Aristoteles Rhet. lib. III. hoc est, rerum alioquin diversarum in una aut pluribus affectionibus collatio. Vox gravida est, quæ multas & dissimiles ex se parit signifi-

*Parabola quid?*

gnificationes. Aliqui hoc loco parabolam sumunt pro omni similitudine; sed falso: siquidem multæ res, obscuræ & difficiles similitudinibus prolatis innotescunt, quæ per parabolam obscuriores fierent. Non igitur hic accipienda est similitudo, tanquam enodatio obscuræ rei per similitudinem notam alterius. *Acceptio vocis varia.* Sumitur autem primo Parabola pro omni oratione ænigmatica, quæ quidem aliquid significat, id verò non statim apertum ex ipsis verbis, sed sensum latentem habet; *Parabola Samsonis;* cujusmodi est illud Samsonis: *De comedente exivit cibus, & à forti egressa est dulcedo.* *Pythagoræ;* Et huc quoque spectant symbola Pythagoræ. Sumitur secundò pro figura, aut imagine, seu metaphora, aut oratione, sub se continentibus argutum quid & arcanum. *Salomonis;* Atque ita sumuntur Parabolæ Salomonis, aliorumque Philosophorum: usus que hujusmodi Parabolarum uti est antiquissimus, *Ægyptiorum.* ita haud dubie ab ipsis Ægyptiis originem traxit; quibus proprium erat, sermones omnes mysticis & arcanis dicendi rationibus involvere, cùm ad majestatem regibus, sacerdotibusque, tum ad authoritatem, existimationemque sapientiæ apud plebem conciliandam. Dicta hujusmodi maximam vim habebant, adeo ut non incongruè dum hæc משלים vocant Hebræi, à dominatu originem traxisse velint, tanquam Symbola regum principumque sapientiâ nata; sunt enim quædam sententiæ ita plenæ majestate, atque ob veritatem certissimam in iis elucescentem ita imperant dominanturque mentibus, ut iis contra ire nemo ausit. *Genus parabolarum duplex.* Est autem duplex genus Parabolarum, quod & antea quidem innui: δημώδεις unum, quod tritas & vulgares similitudines complectitur; alterum ἱερὸν, sacrum, hoc est è sanctiori quadam arcaniorique doctrina depromptum.

*Parœmia quid:* Parœmia, sive Adagium distinguitur à Parabola, sicuti vulgare & plebejum à reconditiori. Est enim parœmia nihil aliud, nisi dictum quoddam de re quapiam omnium consensu receptum; id est, parœmiarum nomen de eo, quod vulgari loquendi usu apud exteros percrebuit, compositum est, & de iis plerumque, quæ in triviis dicuntur; *nominis vis unde.* unde non sine causa dicitur παρὰ οἶμον, id est, juxta viam. Alii potiùs ad sermonem referunt, quod vulgari sermone teratur; alii ad cantum, quod vulgo in Cantilenis usurpetur. Si igitur quædam Parœmia fuerit arguta & symbolica, non tam Parœmiæ, quàm Parabolæ rationem habebit. *Parœmiæ quomodo usurpatæ Ægyptiis.* Fuit autem apud Ægyptios, uti in actionibus sacris mysteriorum & allegoriarum, ita in familiari colloquio parœmiarum, breviumque & argutorum epiphonematum usus frequens, quibus mores diversorumque hominum conditiones vel laudandas, vel vituperandas perstringebant. Ac talia fere sunt, quæ Horus posteritati memoranda reliquit: *Horapollo:* quæ quidem hieroglyphica non erant, hoc est, in nullo usu sacræ doctrinæ: neque enim ullibi Pelicanum, Phænicem, Orygem, Elephantum, Equum, Ichneumonem, Murem, Hyænam, Vespertilionem, Castorem, Cancrum, Ostreum in hieroglyphicis reperies; à quibus tamen proverbia indifferenter orta sunt. *ejusque liber sententiarum.* Igitur ferè totus liber Horapollinis, nonnulla enim symbola excipienda sunt, hieroglyphicus proprie dici non debet; sed γνωμικὸς, seu ἐπιφωνηματικὸς, id est, epitome sententiarum Ægyptiis vulgò usitatarum. Ejusmodi sunt quas Oedipus * allegat, & ad mentem Ægyptiorum exponit; de quibus paucissima, Lector, describam. ** in Sphinge mystagoga.* *Exempla nonnulla adagiorum apud Ægyptios.* Inter alia hoc erat: *Numero 1095 signatus est*; quo indicabant hominem mutum: sunt enim 1095 seu ter 365 numerus dierum triennii, intra quod tempus si puer non loquitur, vocem deinde non edit, aut admodùm rarò. *Igne & aqua nitet*, dicitur de iis qui animi corporisque puritatem adepti sunt: his nimirum omnis lustratio peragitur. *Muscam abige*, impudentem designat; *Ichneumon clamat*, pusillanimum, & qui sibi opem ferre diffidit: ichneumon enim, conspecto inimico serpente non eum adoritur, sed excitato clamore auxiliarem sociorum manum advocat. *Noctua passerem excipit*, idem valet ac apud nos, qui Charybdim evadit in Scyllam incidet. *Vespertilionum ala*, de iis est, qui majora quàm pro modo virium agunt. *Basiliscum vidit*, hoc est, ob adversariorum injurias mentis tristitia morbum contrahit. *Castoris testes*, symbolum est eorum, qui sibi ipsi damno sunt. Plura si cupias,

si cupias, ipse Horus, aut ex illo Oedipus suppeditabunt.

*Apologus sive Fabula descripta; ejusdem utilitas; & divisio.*

Apologus, sive fabula, nihil aliud est, quàm figmentum quoddam, quo ex proprietatibus & actionibus animalium, morale aliquod docetur. Et sunt maximæ utilitati fabulæ: aliæ enim naturæ opera sub allegoriis continent; aliæ ex humanarum calamitatum eventu consolationem inveniunt; aut terrores animis depellunt, aut ad destruendas opiniones parum honestas penetrabili docendi modo, qui mire flectit fingitque animos, conferunt; quædam ad alios utilitatis fructus inventæ sunt. Igitur plura fabularum genera dantur, quæ nunc à locis ubi primò prodierunt, nunc ab inventoribus, nunc ex argumento nomen obtinuerunt.

*Fabularum denominationes variæ.*

A loco quidem, ut Cypriæ, Cilissæ, Sybarithicæ; quæ omnes tamen, ab Æsopo Æsopicæ fuerunt dictæ: & iterum variæ sunt, vel enim politicæ, vel morales aliæ, vel mixtæ ex communi & politica & œconomica morum ratione.

*Apologus, Fabula, Ænigma, aliis ab invicem alia sunt.*

Quidam distinguunt Apologos à fabulis & ænigmatis, atque aliud esse ajunt ἀπόλογον, aliud μῦθον: Apologos nimirum de solis brutis fieri, & pro exemplis servire concionibus; μύθους verò dici communi nomine argumenta Tragica, aut Comica, & omnem denique vim Poëseos, quæ fit per imitationem. Cum igitur fabulas tractare Poëtarum sit, Poëtæ omnes in hoc conveniunt, ut hujusmodi symbolicis figmentis animos irretiant, irretitos ad meliorem frugem reducant.

*Vlysses in fabulis exemplum veri.*

Ideo Homerus, ut prudentem atque omnibus virtutibus cumulatum Ulyssem effingeret, illi Phæacum delicias, & blanditias Circes proponit; tum pericula Cyclopum, monstrorumque marinorum intendit, à quibus socii ipsius pereunt, ipse vero divino consilio & admirabili prudentia omnia superat, aut evadit.

*Agamemnon.*

Ita ad Agamemnonis fortitudinem constantiamque ostendendam infinita pericula, terrores deorum, & similia describit.

*Ænus ab Apologo distinctus.*

Ænus ab apologo differt, quòd in hoc nuda tantum brutorum sententia sit, nec accedat admonitum, seu ἐπιμύθιον. Exemplis verò rem clariorem faciemus.

*Exempla parabolarum:*

Parabolæ igitur, seu ænigmaticæ de rebus diversis comparationes, sunt illæ

*Salomonis, & Orientalium.*

Salomonis, *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, &c.* cum similibus quàm plurimis apud Hebræos, Syros, Arabes, Æthiopes; & Pythagoræ quoque symbola nihil aliud sunt.

*Proverbium quid:*

Adagium, seu quòd communi sermone tritum est symbolum, illud inter Græcos erat: ἀπορία ψάλτου βὴξ, *Hæsitantia Cantoris tussis*, quoties indicaturi hominem erant, qui cùm quod dicat non habeat, aliud quasi agens dissimulat. Talibus ac similibus quum vix sit natio tam barbara quæ non utatur quàm plurimis, maxime tamen Orientales operam dant, ut à teneris abundent.

*apud Hebræos ingeniosa;*

Ab Hebræis petiit Oedipus hæc Oedipi ac Sapientis unius cujusque ore digna: *Multæ mulieres multa fascinatio.* & *Multa justitia, multa pax.* item: *Possidens bonum nomen, seipsum possidet.*

*& apud Arabes.*

Arabum sequentia inveniuntur apud Locman. *Qui vehitur curru spei, sociam habet paupertatem.* item: *Qui non discernit bonum à malo, adjunge eum bestiis.* Tum: *Qui experitur, auget scientiam; qui verò credit, auget errorem.* Vel: *Optimum pœnitentiæ, paucitas delicti.* adde: *Mundum cadaver esse, cum qui petunt, canes.*

*Locman alter Æsopus.*

Condidit hic author elegantissimum fabularum opusculum *; natus in Persia, ortum religionemque duxerat ab Iudæis; sed uti corporis deformitate, necnon animi amœnitate Æsopo fuit comparatus, ita æquandus ipsi tempore videtur, regnantis scilicet Cosroæ, septimi ante Darium; tantâ vero apud suos sapientiæ famâ fuit, ut absolutum doctrina & intelligentia hominem indicaturi, dixerint, nihil docendum Locmannum. De ipso multi hanc arripuerunt sententiam, eundem esse cum Æsopo: & ni Persam ex Hebræorum gente dixissent Arabes, facile sit pro Æsopo eum habere.

** Huic simile est opus Barachiæ Nicdan, Arabis, Parabolæ Vulpium inscriptum, ex animalium moribus hominum arguens.*

*Distinctio fabularum ab Ænis:*

Porro fabularum partes, earum scilicet quæ ἀπόλογοι vocantur, præcipuè duæ sunt: rei explicatio, & id, cujus causâ; siquidem Æni & Poëmatum argumenta eam vim habent, ut insitas partes has intra se contineant, quas nemo propè est qui suopte ingenio non possit elicere. At quoniam Apologi simplices sunt plerumque, & omnes fabulæ probitatis & prudentiæ causa fiunt; necesse fuit singulis suos fines addidisse. Vbi igitur priorem Orationis partem

*& earundem in partes.* ad informandos mores accommodamus, προμύθιον appellamus, quod est quasi præcedens fabulæ admonitio; ubi extremam partem ad mores regendos deduxeris, fiet ἐπιμύθιον, sequens scilicet fabulæ admonitio. Quæ fabulæ alteram harum partium non habuerint, sed intra se inclusam; collocandæ sunt in priori classe. *Poëticæ fabulæ,* Quæ verò sunt deorum Genealogicæ simpliciter, illæ, quoniam his maximè usi sunt Poëtæ suis Poëmatis exornandis, Poëticæ vocantur; & vel in elementorum generationem attingunt, *ad rationes philosophicas;* vel ad res arcanas naturæ spectant, aliasve physicas rerum proprietates explicandas, vel etiam ad motus & vim planetarum; nullæ siquidem simplicem habeant rerum enarrationem. Cum itaque fabulas ad veram interpretationem deducimus, esset interpretationi proprium nomen attribuendum; quod tamen hactenus non invenit, nisi appellemus ἀλληγορίαν, aut hieroglyphicum. *& Ægyptiacæ,* Ægyptii verò primi sunt mortalium, qui res gestas deorum sub fabulis, velut involucris quibusdam, abdiderunt; ut ausim dicere, Hieroglyphicam Ægyptiorum sapientiam nihil aliud fuisse, quàm scientiam divinitatis & naturæ, *ad hieroglyphicas compositæ.* sub variis fabulis figmentisque allegoricis animalium, cæterarumque rerum naturalium, repræsentatam; usque adeò, ut nihil fere ad hieroglyphica propiùs accedat, quàm fabularum, Apologorumque conditio: quod est inventum priscorum Ægyptiorum.

Hæc de ratione fabularum Oedipus hoc loco præcipit; post quæ ex eodem exemplorum gratia subjecimus Ægyptiorum allegorica figmenta, vel historias, deorum, *In Fabulis captio plebis;* quibus nimirum rudis & ad quidvis credendum proclivis populus, non ad sensum, sed secundum verba intellectis ad detestabiles superstitiones ducebatur: docti non item: hi enim *studiumque doctorum:* vel ad studium sapientiæ initiati, literalem ac liberalem sensum historiæ conjungebant atque ad naturæ sacramenta transferebant, *Theologia naturalis apud Ægyptios;* unde scilicet Theologia seu Philosophia naturalis exoriebatur; vel secundò, in disciplina sapientiæ perfecti, aut præfecti, commenta deorum cum ad naturam tum ad mores τροπολογικῶς traducebant, *itemque Moralis;* unde Theologia moralis seu Ethica existebat; vel, demum, in altissimo dignitatis gradu constituti, ut sacerdotes, ac tam in naturæ morumque scientia absolutissimi, quàm altioribus studiis evecti, relationes de diis sublimi quadam & anagogica interpretandi ratione & mysteriosa repræsentatione *& Mysteriosa.* ad mundum illum Archetypum & intelligibilem deflectebant, unde sacra illa Ægyptiorum sapientia, cujus nobis veluti fragmenta quædam supersunt, profluxit; hi omnes inquam, fabularum commenta symbolice & mystice tractabant ac contemplabantur. Et nihil quidem tam vile aut contemptibile erat Ægyptiis, quod non ad mysticas rationes revocarent: *Ægyptii mysticæ rationi supra modum dediti.* unde in quàm plurimos Tauticum illud oraculum, inter ipsos celeberrimum, convenire potuit, *Phtas tibi locutus est*; his tamen præ cæteris aptum, quos arcana quadam sublimium rerum notitia conspicuos, dum talia, quæ ingenii humani metas superant, proferrent, Phtas, hoc *Phtas numen.* est, Numen illud reconditæ sapientiæ præses, afflatu suo agitasse videbatur. Inde nempe ipsi Numinis quadam attractione aut habitu id consecuti dicebantur, ut, per mysteriosa & à vulgi in- *Phtatica dogmata.* tellectu longe remota epiphonemata, posteris divinorum mysteriorum, humanarum instructionum dogmatis referta, funderent oracula. Quæ quidem, tametsi à paucis penetrata fuerint, tanto tamen nullo non tempore in pretio fuisse legimus, ut è Sapientum numero non haberetur, qui Phtaticis hujusmodi effatis non ritè fuisset imbutus. Sed ut Ægyptii præ cæteris mortalibus primi hujusmodi philosophandi rationi inhæserunt, ita inter effata mystica memoriæ prodita, præcipua fuerunt Zo- *Effata Zoroastrea,* roastrea oracula sive λόγια, ut vocantur Platonicis; quæ primo linguâ Chaldaica conscripta, posteà vel à Beroso, vel à Iuliano philosopho, aut aliis Græci juris facta, ad nos sparsa pervenerunt, Oedipo autem ex Platonicis præcipue *Oedipo collecta,* philosophis Psello & Plethone collecta in unum corpus, & ad certas materiarum classes reducta atque explicata, non tan- *quem in finem.* tum ut ostenderet, hæc ipsa cum operibus Hermeticis, sive stylum spectes, sive placita, rerumque tractatarum argumenta, ex uno fonte profluxisse; quod de authore suo multum inter authores quæ-

quæsito arguit optimè: sed quo demonstraret, omnia hujusmodi gnomica Symbola nihil aliud esse, quàm hieroglyphicas quasdam systases ex Mercurii columnis depromptas; & proinde, si quid heterodoxum in hieroglyphicis deinceps occurrerit, non suo id sensu, sed è mente Veterum ita assertum esse, Lector candidus probè notet. Sequuntur, post illa Zoroastri jam dicta, Orphei effata, primi ex omni Græcia discipuli Ægyptiorum, quod supra attigimus, Cadmi nimirum & Phœnicis synchroni; quem, natione Thracem, patria

*Orphei notitia inter doctos:*

Libethræum, filium Oenagri & Calliopes, nonnulli dicunt fuisse Lini discipulum, aliis tamen id negantibus; per parentes verò jam dictos eundem distinguunt ab illo Orpheo Oeagrio, qui Argonauticæ expeditioni adfuit, de qua historiam scripsit.

*F us mythologia.*

Est verò Orphaica Mythologia nihil aliud nisi quædam divinioris philosophiæ portio.

*Symbola Pythagoræ.*

Sunt & Pythagoræ, tertii Ægyptiorum discipuli, symbola; sunt & effata mythologica

*Effata Græcorum, apud Oedipum.*

Græcorum, ad mentem veterum Oedipo explanata: quæ cuncta, cum instituti nostri modum excedant, Oedipo reliquimus, Tuæ diligentiæ, dilecte Lector, nihil non interpretanti; nos autem ad prætentatas fabulas sive historias deorum breviter perspiciendas progredimur.

*Historiæ fabulares Ægyptiorum, notissimæ, sed quibus nullæ ignorabiliores.*

Ajunt Ægyptii, teste Plutarcho, Rheam furtim in Saturni complexum venisse, & mox unà cum Sole congressam: sed quasi prægnatione damnatam, neque mensem, neque annum quo pareret invenisse; Mercurii quoque amore captam, cum eo concubuisse: subinde autem cum Luna ludentem Astragalis diei cujusque septuagesimam abstulisse.

*Rheæ graviditas, partusque.*

Et ex his dies quinque confecit, eosque CCCLX convinxit; hos jam Ægyptii ἐπαγομένους, sive superinductos, & deorum natales vocant. Nam prima Osirim genitum ajunt, quo nato, teste Diodoro, vox audita, omnium dominum in lucem prodiisse: alii Pamylem quandam celebrant, quum Thebis è Iovis templo aquatum egrederetur, audisse vocem, qua jubebatur magni Regis & Benefactoris Osiridis proclamare nativitatem; quæ cum Osiridem educasset, in ejus postea memoriam Pamyliorum celebritatem instituit.

*Osiris genitus;*

Secunda die ajunt genitum Aruerin, quem alii Apollinem, alii seniorem Horum appellant.

*Arueris-que,*

Tertia Typhonem, neque tempore neque loco, sed è costa vulnere adacto exiliisse comminiscuntur.

*& Typhon,*

Quarta Isim in Panygris, hoc est publicis conventibus editam.

*cum Iside,*

Quinta Nephtem, quam mortem, & Venerem, quidam Victoriam etiam suspicantur.

*ac Nephte.*

Nephtem autem & Typhonem conjungunt. Osirim vero & Isim antequam materna alvo prodiissent, mutuo se amasse, ac simul concubuisse proditum est, ex quo concubitu Horum, seu Aruerin genitum vult Manethon apud Plutarchum.

*Osiris & Isis antequam editi congressi sunt.*

Porrò Osiridem toto peragrato Orbe, rerumque utilissimarum inventione clarissimum Græci postmodum vocarunt Dionysium, quem, ob efficacissimam vim dicendi ac persuadendi, pingere solebant cum catena ex ore ejus producta ad aures auditorum;

*Osiris dictus & Dionysius, eloquentia potentissimus,*

unde & fabulam de Hercule Ogmio ortam tradit Plutarchus; quare clava ei oleaginea attributa, Herculem eum assignabant.

*nec non Hercules.*

Osiride verò peregrinante, nihil novarum rerum Typhon molitus est, quum Isidis cura assidua adversus machinationes illius excubaret. Sed in redeuntem Osiridem, ac rerum gestarum gloria Orbi jam conspicuum Titanes cum Typhone, invidia stimulato, conspiraverunt, erantque omnino LXXII conjurati, accedente quoque Asonis, Reginæ Æthiopum, ut Mnaseas refert, auxilio.

*Typhonis motus rebellis;*

Vt insidiaretur igitur Osiridi, corpus illius clam dimensus Typhon, ejusdem magnitudinis arcam construxit, quæ, mirâ arte & ornatu, quum in convivium à Typhone allata esset, omnes in admirationem rapuisse dicitur. Quasi jocatione autem Typhon recepiebat, illam se dono daturum ei, ad cujus corpus conveniret.

*ejus dolo Osiris includitur arcâ.*

Omnes proinde convivæ periculum ejus rei quum fecissent, nullique apta esset, tandem & Osiridem ajunt ingressum; quo facto omnes conjurati occurrentes operculum injecere, clavisque violenter adactis, liquenti etiam plumbo perfudere, & ad flumen devectam per os Taniticum in mare dejecere, quod ostium etiam nunc invisum & detestabile nuncupatur; & hæc quidem facta memorant

*Os Taniticum, detestabile Ægyptiis.*

*Quo tempore turbatum:*

rant XVII Menſis Ἀθωρ, cum Sol Scorpium permearet, & Oſiris annum jam XXVIII regno potiretur: cum vero Panes & Satyri, qui circa Chemnim accolunt, omnium primi rem geſtam reſciviſſent, & derepente magnos tumultus, qui adhuc Panici vocantur, exciviſſent,

*Panes tumultum cientes:*

Iſis hæc audiens, protinus capillos totondit, & lugubrem ſtolam induit, ex quo Vrbi Copto nomen adhuc manet; quamvis alii per hoc nomen, ἀπὸ τοῦ κόπτειν deductum, privationem ſignificent: tum omnium inops, omnia late pererrans neminem prætermittebat, quem de Oſiride non percunctaretur, quin & pueros ſuper arca rogabat, quorum aliqui rei geſtæ conſcii, quid de illa factum, prodiderunt. Hinc vim præſagiendi pueris ineſſe ſuſpicati ſunt, eorumque divinationem obſervant dum ludunt, garriuntque in templis ſine diſcrimine quidquid in mentem venit. De abiegna etiam corona reſcitum eſt, quem apud Nephten Oſiris reliquerat.

*Iſis queſtum.*

*Copti nominis origo.*

*Iſis Oſirim quærit.*

*Puerorum animus divinans.*

*Anubis.*

Aliqui etiam puerum, ex quo Iſis rem intellexit, ſub Anubis nomine coli putarunt, quem natum Nephte tradunt. Et illam quidem timore Typhonis correptam, ante maturitatem puerum ejeciſſe potius quàm peperiſſe, atque ita diis cuſtodem additum, ceu canes mortalibus adhibentur. Intelligens ergo Iſis fluctibus marinis arcam Byblum impulſam, atque ibi pulcherrimum tetradicis germen forte obviam eam amplexum eſſe; cujus magnitudinem rex admiratus id pro fulcro tecto ſuppoſuit; omnia divino quodam famæ nutu reſciſcens. Iſis itaque Byblum profecta, neminem alloquebatur, ſed in lacrymas reſoluta, ad crepidinem fontis reſedit; ejuſque pulchritudine, officioſa ſedulitate & ſapientia perſpecta, regina Bybli in nutricem infantis regii accerſiit; cujus illa puerum alens loco mammæ digitum in os ejus inſerebat: ac tandem miris geſtis ſuis in deorum album relata, tectum aſcendit; cæſamque undique tetradicem auferens, linteo, unguentoque aſpergens Regibus tradidit. Quod & in hunc diem, ut Manethon ait, in templo Iſidis apud Byblos aſſervatur, coliturque. Iſis verò arcam navi imponens, Phœdrum flumen indignata, quod ſub auroram vehementius fluctuaret, exſiccavit.

*Nephtis immaturus partus.*

*Ad Byblum arca tetradice retinetur:*

*Ibidem Iſis fletibus natans gratiam ſibi regum trahit;*

*inter deos refertur;*

*arcam cum Oſiri reducit.*

Sed cùm ad filium Horum, qui in Buto alebatur, profecta eſſet, Typhon noctu in venationem exiens, corpori Oſiridis accurrens, in XIV partes diſcerptum abjicit. Quod cum Iſis reſciviſſet, ea fruſta per paludes baride, ſeu papyracea, nave perquiſivit (quare navigantes hujuſmodi cymbis minimè à crocodilis, Deæ memoriam timentibus, lædi tradunt;) ſed cum inventas partes ac diſperſas minimè reperiret, potiſſimum pudendum, quòd à Phagro & Oxyrrhincho* devoratum, ex cera phallum finxit, ſtatuaſque effigiavit, quas ſacerdotibus colendas tradidit. Hinc phallophoria Ægyptiorum celebritas originem invenit.

*Typhon triſtiori caſu iterat cladem.*

*Baride navigantes non impetit crocodilus.*

** Ideo ſcilicet abſtinent piſcibus, præſertim harum generum.*

*Phallophoria Ægyptiorum unde ſit.*

Quin & Oſiridem ferunt aliquando ab inferis redeuntem cum Horo exerceri, & belli munia obire conſueviſſe: à quo Horus aliquando interrogatus, quid pulcherrimum æſtimaret, reſpondiſſe dicitur, parentes injuria affectos ulciſci; tum & illud percunctatus eſt Oſiris, quodnam animal ad bellum deſcendentibus commodiſſimum putaret, eum verò equum reſpondente, Oſirin admiratum, quòd non leonem potiùs quàm equum dixiſſet, ſed Horum cauſam ſubjeciſſe: Leonem enim auxilio indigenti potiorem; ad fingendos verò, deprehendoſque hoſtes equum magis præſtare.

*Oſirin aliquando ad ſuperos & Horum filium rediiſſe.*

Ad Horum etiam aliquando dicitur acceſſiſſe Thueris Typhonis pellex, quam ſerpens perſequebatur; ſed hunc miniſtri Hori occiderunt. Quare in ſignum & nunc funiculum in medium jacientes fruſtillatim comminuunt. Iuſta etiam pugna Horus Typhonem ſuperavit, quem vinctum Iſidi tradidit, ſed illa ſolutum dimiſit; quod Horus inique ferens matri manus injecit, & coronam detraxit, cujus vice Mercurius galeam ei è calvaria bubula attulit. Fertur autem Iſis ab obitu cum Oſiride concubuiſſe, ex eoque gemellos concepiſſe, Helitomenon, & inferioribus membris luxatum Harpocratem, quem alii cum Horo confundunt. Cætera de divinis honoribus ei affictis hic dicendi locus non eſt. Hæc ferè ſunt capita fabularum, quæ ex Plutarcho, Diodoro, Syneſio, ad verbum pene deſcripta ſunt: nunc quid ea ſibi velint, videamus.

*Thueris pellex Typhonis liberatur per Horum à ſerpente.*

*Horus Typhonem prælio devicit,*

*Iſidemque coronâ ſpoliat.*

*Natos Helitomenon & Harpocratem.*

Et quoniam explicandis his, qualibus quali-

qualibus, narratis veluti fundamento *Fabulæ ad quid.* pleræque hieroglyphicorum explicationes innituntur, de iisdem paulo uberiùs dicendum est. Pertinent autem fabularum significationes ad philosophiam vel naturalem vel moralem. *Philosophia naturalis dispertita:* Physiologia verò cum sit aut substantiæ & qualitatis, aut variæ demum quantitatis, ad utramque partem applicari fabulæ queunt. Ad primam sapientiam principio dirigam gressum, quantoque possum compendio absolvam. *primus ad Metaphysicam itus.* Equidem maxima his fabularum figmentis mysteria de Deo, de mundo, de Angelis, & Dæmonibus, ad anagogicas explicandi rationes confugientes exprimere, Iamblicho teste, conati sunt: dignum enim haud rebantur, ea quæ vel ex natura sua *Naturæ imperfectæ, aut morali pravitati divinitatem non dedisse sapientes.* imperfecta sunt, aut ex diversis composita speciebus, vel quæ corruptioni, aut etiam pravitati, ut affectionum libidinosarum, invidiæ, timoris, obnoxia essent, huic quod intellectu concipi potest optimum, nobilissimum, atque excellentissimum, Divinitati nimirum, affingere; & iniquum procul dubio reputarunt tanti philosophi, vel salacem Apidem seu Mnevium Taurum, Mendesiorum Hircum, immanem crocodilum, insensatum & vita carentem Nilum, olerave hortorum, aut similia, numina facere, quæ non tantum res sacras in risum ac contemptum vocabant, sed mentes aliorum merâ & intolerabili superstitione, variisque dæmonum imposturis implicabant, aliorum autem in ferinam impietatem, ac conclamatam peccandi licentiam trahebant. Et credisne vel ἱερακόμορφον illud, aut κυνοκέφαλον, vel simile aliquod πολύμορφον simulachrum Deos habita? Deos equidem Typhonis vim formidare & ideo in diversa transformari, Ibidum, aut Canum, tum Accipitrum vel Vaccarum corpora induere, omnes fabulas, omnia excedit portenta. Nequaquam ergo existimandum est, sapientissimos Ægyptiorum sacerdotes hisce aut quicquam tribuisse, *Res fabulosas in symbola venire.* aut falsâ quadam opinione persuasos quicquam Divinitatis inesse sensisse; sed iisdem veluti symbolis quibusdam fuisse usos in sublimium rerum sacramentis, ad celandos scilicet & excludendos profanos. *Apertum de Ente summo lumen naturâ.* Tantum enim lumine naturæ valebant, ut fieri non posse crederent quin illud ens, quod nos Deum dicimus, infinitum, incorruptibile, immobile, & unum sit, ut ex Zoroastre, Trismegisto, & omnibus ab iis authoribus Ægyptiis, Græcis atque aliis patet. Altius vero sapienti Tibi, Lector *De fabularum usu sententia S. Patrum, Tertulliani,* exoptatissime, apponit Reverendus P. Kircherius, noster, sententiam summorum tam sapientia quam pietate meritisque virorum: Tertulliani primò, qui Ethnicos indicat, ubi fabularum quas de diis commentabantur, pudebat ad naturalium rerum interpretationem, dedecore fabularum ingenii lusibus adumbrato, confugisse. Vnde quàm gravissima est, omni divinæ veritatis & sanctitudinis pondere, sententia *Lactantii.* Lactantii, hanc Satanæ in angelum lucis se transfigurantis, ad mortalium animos excæcandos, versuram inventionem fuisse. Nam cùm doctis viris nequaquam sufficientem videret Poëtarum authoritatem, ad falsas de diis opiniones comprobandas, ansam præbuit immorandi, ingeniumque exercendi circa moralia & physica interpretamenta, ut hoc saltem nomine inania illa deliramenta, quæ antiqua confixerat superstitio, ad infimæ sortis hominibus imponendum, neutiquam damnarent.

*Vnum numen, non plura credita:* Vnum igitur deum cum dicerent ens necessarium, æternum, infinitum, [quod per circulum intelligebant immensum, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam, à quo, & in quem, quidquid est, prodit & revertitur] deorum pluralitatem non adstruxisse autumo, plura principia præter unum esse, ἀδύνατον professos. *Quo argumento.* Naturam eam esse naturantem seu essentiam essentias omnes producentem, productas sustentantem, sustentatas recipientem, quam indefessâ atque infinitâ potentiâ agere, motus atque ordo per tot secula æqualis in tanta ac tam multiplici machina eos docuit: finita enim potentia, ut rectè Aristoteles docet, *Philosophus lib. 4. Physs.* tempore finito sive infinito motum sine fatigatione continuare nequit. Ejus itaque potentiæ virtutes & perfectiones Ægyptii sapientes subobscure per Osiridem, Isidem, & Horum indicare voluerunt; ut ex Iamblicho, *Iamblichus.* de Myst. Ægyptior. Lectori luculente paret, diversitate nominum, quæ Deo affingebant, diversos unius

*Ægyptiorum modum philosophiæ esse secundum Hebræos.*

Dei in mundo producentis effectus innuisse, edoctos nimirum ab Hebræis & Chaldæis, quod sentit Oedipus, qui omnes Dei effectus notabiles totidem nominibus exprimebant. Et proinde nihil aliud significare nomina illa in libris Mercurii, deorum Phta, Amun, Emepht, Ichthon, exploratum est; & liquido dicimus, Osirin supremum illum rerum omnium Archetypon intellectum esse, Isidem vero [quam vi nominis prudentem naturæ progressum significare, ex Plutarcho Oedipus refert] ejus providentiam & amorem, omnia moderantem & disponentem; quorum virtute Horus Apollo natus est, sensibilis ille mundus & admirandus rerum omnium concentus atque harmonia; quod aliis olim sub fabula Harmoniæ mystice indicatum, quæ nimirum ex Marte & Venere nata dicebatur, ob similium rerum cum dissimilibus convenientiam, & latentium causarum consensum dissensumque, in quibus sola mundi pulchritudo & musica consistit.

*Phta, Amun, Emepht, quid significent: Quid Isis. Fabula Harmoniæ expressa.*

*Osiris quid sit.*

Osirin autem Archetypum intellectum esse, ostendit ipsum nomen; quod pulchre sane ideo πολυόφθαλμον significare traditur, hoc est, multioculum, ob multiplices nimirum virtutes & operationes, quas exercet, & divinorum radiorum omnia penetrantem potentiam; atque ob eandem causam Osirin ipsum Solem esse, atque Isidem Lunam, imaginem Solis, ejusque in ordine ad Horum genitum influxu suo conservandum, coadjutricem dicebant. Sicut enim lumen solis idem totum continuum est ubique, neque in partes dividi potest, neque alicubi claudi, neque à fonte proprio separari, neque, licet ei adsit, aëri misceri: ita Dei lumen totum individuum, toti mundo penitus adest, licet parti cuidam præcipuè vim suam sibi accommodatæ impertiat. Interea tamen omnia quodammodo implet, ob perfectam potentiam, & dominium in omnia penitus immensum. Vnde perficit omnia, unitque cum extremis extrema per media comprehendens in se omnia, & se ad se reflectens sibi prorsus unitum; quod quidem munus imitatur & mundus, circulari motu, partiumque in unum connexione & conciliatione quadam, elementa vicissim in elementa, virtutemque superiorum ad inferiora mittente. Quod autem de lucido fonte Solis seu Osiris dictum est, de Isidis sua Lunæ quoque lumine intelligatur; quum illa, uti diximus, amans & prudens progressus primi intellectus seu Archetypi sit, quo mundus, seu Horus nascitur & conservatur: quæ quidem semper inseparabiliter sunt connexa: qui enim videt Lunæ lumen, videt & Solis, à Lunæ radiis indistinctum, quoniam Luna lucens nihil nisi reflexum Solis ad nos fert. Similiter qui videt Sapientiam, providentiam & amorem Dei in hoc mundo elucescentem, ipsum Deum videt: quum teste Dionysio, omnes res creatæ nihil aliud quàm specula quædam sunt, Divinæ sapientiæ radios ad nos reflectentia.

*Osiris, & Isis Soli & Lunæ comparati. Hunc solem, verum illum referre, cuncta qui fert solus: Eundem & orbem hujus mundi: Lunâ à Sole illuminatâ quid tibi renideat. Quid rebus in omnibus.*

*Osiridis peregrinatio quid involvat.*

Hinc Ægyptii sapientes, Osirin rerum cura commissa Isidi, totum mundum incognitum peragrasse finxerunt; quo quid aliud significatur, nisi virtus Dei invisibilis, intima quævis penetrans? Isis enim seu Sapientia Dei & Providentia in rebus omnibus apparet; intellectus verò à quo procedit, seu Osiris invisibiliter omnia movens, non nisi per imaginem ejus in Iside expressam apparet. Hæc omnia quàm perspicuis illustrat Plotinus: *Mundum*, ait, *hunc sensibilem, si quis admiretur, magnitudinem, pulchritudinem & perpetuum motus ordinem considerans, & Deos qui sunt in eo alios visibiles, alios invisibiles; Dæmones etiam atque animalia, plantas, cæteraque omnia, ad primitivum exemplar mente ascendunt, & ibi cuncta intellectualia contemplentur, eorumque omnium æternam mentem atque sapientiam præsidentem:* Et paulo post: *Quis igitur hunc genuit? ille simplex scilicet, qui in ordine ante hunc est, qui causa est ut ille sit, & tantus sit, qui numerum facit. Non enim numerus primus est, ante dualitatem enim unum est; deinde dualitas est ab uno nata.* Et post aliqua, iterum: *Amat autem omne quod genuit, & maximè quando sola sunt generans & generatum. Quando etiam optimum est illud quod genuit, necessario cum illo est, ut in eo solummodo, quod alius est, separetur. Ideo Plato quoque terna omnia esse circa Regem dicit; primum circa prima; deinde circa secunda; & tertia circa tertia, ipsam quoque causam rerum patrem habere dicit, causam rerum intellectum appellans; Crea-*

*Plotinus, libro III de Hypostasibus.*

*Creatorem enim intellectum eſſe cenſet , & ab hoc animam eſſe creatam in illo cratere. Cum itaque cauſa intellectui ſit ipſum bonum quod ultra intellectum & ultra ſubſtantiam eſt , patrem ejus appellat , multis autem in locis ipſum ens , & intellectum ipſum ideam nominat.* Hæc ille : juxta quæ Zoroaſter , apud Numenium Deum dicit, per Sapientiam & Amorem ſuum omnia produxiſſe. Quibus calculum album adjiciunt Thargum Hieroſolymitanum , ubi loco verborum Geneſios primo : *In principio creavit* , &c. legitur : *In ſapientia creavit Deus cœlum & terram.* Hinc in arbore Sephiroth apud Cabaliſtas , tres proprietates Deo affinguntur , quibus illum omnia feciſſe memorant , ſuntque Corona, Sapientia, Intelligentia , quas Rabbi Abraham in Iethſirah appellat Numerantem, Numerum, & Numeratum, quæ tria exacte reſpondent tribus ſupra citatis nominibus , *Amun, Phtha* , *Emepht.* Quemadmodum enim Hebræi אין סוף illud ſuum בלי תחילה הראשית אב סבה הסבות ſine principio cauſam cauſarum ſtatuunt. Ita Ægyptii *Emepht* primum intellectum , Opificem , quem & in ſecunda cauſarum ſenſibilium ſerie per Oſirim ſeu Solem præfigurant. Rurſus , uti Hebræi חכמה Sapientiam dicunt mundi creatricem ; ita Ægyptii Sapientiam intellectus primi vocant *Phtha*, quo nomine Iſis Mercurium conſiliarium appellat, quin & ipſum Iſidem vocant , quæ eſt plena Oſiridis , primique intellectus imago ac exemplar ; quam ideo Orpheus nec inconvenienter Palladem dixit , alii verò ex cerebro Iovis natam eſſe. *Amun* demum , quod reſpondet Hebræorum בינה ſeu intelligentiæ , eſt utriuſque vis activa ad extra , qua producitur mundus, Horus. Vnde varia iſta ſchemata ſupellectilis hieroglyphicæ , quibus Horum Hieromanthæ paſſim exprimebant : quale eſt illud , quod in Menſa Iſiaca proponitur in quo Horus videtur puerili figura ac ſtatura , in rete haud rarum quaſi involutus , manibus lituum ſeu ſceptrum cucuphomorphon, h.e. Vpupæ capite inſignitum, tenens, & præterea gnomonem in dextra ; ſiniſtra lituum ſtridulum nempe ac ſonorum

*Zoroaſter.*

*Thargum Hieroſolymitanum.*

*Cabaliſtæ in arbore Sephiroth.*

*R. Abraham.*

*Hebræorum & Ægyptiorum Sapientiæ parallela comparatio:*

*Et Græcorum.*

*Symbola Hori:*

comprehendens ; à tergo vero triangulum collo revinctum gerit , cui ſubnexus eſt globus. Hujus ſchematis explicatio particulatim hæc eſt : juvenilis habitus ſignificat quod mundus hic ſenſibilis perpetua generationis ſucceſſione quotidie veluti refloreſcit ; veſtis reticulata , in quam veluti inſutus eſt , mundum reconditis earum , quas continet, rerum ambagibus involutum difficulter perſpici denotat ; baculus cucuphomorphus ad magnam rerum varietatem deſignandam eſt ; gnomone autem earum apta connexio & exacta rectitudo, lituo harmonia omnibus numeris abſolutiſſima exprimitur ; triangulus , cum circulo ſubter , vult ſibi , mundum hunc archetypum illum authorem habere.

*Eorundem explicatio;*

*Quid habitus pueri inferat.*

*Rete pro veſte.*

*Sceptrum cum upupa ,*

*gnomon,*

*lituus,*

*trigonus.*

Horum proinde ab *Empht* per *Phta* & *Amun* productum , Plato ſtudioſus Ægyptiorum diſcipulus demonſtrat, dum mundum hunc ſenſibilem ex Archetypo illo Trigono profluxiſſe aſſerit; quod inter cætera Hori ſymbola trigonus cum globo, luculenter indicat, qui aliàs

*Platonis de Horo ſenſus.*




*Figura triquetra Hori explicatio.*

quoque erectus pingi ſolet, & ut ſupremus angulorum Oſiridem ſive Hempht, hoc

hoc est Intellectum supremum significet, alter, à dextris, Phta, sive Sapientiam, & exterior demum, Amun, nempe utriusque virtutem activam: hinc vero circulus promittatur, Horum sive Mundum ab illis productum indicans. Atque ex his facile unicuique apparet, Sacrosanctam & æternum laudatam Triadem, Fidei Christianæ mysterium termaximum, nullo non tempore etiam sub obscuris fabularum figmentis adumbratam esse. Hæc de Osiride, primo æternitatis intellectu, & Sole verò, deque Iside, dicta illius sapientia, & utriusque producto filio Horo, Hieromantæ variis Hieroglyphicorum schematismis indicarunt, quemadmodum columnæ multis in locis erectæ testantur; ex quibus sequentem consideres:

*Quo tendat hoc de Osiri sapientia:*

*Exempla in monumentis.*

ΙΣΙΣ

| | | |
|---|---|---|
| Ego | ΕΓΩ ΕΙΜΙ | Isis |
| omne | ΠΑΝΤΟ ΓΕ | quod erit |
| est | ΓΟΝΟΣ ΚΑΙ | & |
| fuit | ΟΝ ΚΑΙ ΕΣΟ | & |
| meum | ΜΕΝΟΝ ΚΑΙ | pe- |
| plum | ΤΟ ΕΜΟΝ | nemo |
| mor- | ΠΕΠΛΟΝ | ta- |
| lium | ΟΥΔΕΙΣ | unquam |
| re- | ΤΩΝ ΘΝΙ | texit. |

ΤΩΝ
ΑΠΕ
ΚΑ
ΛΥ
Ψ
Ε
Ν

Quæ dicta sane apprimè æternæ Dei Sapientiæ congruunt; Intellectus autem supremam sapientiam generans, pulchro hieroglyphico prænotatur in Mensa Isiaca, quam Tabulam Bembinam quare diximus supra indicamus: ubi præter hieroglyphicas inscriptiones *Osiris* seu *Hemphta* apparet, accipitrina facie mirabilis, quâ nimirum supernum oculum Archetypi intellectus notant; tabulamque ad formam calathi compositam ferens, cui Perseæ fructus insertus, quod potentiam fœcunditativam, & intellectus quoque [cujus domicilium in capite est] fœcunditatem indicat; velo præterea nigro cingitur caput, ad indicandam naturæ divinæ caliginem inaccessam; manuum autem unâ protensâ significatur imperium in universâ; alterâ, quæ sceptrum gerit sive lituum desuper incurvatum, influxiva in omnia superiora, hoc est, cœlestia, potentia exprimitur; sedi demum fingitur insidere variegatæ, quod authoritatem in omnia inferiorum mundorum demonstrat. Horum etiam aliquando in cubo stantem proponunt, ad mundi stabilitatem effingendam; manus altera cornu copiæ sustentat, quod infert notam varietatis, abundantiæ & plenitudinis rerum in Mundo creatarum; altera verò digito labellum compescens silentium prodit ad ineffabilia mysteriorum mysteria indicanda.

*Ex tabula Bembina Supremi Osiris figura explicata:*

*Ejus Accipitrina facies, Calathus in vertice,*

*Velum caput obvolvens,*

*Manus ambæ,*

*Lituus,*

*Sedes variegata.*

Porrò quòd Osiridem à Typhone in partes discerptum & arca inclusum fingant, sua quoque nequaquam caret significatione. Nihil autem aliud hisce indicari voluisse, videntur, nisi intellectus humani ignorantiam & tenebras, qui cùm ineffabilem illam & simplicissimam Dei essentiam, ingenii viribus comprehendere non valeat, per analogias & similitudines rerum creatarum, quæ Horatio dicuntur quædam auræ divinæ particulæ, eum cum rebus corporeis, corruptibilibus & imperfectis confundendo, quasi in partes quasdam distrahere videtur. Fuit enim hoc, teste Porphyrio, Ægyptiis solenne, ut supremum illud numen cum eo animali, in quo eximia quædam vis & proprietas elucesceret, compararent. Hinc Zoroaster Deum accipitris caput habere dixit, non alia de causa, quàm ut infinitam perspicacitatis vim in Deo vigentem indicaret; quod symbolum in hunc diem superstes, apud Ægyptios receptum fuisse videmus, hominem videlicet ἱερακόμορφον, qualis figura jam nobis descripta est. Hinc tot multiformes Deorum imagines, ac simulachra; quæ quidem nihil aliud, quam multiplicem Dei

*Quid in Theologia Ægyptiorum Osiridis occisio.*

*Zoroaster.*

*Figuræ multarum formarum in diis, quid significent.*

*Quibusnam peccatis Osiris discerpatur.* Dei virtutem diversis animalium proprietatibus adumbratam notant. Distrahitur igitur Osiris in partes, cùm per ignorantiam intellectusque caliginem Deum, cum rebus creatis eum confundendo, rebusque corporeis applicando, id quod ei non convenit nec convenire potest tribuentes, veluti ex toto in partes distrahunt. *Plato de plurativo Deitatis numero.* Siquidem recte Plato dicit, Deo pluralitatem nequaquam convenire, cùm omnia, quæ multitudinem important, ab unitate recedentia, tanto sint imperfectiora; tantoque pejora, quanto ab ea magis recedunt. *Quibus factis arca includatur Osiris:* In arca Osiris concluditur à Typhone, cum intellectus hominum cupiditate rerum terrenarum ac carnalium obscuratus, cœlestium rerum divinarumque amori & contemplationi nuntium mittens, sibi ipsi obstaculum ponit, seque incapacem reddit ad divinos Osiridis radios percipiendos. *quibusve requiratur.* Quæritur autem Osiris perditus per Isidem, & inventus mutilatusque in integrum restituitur hoc est, per veram sapientiam & amorem, cum sistris, id est, crebris laudum canticis, inde in creaturis, veluti per partes quasdam dispersus, recollectus, ac in vera fide adoratus, unitati suæ restituitur. *Fabularum consideratio ad fidem Christianam.* Quo facto, mox ingens menti exoritur jubilus, quæ per Ægyptiorum ceremonias non inconvenienter in celebri illa Osiris inventione repræsentatur. Ex dictis vero patet, quàm hæc concinne ad fidei nostræ mysteria applicentur, nisi angustia loci prohiberemur, aut si fabularum gentilium, utcunque sint ingeniosæ, vilitatem, quod toto animo sentio, divina castitas & dulcissima sanctitas mysteriorum Iesu, regis nostri admirabilis, & triumphatoris nobilis, gratia & veritate repletorum, unquam advocasset aut usurpasset. Tantum igitur de arcana sapientia Ægyptiorum, quæ sub fabularum, ut ita dicam, insipientia, & vulgaritate latebat, & doctissimis tantum, neque ullis aliis apparere poterat, dixisse sat est.

*Reditus ad mysteria physica.* Procedimus jam in expositione nostra fabularum, sive historiæ regum Ægyptiorum, ad physicam scientiam, sub velamine tali reconditam, Oedipo præeunte reserandam. Bene nempe Archemachus Euboicus, antiquus Græcorum scriptor, ubi multa de antiquis Deorum nominibus dicit, tandem totam quoque Osiridis historiam ad naturam traducere conatur; atque sicut apud Græcos Saturnus nihil aliud quàm tempus, Iuno aër, natalis autem Vulcani, aëris in ignem mutatio: ita apud Ægyptios Serapim non alium quàm Plutonem, nec aliam Isidem quàm Proserpinam esse; Osirin autem Nilum, & Isidem terram, & cujus quanta pars Nilum admittat & cum eo admiscetur, tantum fertilitate commendatur. Typhonem verò pro mari venire, in quod Nilus sese exonerans consumitur & aboletur. Astipulatur huic Macrobius, qui ait Saturni causa (sic enim mare vocant) quotannis luctum renovari: ideoque Pythagoras mare Saturni lacrymam appellat. Ortum autem ajunt Ægyptii Nilum in læva, perire in dextera: nimirum quia ab austro [ubi Mundi lævam esse putant, sicuti qua spirat Boreas, dexteram, & qua Sol oritur faciem] profluens in boreali tractu se mari miscens absorbetur; ac ideo sacerdotes mare, & ex eo ortum salem, quem Typhonis spumam appellant, aversantur, ut & nautas, velut Typhonis filios, crudeles, & uti sunt plerumque, inhumanos. Piscem verò in tantum oderunt, ut pro odii habeatur hieroglyphico, teste Clemente Alexandrino. Porrò qui præstant inter sacerdotes sapientia, non modo Nilum Osirin, & mare Typhonem, sed omnem vim humiferam Osirim dicunt, atque eum hoc ipso cum Dionysio confundunt, quam causam dixerunt generationis & maturationis primigeniam: Typhonem verò contra quicquid squalidum, igneum, exsuccum humiditati reluctatur, vel quod fœcundæ humiditati Nili vi sua siccativa & adustiva, ut Boreales venti, nocere solet: quare & Typhonem rufo corpore natum ajunt, neque admodum probant cum rubentibus facie conversationem. Osiridem rursus nigro colore fuisse tradunt, quod id sit aquæ ingenium, ut per ejus infusionem terræ, vestes, nebulæ cæterique colorum nigrantes magis sint. Atque ob eandem causam & bos Nevis ab Heliopolitanis cultus, nigro colore afficiebatur: sed & ipsam Ægyptum, quam ob fertilitatem ac terræ pinguedinem μελάγγειον hoc est vas nigrum

*Saturnus, Iuno, Vulcanus, apud Græcos.*

*Serapis, Isis, Osiris inter Ægyptios.*

*Sal rapidum Typhonis imago.*

*Mundi, animalis crediti, constitutio.*

*Sales in cibis aversantur Ægyptii:*

*Nautasque, & pisces.*

*Osiris pro omni vi humifica.*

*Typhon pro squalida & efferata materia:*

*hic quali corpore,*

*quove Osiris.*

*Bos Heliopolitanorum.*

*Ægyptus χημία dicta:* grum dicere possumus, χημίαν appellant; quam tamen pupillam oculi interpretatur Plutarchus, eò quod, sicut pupilla rerum species repræsentat, ita & Ægyptus: quanquàm alii hac voce cor significent. *quo habitu loci sit.* Est enim Ægyptus calida & humida atque in australibus mundi partibus posita, quas lævum latus dici jam monuimus, & ad lævam quoque situm est cor in humano corpore. *Solem non rota sed rate vehi.* Solem item ac Lunam, Eusebio teste, non curribus, sed navigiis, ab humido scilicet eorum alimentum generationemque arbitrantes, circumferri existimabant. *Humidum omnium alimentum;* Hinc Homerum & Thaletem Ægyptiorum edoctos disciplinis, aquam omnium principium sensisse, refert Gyraldus. Imo Osirim cum Neptuno confundentes, Oceanum, Isin verò cum Thetide, tanquam alentem educantemque omnia credunt. *& Osiridis esse effluxum.* Testatur autem Eudoxus, Ægyptios non Nilum duntaxat, sed quicquid humidum est Osiridis effluxum putare, id quod significare volunt vase aqua pleno, ei sacro die pro foribus posito. *Θρῖον humorem Ægyptiis denotans, aliàs & Regem, & plagam australem.* Porrò Humidum, principium generationis, folio ficulneo, quod & membri genitalis similitudinem habet, & propinationem seu inventionem humoris significat, notabant; unde ab hoc folio & phallophoria originem traxisse ajunt, & fabula de pudendo Osiridis à Typhone in mare conjecto. *Apopis Solis frater.* Dicunt præterea Ægyptii Apopin solis fratrem fuisse, & contra Iovem arma tulisse; *Osiris Iovis filius adoptivus.* cum verò Iovi Osiris suppetias ferens hostem in fugam vertisset, à Iove in filium adscitum ac Dionysium appellatum: quam fabulam ita ad naturam trahunt. *Iuppiter & Typhon contrarii.* Iuppiter spiritus est, cui infensa quam maximè ignea vis est, quæ non quidem ipse Sol, sed cum sole cognata est. At humidum, aridumque, exhalationem augendo comprimendoque destruit; exhalatione autem ventus coalitus erumpit. *Eufeb. l. III. c. II. de præp. euangel.* Cætera videri possunt in Hermæo Mnasea, Anticlide, apud Plutarchum & Eusebium; qui Isidi ideò *Isidi tribuitur Sirius:* quod aquas invehat, Syrium attribuunt. Verùm ut exactius hæc omnia diluci- dentur, sciendum est, humidum seu Osirim per se agere nil posse, nisi cum terra *Illa terra est, ubi Osiris Nilus.* commistione facta, ac proinde Isidem terram fingebant; è quorum concubitu Horum genitum tradunt. Est autem Horus nil aliud quàm spiritus quidam, *Horus quid hoc loco notet,* virtute suâ omnia alens & conservans; quem Apollinem non incongruè appellaveris. Estque ipsa aëris temperies, virtute solis calefactiva attemperata. *in quo natus.* Hunc Horum circa Butum in paludibus educatum ferunt; & profectò ita est: aquosior enim tellus exhalationes frequentiores facit, quibus ariditas & exsiccatio perimitur. Nephthyn oram, quæ mari alluitur, vocant. *Osiridem cum Nephte congredi.* Cùm igitur alveo exundans Nilus diffusiora per littora profluit, Osiris Nephthi commisceri dicitur. *Quid Nephthys,* Nephthys quoque primùm Typhoni juncta sterilis fuisse dicitur, ut intelligatur ab initio terram infœcundam sterilemque extitisse: *Typhonis tyrannis,* Typhonis verò impotentiam & tyrannidem, nihil aliud fuisse, quàm squalloris vim prævalentem, quâ fructifera irrigui natura supprimitur & exspirat. *Regina Æthiopum,* Æthiopum Regina, de qua supra dictum est, in auxilium vocata, australes ventos ab Æthiopia spirantes refert, qui propellunt nubes, quas Æthiopiam versus Etesiæ inducunt, unde incrementum sumit Nilus. At Typhon ille luridus, victorque humentis naturæ, extenuatum Nilum coarctat, cogitque tenuem admodum atque reductum in mare descendere. *Osiridis in arcam detrusio,* Atque hæc est illa Osiridis in arcam conclusio, nimirum aquæ ipsius interitus & occultatio. *quo tempore fiat.* Proinde Osiridem mense Athyr occidisse ferunt, quo tempore, deficientibus planè Etesiis, Nilus in alveum redit ac terra detegitur. Tum rursus cum nocte crescente tenebrisque, lux attenuatur: & sacerdotes cùm alia faciunt, tum bovem pullâ veste, & eâ quidem byssinâ, induentes Deæ lugenti ostendunt, Osiridem nempe Isidi: quæ omnia diebus IV post decimum sextum mensis Athyr solemniter peragunt. *Quatuor Mæroris & luctus Isiaci causa:* Quatuor enim occurrunt mœroris causæ, videlicet Nilus decedens; vis borealium fatorum Typhonis; dierum brevitas; terræ denique denudatio & arborum virgultorumque trists interitus. *Ejus processus.* Decima nona verò die, noctu stolati sacerdotes ad mare descendunt, & sacram cistam efferunt, auream arculam intus continentem, in quam potulentam aquam effundunt. Interim magnus astantium clamor exoritur, quòd Osiris inventus sit. Mox aquæ glebam miscent,

*Lunæ figura mystica.* miſcent, ingerenteſque aromata, & pretioſa ſuffimenta, Lunæ ſimile effingunt ſimulachrum; quod ſtolâ exornant atque in medium proferunt. Iſide itaque, Oſiridem ſuſcipiente, Horoq; i. e. nebulis & evaporationibus victum quidem Typhonem, non tamen occiſum innuunt. *Cur Typhon non omnino ſit occiſus.* Neque enim permiſit terræ domina, adverſum humiferi naturam prorſus interire, temperiem volens perpetuò manere; cum integer mundi ornatus concentuſque nullo modo eſſe poſſit, ignea vi extincta. Hæc fere ex Plutarcho deſumpta ſunt.

*Ex mente aliorum interpretatio Oſiridis, Ejuſdem ſimulachrum; & Iſidis.* Cæterùm alii aliter interpretantes, ajunt Oſiridem virtutem ſeminalem ſeu generativam eſſe, ac proinde humana eum forma depictum cum erecto genitali membro cerni; Iſidem autem potentiam naturæ fœmininam, totius generationis ſuſceptricem; propter quod τιθὴ ſive nutrix, & πανδοχὶς totius generationis ſuſceptrix à Platone nuncupata ſit; quæ Plutarcho μυριώνυμος, i. e. infinitis nominibus, appellatur: omnes enim ideas atque imagines admittit, habetque congenitum amorem erga id quod primum ac ſummum eſt inter omnia; quod ſanè ipſum bonum eſt: ad hoc enim rapitur, hoc optat, & ſequitur; quod verò malum eſt, fugit & averſatur. *Oſiridis animam illæſam manere.* Hinc non abs re Oſiridis animam incorruptam & ſempiternam teſtantur, corpus verò à Typhone dilaceratum, Iſidemque id quærere atque in artus reſtaurare. Nam quod perpetuum eſt, id deſultorio ac mutabili multo præſtantius; & quas à mutabili imagine ſumit, nec perennant, nec ſemper eædem ſunt, ſed quaſi è cera ſigilla & impreſſiones, veſtigiaque delentur. Cum has igitur præter rationem admittit ac mutuatur, tunc adverſus Horum manus conſerere dicitur, quem Iſis ceu ſenſibilem intelligibilis mundi imaginem progenuit. *Hori ſeu Apollinis conceptio quid ſibi velit:* Quid porrò aliud prodigioſus ille Apollinis ſeu Hori ex Iſide & Oſiride conceptus indicat, niſi primam adhuc imperfectam generationem factam ante viſibilem mundi conditionem? Et quid aliud per Horum oculis à nativitate captum, niſi rude quoddam & impolitum mundi naſcentis ſimulachrum? *idem cæculus in primula ætate, poſtea Typhonis victor.* Porro Horus perfectior jam & adultior Typhonis conatus infregiſſe traditur, ac proinde in Copto Hori ſimulachrum, alterâ manu tenens Typhonis pudenda, cernitur. *Typhonis nervi chordæ facti.* Mercurium quoque ajunt evulſis Typhonis nervis pro chordis uti, ſic innuentes, quod opifex ratio univerſum hoc coaptans, concentum fecit ex diſſonis, & tabificam quidem vim non delevit, ſed repreſſit & retudit. *hujus effectus in mundo.* Ea tamen adhuc licet admodum luxata perturbat, immutat, implicat, miraſque rebus mundi viciſſitudines affert; motuſque aridos excitans, terram quatit; in aëre verò importunos ſpiritus evocans, præſteres & fulmina jaculatur, aquas etiam inficit, & citra lunam cuncta ſubvertit, pulcherrima atque fulgidiſſima quæque conſpurcans.

*Triangulum ſymbolum univerſi:* Vniverſum hoc dicunt conſtare tribus ex partibus: intelligibili primùm quod Platoni dicitur idea, & exemplar, paterque; tum materia, illi mater, ac nutrix, & ſedes & locus generationis dicta; tum eo quod de priori utroque producitur: idque quàm elegantiſſimè per triangulum orthogonum Ægyptii demonſtrarunt. Perpendicularem enim aſſimilant Oſiridi, principio activo; Baſin verò paſſivo, ſeu Iſidi; Subtendentem denique ſeu ὑποτείνουσαν, Horo, vel quod ex utroque producitur. *Appellationes ad hoc aptæ Hori, & Iſidis.* Huc alludit, quod Horum Cœmin vocant, hoc eſt viſibilem; nempe quia aſpectu maxime ſentitur hic mundus. Iſin quoque nunc Matrem, ſive Μοῦθ, nunc Ἄθυρ, nunc Μέθυερ nuncupant, illud ſecundùm Hori domum mundanam, quam Plato generationis regionem conceptaculumque dixit, hoc ex multitudine & cauſa compoſitum ſignificat. *Alluſio Socratis de Penia.* Ad hoc Socrates in Sympoſio Platonis alluſiſſe videtur, quando ex Peniæ cum Poro commiſtione amorem natum comminiſcitur. Eſt enim Iſis dea tanquam materia, quam Peniam appellamus, in amorem ac deſiderium Oſiridis ſemper intenta. *Oſiridis partes diſperſæ Iſidi colliguntur, vel tectè vel apertè.* Incurrendo autem vel extrema devaſtando mœrere ac lugere dicitur, reliquias etiam & fragmenta Oſiridis modò legere, modò ſtola contegere, quem deinde refectum reſtitutumque in artus oſtendat. Nam in cœlo & aſtris ſpecies & effluxus Dei perennes, in terra verò & mari, ut plantis cæteriſque animantibus diſſipatos, & latentes videmus, cum generantur.

Simi-

Similem ob causam Typhonem & Nephthyn convenire, fabulæ docent; & Osirin clandestinum concubitum exercere; quoniam extremas materiæ partes, quas Nephthyn & Teleutin, id est, finem vocant, corruptibilis & tabifica potentia maxime infestat; genitalis autem & languidam vim habet à Typhone profligata, ex qua id tantum superest, quod Isis assumpsit, & in fidem recepit, unde Isin ἀπὸ τοῦ ἰέναι, id est, ab eundo, prudentem scilicet naturæ progressum appellant: contrà Typhonem Σὴθ & βέβων & Σμὺ nuncupant, quibus nominibus vim quandam ad prohibendum reluctandumque & subvertendum factam indicant. Ad hæc Sideritim, seu Magnetem lapidem ossa Hori; Typhonis autem ferrum vocant, ut Manethon scriptum reliquit. Sicuti enim ferrum subinde trahitur, nunc in adversum replosum retrò abit, ita bonus & salutaris mundi excursus convertitur, obviusque occurrens molliorem facit persuasionem magis, quàm vi duritiem illam planè Typhoniam frangat. At rursus cohibitus & retroactus in se ipsum facultate sua deficitur. Sed ut rem ad compendium conferant, dicunt aliqui, neque aquam neque solem, neque terram, neque cœlum Osirin aut Isin rectè nuncupari; neque Typhonem ignem, squalloremve, aut mare: at si quid in iis est immodicum & ab ordine sejunctum, Typhoni tribuendum; è contrario, quod ad ornatum, bonum & commodum est, Isidis esse; Osiridis verò imaginem, exemplar & rationem.

*Isis unde dicatur.*

*Typhonis appellationes.*

*Ossa Hori, & Typhonis.*

*Salutaris mundi excursus.*

*Acutior partium interpretatio.*

Amplius huic interpretandi generi dandus locus videtur, quod plerisque Hieroglyphicis significationibus dare initia & fundamenta infra videbimus. Ægyptii itaque, quemadmodum & aliæ gentes Osirin Solis, Isidem Lunæ significatu interpretati sunt, quoniam influxu atque dominio horum astrorum, tota sustinetur natura, id quod appositè exprimit fabula de Herculè, qui comes Soli additus, cum eo cœlestes percurrit ambitus; & Mercurii, quem Lunæ committunt: quum scilicet quæ ad Lunam attinent, philosophiæ & rationi; quæ ad solem spectant, fortitudini ac summæ activitati comparentur. Osiris igitur decimo septimo mensis Athyr periisse narratur: & hoc numero ostenditur elongatio Lunæ à Sole, quam plenilunium seu πανσέληνον Græci, & Pythagoræi ἀντίφραξιν, id est, intersegmentum appellarunt, & hunc numerum omninò abominantur. Cum enim XVI sit tetragonus, id est, quadratus numerus, XVIII autem altera parte longior, quibus solis inter numeros æquas habere contingit dimensiones: sed XVII occurrens utrumque intersecat, distinguitque sesquioctavam inter hunc & illum proportionem, atque ideo numerus imperfectus & infortunatus habetur. Annorum autem numerum quibus Osirin regnasse ferunt, qui est est XXVIII, ad dies quibus luna vias suas obit, hoc est, menstruum spatium, referunt: ac proinde Osiridis sepulchra variis rebus Lunæ figuram imitantibus ornant, eò quòd Luna Soli appropinquans oculis nostris auferatur. Porrò corpus Osiridis in XIV partes discerptum nihil aliud designare videtur, nisi intercapedinem dierum inter Lunæ conjunctionem atque oppositionem. Diem igitur quo se Luna Solis radiis subducit perfectum bonum appellant, teste Manethone: Osirin verò tunc beneficum, robustum valentemque interpretantur; quin & alterum Dei nomen Omphin, rectius Momphta, εὐεργέτην, id est, benefactorem ideò vocat Homerus, quòd Osiris, qui & Nilus dicitur, ad luces Lunæ incrementum capiat aut defectum. Maximum enim incrementum, quod fit circa Elephantinam cubitorum XXVIII, periodico Lunæ motui comparatur; sed minimum, quod circa Mendetem & Zoin VI cubitorum contingit, ad Lunam semidimidiatam transfertur. Mediocri vero, quod & justum est, & circa Memphin annotatum XIV cubitorum deprehenditur, plenilunio respondet. Adde Apin Osiridis imaginem non alia de causa animatam fingi, nisi quod cum Luna firmam constantemque lucem nacta fuerit, eum gigni & in libidinem incitari tradatur; neque maculæ nigræ albis commixtæ aliud significant quam bicolorem Lunæ faciem. Confirmant idem festi celebratione, quod ingressum Osiridis in Lunam dicant, & fit mense Phamenoth sub primo vere. Et inde Osiridem prin-

*Sol & Luna per Osiridem & Isidem significati:*

*Perque Herculem & Mercurium.*

*Quid notetur sub numero diei, quo periit Osiris.*

*Sub numero annorum, eodem regnante, quid lateat.*

*Partibus dissipatis, quid significetur.*

*Osiris valentior factus.*

*Increscens aut decrescens Nilus.*

*Apis Osiridis imago animata.*

*Maculæ in illo.*

*Festum Osiridis Lunam ingredientis.*

cipium

cipium activum, Isidem passivum statuunt. Nam ex Sole concipit ac repletur; & eadem rursùs in aërem semina quædam seu principia genitalia destillat: unde origo Hori, sensibilium hujus mundi rerum imaginis, cum quo Typhon inimicitias exercet; quod est indelebilis illa generationis & corruptionis simultas, quando sic se habet inferior mundus, ut alternatim corruptionem detrimentis compenset, nunquam nova sobole & generatione carens.

*Isidis conceptio & partus, Horique & Typhonis dissidia Physice interpretata.*

Porro quid aliud defectus luminarium designant, quam ingentem atro vestitu Isidem, Osiridisque occisi in arcam detrusionem? Quid verò quod enixa Nephthys Anubim, Isis subjicitur? nempe quod Nephthys ea est obscuritas, quæ sub terrâ latet, seu in hemisphaerio tenebroso: Isis ea lux, quæ in hemisphaerio lucido. At circulus finiens, quem Horizontem appellant, utrique communis, Anubis dicitur; & non immerito cani comparatur, eò quòd cælo terraque polleat; & in hac significatione eandem vim apud Ægyptios habere videtur Anubis, quam apud Græcos Hecate.

*Osiridis & Isidis tristitia rerum.*

*Quid Nephthys,*

*Anubis quidnam,*

*cum Hecate.*

Atque ut hactenus dicta magis concilientur, Osiris nihil aliud quàm Sol dicendus, qui virtute sua quadruplici omnia, quæ in mundo sunt, alit & sustentat; de quo Isis, Luna, fœcundior facta, pro aspectuum & coitus diversitate varios quoque effectus producit in sublunari mundo, qui effectus communi vocabulo Hori appellantur, ut supra innuimus. Typhon verò non male quivis malignus Planeta, aut ejus noxiosi influxus, Solis Lunæque salutares operationes impedientes, dici possunt.

*Osirin nihil nisi solem esse,*

*Qui Lunam fœcundat.*

Sunt autem Osiridi varia nomina diversis effectibus productis nobilitata: ut Bacchus dicitur, ob virtutem humectivam, & vim genitalem; Hercules, ob consolidativam & maturantem vim; Apollo quod calefacit, & illuminat, & constringit; Mercurius, ex vi attrahendi vaporum & exhalationum atque in nubes aut pluvias cogendi. Et hinc illud Sole clarius sit, nullos non deorum apud Poëtas & antiquorum sapientes ad unum referri Solem; sicuti & Isidem seu Lunam quibuscunque dearum gentilium nominibus significari, à vero

*Varia Osiridis nomina.*

*De Obeliscis.*

haud longiùs, quàm quòd ipsa à nobis propiùs astris omnibus absit. Hinc nimirum Vates antiqui Osiridem cum omnibus numinum appellationibus & muneribus confundunt: cum Saturno, quòd populos & urbes condiderit, qua de causa vetustissimi reges hoc nomine inter gentes antiquiores audiunt, pluresque Saturni, teste Xenophonte, feruntur, qui Cæli filii habiti, & natos habere dicuntur Ioves; cum Iove quoque, propter supremum rerum dominium; itemque cum Baccho seu Dionysio, ob vini oleique inventionem; cum Neptuno, per orbis lustrationem; cum Hercule, ex summa fortitudine: Mercurium quoque eundem fecerunt, à rebus inventis; Apollinem, in Musica; Ianum denique, à politioris vitæ cultu.

*Idem pro reliquis diis sumtus apud Poëtas.*

Isis verò Minerva dicitur, eò quòd è capite Iovis, hoc est Osiridis, nata, artes & scientias doceat. Solis enim radii in Lunam veluti in speculum quoddam conjecti ad nos auctis viribus reverberantur, quarum vis & efficacia docuit homines certo & opportuno tempore semina mandare terræ, ligna ad ædificandum apta cædere; aliisque agriculturæ operibus insudare; unde artes vitæ usuique humano necessarias exortas testatur Columella lib. 1 de re Rust.

*Isidis, seu Minervæ ortus, ex cerebro Iovis.*

*Columella.*

Vocatur autem Isis Juno ob virtutem seminalem, quam aëri continuò vi sua humectiva influit: eademque Venus habetur ob generativum appetitum, quo omnia inferiora ad similis procreationem inclinantur; tum ob fœcunditatem summam qua in rebus producendis pollet, unde à Poëtis è genitalibus Saturni abscissis & in mare conjectis nata fingitur: dicitur & Proserpina, ob dominium in terrâ nata, plantas, arbores, semina, &c. quæ influxibus suis humidis cum terra communicatis, accedente Solis virtute adolescere faciat.

*Isis quare Iuno dicatur, aut Venus:*

*hujus natalis origo:*

*Eadem quî sit Proserpina.*

Hæc omnia clarissime parent ex L. Apuleji, de triumpho Isiaco, descriptione, quam pulcherrimo verborum habitu, cultuque exactissimo proditam, lectori apponimus: *Necdum*, inquit, *satis compresseram, & ecce pelago medio,* * *venerandos Dijs etiam vultus attollens, emergit divina facies, at dehinc paulatim ejus mirandam speciem ad vos etiam referre connitar; si tamen mihi disserendi tribuerit faculta-*

*Apulejus lib. 11 Metam.*

*De Isidis, numine & nomine.*

* *quasi maris & terræ domina, rerumque natura.*

*tem paupertas humani oris; vel ipsum Numen ejus dapsilem copiam eloquutilis facundiæ subministraverit. Iam primum crines uberrimi prolixique & sensim intorti per divina colla passim diversi molliter defluebant. Corona multiformis, variis floribus sublimem distinxerat verticem; cujus media super frontem planam rotunditas * in modum speculi, vel imò argentum Lunæ candidum lumen emicabat, dextra levaque sulcis* insurgentium viperarum cohibita, spicis etiam cerealibus desuper porrectis: multicolor bysso tenui prætexta, nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammea *; & quæ longè latèque etiam meum confutabat obtutum; palla nigerrima splendescens atrô nitore, quæ circumcirca remeans, & sub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vicem dejecta parte laciniæ multiplici contabulatione dependula ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat; per intextam extremitatem, & in ipsa ejus planitie stellæ dispersæ coruscabant; earumque mediæ semestris Luna flammeos spirabat ignes *, quaqua tamen insignis illius pallæ perfluebat ambitus, individuo connexu corona, totis floribus *, totisque constructa pomis, adhærebat. Iam gestamina longè diversa, nam dextra quidem ferebat æreum crepitaculum; cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos ictus reddebant argutum sonum: lævâ verò cymbium dependebat aureum *, cujus ansulæ, qua parte conspicua est, insurgebat aspis * caput attollens arduum, cervicibus latè tumescentibus: pedes ambrosios tegebant soleæ, palmæ * victricis foliis intextæ. Talis ac tanta spirans Arabiæ felicis germina divina me voce dignata est: en adsum tibi rerum natura parens, elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum, Regina Manium, prima cœlitum Deorum, Dearumque facies uniformis; quæ cœli luminosa culmina, maris salubria flumina; inferûm deplorata silentia nutibus meis dispenso; cujus Numen unicum multiformi specie, ritu variô, nomine multijugo totus veneratur orbis. Indè primigenii Phryges, Pessinunciam nominant Domini Matrem; hinc Αὐτόχθονες Attici, Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cypri Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam; Siculi trilingues stygiam Proserpinam; Eleusini vetustam Deam Cererem; Iunonem alii, alii Bellonam, alii Hecatem, Rhamnusiam alii, priscâque doctrinâ pollentes Ægyptii, cæremoniis me propriis percolentes, appellant verô nomine Reginam Isidem.* Hæc Apulejus: ad quæ si velis plura quibus πολύμορφον δαίμονα, sive Isidem nostram insigniverunt vocabula, colligas ex Martiano, Diodoro, Eusebio, Plutarcho, Giraldo & aliis.

*Crines, vel fratre digni, sunt omnium nutricis: Corona dominium in vegetabilia.*

** Mundus est, & divinitas.*

** iter Lunæ flexuosum, & fœcundans.*

*Spicæ, inventio frumenti.*

** Lunæ facies.*

** Astrorum dominæ variatio.*

** Terræ & medicinæ symbolum.*

** Genius Nili malorum averruncus.*

** humectandi vis:*

** Fœcunditas quæ sequitur terram irrigatam.*

** Naturæ vis victrix & vis divinandi.*

*Varietas Muneris ac nominis.*

Et Horus denique omnes refert effectus, qui virtute Solis & Lunæ in terra generantur: unde habitudine infantis conspicitur, ob plantarum teneritudinem; cum cornucopia, ad abundantiam rerum quæ producuntur indicandam. Sed quum ipse & Harpocrates, quem cùm in lucem ederetur digitum ad labia expressum coalitumque habuisse ajunt, passim apud Authores pro iisdem sumantur, hinc figuram suadentis digito silentium falsò additam Horo concluditur, nec sine errore unum cum altero conjungi; nempe quòd uterq; symbolis & significatione mystica quam maximè differant. Harpocratem enim sanum vegetumque; Horum debilem ac imperfectum membris à nativitatis hora ferunt scriptores; illum etiam numen silentii, hunc Musicæ maximum commendatorem: adde Horum passim ab Ægyptiis Apollinem dici, quod pluribus ostendit Plutarchus in Isi & Osiri: unde & iisdem eo nomine Sol vocatus est, teste Macrobio, & Censorino; & ab ipso profecta appellatio Horarum, quibus diem dividimus. Videtur tamen Plutarchus duos Horos constituere: primum quidem antiquiorem, ob tenebras cæcum, qui Arueris dictus, secundo die natus, cùm scilicet mundus non esset perfectus; alterum autem Horum perfectum & absolutum, cujus, quod antea meminimus, in urbe Copto simulachrum erat, Typhonis pudendum alterâ manu tenens. Hunc Diodorus ait Iside natum, Titanum insidiis interfectum, & inter aquas repertum, à matre ad vitam revocatum, ac tandem immortalitatem consecutum esse. Ejus verò, ut & Harpocratis sacerdotes scribit Epiphanias rasos capite faciemque pulticulis oblitos circumcursare, & utriusque idola gestare, aut in ebullientem lebetem demittere, ferreq; impudenter servile, ac detestabile puerile signum. Hoc tamen in tanta habitum veneratione, ut nec domus, nec compitum, aut templum reperiretur

*Hori significationes.*

*Idem non confundendus cum Harpocrate:*

*Vtriusque differentia.*

*Censorin. in lib. de die nat.*

*Horarum nomen unde.*

*Horus non unus:*

*Alterius simulachrum, de quo suprà.*

*Diodorus lib. 1, cap. 11.*

*Sacerdotes signorum puerilium.*

*Idolum Hori:*

cui

cui tale deesset: nam pro philacteriis collo gestabant, & in loco Penatium & Larium habebant. Horum huncce velut intercessorem & placatorem apud Osiridem & Isidem frequentibus votis & sacrificiis interpellabant; & eo Mundi genios trahi arbitrabantur; ideo nimirum sacerdotes ejus idola tam stolidis & ridiculis ritibus colebant, ut Nutricum ad instar applicarent pectori, quasi lactatione refecturi, aliaque multa gererent, quæ passim apud authores leguntur. Isidem tamen Horo puerulo exerta mamma lac præbens videtur aliquando in nummis veteribus Romanis: semper enim imagines Hori puerile quid referunt.

*commenta opinionum de ipso:*

*Venerationis ridicula.*

*Isis Horum lactans.*

Typhon vel pro excessivo humore sumitur, quo Horus veluti in mare conjectus submergitur; vel pro radiis Saturninis seu vi quadam adustiva, ex qua illum violenta consequitur mors. Nihil enim plantis, floribus, aut fructibus adeò est nocivum, quam nimia humiditas, quibus offocata putrescunt; aut etiam nimia siccitas, quâ exarescentibus radicibus contabescere coguntur, nisi vel Osiris ab inferis resurgens veniat adjutor belli ac victoriæ, vel ab Iside benigno aspectu refrigerentur. Nomen vero Typhoni impositum à draconis crudelissima natura, perhibent, aliique eundem insignem draconem fuisse commemorant; sic dictum ob singularem veneni efficaciam, quâ omnia combureret, faceretque ut contacta arescerent. Non desunt, qui dicant Typhonem terra percussa à Iunone procreatum, metuque Iovis in Ægyptum profugisse, ubi cùm æstum ferre non posset, in lacu mersum interiisse; quam fabulam multi ad res naturæ totam detorserunt. Nam, ut Strabo tradit, universum tractum à Cumis in Siciliam usque, & Æthnam, & insulas Liparas, Puteolanum, Neapolitanum, Bajanumque agrum, Pithecusasque insulas profundas quasdam & in unum coëuntes sub se habere cavernas, quæ in Græciam quoque porrigerentur, in quibus multa vis inesset sulphurea. Idcircò terræ ventis subterraneis spirantibus cùm motus fierent frequentes in iis locis, & flammarum, ferventiumque aquarum profluvia, ignisque exhalationes, & cineres cum favillis atrociùs emitterentur, fabulati sunt antiqui serpentem illum, sive Ægypti tyrannum perpetuo supplicio damnatum, sub iis locis jacere, qui quoties moveretur ignem ac cineres eructaret; & ex commotione humerorum, Epomæum natum. Sunt quoque qui vim ventorum non subterraneorum quidem, sed è sublimi loco spirantium, esse Typhonem credunt, & quod is ad orientis ac occidentis plagam manibus pertingat, capite sideribus ipsis illato.

*Typhon quid designet:*

*Noxiosus frugibus.*

*Ejus nominis origo:*

*& natalis.*

*Strabo.*

*Typhonis motus subterranei.*

Describunt Typhonis naturam Hesiodus & Apollodorus: hujusque ex 1 libro verba sequentia sunt: *Post debellatos enim, ait, à Superis Gigantes, terram longè atrociùs indignatam, Tartaro immistam, Typhonem duplici naturâ, humanâ simul atque bestiali constantem in Sicilia peperisse; siquidem Typhon corporis vastitate & robore cæteros omnes, quos terra genuerat, antecellebat; erat ei crurum tenus immensa humanæ formæ magnitudo, adeò ut omnium montium cacuminibus altior esse videretur; cujus etiam caput sæpènumero astra pertingebat. Sed & ejusdem manuum altera ad Hesperum usque, ad Orientem pertinebat. Ex his centum Draconum capita eminebant; in cruribus maximas viperarum spiras ille continebat; quarum volumina ad verticem ipsum usque protendebantur, eæque viperæ ingentem sibilum excitabant. Typhonis corpus totum erat pennis circumdatum; squallentes autem è capite crines, ex mento barbâ impexâ, prolixâque ventilabant; igne oculi emicabant. Talis itaque tantusque Typhon candentes in cœlum lapides jaculatus, cum sibilo simul atque boatu ferebatur; magna etiam ex ipsius ore ignis procella defervebat; hunc ubi Dii in cœlum prospiciunt irrumpentem, acti in fugam in Ægyptum properabant, & ubi illum insequentem vident, in varias animantium formas sese quisque transmutabat.* Tota illa descriptio ad ventorum prorumpentium, fulminumque vim trahitur, nonnullis & ad prudentiæ moralis considerationem, ad quam jam procedamus. Satis verò ex his paret, quanto ingenio & eruditione antiqui Ægyptiorum sapientes fœcundum illum Naturæ genium sub symbolica hac Osiridis, Isidis, Hori & Typhonis historia repræsentarint.

*Descriptio Typhonis sicut Hesiodus & Apollodorus sentiunt:*

*Duplici nimirum ingenio; & duplici malo, physico atque ethico.*

*Horrendus Brachia Manusque.*

*Viperis scilicet ira & invidia, aut noxia ventorum, aut tonitruum vis notatur, &c.*

Moralis verò Philosophia vel communis est vel propria. Illa generatim tractat de moribus, & privatum hominem

*Moralis Philosophiæ divisio.*

*Ethica, Oeconomica, Politica.* cuilibet vitæ præparat, diciturque Ethica: Huic, quæ vel, ad familiæ alicujus, vel Reipublicæ beatitudinem spectat, Oeconomicæ nomen est, aut Politicæ: omnes tres partes junctæ constituunt integrum illum & politicum κόσμον, omnibus numeris absolutissimum, ut Plato libro 1 de Rep. docet. *In fabulis quæ veritas moralis insit.* Pulchrè vero Synesius monstrat historiam illam fabularem Osiridis, Isidis &c. speculum quoddam esse morale omnibus propositum, ut in eo quid amplexandum nobis, quid fugiendum sit, videamus. Sicut enim in majori Mundo Solis & Lunæ inoffensâ conjunctione & operatione omnia inferiora reguntur & sustentantur, *Osiris & Isis in microcosmo.* ita in politico Mundo juxtà analogiam quandam Sol & luna quædam datur, quorum unanimi consensu, totum reliquum politicum corpus foveatur & sustentetur. Solem verò hunc & Lunam in Philosophia morali nihil aliud dicimus esse, *Intellectus & Voluntas, virtutis causæ efficientes.* quàm intellectus & voluntatis concordiam per Osiridem & Isidem repræsentatam. Sicut etiam Osiris seu Sol illuminando & calefaciendo, tùm Lunam, tum reliquum inferiorem Mundum idoneum facit ad generationes: sic intellectus illuminando voluntatem, seu Isidem, eamque per veri boni repræsentationem ad amorem incitando, habilem reddit ad bonorum operum productionem. Ex quorum mutuâ concordiâ nascitur Horus, verus ille Apollo, Musicæ & harmonicarum proportionum inventor; *Horus bonum Ethicum.* quo concinente, summa imis, ima summis, ima denique ac summa mediis, summâ ubique proportione respondentibus; hoc est, exteriores potentiæ interioribus subjectæ, appetitu sensitivo rationali se conformante, seque voluntate intellectui subjiciente, reliquis potentiis in unum veluti consentientibus, ac in bonum unanimiter intentis admirabilem quandam menti pacem, non malè per adjunctum Apollinis cornucopiæ, floresque adumbratum, parere comperiuntur. *Res humanæ bonis malisque mistæ.* Cùm verò omnia in rebus humanis mista sint, & bona contemperata malis, atque, ut Homerus scripsit, duo in Iovis limine dolia, quorum dispensatorem, ac veluti institorem non unum credi par est, sed duobus contrariis principiis, & repugnantibus potentiis, erogari; quorum hæc dextrorsum recta provehatur, sinistrorsum illa obliquè feratur; *Motus affectuum perpetuus.* fit ut harmonia illa Microcosmi subindè turbetur, Osiris à Typhone occidatur, & dispersus in mare conjiciatur; Isis lugeat, & simulatâ corporis ejus inventione in artus delusoriò quodam simulachri figmentò restauret; hoc est, potentia rationalis ab appetitu sensitivo & brutali, vero Typhonis symbolo, superetur, obnubileturque splendore luminis ejus in brutorum affectuum caligine extincto. Verè enim tunc à Typhone Osiris *Osiridem succumbere:* occidi dicitur, cùm intellectus vanâ concupiscentiâ illectus, & à brutali appetitu victus, id quod legi naturæ, seu rectæ rationis dictamini è diametro contrarium faciendum esse judicat; Isis *idque dolere Isidi:* lugere dicitur & Osiridem quærere, cum obnubilato intellectu & prostrato, voluntas bonum quærens, idque verum, ob ducentis & proponentis defectum, reperire nequit. Falsum Osiridem delusoria arte fingit, *ipsam Osiridem receptum mentiri.* cùm in bono apparente, & falso sibi acquiescendum putat. Adumbrarunt hanc discordiam olim appositè symbolicis suis figmentis Mercurius termaximus & Zoroaster, *Mercurius Trismegistus. Zoroaster.* qui rationalem & sensitivum dictos appetitus sibi adeò contrarios sub Deorum nomine, quorum ille bonorum, hic malorum opificem dixit, indigitavit, meliorum Horomazen, Ariminium *Horomazes & Ariminius adversarii:* verò deteriorem vocans, illumque similem luci, hunc obscuritati & caligini assimilabat; inter hos verò Mithram medium statuebat. Priorem precibus & sacrificiis continuis exorari; alteri amuleta averruncativa, & sacrificia funesta, execrationibus adhibitis, offerri *Alterum precibus, Alterumque vi afici.* debere statuit. Inter cætera etiam herbam quandam Omomi nomine in mortario conterunt, invocantesque Ditem & Scotum, hoc est, tenebrarum Numen, admiscentesque lupi sanguinem, in locum opacum deferentes projiciunt: quâ quidem descriptione nil aliud insinuare vult, quàm cærimonias, quibus Ægyptii Osiridem & Typhonem (illum veluti Genium optimum, sacrificiis, suffimentis aliisque innumeris ritibus; hunc, veluti dæmonem infortunatum, execrationibus ac luctuosis sistrorum strepitibus depellentes,) quid in poten-

potentiarum animæ discordia, aut in œconomicis controversiis, ac Rerumpublicarum tumultibus, ac seditionibus faciendum esset, subobscurè significare volebant. Cùm enim, ut suprà diximus, Philosophia moralis tripliciter consideretur, vel quoad privatas personas, vel quoad œconomiam aliquam, vel denique quoad Rempublicam concernit; quod itaque inter Osirin & Isin contumax Typhon, hoc animæ rationali opinio est, & animus secum discordans; in œconomica verò maritum inter & uxorem, diffidentia, zelotypia, suspicio. In Reipublicæ statu inter Magistratum, vel Principem, & subditos, injuriæ, legum salubrium contemptus, detrectatio, motus rebellis, tumultus, defectiones. Namque, ut à primo incipiam, si potior pars hominis, id est superior, ab inferiori subjugetur, occiditur à Typhone Osiris, & perit totius harmonia animi. Ita si in œconomia quapiam conjuges sint diffidentes, zelotypi, suspicaces, neque inter se alterius amori aut virtuti fidentes; Osiris occiditur, & ejus idem corpus discerptum in varias partes abjicitur, hoc est, qui debebant esse veluti duo in carne una, adulteriis ac vagâ quadam fornicandi libidine in diversa, ac varia commistione maculati, veluti in multas distrahuntur partes: Isis igitur luget, hoc est, variis doloribus, aliisque incommodis pars innocentior nunquam non premitur. Fugandus porrò Typhon sistris, & execrationibus, hoc est orationibus & optimis mediis. Denique si Magistratus, Rex aut Princeps à subditis divertat, si leges ad bonum commune conditæ contemnantur; occiditur à Typhone Osiris, id est, Architectonicus legislatoris intellectus fit in recipientium subditorum animis difformis, & ex varia & iniqua legum interpretatione perit; unde bella, seditiones civiles, cædes & facta inhumana, malorumque Iliades, quæ hanc discrepantiam, veluti corpus umbra, concomitari solent, exoriuntur; de quibus egregiè discurrentes vide Synes. lib. de providentia, & Marsilium Ficin. lib. de legibus. Inter cæteros autem perquam eleganter Plutarchus dictam fabulam Deorum ἀντιπέχων tractat: nimirum, ut suprà citavimus,

*Scena fabularum theatro politico applicata:*

*In persona privata, singulari;*

*& societate œconomica,*

*nec non Politica.*

*Synesius, de provid. Marsil. Ficinus de Legib.*

*Plutarchus.*

*De Obeliscis.*

tradit, duos esse dæmones, Horomazen & Arimanium; illum è purissimo lumine, hunc è tenebris genitum; & utrumque ad invicem pugnare: ex Horomaze sex prodiisse Præfectos, quorum primum benevolentiæ, alterum veritati, tertium optimis legibus præfuisse fingit, è reliquis verò unum sapientiæ, alterum opulentiæ, postremum deliciarum, suavitatumque Opificem; adversus quos Arimanius totidem, æquato numero protulisse memorat. Horomazen itaque sese attollentem, tantùm supra Solem evectum, quantum Sol ipse à terra distat, moxque alios quatuor & viginti Deos molitum esse, quos omnes in ovo condidit. Tùm Arimanium ex adverso totidem procreasse, qui perforantes ovum, eodem sese conjecerunt loco; atque ita mala permista bonis, antipathiam & dissonantem istum Mundi concentum prodidisse. Addit, secutum postmodum fatale tempus, quo subducto Arimanio, malisque depulsis, terram æqualem, & solidam factam esse, unamque felicium hominum Rempublicam evasisse. Quæ omnia haud incongruè prædictis adaptari possunt. Pulso enim Typhone seu Arimanio, redit pax, restauratur Osiris Horimazes, Horus ad immortalitatem revocatur, lætatur Isis de nunquam satis quæsito Osiride tandem invento, leges salubriter latæ, ab omnibus benevolè recipiuntur: vitâ denique omnis doloris, & malorum experte vivitur; omnesque adeò intentam, diuque concupitam tranquillitatem, ac pacem adepti, ea feliciter & sine tædio perfruuntur. Sed hæc de morali explicatione sufficiant.

*Deorum sibi adversariorum initium,*

*processusque.*

*Victor Horimazes,*

*Osiridi comparatus.*

Et hactenus ex fabulis deorum Ægyptiis tam quæ ad ἀναγωγικὴν & sublimem eorum Sapientiam, quàm quæ ad tropologicam & moralem, etiam ad naturalem Theologiam pertinent, edoctus es curiose Lector; ad quæ porrò quum adjicere vellem Hebræorum, à quibus Ægyptii plurima imitarunt, Græcorumq; mythologiam, & quicquid sub multiplici illo deorum, Cœli, Saturni, Iovis vel cœlestis, vel infernalis, vel fluctuum potentis, vel etiam in deserto & solitario loco Nympharum amatoris, Apollinisque, & Mercurii &c. tum

*Dehinc sequentibus modus præstitutus.*

Iunonis & reliquarum dearum, itemque Musarum, ac aliorum numinum aut heroum narratu dicitur; præcidere tamen & cavere nimiam superfluitatem cogor: præsertim quod alii satis ampliter hæc ipsa dederunt, aut ab aliis data conquisiverunt: inter quos facile præcipui Natalis Comes, Hyginus, Apollodorus, &c. quibus authoribus levissima via ad omnia perduceris. Non nulla tamen leviter hic quoque perstringenda censeo, nimirum ut quod supra indicavi, omnia Poëtis numina unos illos, Solem & Lunam, simili schemate quàm Ægyptiis indicare, Lectori grato jucunda contemplatione apertum magis sit, certumque quo referat quicquid hinc inde in variis authorum scriptis de hac materia legerit. Igitur sicut Θεογονία ista prodigiosa Gentium nihil aliud est, quam consideratio Vniversi, ita qui majori sunt vi atque virtute dii deæque omnes ad Lumen illud magnum, quod cuncta alia virtute sua participat, & minus hoc, quod proximè à nobis abest, referuntur. Prius, scilicet deorum naturas naturæ universæ & facultatis elementaris significatum habere, Empedocles tradit apud Athenagoram; quod & Palæphatus, libro περὶ τῶν ἱςοριῶν ἀπίςων, Phornutus, & Fulgentius Carthaginensis, aliique egregie præstiterunt; quòd quidem aliunde non didicerunt, quàm ab Ægyptiis, quibus, ut antea dixeram, nihil tam vile & contemptibile erat, quod non ad mysticas rationes revocarent. Cœlus igitur, omnium quæ suprà sunt, conservator & terminus ac finitor universæ naturæ, genuit Saturnum, hoc est, temporis authorem, aut tempus ipsum, quòd juxta Aristotelem nihil aliud est quam *Numerus motus cœli secundum prius & posterius.* Hic filios suos devorasse fertur, quod tempus quidquid progenuit hoc rursus consumere dicatur: indeque falcem ei attribuunt, quoniam omnia tempore inciduntur, ac prosternuntur; sive propter fructum, unde & castratus dicitur, quòd omnes fructuum vires abscissæ atque in humoribus viscerum veluti in mare projectæ, sicuti ibi Venerem, ita libidinem gignant, necesse est. Serpentem illi conjunctum fingunt, caudam suam ore prendentem, quod est symbolum anni, temporis filii. Hæc ex sententia Orphei & potissimorum sunt authorum. Nam & à Platone homines, cùm Cœlum illum, cujus Saturnus fuit filius, deum appellarent, quid innuerunt nisi sublime illud corpus quòd omnia continet, mentemque divinam, quæ cætera complectitur? quam nunc Saturnum dicunt, sive mentis virtutem è cœlo provenientem, & in omnia corpora diffusam; nunc Iovem, quando divina illa mens, quæ æthereamregionem gubernat, intelligitur; vel Venerem, cùm ad inferiora corpora per generationem concitanda, descendit. Hinc accidit, ut is Saturnus mens superna aliquando intelligatur, in qua sit lux universa rerum omnium, & providentia ordinis & vitæ motuumque ac mutationum. Alii tamen non sphæræ ἀπλανοῦς sive fixæ, sed inferioris illius animam Saturnum dixerunt. Hinc non desunt qui totam de Saturno fabulam ad Astronomicas res detorqueant, quæ vide apud Nat. Comitem: eandem & Chymistæ ad suam artem retorserunt. Nonnulli vero antiquorum scriptorum Saturnum cum Osiride confundentes, eundem in Ægypto regnasse dicunt, Rheamque sororem in matrimonium duxisse; ex iisque natos Iovem & Iunonem, qui ob virtutem animi universo terrarum orbi imperaverint, progenuerintque Osiridem, Isidem, Typhonem, Apollinem, Nepthen sive Venerem; de quibus legas apud Plutarchum libro de Osiri & Iside. Quemadmodum verò Microcosmus animam habet quâ gubernetur, sic quoque Macrocosmum habere animam putabat Plato, quæ ipsi dicitur Vniversalis, apud Poëtas Iupiter, Hebræis Mitatron: atque hic est filius Saturni rerum creatrix virtus imago & natura universit. Iuppiter itaque vocatus, vel quòd vitam & esse præbeat omnibus animantibus, vel quòd per eum stent & conserventur universa, pulchrè id interpretante Orpheo, Græcorum antiquo Theologo, apud Eusebium, in Iovis hymno, quem ea parte sequentes explicant versus:

*Iuppiter omnipotens est primus & ultimus idem,*
*Iuppiter est caput & medium, Iovis omnia munus.*

*Marginalia:* *Deorum Gentilium generatio quid pariat.* — *Empedocles.* — *Palæphatus.* — *Phornutus.* — *Fulgentius.* — *Cœlus proavus deorum.* — *Tempus astronomicè numerus durationis.* — *Saturnus, cum falce.* — *generatio Veneris.* — *Anguis in spiram collectus.* — *Platonicorum de Cœlo sententia.* — *Saturnus pro mundo archetypo;* — *idem pro Angelico:* — *Natal. Com. lib. 2. Mythol.* — *Confunditur cum Osiride.* — *Plutarchus.* — *Anima mundi, apud Platonem,* — *Qui Hebræis Mitatron.* — *Orpheus in hymno Iovis.*

Iuppiter

*Iuppiter est fundamen humi, & stellantis Olympi,*
*Iuppiter & mas est, & nescia fœmina mortis:*
*Spiritus est cunctis, validi vis Iuppiter ignis*
*Et pelagi radix; Sol, Luna est Iuppiter ipse.*
*Omnipotens rex est: Res omnis Iuppiter ortus,*
*Nam simul occubuit, rursum extulit omnia letho*
*Corde suo è sacro, consultor lumine rebus.*

*Saturnus explicatus per Vniversitatem. Seneca lib. 4, Quæst. nat. cap. 45.*

Quandoque pro cœlo aut aëre sumebatur, &, ut præ cæteris testatur Seneca, omne illi nomen conveniebat, quo universitatis ratio, aut gubernatio, innueretur, quemadmodum & de Osiride supra diximus. Hinc divus Augustinus libro VII de Civ. Dei, cap. IX. *Deus est inquiunt, habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo.* Propterea respicias imagines ejus, in gentibus propositas, varios apud authores præsertim Albricum Philos. & Porphyrium, ab Eusebio relatum, libro III Præpar. Euangel. vide & Georgium Cedrenum, de Origine Constantinop. & Martianum Capellam.

*Albricus Phil. de deorum imaginibus.*

Ex effectuum igitur multitudine plurimæ illæ appellationes ortæ sunt, quibus inter Græcos audit, & plus dedecem monosyllabis efferri observatur, nimirum Ζεὺς, Ζῆν, Δεὺς, Βδεὺς, Ζᾶν, Ζῆς, Δὶς, Δὴν, Δὰν, δζεὺς, præter aliorum nominum farraginem, quam habet Lilius Gyraldus synt. 1: in quo quidem Græci Ægyptios sunt secuti, quorum proprium erat Osiridem, sive Iovem suum, novis semper adinventis denominationibus condecorare.

*Varia nomina Saturni,*

*Atque Osiridis.*

Orphei quoque imago Iovis, quam modò explicaveram, eadem pene est cum illa quâ Græci Pana olim exprimebant: nec absque ratione. Iupiter enim non aliunde nisi ab Vniversi dominio πᾶν dictus est; quod & symbola ejus sat ostendunt: cornua, facies rufa, barba longa, vestis ex pelle maculis insignita: quæ interpretamur radiis astrorum, igne æthereo, elementis masculinis, sphæra stellarum fixarum: baculus item recurvus, qui dominium anni revolventis est; & heptaulum, harmonia scilicet cælestis, in planetarum motibus potissimum elucescens. Partes vero corporis inferiores pilosæ & hispidæ, nihil aliud nisi terram duram, inæqualem & plantarum arborumque varietate coopertam; pedes verò caprini, pudendumque erectum fœcunditatem significant. Simulacrum Panis, sive Iovis, cum explicatiori significatione vide in Obel. Pamph. Mystagogia Ægyptia; ubi & hæc additur distinctio inter Pana & Iovem, quamvis pro uno accipiantur, quod hic tamen mens quasi sit mundi & gubernator; ille vero mundus ipse corporeus.

*Iupiter quare Pan dictus.*

*Symbola Iovi data:*

*Iupiter & Pan distincti.*

Iuno, Iovis soror & conjux, aërem denotat: conjungitur enim statim Jovi, & cohæret à terra sublata; illo nempe cum ea coëunte ipsa essentia in tenuissimum diffluens, ignem & aërem constituit. Et ob hanc causam Rheam eorum matrem fabulati sunt, patrem autem Saturnum, sive quòd certâ temporum revolutione hæc fiant, sive quia ob materiæ commistionem ac ebullitionem, ut ait Phornutus, elementorum discrimen reddatur. Ceterùm ob hanc causam & Neptunum dicebant veteres esse Saturni & Rheæ filium, quem eò, quod illum tertium aquarum elementum constituerent, Ποσειδῶνα nuncuparunt, quasi ποιοῦντα εἴδην, quod nos latinè imaginem facientem dicimus; eò quòd hoc solum elementum in se formet imagines spectantium. Tridentem verò manibus ejus dederunt, quod aquarum natura triplici præstet virtute, liquidâ, fœcundâ, potabili. Neptuno huic associata est Amphitrite, quæ ita dicitur ἀπὸ τοῦ ἀμφὶ καὶ τρίτη, eo quòd hoc elementum cæteris tribus conclusum sit, & tam in cœlo, aêre ac nubibus, quam terra reperiatur.

*Iunonis enodatio.*

*Iupiter æquoreus, Saturno & Rhea natus:*

*Tridentifer quare.*

*Amphitrite.*

Plutonem, horum fratrem Fulgentius dicit præsulem terrarum, seu ipsam terram: divitias enim, quod sonat πλοῦτων, hæc sola habere dicitur: per tenebras autem, quibus eum addicunt, subobscurè innuerunt materiam terræ omnibus obscuriorem, vel etiam primam materiam, quam Philosophi ὕλην vocant; aut denique quod omnes corruptioni obnoxiæ res in eam tandem resolvantur. Pluto verò hic nonnullis Sol inferorum est, qui quadriga vectus, rapuit Proserpinam. De hoc breviter Macrobius: *Inferi nomen soli datur, quum inferiori hæmisphærio, id est hyemalibus signis, cursum suum peragit; superi, quum partem Zodiaci ambit æstivam.* Sed, ut habet Phornutus,

*Iupiter infernalis: quare in tenebris regnet.*

*Raptus Proserpinæ.*

*Macrob. 1 Saturn. cap. 29.*

nutus, *rapuisse fertur Cereris filiam, quia frugum semina ad aliquod tempus terrâ occultantur.* Consentiunt & Arnobius, & Porphyrius apud Eusebium. Per galeam autem Plutonis significatur, quod hyberno tempore per crebras nebulas & nubes Solis comæ radiantes tegantur ab aspectu nostro. Rapta itaque Proserpina, seu περσεφόνη, aut semen frugum, segesque, à Græcis Ἑκάτη dicitur, quia centuplicatum profert fructum, teste Fulgentio, & D. Augustino. Huic quoque Minervam & Dianam adjungunt socias, Lunarem calorem, & vim humidam indicantes: ajuntque raptui interfuisse Iovem & Herculem, & per illum vim fœcundam intelligunt, qua Pater omnes

*Plutonis galea.*

*Fulgent. 1 Mythol. Augustin. 7 de Civ. cap. 20.*

*Magnus alit magno permistus corpore fœtus:*

*Virgil. Georg.*

sed per hunc, laborem rusticum. Hinc Palladius: *Bene colendi* [ruris] *ratio quatuor constat, aëre, aqua, terra, & industria; hoc est, Plutone, Proserpina, Iove & Hercule, ob labores hujus, quibus semper in vita fuit subjectus.* Sed & Hercules temporis significatio est, quod ex Orpheo liquet, qui eum omnia consumentem, omniaque gignentem appellat. Porrò, ut per Saturni, Iovis, Venerisque & hac nati Cupidinis sive Amoris fabulas universæ creaturarum generationis ordinem significarunt; ita Vulcani, dearumque quæ ipsi connubio junctæ dicuntur, Veneris, & alicujus de Gratiis, commentis industriam & artium utilium, tam sapientiæ, quàm mechanicarum inventionem indicare voluisse patet: in Marte verò & Bellona tutamen populorum, & ab hostibus liberationem, fortiumque virorum virtutem; vel in sublunari mundo, per hanc, robur illud quo res in mundo fulciuntur, per illum, vim activam res ipsas coaptantem intellexerunt; unde non malè ex ipso Harmoniam fieri fabulati sunt antiqui; quam tamen in politico mundo Gradivus sæpissimè turbat, ab illo fortiori Magni Fœderis Angelo, bellorum ubique extinctore, turbandus & æternùm extirpandus. Hæc seriò. Ad fabularum verò numerum illam de novem Musis adjecere, ex Iove prognatis, ut earum subsidio animus curis & doloribus fractus refocillaretur, perque justitiam inter homines agri & fundi distribuerentur, & pectora mortalium bellorum rigore ac immanitate efferata humaniori cultu mansuescerent, nimirum quoniam

*Herculis significationes.*

*Vulcani, cum conjugibus;*

*Martisque & Bellonæ.*

*ac novem Musarum.*

*——Didicisse fideliter artes*
*Emollit mores, nec sinit esse feros.*

De Musis autem mox paulo plura dicenda sunt. Parcas etiam celebrarunt veteres; ita dictas ἀντιφραστικῶς, quòd nulli parcant: quæ nihil aliud sunt quam vitæ brevitas, & rerum humanarum instabilitas, & mortis necessitas, ideoque tres numero fingebant sorores; quorum consideratione homines in continuo virtutis exercitio veluti retinaculis quibusdam, ut ait Seneca, constringerentur. Nomina singulis facta Clotho, Lachesis, Atropos, seu quod idem est, Evocatio, Sors, & Sine ordine; hoc nimirum intendentes, quod prima sit nativitatis evocatio; altera sors vitæ; tertia mortis conditio, quæ sine lege venit. Alii aliis significationibus interpretati sunt: nempe per Clotho VII Planetas, per Lachesin res sublunares, per Atropon sphæram stellarum fixarum. Quidam tempori tripliciter distincto applicarunt. Hesiodus nocte & Erebo natas dicit, ob occultam & abditam futurorum vim: Lycophron maris puellas dixit, ob feram & immitem naturam fatorum. Atque ita, ut & morali & naturali philosophiæ aptatæ sint fabulæ, ex vero videas.

*Gratiæ ingratæ, sive Parcæ,*

*Vnde natæ.*

De Musis autem & Apolline ex varia authorum sententia hæc breviter decerpimus. Quidam tres tantum ponunt, Cœli Terræque filias, ob trichordum ab eis inventum; quo mundus triplex significatur, elementaris, æthereus, & supercœlestis. Alii Iove & Mnemosyne genitas dicunt, Musasque appellatas quod bona & utilia homines doceant. Ex contemplatione nimirum cœli, ac curiosa astrorum inquisitione proditæ tandem artes seu Musæ, Astronomia Geometria, Arithmetica, &c. Anaximander Lampsacenus & Zenophanes Heracleopolites, quod & Pisander Physicus & Euximenes libro Θεολογουμένων velle videntur, ad formationem vocis humanæ Musas convocant, omnibusque vel oris, vel gutturis ac pulmonis partibus ad vocem edendam requisitis, adjicunt. Fulgentius novem Musas doctrinæ ac sapientiæ modos repræsentare dixit

*Musarum & Apollinis varia interpretatio.*

*Fulgent. lib. 1 Mythologic.*

dixit, unde ad allegoriæ leges ordine eas in Myſtagogia Ægyptiaca author noſter enumerat, quod tamen cohibitum noſtri inſtituti modum excedit. Sed ut per Apollinis Trichordon jam diximus triplicem mundum intelligi, vel tergeminum Iovis dominium, in cœleſtia, terreſtria & inferna: ita Tetrachordon, eidem tributum, quatuor elementorum aut partium anni ſymbolum fuiſſe, teſtantur authores; qui verò heptachordon ei attribuunt, ſeptem planetarum orbitas ſeorſim indicant, quibus ſi cœlum ſtellarum fixarum annumerant, efficitur octochordon; ſi terram denique, fit ἐννεάχορδον, quod novem Muſarum nominibus exprimunt. Itaque diverſarum rerum ordinibus diverſa polychorda ſunt affixa. Sic quando ex Muſis octo, juxtà cum diis & deabus, Tonis Harmoniæ *, Thaliam vero nulli concentui ſed ſilentio & terræ elemento adſcribunt, (hoc autem triplici Cerbero, Apollinis pedibus proſtrato, comparant,) totius ſcilicet univerſi harmoniam demonſtrare voluerunt: ideoque Uraniæ & cœlo ſtellato chordas νήτας * aſcripſerunt. Summus enim ille cœli ſtelliferi curſus, cujus converſio cum ſit concitatior, acuto & incitato notatur ſono; ſicut graviſſimo lunaris ille & infimus. Eorum Cicero meminit his verbis: *Nam terra immobilis manens, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locum: illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt duorum Mercurii & Veneris modorum, ſeptem efficiunt diſtinctos intervallis ſonos, qui numerus rerum ferè omnium modus eſt:* hunc Ciceronis locum, ait auctor noſter, Macrobius exactè non intellexit, tametſi quatuor longiſſima in eum ſcripſerit capita: & Theodor. Gaza, eximiæ eruditionis vir cum eundem Græco ſermone verteret, & ipſe quædam, quæ in vulgatis Ciceronis codicibus ſunt, obmiſit, hæc verba ſcilicet: *Mercurii & Veneris modorum*; quædam aliter vertit, nempe ὧν ἡ αὐτὴ αὐτοῖς πρόσεσι δύναμις, quod in vulgatis quibuſdam Latinis codicibus ita legitur: *illi autem octo curſus, quibus eadem vis eſt modorum*, à Theodori verbis longè diſcrepans lectio. Quidam in his verbis, *ſeptem efficiunt diſtinctos intervallis ſonos*, *ſeptem* cum *intervallis* conjungendum exiſtimant, hoc ſenſu; *octo hi efficiunt ſonos diſtinctos ſeptem intervallis*: ſed hoc haud dubie coactum eſt, & Ciceronis phraſi & judicio longè alienum. Oedipus ſive Kircherius noſter diſputabilem hunc locum ita legendum cenſet: Illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt extremorum, ſeptem efficiunt diſtinctis intervalla ſonis; ſeu, ut Muſici doctiores, ſpecies ſeptem; qui omnium ferè rerum nodus eſt. Hæc ita lecta aut intellecta, ſecundum naturam recte ſe habent, & traditioni Muſicorum conſentanea ſunt. Nam vocibus ſeu phthongis octo ad Muſicorum rationem diſpoſitis, extremæ duæ ſimili natura ſunt, ejuſdemque clavis apud ipſos, qui ſonus Octavæ perfectæ & διαπασῶν dicitur. Conſonat ita ſibi locus Ciceronis de heptachordo Apollineo.

*Apollinis lyra vario ſignificatu.*

**ut Phrygius, Æol. Dor. Ion. Lyd. Mixolyd. &c.*

**h.c. ultimas συνημμένων, διαζευγμένων, ὑπερβολαίων.*

*Locus Ciceronis lib. VI de Republ. apud Kircher. in Myſtagogia Ægyptia.*

*Cicero explicatus.*

Reſpondet vero eidem & Hebræorum de Vniverſo philoſophia, quorum myſteria ſimillima myſteriis Ægyptiorum, Clemens libro VI Stromatum teſtatur, & in Sphinge ſua Oedipus fusè demonſtrat. Nam cùm intuerentur multiformem iſtam mundi figuram, diſcordemque concordiam, eum à certis quibuſdam præſidibus Angelis gubernari crediderunt: atque inde Intelligentias Ariſtotelis, & novem Muſarum commenta profluxiſſe, certum eſt. Omnem hinc ſententiam Hebræorum Oedipus in Myſtagogia Ægyptiaca, ſæpius allegata, & Sphinge jam dicta, etiam Hæbræorum Cabala, retulit: ubi doceberis Lector, ſi placet, de tribus eorum conſtitutis mundis, quemadmodum & Plato docuit, Angelico nimirum, & Sphærico, & Sublunari, tum de literarum Alphabeti myſtici circa hæc omnia ſignificatione. Sed hoc totum antiqui per Apollinem Iovis filium, quem ſupra Animam mundi diximus, novem Muſarum per VIII ſphæras cœleſtes, & elementarem mundum repræſentatarum ductorem inſinuaſſe videntur, juxta illud Poëtæ:

*Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.*

Græci nempe ac Hebræi, cum reliquis omnibus Orientalibus mundo Elementari & Cœleſti [quod utrumque corpus, illud quatuor elementorum, hoc ſeptem planetarum atque Aplani, ſcilicet

*Hebræis de Vniverſo convenit cum Ægyptiis.*

*Vnde Ariſtotelica de intelligentiis.*

*Kircherius Myſtagog. & Sphinge, ac Cabala Hebræor.*

*Natus Iove, dux Muſarum.*

*Mundus Elementaris & Cœleſtis.*

*Kirchero Mundus sensibilis.* cet totum id quod à centro ad firmamenti connexam superficiem se extendit, Sensibilem Mundum nuncupat Oedibus] novem Musas, veluti dictorum orbium animas, teste Orpheo, præficiebant; quibus singulis etiam Bacchi sui, hoc est particulares earundem intellectus, tanquam comites aut præsides adhærerent: ultimus verò orbis, denariæ perfectionis meta, Phœbum habere dicebatur, quem sensibilis mundi animam innuebant, atque ideo Musarum omnium gubernatorem, & choragum, cum Venere, aut Gratiis assectis necessaria ornamenti & pulchritudinis subsidia in singulas conferentibus. Apollini cytharam, concentus & harmoniæ, quam Mundo inducit, notam, & heliotropium dabant, rerum inferiorum cum superioribus nexus, harmonicis rationibus introducti signum: Draconem quoque ei subdebant, qui cauda pedes ipsius excipiens, corpus per omnes sphærarum ordines promittit, tandem tricipitio terram attinet, refertque vim genitalem ex orbe illo principe per omnem reliquum diffusam, triplicemque Apollinis bonum significat, humectationis, calefactionis, & seminale; quod inde in terram defluens ad nullam non generationem concurrere constat. Hebræi cùm haud aliter sphæris novenis suos angelos tribuerent, decimam respondere volebant virtuti divinitatis in abscondita essentiæ suæ abysso latentis, id est, menti primæ Archetypæ, quam & *Ensuph*, id est Infinitum, dicebant. Mysteria hæc proposuerunt Pythagoræi absolutione numeri perfecti, quæ fit per unitatem novenario adjunctam; eorumdemque exemplum sunt decem Categoriæ, seu prima rerum genera, substantia & accidenti distincta, quemadmodum scilicet

*Musæ cum Bacchis suis.*

*Cum Phœbo Venus Gratiæque.*

*Solis flos quâ notâ.*

*Apollini subjunctus draco, quid sibi velit.*

*Hebræorum consonans doctrina:*

*Propositio Pythagoræorum,*

*Aristotelis 10 Categoriæ:*

> *Magnus Aristoteles, trutinando cacumina rerum,*
> *In duo divisit quicquid in orbe fuit.*

*Substantium,* Substantis enim unum est prædicamentum, reliqua novem sunt accidentium. Illud omnibus numeris absolutum in se subsistit, &, quanquam vacuum ab omnibus accidentibus, perfectè considerari & mente plene percipi potest. Accidens verò ita affectum est, ut nisi in subjecto, quod est substantiæ, existere per

*& Accidentium.*

se non possit; nec tamen pars ejus sit. Ad hunc modum numerus Musarum nihil potest sine complemento Apollinis; aut novem Angelorum ordines sine unitate illa Infiniti; sphæræve cœlestes, per Musas repræsentatæ, absque Mitatron seu primo mobili, cujus virtute omnia cætera moventur. Non enim perfecta erit mundi harmonia, nisi denario, quod est symbolum totius naturæ. Hinc Picus in suis conclusionibus: *Frustra adeat naturam & Protheum, qui pana non attraxerit.* Et conclus. LVIII Cabal. *Qui sciverit quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognorit naturam primi numeri spharici, sciet secretum* L *portarum lucis & XXXII sapientiæ semitas & jubilæum magnum.* Idcirco Pythagoras hunc numerum, veluti omnia complectentem, divinum rebatur; in quo & elementorum ordo, & proportiones harmonicæ omnes latent. De his vide plura in Musurgia Kircherii universali.

*Applicatio mentis Græcorum.*

*Picus Mirandulanus.*

*Kircherius Musurg. universali.*

Extremum Arethusa prato huic poculum infundat: quomodo nempe Dii omnes ad unum Solem, ad Lunam verò Deæ referantur: quod cùm aliquoties attigerimus, lectoris nunc intellectui latius interpretandum ducimus. Hinc nimirum origo patefiat multitudinis deorum gentilium, & vel unico hoc optime illustrentur quæ hactenus monstrata nobis sunt mysteria. Igitur etiamsi Argus non sis, qui totus oculeus refertur, si quid vides in religiosis factis gentium nationumque, aut singularium hominum, facile consentias cum Oedipo nostro, ita nimirum comparatam omnium esse naturam, ut spretis iis quæ sensibus remotiora sunt, hæc tantum venerentur & magnificiant, de quibus ipsi oculis suis sensum accipiunt. Deus itaque quum facultate mortali cernendus nulli sit, cujus tamen desiderio etiam maximorum utrorumque * Prophetarum scholam flagrasse notavimus, præpostero studio homines visu imaginem statumque ejus deprehendere quæsiverunt, & infinitum quasi metiri. Hinc, quanquam nulli mortalium, si Deum videat, vita manere possit, ipsa veritate æternum benedicta testante; mens humana nec Deum vivum esse vidit, quem oculis non cognosceret: & horribili hac cæcitate, errorisque mali ebrietate

*Fabularum enodatio summa.*

*Invisibilem videndi cura nihil videntes fecit deos, cultoresque similes.*

** Moses & populus suus; Christi etiam discipuli, poscente Philippo.*

te gentes pene universæ Iſraëlitas tanto ridiculo quanto & odio habuerunt, quaſi qui colerent Deum *incertum*, ut Lucanus ait, vel, ut Petronius, *ſummas cœli auriculas* ſollicitarent. Mens verò vaga & longè peregrinata, ſuiſque ipſa commentis jactata atque eluſa, ad creaturarum ac ſyderum, dies ac tempora divini vi Verbi digerentium & ex uſu naturæ temperantium, adſpectum hæret, ſeque ponit, & quamvis errans ſydus id Numen ſtatuit, cæco nimium opinionis errore. Deus enimvero, qui cœlum verſat, terramque tuetur, mariaque moderatur, atque agmen lucidum aſtrorum ducit, aut cogit, qui magnus ſit Dominus oportet & infinita Rex majeſtate, firma ſemper & immota mens eſt, agitque quiete: qua ſola ratione videri poſſunt qui Solem ſtare, terramque autumant moveri. Nihil tamen in magno hoc mundi theatro melius majusve magis Sole conſpicitur; quem ingenia clariſſima quaſi in ſublimius cœlum tollere laude tentant, quam omnem tamen, ad inſtar Dei, modo longe inenarrabili excellit. Siracides, cui ſequenti imaginem ſapientię & hic pene deficiunt verba, *opus Excelſi admirabile* proclamat; Sponſo procedenti è thalamo, compto nimirum, & ſplendido, comparat hunc Pſaltes regius. D. Gregorius Theol. *Senſibile hujus mundi Numen* appellat; Ambroſius *diei jucunditatem*, *cœli pulchritudinem*, *naturæ gratiam*, *creaturæ præſtantiam*. Phænicum veteres Theologi μόνον οὐρανοῦ Θεὸν dixerunt, tantaque eum veneratione proſecuti ſunt, ut Anaxagoras, ſive ipſe ſe interrogaverit, ſive alius interrogationi inſtiterit, in quid natus eſſet, ut Cœlum Solemque aſpiciam, reſponſum dederit; hinc Pythagoras nefas duxit atque edixit, ſi quis adverſus Solem intenderet pudorem, urinæ reddendæ. Athenæus τὰ ὅλα συνέχοντα καὶ διακρατοῦντα θεὸν pronunciat. Divinus Plato ipſum bonorum omnium veluti originem conſiderans, inviſibilis illius Boni filium conſpicuum prædicabat; perſpicuam eundem Dei ſtatuam vocans, in templo Vniverſi ab ipſo Deo poſitam, & intuentibus ubique ſuper alia admirandam. Anaxagoras antè citatus, *candens ferrum* dicebat, & omnia ex eo gigni ac conſervari; ferrum ſcilicet ita diſpoſitum, in quod volueris opus transformabis: ſed magnificentiùs ejus diſcipulus, Euripides, *auream glebam*. Cicero *principem luminum* indicat; *Cœli rectorem*, *omnia intuentem*, & *omnia audientem* Plinius effert; *cor cœli* Heraclitus, *almum* Horatius: *decus omnis pulchritudinis* nulli non celebrant, quos pulchros vidit ipſe Phœbus; quem, cùm rota roſea lucem ac diem in orbem invehit,

*Flammiferumque jubar terræque poloque reducit*,

quanta uno nictu atque ictu luſtret ac illuſtret, animo magis quam oculo cernimus; proprio autem ſenſu haurimus, quàm mirabilem in animantibus, in rebus etiam aliis excitet amorem, oculis præcipue hominum ſumma jucunditate gratiſſimus, tàm animi quàm aeris nubila, quaſi præſenti divinitate, ſerenans; terramque divitiis ſui caloris ditans, & quicquid vel intima ejus viſcera occulunt, vel maria tegunt, fovens & ſervans: unde non male Orpheus vivificum ac æterni cœli oculum, luminis fontem, cecinit. Minutius Felix: *In Solem adeò rurſus intende; cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus, pariter præſens ubique intereſt, & miſcetur omnibus.* Verum enim, ut vetus proverbium apud Hebræos habet, *ubi multa pulchritudo, ibi multa eſt deceptio*, ſicut *ubi lux multa, & multa ſit excæcatio*: ita circa hoc infinitæ claritatis ſydus ferè ſine fine contigit, ut quum alii in ipſo contemplando, velut in ſpeculo quodam divinitatis relucefcentis, egregiam & copioſam philoſophandi materiam invenirent, quam multi tamen, velut nycticorax ad lumen diei, abducti ſint ad errores & monſtra opinionum, quod cùm celeberrima priſcorum Theologorum de ejus excellentia relicta teſtimonia, tùm deteſtanda illa ſtultæ antiquitatis ex hoc unico principio deſcendens πολυθεΐα prodidit, qua omni impietati ac falſorum numinum cultui feneſtra aperitur. Nec à diluvio tantùm Noëtico, ſed longe antè cœpiſſe profanum hunc cultum, credibile eſt; probatque id pluribus author noſter, in Myſtagogia Ægyptia; ſimiliter poſt diluvium, tempore haud longo, mortales perverſa ratione, ac impietate & cæcitate mentis abruptæ, *aſtro omnituenti* ut Apulejus ait, *quod ortu ſuo diem pandit*, *oc-*

*caſu*

*Non movet Deitas, cui ſuprà hoc ſenſu tribuitur in cœlis ἀπλάνεια,*

*De Sole viri noctem immeriti:*

*Sirach qui tempore Ptol. Evergetis in Ægypto fuit.*

*D. Greg. Theol.*

*Ambroſius.*

*Phœnices, aliique gentiles, ſapienti Lectore judicandi:*

*Optimè, ut videtur, Plato;*

*Anaxagoras,*

*Cicero eximiè;*

*ut & Horatius,*

*aliique.*

*Thracius Vates.*

*Minut. Felix.*

*Bella originequàm turpiſſimus error,*

*idemque antiquus.*

*Kircherius Myſtagogia ſua.*

*L. Appulejus.*

*casu noctem reducit, conditum vel relatum per plagas mundi, quatuor temporum vices mutat; unde tempestivi imbres & spiritus non infœcundi*, idcirco numen tribuebant, nec alius majoris cognitionem ex tam præclaro indicio capientes. Hinc Zoroaster sive Cham, filius impius Noëmi, & alter eo nomine Chus filius Chami, nec non alii postea Magi [ quibus magnifica ac portentosa hæc appellatio, quæ Chaldæis * atque inde inter Assyrios, Medos, Persas & vicinas Gentes sonat *Figuram ignis arcani sive signum absconditum*, indebatur, simili modo ac in Ægypto Psomtomphanechi, repertoribus rerum atque artium secretarum; ] tam religionis castæ & divinæ, à Semi filiis usque ad nos propagatæ, desertores, quàm naturæ arcanorum, scientiarumque de Deo & Angelis, ab ipso Mathusalah *, filio Henoch ex ante diluvium paterna traditione acceptarum, corruptores, improbarum verò opinionum & secretarum artium à Kainaitis, ut suprà quoque probavimus, ex inde temporum, servatarum cultores, quod varii tam Latini, & supra hos Græci ac Hebræi Arabesque cum Ægyptiis testantur, & ignis cultum, (unde Vr Chaldæorum urbem denominatam consentiunt interpretes, ) & solaria sacrificia, primaque idololatriæ scelera instituisse dicuntur. Gregorius Turonensis: *Primogenitus Chami filius Chus, Cham autem fuit totius Magicæ artis, imbuente diabolo, & primus idololatriæ repertor, primusque statuam adorandam posuit, &c.* cui adsentiunt Clemens libro IV Recognit. & Boissardus in Apollonio Tyanæo. Ignis verò cultum Chamum Zoroastrem monstrasse, Agathias quoque author est; & videndus hac de re Kircherius in pyrolatria Ægyptiorum, veteresque, præcipue Berosus, apud varios allegatus. Ex Rabbinis Hebræorum præclare Benjaminus, authori nostro ita explicatus: *Gens ex filiis Chus astrorum contemplatrix solem pro Deo colit, aris frequentibus & magnis extra urbem, per omnia loca ad dimidium milliare extructis. Summo itaque manè vulgò excurritur, aditurque Sol, cui in cunctis aris simulachra sunt sacrata ad similitudinem orbis solaris magicis artibus extructa. Exoriente autem sole orbes illi incendi videntur, & magno strepitu sonant. Habent autem singuli singulas acerras in manibus, tam fœminæ, quam viri, omnesque pariter Soli thura adolent.* Hæc simulachra Solis sunt, quorum mentio est in Isaiæ cap. XVII: ubi etiam Radack expresse *Chamanim* inventum filiorum *Cham* dicit, unde Oedipus noster ab ipso Chamo nominis etymon derivatum putat. Est enim Cham Chaldæis idem quod calor solis, sive ipse sol, Chamma enim calor est qui mundum universum penetrando calefaciat: unde & Hammon descendit, qua voce Ægyptii fœcunditatem Solis symbolice innuebant, secundum Macrobium: *Hammonem, quem deum occidentem Lybies existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, sicut sol radiis.* In Chamum igitur cum filiis ac nepotibus, Misraimo, Ægypti genitori, Chusio, Phuto & Canaan, quod à casta & vera Patrum sapientia ad impios opiniones & artes monstrificas, quæ nihil sunt nisi magistrorum suorum certa pernicies, declinaverunt, & abominationibus eorum Asia atque Africa omnis contacta fuit, primum erroris in cultu divino crimen confertur: tum in Sabæos, ex Saba Chusi filio, qui littora maris rubri ad ortum & occasum, & in Aquilonem versus, incoluerunt, proavi sui superstitionibus imbutos, ( de quibus luculentè authori nostro, in Obelisco Pamph. & Tomo primo Oedipi, variè citatus R. Moyses Ægyptius, vulgo Rambam, & huic appellatus Abubacer Arabs ) pessimos corruptores restitutæ ab Hermete seu Theuto doctrinæ; nec non ob hanc causam ab ipso, cum in Ægypto rebus præesset, ex finibus regni expulsos. De perversa hac ratione Magiæ ac doctrinæ corporum cœlestium Lactantius Firmianus nihil cum dictis dissentiens, Chamum ait Noëmi filium impudentem & maledictum in Arabiam Ægypto finitimam profugisse, ibique primùm idolorum constructione totam circumjacentem viciniam infecisse; cum verò immensam hominum multiplicationem angustiæ locorum non caperent, hinc inde in varias sedes dispersos, paulatim insulas, mare, omnesque Mundi partes replesse. Cum verò à sancta radice sejuncti essent, unumquemque juxta arbitrium ac voluntatem suam novos ritus, cærimonias atque

*Zoroastres Cham & Chus.*

** queis hanc solis fuisse monstrat auth. in Pamph.*

*Zoroastris nomen quid sonet.*

** vide quæ suprà locis aliquot vidimus.*

*Superstitio Chami, ejusque posterorum:*

*Vr Chaldæorum.*

*Gregor. Turonensis lib. I Histor. Franc.*

*Rabbi Benjamin.*

*Isaiæ Prophetia cap. 17.*

*Chami Chaldæis appellatio quid denotet,*

*& Hammonis apud Ægyptios.*

*Macrobius.*

*Primi à diluvio authores artis magicæ:*

*eorum successores;*

*citante Kircherio Rambam & Abubacer.*

*Sabæi ex Ægypto fugati.*

*Lactant. Firmianus.*

*Origo perversi cultus divini.*

que religiones conſtituiſſe, quæ ad Ægyptios potiſſimùm dimanarunt. Arabes etiam ante diluuium idololatriæ authores referri: Quum inter cæteros mortales hos cultui improbo maximè deditos fuiſſe, notiùs ſit, quàm dici debeat; quod plurimùm delicioſa illius terræ conſtitutio promoviſſe videatur. Cùm enim, ait, ædibus, aut tuguriis ſuis rarò ſe continerent, totamque noctem ſub cælo ſereno, ac nullis malignis tempeſtatibus obnoxio, dormiendo conſumerent, è frequenti cœleſtium corporum aſpectu, atque tam conſtanti lege procedentium ſtellarum curſus, motuſque multiplicis ac varii, planetarum, Solis & Lunæ contemplatione, in eam paulatim devenêre opinionem, Aſtra Deos eſſe & rerum univerſi conſervatores: quos ideo variis cærimoniis colebant & venerabantur. Adſentit hiſce Euſebius in Chronico, & S. Ioannes Damaſcenus, qui fabricam idolorum Serucho nepoti Chami aſcribit.

*Arabes idololatriæ cultu ante omnes ſemper nationes fuerunt: Cælum eorum.*

*Euſebius.*

*Ioh. Damaſcenus.*

Sed, quem jam dixi, doctrinam, Miſraimo & Ægyptiis ab initio depravatam, reſtituiſſe, Triſmegiſtus poſtquam de vita exierat, ab illo ſucceſſores, viri Mercuriales, nimium quam parum æſtimando, ac colendo Hieroglyphicam ſapientiam, & Aſtronomicam, nonnulla & affingendo (ipſa mente humana, cui volenti talia plus æquo cognata ſunt, pronâ falſis & commentorum retinentiſſimâ, abducente etiam diabolo à ſaniori rerum philoſophia,) contaminarunt optimam rationem, & tradita naturæ arcana in manifeſtam ſuperſtitionem deduxerunt: unde mox prodigioſa illa deorum mythologia, brutorum cultus, ſacrificiorum ridiculæ cerimoniæ, planctus & lamenta ſuper Oſiridem, fabulæque Hori, Typhonis, Serapidis prodierunt; & accedente colludio Satanæ, magia quoque diabolica, oraculi reſponſa, idolorum loquentium fabrica, & quamplurima alia damnatorum operum; quorum publicum ſeminarium ac theatrum Ægyptus eo tempore facta erat. Has deviæ mentis nubes ad Solem, quaſi in ipſo Sole, caligantium, illuminate depingit apud Oedipum noſtrum ex M. S. citatus Syriacus author Mor Iſaac, cujus hæc ex interpretatione mens eſt: *Et poſt hæc extitit tempus quum homines eſſent depravatis moribus, abirentque ad opiniones ignorantiæ, quæ ita inſertæ cultu dæmonum convaluerunt: his implicati errorem rei alterius pro altera erraverunt, (ſtellas) ratione & libertate præditas arbitrati, ac penes quas dominium univerſi eſſet: eoque abduxit ipſos Satanas, ut has eſſe opifices rerum crediderint, & unas quaſque de iis Numinis vocabulo uſurparint, ac divina coluerint veneratione, ſingulis ſtatuas ponentes & ſimulachra, atque altaria, cum holocautomatis; & incenſis &c. quumque Satanas ipſis ſubinde reſponſum de ſimulachris ferret, plurima fraus facta vel futura manifeſtantis, vel arcana revelantis, denuntiantiſque ex locis diſſitis nova, & ſimilibus plurimis ludentis.* Ad eundem igitur, ut Arabes, Sabæi, & Chaldæi, ex Chamo fratres Ægyptiorum, omnemque ſupra modum, Solis & hi cultum proſecuti ſunt, non alia philoſophiæ ratione ſeducti. Nam ut ille ſanctiſſimus author, quem antea de cæteris audivimus, ait, *cum cœlo fruerentur ſereno, nulliſque malis impreſſionibus obnoxio, otio adhæc & deliciis* *, *quibus univerſa Ægyptiorum tellus ſcatebat, torpeſcerent, decoram cœli faciem, cum reliquo ſtellarum ordinatiſſimo exercitu conſiderantes, cùm Solem in medio veluti vivificum mundi oculum, ac harmonici ordinis choragum, immortalem illum Iovem virtutis ſuæ ſigillo univerſa temperantem conſpicerent, cum aliquid ſupra naturam excellentius, nimirum* τὸ Θεῖον, *quod virtute ſuâ omnia moveat, mota diſtinguat, diſtincta ornet, calore veluti amore quodam ſympathico diſtincta uniat, arbitrati ſunt; quem ideo non inconvenienter vocabulo mundi animam appellabant; quæ ſphæram Solis totam implendo, per globum illum igneum, veluti per cor quoddam radiorum diffuſis ſpiritibus, vitam, ſenſum, motum toti tribuat megacoſmo.* Mundum enim, Iamblicho teſte, animal quoddam credebant, & cœlos etiam, ſtellaſque eſſe animalia, exiſtentium verò rerum animas intelligendi vi præditas, mentem divinam quadamtenus participantes; nimirum *quod quædam animalis intelligentia per omnia permeet & tranſeat*, ut eſt apud Ciceronem: inſuper cuilibet rei Deum aut animam quandam præeſſe, atque hinc omnia plena diis, ætheremque, aëremque, & mare, & terram, nulloſque non angulos mundi, in ſylvis, montibus, pratis, fluminibus, urbibus etiam ac habitationibus; adeò

*Sacerdotum Ægyptior. ſuperbia doctrinam Hermetis corrupit:*

*Spiritu maligno inſaniam augente.*

*Scatebra omnium commentorum.*

*Oedipus ex Mor Iſaac.*

*Scilicet mentes acclives falſis nec Solem meridianum admittunt.*

*Lactantius Firmianus lib. 2 Inſtit.*

** ex more Menis, de quo ſuprà.*

*Ad ſolem quamvis cum oculis cæci.*

*Iamblichus.*

*Mundus, cæli, ſtellæ, animalia credita.*

*Cicero.*

*Homero nullus deorum vacuus locus.*

*Omnia Phœbus erat:*

adeò ut hic aptiſſimum ſit quod Maximus Tyrius ait, οὐδὲν τῷ Ὁμήρῳ μέρος ἄθεον, ſi pro Poëtæ nomine Ægyptios ſuppoſueris. Singulis verò deorum divinos honores, diverſis nempe diverſa dicabant. Vniverſas demum animas ad unam illam, quæ Mundi dicebatur, referentes, totam nimirum portentoſam Deorum architectionem ad Oſiridem ſuum, ſeu Platonicum Deorum Patrem, Solem, in quo cætera numina repræſentarentur. Ab hoc errore, quaſi ex aliquo fonte, deducta ſunt variorum populorum ſtolidis ritibus, impiiſque immolationibus contaminata ſacra, ut Iſiaca, Adonica, Ithyphallia, Pamelia, Omophagia, Peſſinuncia, Mythriaca, &c. hinc eſt, quod Ægyptii tot animalium genera aut monſtra larariis ſuis colebant: etiam quicquid colore, ſapore, figura, actionumque & operum ſimilitudine Solis virtutes referebat, veluti Solis filium, animatamque ejus effigiem, Euſebio teſte, ſacrum habebant. Inde ſolares Angelos, animalia; etiam herbas, plantas, lapides ac metalla Solariorum nomine & cultu quodam præ cæteris ſingulari proſequebantur. Angelos nimirum ſeu Dæmones ſolares variis cantibus, adjurationibus ac necromanticis quibuſdam figuris provocabant in idola, à quibus accipiebant reſponſa: in animalium virtute, quod refert Proclus, divinationes, & rerum futurarum eventus colligebant; horumque imaginibus magicâ methodo adumbratis, amuletorum phylacteriorumque loco utebantur, omnia iis morborum genera nullamque non infelicitatem pelli arbitrantes. Figuris verò magice adumbratis, & in ſaxis ac lapidibus inſculptis æternitatem dare conati ſunt. Hoc originem Obeliſcis dedit, quos ſuprà diximus ex ſolo pyrite, ſive πυροποικίλῳ factos, eâ quoque figurâ, ut radios ac naturam Solis copioſè repræſentarent. Itaque quemadmodum Solis ortus *vaga ſydera cogit*, ut cum Tragico faciam, adeò ut cunctis quaſi conſumtis, aut congregatis, junctiſque nihil appareat niſi Sol, quem ita verè dixeris quòd ſolus exhauriat omne cœlum: ſic ad unicum illum Oſiridem referuntur innumera pene aliorum populorum Numina [ aut fictitiorum potiùs nomina: ] quod ſatis ſuperque commonſtrant Perſarum Mythras Perras, & Nunna Medorum, Æthiopum Ammon, Phœnicum Beelſemon, Adonis Aſſyriorum, Babylonicorum Belus, Græcorum Apollo, Arabum Attullan, Baſilidis Αβραξας, Ιάω, & Σαβάω Gnoſticorum, Valentini αἰῶνες, ſimiliaque monſtroſiſſima vanitatum commenta, quibus univerſis ad eundem ſcilicet Phœbum Apollinem ſpectant; quem ſive cum Statio,

*Innumeræ Phœbo res ſacræ.*

*Vſurpatio nefanda Angelorum ſolarium,*

*Brutis aſcriptæ virtutes fallaces:*

*eorumque figuris,*

*perpetuas manere cupitis:*

*hinc cauſa Obeliſcorum.*

*Soli ab aſtris cedi,*

*Oſiri cunctis à numinibus.*

———————*roſeum Titana vocemus*
*Gentis Achimeniæ ritu*,

ſive Frugiferum Oſirin, ut idem ait, aut cum Nilo * Serapim, quod Martianus Capella, ſeu Mythram, aut Solem, vocitemus, nihil apud ſapientiores aliud quàm unius ejuſdemque virtutes diverſique effectus ſignificare videntur, quemadmodùm rectè Iamblichus, Iulianus, Macrobius aliique teſtantur; & nos deinceps explicatius deducemus, quo nihil reſtet Lectori, quin erroris gentilium, & in ipſo aberrationis imperitorum, & delirationis porrò, ſive malint confictionis Poëtarum nodum quaſi Gordium apertiſſime reſolutum dijudicet.

** Ægyptiis Nili accolis.*

*Diverſa Phœbi vocabula.*

Ægyptiorum enim in fabricandis diis commenta meritò prima ducimus, quæ uti omnia in Oſiride & Iſide conſumebantur, ita virtutes deaſtrorum per varias animantium formas myſtice indicabantur. Sic per accipitrem, Solis & Lunæ vim igneam; per hircum, fœcundam; humidam, per crocodilum; per Ibim vim noxiorum conſumptricem; per bovem, vim in omnes fruges, & ſic in cæteris, de quibus infra deinde latius. Pari ratione ſymbolum Chaldæorum erat Ignis, Perſarum Mythras, Babylonicorum Belus, * Thamuz Hebræorum, Phœnicum Adonis. Nam cum ob cœleſtium corporum diſtantiam cultores numinum præſentiæ (ſi diis placet, non abſentibus, nec de aliis forte occupatis) ſacra eis minus commode aut ad votum facturi viderentur, (nimirum quum longe ſuis precatoribus eſſet numen tam divinipotens) hinc ſymbola, quæ congrua ducebantur, in eorum honorem conſecrarunt. Tale fuit apud Phœnices idolum Domini, hoc enim ſonat Adonis, vocabulum Syriacum

*Chamigenum ſuperſtitionis error omnium princeps.*

*Hieroglyphica Solis:*

*Ejuſdem apud alias gentes ſymbola.*

** De quo Ezechiel cap. 8.*

*Quâ de cauſa inſtituta.*

*Thamuz ſive Adonis idolum Solis primum apud priſcos Theologos.*

riacum, teste Hesichio: nempe & Laconibus κῖεις & κῦεις dicitur, id est κύειος, eodem authore, ut & Ptolemæo, de Orientalibus referente, qui Trigono Aquilonari subsunt, quod Venerem adorent & Martem Adonin seu Dominum.

*Ptolemæus.*

*Dagon Philistiis unde dictus sit,*

Ita Lunam significasse videtur Philistinorum seu Azotiorum Dagon, sic dictus vel à piscium squamis, quas indumentum ejus referebat; vel à frumento Hebraicè, eò quòd ei frumenti adscribebatur inventio: putamus enim figuram Dagonis ex humana & marina mixtam, hominem fuisse capite & brachiis pedibusque, sed qui desierit in piscem, quod est symbolum maris, primo & simpliciori hujus idoli significatu.

*ἰχθυόμορφος fuit.*

*Piscis symbolum maris antiquitus.*

Primis enim seculis idololatræ tantum beneficas naturæ vices adorabant: accedente postea dæmoniorum cultu, iisdem sacris, & in similibus statuis varia intendebantur mysteria aut potius scelera; nam & mortuos cum Dæmoniis, & naturales machinæ Vniversæ facultates cum Solis & Lunæ, Telluris & Oceani muneribus confundebantur.

*Levis primo superstitio successione sive accensione consentientium gravescit.*

Hinc Luna, Venus & Mare in Dagonis, sive, quam cum illo * eandem putamus, Dirces [ Græcis est Derceto ] aut Atergatis figura; & in Astartha, Luna, Venus & Tellus; utraque vero in Iside continebantur: sic uti Sol, Iuppiter, Saturnus, in Baal; & Moloch in Osiride. Inde dii patrii & genii innumeri, & vix pauciores Lunæ, Veneres, Soles, Iunones, Saturni &c. indeque innumeræ illæ ubique gentium statuæ quæ singulæ nulla non numinum nomina capiebant; ut ex unius multiformi cultu πολυθεΐαν profluxisse, clarissime pareat; nec, quanquam diversis sacrorum ritibus adorata, numina ipsa differre. De variis inter Gentes idolis, quæ tam in sacris literis, quam profanis autoribus, memorantur, vide porro Oedipum in primo tomo, & authores ibi citatos.

** Veteres enim sexum deorum sæpe confundebant.*

*Oedipus Templo Isiaco.*

Græci verò innumeris suis deorum genealogiis, commentis Ægyptiorum, Hebræorum, Chaldæorum, Babyloniorum, aut Phoenicum, complementum dederunt, nullis tamen non deorum vel Solis vel Lunæ cognationem: ita quidem ut teste Macrobio, Phornuto, Fulgentio, Apollodoro, & ex recentioribus Hieronymo Aleandro in Tabulis Heliacis, Saturnus, Iuppiter, Pluto, Apollo, Bacchus, Mercurius, Hercules, Æsculapius, Neptunus, Vulcanus, Mars, Æolus, nihil aliud fuerint, quàm diversæ unius Solis facultates.

*Hellenes figmenta Ægyptiorum, &c. pluribus additis variarunt.*

De Saturno & prioribus ante diximus: Apollo, quæ est virtus Solis illuminans, quid significet ætate semper juvenili, quam renascentis per singulos dies Solis vigorem, & pulchritudinem, & vim caloris? Arcum verò sagittasque illi tribuunt, quoniam de circulo ejus radii in modum sagittarum exsiliunt; eademque ratione sagittas etiam Dianæ dant: unde radii ab Ausonio *tela diei*, apud Prudentium *spicula*, dicuntur. Huic tripodem adjunxere, qui temporis triplicis, præsentis, præteriti & futuri, differentiam, motui Solis tribuunt. Musicus idem est, ob harmoniam universi; Medicus, qui in omnibus calorem naturalem foveat; Pastor, quod producat gramina, herbas, fruges &c.

*Sol Apollo dictus:*

*Symbola Apollinis;*

Corvum quoque & Cygnum ipsi dedicarunt, ad indicandam vicissitudinem noctium.

*Corvus ac Cygnus, noctem, diemque notant.*

Hercules est virtus Solis roborativa: quod paret ex symbolis ejus, clava & pelle leonina; quarum alteram sapientes ei accommodarunt, ut inæqualitatem motus indicent, alteram verò quòd in Leone præcipuè vires suas ostendit, quod est apud Porphyrium. Labor vero duodecuplex, quo Hercules robur suum probasse memoratur, (de quo ad moralem intellectum transferendo, vide apud alios) optime congruit effectibus Solis, quos duodecim cœli domicilia quotannis percurrendo exantlat. Nec aliud per Herculem quàm Solem intelligi, ipsum nominis etymon probare videtur, quasi ἥρας κλέος, aëris splendor & gloria: nec minus quod Musagetes, sive dux comesque Musarum dicitur, huc faciat; similiter & fabulæ de ipsius per totum orbem itinere descensuque ad inferos, pomorumve aureorum in horto Hesperidum, hoc est stellarum fulgidissimarum poli in spatiis amœnis, dejectione.

*Sol Hercules: Ipsi addita clavis & leo:*

*ejusdem duodecim exercitiis labor.*

*Vnde dictus Hercules,*

*aut Musagetes.*

*De ipso narrata fabularia.*

Bacchus, quem vino præesse finxit ingeniosa antiquitas, nihil aliud quam vis Solis humectiva & maturativa est, qua omnes omnino res, ab Autore naturæ in utilitatem hominum conditæ, debitam perfectionem consequuntur, arbores, vites, plantæ suc-

*Sol Bacchus:*

succo replentur, turgescentes fructus peptica solis virtute ad maturitatem reducuntur, maximè verò vinum, ob consimilem cum Sole naturam. *ejusdem attributa;* Hinc enim fingitur juvenis, & deliciosus, falax, furibundus, aureisque cornibus, & nunquam sine hedera, claræ demonstrationi, quod non alius quam Hercules aut Apollo sit. *eum fabulis.* Ideoque & orbem terrarum peragrasse, & ad inferos descendisse refertur; Indorum præcipue victor, ad fervorem Solis sub zona torrida designandum: quo facit quod animalia velocissima & calidissimæ * naturæ consecrata habet, Solis nempe pernicitatis ac vis igneæ indicandæ causa: ** hinc & Laurus Apollini dicata est.* Nebridem tamen maculosam, quæ ei à Diodoro tribuitur, vel distinctum stellis candentibus cœli tapetum, aut tabulatum, vel rerum in sublunari mundo productarum varietatem demonstrare puto. *Pelles Nebrides Bacchi, unde & ipsi Nebrites sacer habitus.* Clarè ad hoc, quod de ejus nativitate vi flammarum promota narratur, eleganterque alludit vetus Poëta:

*Sic Apollo, deinde Liber sic videtur legifer,*
*Ambo sunt flammis creati prosatique ex ignibus,*
*Ambo de comis calorem, & ambo radios conserunt.*
*Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*

*Mercurius, cum Sole comparatus:* Mercurius, Græcis Hermes, est virtus Solis attractiva, cæterum ab Apolline, Hercule, Baccho nihil differens; quod planius fit symbolorum eidem datorum consideratione. *L. Apul.* *Puer* enim, ait Apulejus, *luculentus, nisi quod Ephebi chlamyde sinistrum tegat humerum, flavis crinibus conspicuus: inter comas ejus aureæ pinnulæ simul conjunctæ prominebant cum caduceo & virgula:* quæ singula Solem indicare non dubium est. *Ejus symbola: ut Galea & alæ;* Namque ad galeam, pedibusque adjunctas alas gerens significare videtur Solis celeritatem, incognita ac secreta patefacientis; aut potius virtutem illam qua vapores & exhalationes aufert; *quare fur dicatur;* unde Mythologis fur dicitur, & Cleanthi apud Macrobium Lycius, siquidem ad instar lupi pecora rapientis tollit humores. *Virgula serpentifera,* Virgulam verò & caduceum dicimus esse signum concubitus Iovis & Rheæ seu Cereris, ex quo orta Proserpina; nimirum is factus dicitur sub forma draconum, significatque conjunctionem ætheris & terræ ad frugum procreationem, quod ad vim Solis pertinere nemo non intelligit: fuitque illa ex arundine, ex qua tela, symbolum radiorum Solis, olim fiebant; tribusque coloribus conspicua, aureo, glauco, ac nigro, ut indicaret cœlestia, terrestria, & aëria, quibus virtus solaris præest. *eademque tricolor.* Fabulam verò Argi πολυοφθάλμου, quem Mercurius interfecit, quid aliud nobis insinuare sentias, quàm Solis ortum, qui caput sive frontem, quam tot lucidissimis stellulis speciosam cœlum extulerat, aufert: *Mercurius Argum exoculat.* sed alia præter hæc symbola Mercurio attributa videas apud authorem nostrum, locis paulo ante citatis. Sol porro Neptunus dicitur, propter dominium in mare & flumina; *Sol Neptunus dictus;* Pluto ob subjectas sibi partes subterraneas; *& Pluto;* Vulcanus ab ignea sua vi, *& Vulcanus;* uti Mars à fervore quem in animantibus procreat; Æpidaurius deus virtutem illius salutarem designat; *& Æsculapius;* idemque rursus Pan vocatur si fœcunditatem cuncta penetrantem respicias; *& Pan.* quod si ventos tempestatesque excitantem, vim, quæ exhalationes cogit, Æolus nominatur. *Æolusque.* Cum verò varias hasce virtutes in aliis quoque sideribus, & planetis potissimum agnoverint, stellas quoque quæ solari luce imprægnatæ similes effectus præstant, luce Solis adjutæ, simili nomine nuncuparunt. *Solaribus nominibus, quoniam virtutibus, & stellas venire.* Eusebius de Præparat. Euangel. habet, cerberum appellatum fuisse tricipitem, propter tria superioris regionis veluti capita, Ortum, Occasum, Meridiem. *Eusebius, de Cerbero;* Idem pro Saturno Horum nominat; & virtutem corruptivam ait communicare cum Serapide. *deque Horo.* Porrò quemadmodum Solem unum substantia, virtute multiplicem, activum rerum omnium principium dicebant, ita Lunam quoque unam quidem causa, effectuum tamen vi variam quoque fecerunt, sed tanquam principium passivum, Solisque conjugem. *Luna Solem referens: omnibus matris deorum Magnæ vocabulis notata;* Hinc Magna Deorum mater, nullisque non titulis Dearum appellata fuit: Rheæ primùm, quòd influxum Solis concipiat, & generationis rerum altera sit efficiens. Ceres eadem audit, propter fructuum generativam virtutem; *Cererisque;* Lucina vel Iuno, quasi vis illuminativa aëris; *& Iunonis;* Venusque tanquam seminalis facultas; *Veneris,* Proserpina, ut productrix herbarum; *Proserpinæ,* Bellona, *Bellonæ,*

ceu

*Hecates,* ceu rerum domitrix; Hecate, velut in subterranea potens; & ob varias ejus corporis figuras, quas à distantia solis sumere videtur. *Thetyos, &c.* Thetys eadem est, ex causa concitandi, & augendi maria, aut humida quæque; Minerva, ob calorem salutiferum; Diana, quòd polleat in sylvis, & arboribus; & Flora quòd in vegetabilibus, herbisque & graminibus. Ampliùs de Lunæ operationibus & actionibus in res subjectas, videatur modò citatus Eusebius libro III, cap. III. Præparationis Euangelicæ; & ipse Oedipus de gentium pene universarum idolis & falsis numinibus. *Oedip. Templo Isiaco,* Ita Dii Deæque omnes, quum nihil aliud sint quàm virtutes & operationes Solis & Lunæ, in his astris uniti sunt, sed extra illa effectibus probè apud improbos cultores distincti.

*Ad signa symbolorum transgressio.* Peregimus Symbolicæ rationis partem maximam, nempe fabulares historias Deorum Ægyptiorum, cui intexuimus summam doctrinæ Hieroglyphicæ, ad sensum anagogicum, physicum & moralem explicatæ, annexis & Græcorum fabulis post Ægyptias cultissimis: ampliùs vero nihil restat, quàm ut signa figurarum propiùs contemplemur, quippe per quæ fabulæ loquuntur. Hieroglyphicam enim sapientiam non nisi figmentis allegoricis repræsentari supra indicavimus, totamque scenam Deorum sub animalium habitu produci, & rerum omnium theatrum in variis figuris quamquam nemini nisi doctis patere. Nimirum deflectentes à Creatore ad creaturas, solem, lunam, & astra adorarunt, deinde & animalia quoque sacra habuerunt, *Vnde symbola desumpta.* in quibus scilicet affectiones qualitatibus cœlestibus comparatas notabant, nec non & res alias venerati sunt, in quibuscumque sympathiam cum lucidis orbibus convenientem reperiebant: *De symbolorum multitudine:* quarum deinde figuris ad describenda sacra mysteria in materiis electis mysticis, qualis est Obeliscorum, usi sunt. Nihil vero tam vile erat, unde hierogramma Ægyptii efficere nolebant. Non infinitus tamen propterea ad consignandam hanc sapientiam numerus notarum est, quamquam ita multis videatur. Nimirum Oedipus noster in universa scriptura hieroglyphica, ex Asia, Africa & partibus Europæ principalibus congregata, institutâ singulari comparatione certaque combinatione, distincti generis hierogrammata non ultra trecenta numero novit: quæ omnia potissimùm triplex ordo absolvit. *Eorum classes tres; Prima,* Principes formæ à diversis desumuntur animalibus, & sunt humana, aut quadrupedum, volucrium, serpentum, insectorumve; eæque vel ab integro corpore, aut parte aliqua corporis formatæ, vel ex variis compositæ, quales sunt ἱερακόμορφαι, κυνάνθρωποι &c. *Altera;* Proximi generis figuræ sunt herbarum, vasorum, baculorum, sceptrorum, crucium, ararum, sedilium, instrumentorum artificialium, ac varii habitus, diversorum ornamentorum capitis, instrumentorum musicorum, figurarum geometricarum, & verbo, omnium rerum quibus vel in festis ac solennitatibus Deorum passim utebantur, vel quæ Osiridem, Isidemve ac reliquos Deos aliquando usurpasse credebant. *Postrema.* Tertiam classem constituunt ea symbola, quæ à Clemente Alexandrino κυριολογικὰ dicuntur, hoc est, quæ similitudinem quandam ad res quas denotant, obtinent, uti figura Solis & Lunæ, portuum, murorum, coronarum, limitum, flammarum, aquarum, craterum, piscinarum & similia, quæ nihil aliud ac rem, quam referebant, significabant. Præmissa generica hac divisione porrò enumerabimus animalium ferarumque genera.

*Primæ classis generum eligendi cautio an superstitio.* Notandum autem, Ægyptios, grandi supercilio homines, teste Strabone & Herodoto, nunquam egressos terram suam, discendi gratia, quippe qui reliquas gentes pro ignaris barbarisque haberent, atque ideo haud magnam animalium peregrinorum notitiam habuisse, sed in suorum tantum, quæ maxime obvia erant, cum ipsi hoc ipso facti essent animalia bruta, virtutibus, proprietatibus, indole, sympathicis & antipathicis affectionibus, aliisque naturæ dotibus perscrutandis totos fuisse, etiam quoscunque nutus, teste Plutarcho, gestusque & minimas actiunculas magna superstitione observantes, nempe in quibus cognoscendis partem philosophiæ suæ secretioris ponerent: & hinc falsum esse apparet quod Marcellinus memorat, ferarum

etiam alieni mundi genera multa Ægyptios insculpsisse in Obeliscis. Nam & pisces, utpote ignotos & quorum actiones perquirere non liceret, ideo non descripserunt inter hieroglyphica symbola, exceptis tamen Oxyryncho & Phagro, qui devorasse pudendum Osiridis dicebantur. Nimirum cum sapientes maxime respicerent Solaria ac Lunaria, quæque dotibus naturalibus Deorum suorum proprietates referrent, ideo timebant, ne si incognita animantia admitterent, Arimania seu Typhonia pro Oromasdæis ac Osiriacis reciperent, atque ob hoc magna cautione utebantur in symbolis suis: etiam gallum gallinaceum propterea negligentes, nempe quod Leoni, solari animali contrarius esset, ac Typhonio spiritu plenus; adeò ut si in monumentis antiquis figuræ aliorum animalium occurrant, nempe vel Cervorum, Elephantum, Gallorum, Ursorum, Lyncum, Camelopardalum, Rhinocerotum, Bisontium, Alcium, Struthionum, Psittacorum, & similium, autores non Ægyptii, sed vel Græci sint censendi, vel alii. Multitudinem igitur quadrupedum usitatorum hic versiculus comprehendit:

*Symbola aliena:*

*animalia symbolica Ægyptia:*

*Simia, Bos, Ariesque, Hircusque, Leoque, Canisque,*
*Ælurus, Lepus;*

quibus ex amphibiis accedunt Crocodilus & Hippopotamus; inter simiarum vero genus ponimus Cynocephalum quoque: præter hæc nulla in toto hieroglyphicorum ambitu invenies nec integra, nec ex aliis mista ferarum quadrupedum signa. Hinc quoque suspectus redditur Horus, qui eas animantium species passim in hieroglyphicorum album describat, quæ nusquam in ullis hieraticis schematismis occurrant, quæque non dicam Ægypto, sed nec aliis quidem nationibus aut mundo aliquo cognita fuerint, ut Hyæna, Phœnix & similia: at ipse Horus sua autoritate hoc ἀποθεώσεως honore illa cohonestasse videtur. Sed & si in Ægyptum peregrina quadrupedia sint allata, Ægyptiorum tamen sacras notas, Deosque præsides nisi quæ Ægyptus genuisset, non decebant. Quadrupedum varietatem excedit magis multiplicata volucrum copia, quamvis non in tantum ut rerum ignari putassent: sunt enim Accipiter, Ibis, Columba, Anser, Ciconia, Upupa, Meleagris, Hirundo, Phœnicopterus, Cornix, Noctua, Coturnix, Passer, & ex insectorum genere Scarabæus, Musca, Papilio δρακοντόμορφος: hæc genera si nota tibi sint, nullum inter hieroglyphica aliud occurret. Ex reptilibus verò sunt Serpentes, Ranæ, Aspides, Dracunculi, quibus agmen primum clauditur. Altera classis symbolorum tanta non est, nec tam difficilis ut earum significatio ex autoribus antiquis haberi non possit. Et plantas quidem alias non possident hieroglyphica quam Perseam, Palmam, *Lotum*, Colocasiam, *Satyrium*, Seriphium, Hederam, Omomi, Papyrum, Arundinem, *Acaciam*, *Motmuti*, juncos, folia Quercus & Ficus. Tertiæ diversitatis symbola ipsa tam clare loquuntur ut amplius loqui de illis necesse non sit. Igitur ne diffidentia aliqua ab hoc sublimi & vel sola antiquitate sua per quam recommendato studio [non enim apud Ægyptios scriptura symbolica primum recepta est] ingenia avertantur, præclarè monet Oedipus.

*Hori symbola non Ægyptia.*

*Avium sacrarum caterva:*

*Reptilium globus.*

*Plantarum index.*

*Studium symbolis sacrandum.*

Sed non semper simili in loco symbola posita, nec idem ubique significant; at pro diversitate partium aut augmenti quo variant, discrepantem accipiunt significationem: ita scilicet accipiter desidens aliud significat, quam si volare videatur, & aliud si cum tutulo; ejusdemque vel capite solo, vel penna tantùm posita longè diversum significatur. Igitur si quis cum Oedipo in solvenda antiquitatis Sphynge proficere velit, duobus maximè instructus esse debet: nempe primo ut sacrorum animalium virtutes, & proprietates quoque plantarum, nec non instrumentorum rationem omnem probè pernoscat, & ad analogiam à priscis intentam secretiori eorum Philosophiæ & Theosophiæ dextrè sciat applicare; iccirco mox alterum quoque requiritur, Hieroglyphicæ illius doctrinæ scientia penitior. Literæ vero hiroglyphicæ nulla constructione vocum leguntur, sed, ut Iamblichus docet, *dimittendæ sunt voces, accipiendi sensus*. Hinc ea hieroglyphicorum natura est, ut quamvis ordine solenni ab apice in Obeliscis lectio ad subjuncta

*Positio symbolorum.*

*Quomodo se comparet studiosus symbolorum.*

*Lectionis hieroglyphicæ ratio in Obeliscis,*

cta perpendiculari deſcendat continuatione, ſicuti ab alto deducitur in inferiora Mundorum Archetypi illius influentia; nihilominus deorſum, ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum & quocunque tandem ſitu ponantur, ſenſus integer & perfectus accipiatur: ſitus tamen pro conditione diverſorum ſubjectorum quibus incidebantur, nonnumquam mutatus videtur, quemadmodum de ſimplicibus characteribus ſuprà retulimus. Nam in Obeliſcis ut plurimum perpendiculari ſitu in ordinibus ſuis exhibita ſunt hieroglyphica; in tabulis verò marmoreis planum ſitum & Horizonti parallelum obtinebant; in ſtatuis verò miſtum ex omnibus, nempe perpendicularem, horizontalem, declivem, ſparſum interruptumque, ſicuti in Tabula Bembina paret. Cave putes tamen, temere & ſine ratione diſpoſitas eſſe notas; nam ſumma omnino ratione connexio facta eſt, & mirifica conſtructione conceptus unus alterum excipit. Verùm ea deinde clariùs deprehendes ubi ad ipſam explicationem venerimus.

*aut aliis monumentis.*

*Syntaxis hieroglyphica.*

Dividuntur itaque notæ hieroglyphicæ certis Hierogrammatiſmis, qui ſunt ſymbola compoſita ex ſimplicibus, quæ vocamus Hierogrammata: utraque ſunt ſecundum Ideam & conceptus abſtruſos rei ſacræ ac ſublimis, quæ, teſtantibus omnibus veterum ſcriptorum monumentis, his notis explicatur. Eſt ea nempe ſcientia Theoſophica, de Deo, ac virtutibus divinis, nec non Vniverſi ordine, & Intelligentiis Mundi præſidibus, ex quorum concatenato influxu omnia in Mundorum omnium œconomia adminiſtrari dicebant: & hæc ſcientia præter mentis contemplationem ſingularis auſi & artis praxin conjunctam habebat, nempe apoteleſmaticam propitiandorum ſuique juris faciendorum Numinum. Nam ſymbola hieroglyphica, uti ex omnibus mundialium rerum claſſibus aſſumta fuerunt, ita magnæ quoque virtutis & efficaciæ fuiſſe, ex Ægyptiorum ſenſu, ob miram & occultam cum ſupramundanis cauſis connexionem, Oedipus ex omnigena eruditione demonſtrat; neque enim primi hujus literaturæ inſtitutores temere & fortuitò quarumlibet obviarum rerum imagines ad ſacræ ſculpturæ inſtitutum adhibuerunt, ſed eas potiſſimùm, quas longo ſtudio & experientia ex abditis naturalium characteriſmorum ſigillis ad mundanas Geniorum catenas magnam habere ſimilitudinem, proprietatem & analogiam, norant: quæ quidem tanto putabantur efficaciores, quanto majorem ad mundanæ alicujus catenæ Numen choragum ſimilitudinem exprimebant; ut proinde hinc Numinum Catenæ, quas Seiras vocant, originem traxerint, ad quas omnia ea, quæ ſive in Sydereo ſive Hylæo Mundo, in quadrupedibus, volatilibus, vegetabilibus, mineralibus, ad Numen, quod catenæ cujuſpiam præſidet, analogiam quandam virtutibus ſuis præ ſe ferre videbantur, tanquam Numini iſtius catenæ tutelæ commiſſa, aſſumerent. Hoc pacto catena Oſiriaca, Hermetica, Iſiaca, Serapica, Momphtæa, atque innumeræ aliæ, nihil aliud erant, quam certæ quædam rerum ex diverſorum Mundorum ordinibus aſſumptarum claſſes, in quibus ſingulæ res, quamtumvis etiam diſparatæ Numinis catenæ alicui præſidentis virtutes & proprietates exprimebant. Et quemadmodum dictas res ab iſtiuſmodi Catenæ Archichorago profluxiſſe autumabant, ita eam quoque ſympathiam cum Numine illo habere credebant, ut illâ poſitâ Numen infallibiliter & neceſſariò, tamquam ad rem ſibi propriè dicatam afficeretur: inde nimirum orta Magia eſt, qua per magicam inferiorum cum ſupernis Entibus veluti paſſivorum cum activis applicationem mirificos effectus producere ſe poſſe credebant; nec non oraculorum architectura ex hoc fonte profluxit, qua per dictam magicam peritiam Dæmones in ſtatuas compingebant, [ſit honor & reverentia caſtis teneriſque auribus] verbiſque barbaris & prodigioſis ad quæſtiones propoſitas reſponſa eorum extorquebant; unde divinatoria natales ſuos invenit. Ex hoc denique capite ars Amuletaria reperta, qua ſacra ſymbola dicto modo catenis mundialibus accommodata, loco periaptorum, ad bonum quod ambiebant, aſſequendum, ad malum verò, quod renuebant, avertendum, portabant.

*Diviſio notarum, ratione compoſitionis.*

*Quid contineatur in Obeliſcis.*

*De ſeiris ſive catenis Deorum.*

*Origo Magiæ,*

*& oraculorum diabolicorum,*

*Artiſque Amuletariæ.*

Igitur

Igitur hæc ſymbola quum efficaciſſima crederentur, & recondita ratione connecterentur, prout nimirum idearum congruentia requirere videbatur, primo in duriſſimis ſaxis, tanquam prototypa quædam æternum duratura, inſculpta ſunt, ut exinde unicuique depromerentur in uſus privatos, eſſentque periapta, bonorum quæ portatores voverent attractiva, aut prophylactica malorum quæ forte timerentur, ideoque dicuntur amuleta & Αλεξητήεια: patetque, nullum fere in Mumiis, Canopis, Sphyngibus, cæteriſque averruncis ſimulachris ſymboli ectypon ſeorſim extare, quod non in ipſis etiam Obeliſcis ſpectetur: nimirum, quod ſupra diximus, totum hieroglyphicæ doctrinæ ſyſtema in his trabibus deſcribi, partes verò partium in minoribus illis ſtatuis. Sed & ſacerdotes ad rationes ideales, quas multiplex ſymbolorum in ſimulachris apparatus exhibebat, ſacrificia ſua, in ordine ad θεομόεφωσιν obtinendam in adytis peragebant.

*Vſus ſacer doctrinæ Hieroglyphicæ.*

Hinc verò paret, quæ cauſa ponendi Obeliſcorum, atque inſigniendi tot formarum notis, nempe ut & forma trabis myſtica & ſymbolo ſpecierum Diis cognatarum deducerent influentias Vniverſi, cujus Ægyptus ipſa ſcilicet haberetur exemplar, & quas tanta pietas exerta tam magnificâ ac operoſâ ſtructurâ tantoque ingenio & arte, mereretur. Animi igitur rerum divinarum habitu perficiendi exaltatio, corporiſque ſalvatio, & fati omnis felix eventus, tum imperii Ægyptiaci perpetua conſervatio erectione aut inſcriptione tam myſterioſarum molium ſpectabatur; quarum qui maximas Divorum honori ſtatuiſſet, illis gratiſſimum feciſſe, & cum terris ſuis optimè egiſſe, creditus eſt, atque inde inter Deos majori veneratione relatus; ut proinde inter Pharaones certamen illud acuum Soli dedicandarum non ad oſtentationem otioſam opum ac potentiæ, nec ad promittendam memoriam factorum quaſi lapidibus hiſce inſcriptam, ut multi imperitè produnt, ſed præcipuè de clariſſimo divinitatis nomine fuerit; quamquam & in alios fines redundârit multitudinis ſubjectæ occupatio, haud minus cum religione Deorum, quàm lucro manupretii conjuncta.

*Quæ fini Obeliſci, cum literis, aut raſi, ſint poſiti.*

Hanc ob cauſam, quòd concernerent hieroglyphica ſalutem & tutelam Imperii, doctrinam ipſam tanto ſilentio diſſimulare voluerunt & ritus quoque ſuos in hypogæis celare omnes, nec niſi Sacerdotibus ſolis ſacra hæc omnia reſerare, regibuſque tantùm ex politico ſtatu univerſo aperire, ne ſcilicet Geniorum nomina, cultuſque debitos placandi vel ad vota inducendi, proderentur vulgo, aut, quod ſummè cavendum, exteris: amare enim Numina occultationem, ducebant, periculumque eſſe ab exteris, ne inſtitutis iiſdem ritibus Numina ab Ægyptiis averterent. Ac ſimili exemplo Athenienſes & Romani ſemper ſummo quique ſtudio caverunt ne de Vrbis ſuæ Genio Tutelari ulli innoteſceret, præterquam iis quibus ratione officii id neceſſe erat, ſtato anni tempore, vel quoties publica neceſſitas eſſet nomen ejus tacitè invocantibus, etiam jurejurando adhibitis ne cui proderent.

*Quare doctrina hieroglyphica occultata ſit.*

Hactenus de Obeliſcis in genere egimus, vidimuſque de origine & autoribus, poſitoribus magnificis, ac ſacerdotibus maxima veneratione viris; nec non de materia, forma, & formis undique notarum, quæ his regalibus ſacriſque monumentis inciſa ſunt, unde quæ finis, quæ cauſa tam admirandorum operum fuerit, continuò pateſcit: nihil verò prætermiſſum puto, quodcunque ad aliquam partium declarationem facere judicatum eſt; atque ideò de re ſacerdotali, hinc de ſcalptura, & literis & ſymbolis, fabularibuſque Ægyptiorum hiſtoriis, atque explicationibus earum philoſophicis, omnia abunde exſecuti ſumus. Progreſſuri igitur ad ſpecialiora Obeliſcorum, & in adytorum ſacrorum interiora penetraturi, ſyſtema doctrinæ hieroglyphicæ præpandere antè Lectori voluimus, id nimirum quod ſuprà oſtendimus fabulis Deorum interpretatos eſſe Ægyptios, & ſymbolis ſacris conſignaſſe memoriæ, tamen ultra artem communem legendi aut intellegendi mandatum; ideoq; & ſymbolorum hierogrammatiſmos potiores præenumerare viſum eſt, antequam profundum ſchematiſmorum ſacrorum ingreſſi catenis Geniorum gravemur, aut occultis mentium ſupernarum

*Anacephalæoſis hactenus traditorum omnium*

*Præſternitur via ad ſequentia.*

narum cum omni mundorum ordine conspirationibus, variisque ex illa concordia effectibus, aut ab adversa parte incommodis illatis, nec non abstrusis inde sensibus omnigenæ sapientiæ oneremur aut obruamur, quæ cuncta in hieroglyphicis Obeliscorum occurrentia Lector ex fundamentis illis firmior feliciùs sustentabit.

## SAPIENTIA ÆGYPTIACA.

*Hieroglyphicæ doctrinæ claritudo.*

SApientiam merito dico, quam receptionem Hebræi, nempe rerum altissimarum, & vix homini repertarum considerationem. Hæc ab Ægyptiis culta, & inde accepta Orpheo, & Aglaophemo, & Pythagoræ, Philolao, Platoni, haud exiguum est testimonium in Creatore Deo benedicto in seculum, Vnitatis & Trinitatis agnitæ apud gentes, præsertim inter omnium sapientissimos, Ægyptios, quos ipse Spiritus Sanctus in scripturis hoc nomine fert; apud quos Ecclesia sibi, aut qui Ecclesiam mirabilem in modum novit ducere, Deus hospitium electis suis elegit, quo & Dei filius Christus Dominus noster ibidem usus est: ubi deinde ecclesia ipsa multo magis radiante lumine, quam serenum ejus terræ cœlum vix toto anno nisi hyeme pluvium, claruit. Sed mireris sine dubio, Lector, unde gens illa & si qua forte alia, ut Sybillarum antrum, Trinitatis benedictæ sapientiam habere potuerit, quum lumine naturæ vix possit. Non aliunde verò deductam duco, quam à primævorum patrum traditione, quam Hermes quem suprà diximus, caput Ægyptiacæ & Hieroglyphicæ eruditionis, in posteros propagavit, inde dictus Trismegistus, ut Suidas refert, nimirum quod tres potentias in Divina natura statuisset, sive, ut videtur, quoniam Trinitatis considerationem in philosophiam transtulerit, id quod secuti sunt philosophi jam dicti, hoc undique sibi consona doctrina imitati, absolvitque Plato. Scripserat princeps illorum, Mercurius, Iamblicho teste, libros quàm plurimos ad divinarum rerum contemplationem pertinentes, quos & literis hieroglyphicis exhibuit arcanis mysteriis & oraculis adeò refertos, ut non philosophi tantùm sed & prophetæ nomen inde obtinuerit, & apud Lactantium inter Sybillas locum. Nam & priscæ religionis ruinam, atque ortum novæ fidei, adventum Christi, futurum judicium, & resurrectionem seculi, apertis verbis ostendisse visus est: unde S. Augustinus dubitaverit, peritiane siderum, an revelatione Dæmonum multa præstiterit.

*Ægypti laus propria.*

*Vnde initium sapientiæ initiali:*

*& laus primi capitis.*

*Quid doceat autoritas gentilis.*

Considerantur autem hac doctrinâ tres potentiæ una in divinitate, tum Anima Spiritusque Mundi, origo Deorum, Dæmonumque & Animarum, hinc influxus Idearum divinarum in Mundum inferiorem, Animarum transmigratio, sacrificia, eorundemque ratio & similia, quæ omnia non nisi prudenter & cautè legat Lector, sciatque quòd Oedipus noster, vir majori nomine reverendus, dum talia contingat, non ad mentem suam sed Ægyptiorum & veterum Theologorum gentilium ea tractet, Christiana & vera ratione in totum discrepans à plerisque omnibus, utpote talibus quæ fidei orthodoxæ contraria primis Hæresiarchis opportuna dogmatum turpissimorum causa fuerunt.

*Cauto opus esse circa legenda.*

*Informantibus conjecturâ Deos meliora tradita.*

Igitur cum Ægyptii prolapsi essent ad varios errores circa Dei veri colendi rationem, nempe crescente indies superstitione ferè tot numina statuentes quot vidissent creaturas, orta post divos simili divinatione, ipsos revocasse dicitur Trismegistus ad unum Deum mundi creatorem. De unitate & bonitate principii rerum productivi hæc sententia clarissima in Pymandri parte secunda, sermone primo, Mercurii est: Nempe Mutabilium cum Manentibus esse consensum, & hunc sub uno rectore ac factore; congredi corpora cœlestia [& nulla non] in unum, ideoque esse congregantem eundem *; similem omnium animam, vitam, materiam, ergo quomodo ab alio autore? *Esse itaque horum omnium unum autorem præ cæteris*, ait, *est conspicuum. Quisnam iste? Quis alter præter unicum Deum?* Subditque ibidem post pauca: *Num censes, arduum quiddam & laboriosum Deo, vitam, animam immortalem, mutationemque efficere? Dum enim tu tot tantaque potes, vides, audis, odoras, gustas, tangis, loqueris, graderis, spiras, intelligis, nec alter est in te qui videt, quive audit alter, nec loqui-*

*De unitate Dei & nominibus Trinitatis vide suprà in Fabular. explicatione metaphysica.* Trismegistus.

**est enim ejus providentia quam Isin vocant, ut superius dictum.*

*Vnum omnia agere.*

*loquitur unus, graditur alius, &c: at unus hæc omnia præstat: neque etiam possibile est illa sine Dei numine fieri. Vt enim qui cessat ab his, non est ampliùs animal; sic qui ab illorum constructione cessaret, minimè Deus; id autem suspicari, nefarium. Quod si concessum est, nihil in rerum natura consistere, cui non insit naturalis quidam agendi vigor, simulque certi operis executio: quanto magis asseverandum est, non deesse potestatem omnium & effectum? Nam quicquid otiosum, hoc imperfectum; sed imperfectum dicere Deum, nefas; Facit igitur unus omnia Deus.* Nam, ut in eodem libro habet, *Quemadmodum sine factore fieri quicquam nequit, ita Deum existima nisi semper agat omnia, impossibile existere quicquam posse, tum in eo quod est, tum in eo quod non exstat.* [quod nempe occuluit in se ipso]. Hinc Damascius Platonicus: *Vnitas* [quam alibi, rerum omnium feracem dicit,] *honoretur silentio:* nempe ut Plato in Timæo habet, Opificem & Patrem mundi invenire difficile est, & cum jam inveneris prædicare impossibile. Ideo nimirum solo * silentio & cultu intrinseco venerandum Deum significabant Ægyptii per Sigalionem Harpocratem, quem nunc investitum, nunc cum reticulata veste, digitoque labris admoto silentia suadentem pingebant. Ex hoc uno omnia esse, Trismegistus his prodit: *Extra Deum nihil; extrà nihil Deus,* scilicet creatione. In eo unico & vero Ente, nihil prius, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius: ideoque Parmenides Deum Finitum dicit, scilicet quod sit finis omnium, & cujus perfectioni nihil addi queat; infinitus autem virtute & magnitudine est, quod Ægyptiis circulus indicat, unde & Harpocratem super Lotum ponunt, teste Iamblicho, lib. de Myster. omnia enim in Loto rotunda sunt, & poma, & folia; quo significatur Divinæ mentis semper eodem pacto se habentis actio circularis.

*Dei laudem ineffabilem esse.*

**huc pertinet symbolum Divinum Crocodili, animalis elinguis, & sub aqua haud visum singula videns.*

*Deum omnia continere.*

*Parmenidem hunc Aristoteles 1 Physic. immerito culpat, quod dixerit* unum esse omnia.

Descriptionem itaque Dei unius, laudesque Hermes prodens, *Mentem* dicit *ac rationem, quæ se complecteretur, impassibilem, cujus radii sint bonum, veritas, principale lumen, primaque animarum forma: & quod sit nullum ex iis quorum omnium causa sit *, primusque omnium revera & unicuique præsens, unicus voluntate sua omnia constituens; cujus nomen quod plurimis occultum videatur, sit perspicuum, * qui ante oculos reliqua poneret, sed ipse secretus maneret, * incomprehensibilis phantasia, per omnia atque in omnibus fulgens, iisque præsertim apparens quibus nomen suum communicare vellet:* Erumpit igitur in laudes: *Hic Deus nomine melior, hic rursum omnium potentissimus, hic menti conspicuus, hic præsens oculis, hic incorporeus, hic, ut ita dixerim, multicorporeus; nam nihil in corporibus est, quod ipse non sit; omnia enim ipse solus existit; nomina insuper habet omnia, quoniam unus est Pater; nomen quoque nullum habens, quoniam Pater est omnium. Quid ergo te laudabit? supra Te, an infra Te positum? Quo vertam oculos ut Te laudem? suprà an infrà? intus an extra? non motus non locus circa Te, non aliud quicquam ex omnibus: in Te autem omnia, à Te omnia; quod autem non habes, id ipsum nihil. Quando autem Te pater laudabo? Tempus & momentum tuum capere non valemus. Qua potissimum in re laudes tuas cantabo? num in his, quæ creaveris, an in iis, quæ non creaveris potiùs? num in his forte quæ in lucem eruisti è tenebris, an in illis, quæ adhuc latent arcano situ recondita? Per quid tandem hymnos tuo cantabo numini? nunquid in laudatione tali ego ipse mei juris existam, an potius alter efficiar? Ipse profectò es quicquid ego sum, ipse es, quidquid agam, ipse es quicquid dicam, ipse es omnia, neque aliud præter Te quicquam: sane quod non est, es ipse, & quodcunque genitum, & quod nunquam genitum: Mens quidem intelligens, Pater fabricans, Deus efficiens bonum, bona faciens omnia.* Hæc Trismegistus sapienter apud sapientem, cui nunquam malo esse continget; eamq; de Deo sententiam inferiùs in figuris sphæræ iterum monstrabimus, hieroglyphica verò, quæ tam sublimia cogitata exprimunt, in Obeliscis ipsis tangemus.

** ergo non ignis, nec ventus, &c.*

** addit hic, nam si nusquam patet, nihil utique erit.*

** subditque: neque opus est ut appareat, cum nunquam esse desinat.*

Duplici autem ratione consideratur Deus, nempe vel ab intrà, quatenus ab omni creatarum rerum consortio longè remotus solo inaccessibili essentiæ suæ latibulo tegitur; vel quatenus è caliginis suæ penetralibus evolutus in creatis rebus se considerandum præbet. Priori considerationi circuli sive sphæræ figuram, posteriori triangularem dicarunt; quamvis & circulus & triangulum in divinæ naturæ consideratione idem prorsus sit, nempe ratione infiniti: sed de his infrà.

*Non uniusmodi esse, quæ sequitur, considerationem.*

In divina natura hactenus laudata, scilicet ex qua rerum omnium creatarum

*Trinam unitatem agnovisse Trismegistum; quæ omnia ex nihilo creaverit:*

rum natura profluxit, tres potentias, teste Suida, agnovisse Trismegistum, etiam ex ipsius scriptis apparet, & credibile est, quòd hoc lumen non aliunde nisi à traditione primævorum Patrum, quorum ævum postremum contigit, acceperit, ad quod ipse deinde considerationes philosophicas protulit, mysterium tantum abstrusis rerum ænigmatibus involvens ac hieroglyphicis literis consignans: idem verò destitutus Sole sereniori veritatis apertæ, nempe quum intellectus humanus tam impenetrabile divinæ naturæ lumen ferre minimè potest, nisi vera fide fulciatur, mirum non est si in nonnullis locis non recte rem explicavit.

*nec rectè explicasse tamen,*

Negari tamen non potest, eum hujus mysterii assumto ratiocinio posteros Philosophos & Theologos Gentiles omnes multis parasangis superasse: nam adeò clarè tres in Deitate creatrice hypostases describit, ut Augustinus scripta ejus obstupescens, apertè fateatur, non humano ingenio tantum, sed divini spiritus afflatu eum tot ac tanta protulisse.

*quanquam multa divinè.*

Quid enim magis luculentum & admirandum hac illius sententia: *Monas Monadem genuit, & in se ipsum reflexit amorem?* ubi per Monadem generantem haud dubiè Patrem, per generatam Monadem Filium, per Amorem ab utroque procedentem Spiritum sanctum indicare voluit.

Trismegistus.

Hoc nempe confirmat in Pimandro: *Vna sola lux fuit intellectualis, scilicet Pater, ante lucem intellectualem: nihil aliud fuit hujus unio, quam Spiritus omnia continens.*

Idem in Pimandro.

Primam igitur personam aliquando Patrem, alibi Mentem, Dominum, Deum, Fontem, Vitam, Potentiam, Lucem, & Spiritum dicit, in quibus verbis non modo fit mentio ipsius Patris, sed & Filii & procedentis ab utroque Flaminis sacri.

*Primæ personæ appellationes,*

Secundam personam quoque Filium Dei & Verbum lucidum vocat; & porro: *Exiliit statim ex deorsum latis elementis Dei Verbum, in purum Dei opificium, & unit se Opifici Menti, consubstantialis enim erat.*

*& secundæ,*

Vnit se nimirum per Spiritum cum eo cui consubstantialis erat: huc faciunt & illa de creatione Mundi: *Natura intellectualis Verbi natura est genetrix & conditrix, totumque Mundum fecit opifex Pater, non manibus sed Verbo.*

*& tertiæ.*

Ad hæc de SS. Triade effata posteri omnes, Orpheus, Pythagoras, Plato, Zoroaster, philosophiam suam ordinarunt, uti Oedipus in Sphinge Mystagoga docet. Clarissimam præ aliis sententiam Zoroaster prodit: πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, *omnia perfecit Pater, & Menti tradidit secundæ*: nempe filio; tertium vero principium vocat terminum Paterni Fundi.

Zoroaster apud Psellum.

Hujus mysterii hieroglyphicum clarissimum est, quod in Pamphilio Obelisco videbitur, nempe circulus alatus ex quo promergit anguis: ubi per circulum Pater omnia conficiens intelligitur, prima Mens, uti loquuntur monumenta horum autorum; per serpentem, quod nempe est animal vivacissimum, solo ore instructum, nec alio membro, indicatur altera Mens, Verbum, creaturis omnibus vitam largiens; alis denique tertiam deitatis formam, Spiritum omnia pervadentem, notarunt; atque ita sub toto ex tribus coalito, & per modum unius considerato, divinam naturam tribus potestatibus distinctis constantem, creatricem & conservatricem omnium monstratam luculentè vides. In aliis Obeliscis alia symbola hujus mysterii accipiemus.

*Schema hieroglyphicum de Trinitate.*

Iam de conditarum rerum universitate videamus. Deum Patrem enim per Deum Verbum, Filium, creasse omnia, jam ex Trismegisto audivimus, quod pluribus de lumine facto, & naturâ humidâ, & igne & aëre cum terrâ, quibus superlatus sit spiritale Verbum, &c. exequitur in Pimandro suo, unde pro hoc loco quædam describam: *Mens autem Deus, utriusque sexus fœcunditate plenissimus, vita & lux, cum Verbo suo Mentem alteram Opificem * peperit; qui quidem Deus ignis atque spiritus Numen, septem deinceps fabricavit gubernatores, * qui circulis Mundum sensibilem complectuntur; eorumque dispositio Fatum vocatur. Connexuit inde Dei Verbum ex elementis deorsum tendentibus purum naturæ artificium, unitumque est Opifici Menti. Consubstantiale enim erat. Relictaque sunt Elementa naturæ deorsum cadentia sine ratione, ut sint tanquam sola materies. Mens quidem opifex una cum Verbo circulos continens ac celeri rapacitate convertens, suam ad se machinam flexit, eamque volvi à principio sine principio ad finem absque fine præcepit. Incipit enim illic semper ubi desinit. Horum profectò cunctorum circuitus, quemadmodum ipsa mens*

Hermes *de Creatione.*

** Hæc trias est Emepht, Phta & Amun.*

** nempe non tam astra quàm præsides genios astrorum spectabant Ægyptii.*

*De Microcosmo creato quid sentiat Hermes.*

*mens voluit, ex elementis inferioribus animalia conflavit rationis expertia,&c.* Post pauca verò de Hominis creatione ait: *At Pater omnium intellectus, vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreavit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est, pulcher enim erat, Patrisque sui ferebat imaginem:* hominisque addit usui omnia opera sua Deum concessisse. Et circa creationem totius universi,non molitione manuum, ferramentorum, vectium, machinarum, aut munere atque onere ministrorum, (ex quibus Vellejus apud Ciceronem contra Platonem disputat,) sed Verbo factam, consonat Trismegisto suprà adducta sententia Zoroastri: *Pater omnia complevit, & Menti tradidit secundæ*, quam dicit finem *Fundi Paterni*, in quod quicquid Pater habet transfudit. *

Zoroaster apud Michaëlem Psellum.

* *non per saltum sed æterna actione.*

*Triplex rerum multitudo.*

In mente divina igitur rerum omnium quippe unitate essentiali nihil differentium multitudo non nisi virtualis est, quæ in Patre, qui est omnia, ingenita & improducta; in Filio, qui à principio Paterno omnia * suscepit perfecta, manet increata & à Patre indivisa; extra Paternum Fundum seu Filium verò prolata & creata ex nihilo, hoc est, absque omni materia præcedente, varia facta est, cujus pluralitatis per omnigenam suam simplicitatem ipse Vnitrinus Deus principium fuit, & causa & effector. Perfectio verò ordinem quoque producendi includit,nempe primo Mundi * Angelici, deinde Sensibilis, hoc est Syderei & Hylæi. Causa faciendi omnium nulla nisi infinita Bonitas Divina est, qua Pater, & hinc principium, ideoque causa, & propterea Deus est; hæc enim duo nomina, teste Hermete, *Bonum* scilicet & *Deus*, soli ipsi competunt.

* *non nisi actione æterna, indivisa.*

*Creare ex nihilo quid sit.*

* *ita dicitur figuris, quod aliàs systema ex universis corporibus naturalibus.*

*Quare creârit omnia Benedictus.*

*Duplex Trinitas, secundum duplicem Dei considerationem.*

Consideranda itaque Trinitas duplex: prima, quæ sæcula omnia & creaturas antecedit, interior solius Dei in sese fœcundi, Patris, Filii, & Spiritus sancti sibi soli nota; altera, postquam Deus de novo nihil ampliùs creat, Dei, Angeli & Hominis, hos utrosque enim, quòd rationem & divinam lucem cum Deo communem habeant, Deos quodammodo dixeris: atque inde Mundus dicitur triplex, Archetypus, Angelicus, Sensibilis; & nihil in unoquoque non insignitum est Triade ubique rerum fulgente. Mundos verò majores hos dixerunt, innumerosque minores, particulas illorum, ob analogiam rerum omnium cui intenti erant,nulla non in omnibus esse intelligentes. Archetypus autem Mundus, qui dicitur *causa causarum*, est Idearum omnium plenitudo, quæ sunt causa rerum, creatione ad extra productarum. Continentur eo omnes essentiæ, & entia omnia,& unitates,formæ,vitæ,& intellectus non Angelorum tantùm,sed & animarum: hæc sunt æterna & immobilia;dicunturque αὐτ ὑπόςαζα, sive quæ hyparxi & viribus suis innixa nullius medii adminiculum habent, præter Deum genitorem, sustentatorem. Est enim mundus Archetypus in prima imparticipata mente refulgens, atque Platone teste, *Idea boni in Mundo regnans * intelligibili.* Ideoque dicitur exemplaris, ut refertur ad Mundos alios, sed intellectualis est, prout refertur ad mentem divinam.

*Mundus multiplex.*

*Mundus Archetypus quæ contineat.*

* *ita distinguitur cum Angelico ab hoc Sensibili.*

*Ejus appellationes.*

Sed Idea, ad mentem Xenocratis & Alcinoi, est exemplar æternum * eorum quæ secundum naturam fiunt. Sunt igitur Ideæ innumerabiles; nec differunt re & substantia ab ipsa mente divina, nec ad invicem, sed in eodem identificantur subjecto, inter se autem ratione & formaliter distinguuntur subjecto, ita ut una verè negetur de altera: * neque in Deo sunt ut accidentia in subjecto, neque ut formæ in aliis formis, sed sunt ipsa simplicissima divinæ mentis essentia, non absolute quidem sed quatenus illa cunctorum, quæ animo concipi possunt, repræsentativa est, & omnia tanquam causa divina includit. Quocirca ut rationes ex una essentia plures intelliguntur, sic plures dicuntur Ideæ, respectusque ejusmodi, quibus Ideæ multiplicantur, non à rebus ipsis efficiuntur, sed ab intellectu divino, suam cum rebus essentiam si ita loqui liceat communicante. Hæ Ideæ tantum abest ut ex Socratis, qua de re falsus est opinione, fallitque alios relatione Aristoteles, collectâ formâ unisali, quam postea Plato altius evexerit & in abstractum sustulerit, Ideamque vocarit, inventæ sint, ut ipsorum Platonicorum libri nusquam de ideis tantopere agant, quàm Trismegisti & Ægyptiorum nec non Chaldæorum monu-

* *Deus enim ab æterno intelligens intelligibilia æterna habet.*

* *nempe idea hominis ab leone,&c.*

*Pluratiyus numerus Idearum unde oriatur.*

*Sintne Ideæ ex inventione Socratis & Platonis.*

monumenta; totâ hieroglyphicorum doctrinâ nihil aliud esse repertâ, quàm Idealium mysteriorum continuus quidam contextus, ut suo loco videbimus. *Mercurii de Ideis sententia:* Trismegistus, præter creberrimam alibi mentionem Idearum, quas in Deo, vel Dei Filio, omnium quæ naturâ constant exemplaria agnoscit, universam naturam Dei imaginem Deumque bonum & Boni ideam appellans, initio Pimandri sui dicit, per conversam Dei Patris Ideam se in mente sensisse lucem viribus innumeris præditam. & Sermone duodecimo ibid. apertè asserit, præter hunc Mundum sensibilem alterum esse exemplarem, in quo hujus idea consistat. *& Zoroastris.* Zoroaster, qui in Oraculis passim de illis, apud Proclum, *Paterna Mens*, ait, *summo consilio intelligens produxit omniformes Ideas, quæ fonte ab uno evolantes exilierunt; à Patre enim erat consilium finisque; sed sunt divisæ, intellectuali igne partitæ in alias intellectuales. Rex siquidem Mundo multiformi præposuit typum intellectualem, typum incorruptum, &c.* indicans scilicet, Ideas divinæ mentis exemplaria esse, quæ ab unitate superessentiali per actum creativum foras παντόμορφοι emergant, &c. *Augustinus de Ideis.* Augustinus cap. 28, l. 7. Civit. Dei, scribit Varronem voluisse, Ideam Minervæ nomine à Poëtis, Philosophiam suo more involventibus, significatam, quòd hæc Iovis sapientia sit, ex ejus cerebro nata: & hinc alibi de illis dicit, apud Deum omnia priusquam fierent fuisse nota, *eo modo quo sempiternè atque immutabiliter vivunt ac vita sunt.*

*Conclusio de rerum mulitudine increata.* Mundus igitur supremus, omnia intellectu exprimens, æternis quippe exemplaribus refertus, omnes reliquos mundos immensitate sua circundat, incomprehensibili agilitatis virtute penetrat, fœcunditate ineffabili animat; & quemadmodum ab illo, tanquam ab æterna fontis scaturigine omnia profluxerunt, ita sine eo nihil esse, nihil vivere, nihil sentire, nihil intelligere potest. *Lex divina de creaturis & Catena mundorum:* In ipso lex divina gubernandi mundum, descendens à Deo in Mentem, Providentia dicitur; quæ in Angelico mundo, transiens ad Animam Mundi, Fatum dicitur, cui substernitur Natura. *Providentia,* Nempe Providentiæ ordine, fit mentium seu intelligentiarum (quas Ideas Socrates, Pythagoras deos immortales dicit) cum supremo omnium principio concatenatio, qua suprema imis, ima mediis, media & imis & summis mira quadam ratione connectuntur. Fati verò, seu necessitatis ordo, *Fatum,* est, ut Platonici loquuntur, animarum omnium cum Mundi Anima conjunctio, seminaliumque rationum, quæ ab Anima Mundi in omnia membra Mundi influunt, inevitabilis dispositio. Naturæ verò ordo *Natura.* consistit in corporum, corporearumque qualitatum, temperamentorum, proportionum singulis inditarum ordinatissima dispositione. Nempe hi tres ordines legem illam divinam constituunt, veram rerum omnium, tam divinarum, quàm humanarum cognitionem: eamque ut perperam Plato in Timæo docet, animæ antequam in corruptionis sphæram laberentur, didicerant; * Cabalici verò scriptores à Deo Moysi datam asserunt, explicantque per arborem decem Sephiroth, seu decem vestimenta, quibus vestitus in mundum processisset Deus. ** hac de re vide quæ paulo infra traduntur.*

*De Creata rerum multitudine.* Ideis enim in actum prorumpentibus, in primo instanti temporis conditi, nata, ut Hermes ait, à visceribus tenebrarum, lux sive substantia Angelica, *Angeli quid sint:* quæ sunt creaturæ incorporeæ, ab omni materia remotissimæ; dicunturque Mentes, & Intellectus, in quibus & Animæ numerantur. Multitudinem harum universarum Mundum dicunt; *unde Mundus dicantur.* sicut cæterorum multitudinis creatæ entium mundi appellantur, nempe rerum ætherearum Sydereus, aut elementarium Hylæus, cum particularibus omnium. Et hos tres mundos, Genialem, Sydereum, Elementarem, pulchrè ostendunt inscriptiones in Obeliscis nonnullis, aut catenæ hieroglyphicæ in omnibus; imo nulla non symbola ad aliquos aut omnes horum mundorum *Allusiones in fabulis ad triplicem mundum creaturarum.* spectare videntur. Indicat eosdem & trichordon Apollinis apud Diodorum, quo triplex dominium Iovis, in cœlestia, terrestria, & inferna, significari Orpheus vult in Iovis hymno. Consonant præter Græca etiam Chaldæorum, Syrorum, & Arabum asserta; & Hebræi Supramundanum * seu Genialem ** est enim supra corporeum & sensibilem mundum.* illum per Alphabeti mystici literas primas ab *Aleph* usque ad *Iod*, Mundanos *Hebræorum de mundis philosophia.* verò sive sensibiles mundos, nempe Sydereum,

dereum, per ſex ſequentes, *Caph* &c. ad *Hajin*, Hylæumque ſive ſublunarem, quem nos incolimus, nec non Microcoſmum poſtremis literis à *Pe* ad finalem *Thau.* Eſt autem ſumma horum mundorum à ſe invicem dependentia, nempe Syderei ab Angelis, Elementaris verò ab utroque illo, quorum influentiis dirigitur; ſcilicet quum & in cæteris ſit quidquid in altero contineatur, quod deinde nobis magis clareat.

*Diviſio rerum triplex.*

Duos itaque poſtremos rectè dixeris ἑτεροστάτων; ſupremum mediorum illorum eſſe quæ inter αὐτόστατα & ἑτερόστατα interſunt, nempe mundani opificii præſidum & ſervatorum, quo de primùm agamus.

*Genialis mundi appellationes variæ.*

Mundus igitur Angelicus, ſive Genialis, idem eſt quem & Superexcelſum Ægyptii vocant, nempe quòd ipſe ſit ante alia creatæ univerſitatis entia, nec non Intelligibilem, quum ad exemplar mundi Archetypi, qui eſt in mente divina, conditus, ſolo intellectu non ſenſu comprehendatur; dicitur & Intellectualis, quoniam Intellectus omnes & Animas contineat, qui divina Patris ac Principii omnium opera intelligibilia intelligant; ita enim Proclus appellat, νοητὸν & νοερὸν; quanquam & Archetypi ſive Idealis nomine aliquando nuncupetur, nempe quia intellectæ à Patre Iynges ſive Ideæ in hoc mundo & ipſæ intelligunt; imitanteſque Ideas primi intellectus, juxta analogiam quandam imagines vivificas, Platonicis ſeminaria dictas, producunt; his enim prægnantes Mentes illæ ad generationem rerum ſenſibilium ſollicitantur, earumque fœcundiſſimo panſpermias influxu ordinatiſſima mundi diſpoſitio, quod Fatum ſive neceſſitas dicitur, naſcitur.

*Seminaria Platonica.*

*Alter mundus idealis.*

Iynges enim ineffabilibus conſiliis, ut loquitur Zoroaſter, motæ, dum Patris ſui pulchras ſimilitudines contemplantur, eas pariformi diffuſione in Mundum ſenſibilem ejuſque membra univerſa derivant.

*Ideæ participatæ.*

Sicuti autem Ideæ & exemplaria illa æterna rerum producibilium, per quæ cuncta à primo opifice prodeuntia ei offeruntur, & producuntur ad extra, [quæque ideo ut in Mente, cujus proprium eſt intelligere, non ut accidentia conſiderantur in ſubjecto, vel ut forma in alia forma, quæ verè ſub intelligentiam cadere dicitur,] tanquam in ſuprema Mente ſunt imparticipata, ita in mentibus aliis dicuntur participata, ſcilicet ab Anima Mundi ſeu Fundo Paterno, ſine qua hujuſmodi Mentes non reperiuntur: pendentque Ideæ in Mente prima non niſi ab ipſa; in ſequentibus verò ſunt imagines à prima Mente & ab Ideis in prima exiſtentibus pendentes: demum in principali Mente ſunt ipſæ minùs inter ſe diſtinctæ, ſed in aliis quo magis ab initio recedunt, hoc magis diſtinguuntur: nempe quæ in Deo eſſentialiter unitæ ſunt, & unum, & ipſa hac unitate multiplex, illæ diviſæ intellectuali igne, ut loquitur Zoroaſter, & in alias intellectuales Mentium ordines transfuſæ, ut in Mundo juxta ineffabilem divinæ diſpoſitionis ordinem eſſent omniformes.

*Quomodo Ideis participet mundus Archetypus genialem.*

Putabant autem Ideas à prima Mente in alias, ut à Sole radios in cæteras ſtellas, diffundi, ex quibus illæ luce carentes habent vim illuſtrandi, calefaciendi, cæteraque gignendi quæ à Sole per lumen fieri dicuntur; ita nimirum à non-participata Mente divina per Ideas procedere volebant vim & facultatem in aliarum mentium Ideas ſimilia producendi. Hinc cum in ſingulis mentibus inſint Ideæ omnes, in ſingulis etiam reperietur Mundus Intelligibilis, & erunt tot mundi Intelligibiles ex Ideis, quot ſint mentes.

*Idea ſignificatione propriâ ſumta:*

Notandum jam autem & hoc eſt, Ideam propriè ſumptam extra Mentium aut Intellectuum terminos non ampliùs locum habere, ſed quando ab his progredimur ad Animæ latitudinem Ideæ in rationes mutantur;

*quid Ideis reſpondeat in Anima Mundi;*

Anima tamen, Mentis compos reddita, hoc eſt, ad Mentium altitudinem adſcendens & illuſtrata, conſurgit ad Ideas, iiſque connectitur: ſub Anima autem collocari putabant Naturam, quia pendet ab illa;

*nec non Natura.*

atque ideo in hac reperiri veſtigia rationum, quæ ſemina nominantur, per quæ proximè gignuntur corporea materiam includentia, in qua demum materia ea quæ ex ſeminibus generantur, Ideiſque reſpondent proportione, ac nuncupantur imitationes, participationes, ac proximi materiæ termini, vel umbræ Idearum; de quibus vide Platonem in Timæo & Parmenide, cæteroſque Platonicæ doctrinæ ſectatores, Plotinum, Arnobium, Numenium, Proclum, & in

*Semina quid ſint Platonicis,*

*quid termini Materiæ proximi.*

Theo-

Theologia Platonica, Marsilium Ficinum, cæterosque, qui hanc doctrinam fusè persequuntur, profectam absque omni dubio ab Ægyptiis, ut infra in Obeliscis solaribus acubus digitus ipse Solis, hoc est certa autorum rerumque consequentia monstrabit. [Sed in terminis hisce, Mens, Anima, Profundum Paternum, & aliis deinceps quæ indicabimus in contextu, quum hic Anima non pro Paterno Fundo, quod supra dixi Animam, sumatur, Lector accuratè distinguat velim, si nonnullas ambiguitates autoris superare velit, quæ sint potiùs veterum autorum, in quibus noster ad intellectum hieroglyphicum explicandis libertati suæ, qua utitur, nulla Lectoris admonitione præsternit; quæ tamen in commodum cedere possit illi qui fundatior cum scriptore magnanimo certo pede ambulare possit; cujus rei gratia nos diligentius hæc perscripsimus, ut nempe luculentam ejus consonantiam erigeremus Lectori grato, eique cui galeam pulcherrimis antiquitatis alis instructam Oedipus donat, pedes quoque alatos faceremus.]

*De terminis hujus sapientiæ sapienter sumendis.*

In prole autem illa Dei, & semine universali Mundi, ut nominat Ideas Mundi Archetypi Plato, [quas quoque Iynges, nonnunquam & Sphynges dixere, vel supremæ Mentis rationes, aut Paterni fundi ectypa, ac mundialium Classium catenarumque signacula,] insunt semina propria omnium membrorum universi: & Angelicus deinde mundus, complicat semina rerum; quum Opifex summus per Angelos in cœlos, & stellas, deinde in elementa, animalia, plantas, metalla, lapides, omnipotentiæ suæ virtutes tandem in nos transfundat, in quorum ministerium hæc omnia condidit: id quod ascensum, facturo cum Hebræis per quinquaginta portas intelligentiarum *, aut apud Philosophos cum animis elevatis, * scalas porriget ad cœlum ex his terris, hoc est ad Dei cognitionem. Angelus enim omnia habet Angelico & spirituali modo, ut possit ea, quando & quoties ipsi secundùm Deum placuerit, producere absque diminutione sui, quia perfecta est Dei imago; potestque tanto magis quam semina rerum corporalium * quanto simplicioris naturæ est, atque ideo perfectioris, absolutioris, superioris, ac Deo proximioris. Omnia igitur complicat Angelus, & Angelum omnia inferiora. Sunt enim omnia in omnibus suo modo, & unum manet in altero; sicut semen in arbore, & arbor in semine. Sic visibilia corpora seu elementa sunt in astris seu virtutibus invisibilibus & spiritualibus elementis, astraque in corporibus; astra sunt in Angelis, & hi in illis; Angeli sunt in Deo & Deus in Angelis: ita ut semper suum superius possit esse absque inferiori, non contra. Cuncta adeo in Deo divinè, in Angelis angelicè, in mundo corporaliter: unde sicut unitas est numerus complicatus, & numerus unitas evoluta; ita Angelum dixeris astra complicata, Astra angelum evolutum. Catena ista auro magis aurea est apud Ægyptios, nempe Patris, ac Mentis sive Animæ mundi, quam & Profundum Paternum dicimus; & exinde Mentium supernarum, Animarumque, Naturarum, & Corporum ἑτερεστάτων, sive quæ se ipsa sustentare nequeunt: quomodo & Aristoteles cœlos à mentibus moveri, eo in motu conservari, ab iisque omnem inferioris mundi œconomiam regi, sicuti & ab iis, quæ supra cœlos sunt, omnibus & esse & vivere promanare, tradit. Nam sicuti Angeli œconomiam totius mundi administrant, ita totam quoque continent in seipsis modo quo diximus angelico. Profluxisse autem ab entibus primis altera, & deinceps ad decima, volunt Ægyptii, quod nostri Philosophi tamen non de virtute creativa, at influxiva concedunt; tum præterea veteres Genialem hunc mundum ab æterno coëxtitisse Deo, Mentesque supernas nihil aliud esse dicunt quam particulas quasdam divinitatis, particulares deos ac numina, quo asserto planè improbantur Christianis, qui, uti sacra pagina docet, nullas creaturas ab æterno, sed ut supra diximus in tempore condito factas esse profitentur.

*Angelicum mundum omnia involvere intra se.*

**Hæ sunt gradus naturæ ex Geneseos cap. 1 collecti.*

** De his apud Platonem & ejus discipulos.*

** Hæc enim totum fructum, absque quantitate & qualitate, continent.*

*Quomodo omnia in omnibus sint.*

*Seira universi.*

*Processum entium mundi quomodo intelligant orthodoxi.*

Quemadmodum igitur Profundum Paternum intrinsecè spectatum, manens scilicet in perfecta sui ipsius comprehensione per Deo-nutriens silentium, ut ait Zoroaster, tribus potestatibus constat, Patre, Potentia, Mente, quod est apud Psellum in Effatis Zoroastri, quibus

*Ordines Angelici.*

bus respondent Ægyptiorum Hemphta, Ammun, Ichton, apud Cabalistas Corona, Sapientia, Intelligentia, ut & apud Zoroastrum Virtus, Sapientia, Multiscia Veritas, Græcorumque Cœlus, Saturnus, Iupiter: ita verò Fundum Paternum extrinsece spectatum, nempe quoad opera ad extra, summitatum suarum Triades habet, quum nempe ubique rerum signaculum Triados æternæ fulgeat. Respondet enim supra data generica distinctio Mundi, in Angelicum, Magnum, & Parvum, seu hominem ipsum, & in hoc Angelico tres Hierarchiæ, in qualibet tres ordines: in majori mundo tria spatia, elementare, sydereum, empyreum, quæ tribus qualitatibus, figura, luce, motu distincta. Similiter in quovis composito mixtove, materia, forma, virtus; in omnibus mensura, numerus, pondus, præterea principium, medium, finis. In Microcosmo, memoria, & vis intelligendi, & voluntas; in scientiis facultas naturalis, moralis, rationalis, &c. In qualibet autem Triadum serie primus ordo potentiam Dei, per Osiridem repræsentatam commonstrat; secundus Verbum, Sapientiam, Iside indicatam; tertius Amorem, Spiritum illum aquis incumbentem, ut est Genes. 1: Ægyptiace Ammun, fœcundo illo Divinitatis suæ flatu mundum fœcundantem, & adornantem, principiorum utriusque virtutem, qua productus est Horus. * Neque putandum tamen in singulis triadibus Mundi Genialis tres tantum esse genios: sed innumerabiles sub ordinibus singulis principiorum continentur, quorum summitas paterna, sive principalis influit in secundam, hæc in tertiam, non contra. Fundum igitur Paternum est, cui Pater omnia perfecta tradidit, quodque, ut volunt Ægyptii, ex triformis Numinis supremi essentia procedens in mundum triplicem, omni creaturæ vitam motumque præstat, principio ignem vitamq; suam communicans intellectuali mundo, quem insignitum voluit eodem triadis charactere, universali nempe Geniorum sive Intelligentiarum cœtu in certas triadum classes, teste Psello, dispposito. Hoc dicitur Verbum Patris in prima archetypa Triade, inter Genios Iynx Chaldæis, & Platonicis Mens prima, aut Spiritus vel Anima Mundi quæ in Sydereo Mundo potissimùm in Sole elucet; Philo etiam σοφίαν κοσμοδεχῆτλω vocat, Ægyptii potissimùm Isidem; quæ est universæ naturæ mater, prout Inscriptio monumenti alicujus Ægyptiaci habet: *Ego Isis omne sum id quod est, & fuit, & erit, & meum peplum nemo mortalium unquam retexit.* Ideoque Genius pantomorphus dicitur, & Hecates titulo nuncupatur, & ab aliis aliter. Deorum verò ordines varios Hermes in Pimandro & Asclepio describit, uti sunt Usiarchæ, Horoscopi, Decani, Pantomorphi; Dæmonum præterea, Heroum, atque Animarum varios choros, septem quoque zonarum meminens: ex ipso Iamblichus singulorum nomina & munera enarrat, nempe de productione earum, Fundo Paterno, & nominibus seu effectibus principii omnium primi: *Ego verò*, ait, *causam in primis dicam, ob quam sacri & antiqui Ægyptiorum scriptores de his varia senserint, & insuper hujus sæculi sapientes, non eadem ratione loquantur. Cùm enim multa in universo sint essentia, ac si multifariam inter se differant, meritò multa earum tradita sunt principia habentia ordines differentes, & ab aliis Sacerdotibus alia principia quidem tota universaliaque, ut narrat Seleucus: Mercurius ipse tradit 20000 voluminibus, vel sicut Manethos refert 30000. itemque 6526, & in his perfectè omnia demonstravit. Oportet igitur de his omnibus veritatem breviter declarare, atque primum, quod primo quæritis. Primus Deus ante ens, & solus, pater est primi Dei, quem gignit manens in unitate sua solitaria: atque id est super intelligibile, atque exemplar illius, quod dicitur sui pater, sui filius, uni pater, & Deus verè bonus; ille enim major & primus, & fons omnium & radix eorum, quæ prima intelliguntur & intelligunt; scilicet idearum. Ab hoc utique uno Deus per se sufficiens se ipsum explicavit, ideoque dicitur per se sufficiens sui pater, per se princeps. Est enim hic principium, Deus Deorum, unitas ex uno super essentiam, essentiæ principium, ab eo enim essentia*; propterea pater essentiæ nominatur; *ipse enim est ens, intelligibilium principium; hæc sunt principia omnium antiquissima; Quæ Mercurius proponit de Diis Ætheriis, Empyreis, Cœlestibus, componens de Empyreis libros centum, totidemque de Ætheriis, mille de Cœlestibus.*

*Triadi nihil non respondere in mundo.*

** Per hunc intellige Mundum creatum.*

*Triades singulas plures quàm tres genios continere.*

*Fundum Paternum quid sit, spectatum intrinsece & extrinsecè.*

*ejus variæ appellationes.*

*Geniorum ordines apud Trismegistus.*

*Iamblichus ex Trismegisto, lib. de mysteriis.*

lestibus. *Secundum vero alium ordinem proponit Deum* Emeph, *Diis cœlestibus tanquam ducem, quem ait, intellectum esse se ipsum intelligentem, atque in se intelligentias convertentem. Huic unum impartibile anteponit, quod primum exemplar aut expressionem vel effigiem, quod* Icthon *appellat. In quo est primum intelligens, & intelligibile primum; quod solo silentio colitur. Præter hos autem, rerum apparentium opificio alii duces præsunt. Nam opifex intellectus, qui & veritatis Dominus est, atque sapientiæ, quatenus in generationem progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem* Amun *Ægyptiaca lingua vocatur; quatenus autem sine mendacio peragit omnia, & artificiose simul cum veritate* Phta *nuncupatur. Græci hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quantum vero effector est bonorum omnium, appellatur Osiris; qui ob suum principatum multas alias habet denominationes, propter potentias, actionesque, quas exercet differentes;* hæc prima trias cum asseclis suis erit, altera verò ex Archangelis, Angelis, Dæmonibus; tertia ex Heroibus, Principatibus, Principibus atque Animis: ubi paret Deos & Archangelos esse supra Dæmonum latitudinem, postremus vero gradus Animarum infra eam, quam nimirum sex intermedii constituunt, Dii cœlestes, Angeli, Dæmones, Heroes, Principatus, Principes. Similia habent Syri sive Chaldæi, quæ refert Mor Isaac in sua Philosophia: *Cœlestes itaque ordines dispositi sunt in tres cœtus: primus ordo dispositus iterum est in tres phalanges, quarum prima est Angelorum, secunda Archangelorum, tertia Principatuum. Secundus ordo cœtuum intermedius dispositus est antiquitus in Potestates, Virtutes, Dominationes, qui iterum divisi sunt in varias Classes. Tertius Ordo continet Thronos, Seraphim, Cherubim, multioculos, & portant thronum gloriæ Dei:* Classes & varia munera idem alibi eloquenter describit, nempe, *Quemadmodum,* ait, *Deus natura sua bonus, dives, & sapiens, ita creavit ex nihilo Mundum magnum naturarum intellectualium, subtilium, & spiritualium, fulgentem in natura intellectuali, omnis mutationis & corruptionis experte, scilicet Angelos bonos & fœlices in natura sua, omnia cognoscentes. Abscondita sunt operationes eorum, solis ipsis manifestæ, nos vero quales sint non possumus cognoscere. Et disposuit eos in tres ordines &c. Supra tripartitos ordines constituens alium ordinem supremum,* * *qui stat in porta regni essentiæ suæ; & posuit caput singulis ordinibus, &c.* ibidemque post pauca, de signaculo triadis eorum, *Hi sunt tres ordines divisi in novem choros seu series, sive 27 acies aut castra vel exercitus: habet autem unaquæque acies tres ordines, quilibet ordo tres legiones, quæ iterum triniter dividuntur. Verum omnis legio continet tres myriades, singulæ myriades 12 millia; quamvis alii alium legionis numerum dant: Nos vero accurate satagimus scribere desuper sicut credimus, & audivimus & examinavimus & numeravimus id quod notum nobis, quodque audivimus id non siluimus, & laudavimus operationes eorum, & quod is solus novit ordines eorum & numerum & qualitates eorum; quantum tamen nobis licuit, numerus eorum ad denarium ascendit, & indicat secretum magnum.* Hebræi alium in Angelico mundo ordinem servant, quorum sententiam in Cabala eorum explicat Oedipus, apud quem in Systematica sua de Mahumetanorum descriptione hujus mundi videre poteris, quæ hic ut longiora omittimus. Græcorum de Angelis consensum prodit abunde Aristoteles, discipulus Platonis, talia non nisi ab Ægyptiis docti, nempe postquam de Metaphysica jam finita, & absolutis sermonibus de anima &c. præfatus est, ac quomodo sit impossibile substantias esse absque fine, &c. instituit Philosophus in suo Compendio contemplari universum secundum mentem eorum, qui docuerunt, ait, per notas figurarum adeo occultas, ut non alius possit ad secreta hujusmodi scientiæ pervenire citra difficultatem, quamvis sit ingenii subtilis & recti, nec utatur negligentia. Memorat igitur *Deum, quomodo differt ab aliis, quodque Mundus & tempus existunt sub eo; amplius quod Deus est Autor causarum, quodque creavit singula pro ratione singulorum: ac illuminat intelligentias, per eas autem medias intellectum, per intellectum vero medium animam universalem cœlestemque; & per animam mediam illustrat naturam generabilium corruptibiliumque. Et quod opus sit ab eo sine motu, & quod motus rerum omnium est ab eo, & ad eum; Siquidem omnia moventur motu essentiali & naturali ab eo, in eo, & ad eum. Postea vero considerabimus Mundum intellectivum referentem bonitatem ejus, formasque divinas inexistentes, & quod ab eo* profluit

*Reliquæ Triades Angelicæ.*

*Animæ quo loco.*

*Dæmonum potentia quam lata sit.*

*Syrorum consona sententia, quamvis quod Lector nihil moretur, dissonans in specialibus.*

*Mor Isaac.*

* *hunc quid aliud judices nisi Fundum Paternum?*

*Hebræi quid sentiant.*

*aut Græci.*

*profluit bonitas in singula. Siquidem quatenus sunt bona, assimilantur ei, sed propter cortices expressionem veram eorum non attingimus. Præterea enarrabimus naturam universalem cœli, qualiter inest potentia illi ab intellectu; enarrabimus etiam siderum dignitatem & lucem. Item considerabimus natura sublunarem, quomodo virtus immittitur illi, quæ manifestatur in rebus sensibilibus materialibus, alterabilibus, & corruptibilibus. Deinde describemus & reddemus dispositionem animarum rationalium in descensu & ascensu, & reddemus causam unionis earum ad corpora.* Ex his tam de mundo, quam de Angelis clare quæ sentiat vides; cui quàm utiliter jam adjicimus sapientiam veterum Chaldæorum & Zoroastri; illius enim rivulis, æque ac Nilo ipso Hieroglyphica Obeliscorum interpretatio redundat.

*Philosophia secretior Chaldæorum, quam Lector in genere tantùm applicet hieroglyphico usui: nam quomodo Ægyptii talia posuerint in Obeliscis satis pateat.*

Ex oraculis autem Zoroastri sequentia Psellus hausit: *Unicum arbitrantur* [Chaldęi] *esse rerum omnium principium, idque profitentur unum esse & bonum. Deinde colunt paternum quoddam profundum, ex tribus trinitatibus compositum; quælibet autem trinitas habet Patrem, Potentiam, & Mentem. Postea sequitur Iynx mente comprehensibilis. Huic proximi sunt Mundorum Rectores, igneus, æthereus, & materialis; post Rectores, cæremoniarum Principes; his succedunt perennium fontium patres, qui & Mundi ductores nominantur, quorum primus semel supra dictus est: post quem Hecate, deinde is, quem bis supra nominavimus: ab hoc sunt tres implacabiles, & omnium ultimus succinctor. Venerantur etiam fontanam trinitatem fidei, veritatis, & amoris. Ponunt item Solem Imperatorem, & à fonte materiali Archangelicum, sensionis fontem, fontanum judicium, fulmineum fontem, speculorum fontem, characterum fontem, incognitis signis & symbolis incumbentem, & summitates fontanas Apollinis, Osiridis, Mercurii. Materiales vero fontes dicunt esse centrorum, elementorum, & somniorum Zonam. Item animam fontanam. Fontibus subjungunt principia, quod principiis superiores & excellentiores sint fontes. Principiorum autem animalia procreantium summitas vocatur Hecate; medietas, anima inchoativa, extremitas virtus inchoativa. Sunt apud illos quoque Hecatæ ἄζωνοι, quæ Zonas non habent, ut Chaldaica τριεκδότις, κωμὰς, & ἐκκλυσικὴ. Dii autem ἄζωνοι illis dicuntur Serapis, & Dionysius sive Bacchus: Osiridis item Σειρὰ* (quasi dicat Geniorum series catenæ more connexa) *& Apollinis. appellantur autem ἄζωνοι Dii, qui expeditè potestate sua in Zonis utuntur, & supra Deos conspicuos collocati sunt.* Ex his varia nunc Archetypo, nunc Sydereo, nec non elementari mundo tribuuntur, quod proprium est Ægyptiorum; sed interpretatio hæc est: Fundum Paternum ex trigono archetypo procedens caput ac fons est naturæ universæ ac quasi porta magna Deorum, quemadmodum Ægyptii Mundum totum dicunt, ad Sensibilem hanc Hori domum, uti in Tabula Isiaca Oedipus noster habet, unde & portam regni essentiæ divinæ Iamblichus paulò antè nominabat: *Hoc intelligibile*, ut in Zoroastri effatis est, *oportet te intelligere mentis flore. Est enim roboris circumquaque lucidi potentia, mentalibus fulgens sectionibus; non sane oportet vehementia intelligere intelligibile illud, sed mentis amplæ ampla flamma, omnia metiente, præterquam intelligibile illud.*

*Zoroaster.*

Fundum hoc ex tribus Triadibus geniorum compositum dicitur, non tamen formaliter compositum, quemadmodum anima & corpus in unum hominem coalescunt, seu quod idem est, non intrinsece, at extrinsece per vim creativam; habetque Angelos illos asseclas suos, ut paulò suprà ex Syro intelleximus.

*Quî sit compositum Fundum Paternum.*

Prima itaque Trias ab opifice mundi producta, est mundus Intellectualis; secunda Trias mundus Sydereus; tertia, Elementaris: in quibus omnibus Deus omnia operatur, immediate quidem per se omnia conservando, & Verbo virtutis suæ sustentando; secundariò per Intelligentias veluti præsides & custodes Mundorum ἐπερεστάτων. Cum his novem ordinibus apte comparari possent novem Angelici chori quos orthodoxorum schola adprobat. Mirè autem fœcundum esse exercitum hunc Genialem, dixeris, ubi videas in monumentis antiquorum numerum ac ordinem eorum varie mutari & quasi in motu augeri. Summus tamen ordo est intelligibilium, qui tantum intelligitur ab inferioribus; medius, qui intelligit superiores & sub intelligentiam cadit posteriorum; hos verò tantùm intellectuales dicas: & sic Aristoteles ante dixerat, Intellectus illuminari ab intelligentiis.

*Quænam sint triades illæ.*

Primi ordinis genios, qui tantum Intelligibiles sunt, & ex quibus Fundum

Pater-

*Intelligibilium ordo primus:* Paternum principaliter constat, tribus primis triadibus Zoroaster refert, quorum prima Trias Iyngæa dicitur; *ejus Trias prima;* sunt enim primigeniæ Dei creaturæ, sublimes, arduæ, omnes non dicam sensus sed & cogitationes prætereuntes Mentes; quæ lucidos Mundos scandunt, Patrisque opera intelligentes sensibilibus operibus & corporibus ea revelarunt: hinc non malè ab Ægyptiis depinguntur humana facie, reliquo corpore pennarum alarumque multiplici amictu vestitæ. Sequitur hanc Iyngæam Triadem Trias synochorum, h. e. mundi *& altera,* Rectorum, quorum primus ordo Patrum est Empyreus, secundus Æthereus, tertius Hylæus: primus acceptum à natura pantamorpha influxum ejus ignis qui vitam donat, mentibus Empyreis infundit, secundus Æthereis, tertius Hylæis: quibus annumerantur Telearchæ. *cum Tertia: ejus ordo primus,* Tertia Trias continet Fontanos Patres, qui & Mundi ductores dicuntur. Hujus triadis primus ordo continet eos quos semel dixerat hoc est inter intelligibiles tantùm, ob summam eorum sublimitatem, unde vix humana *& secundus,* mente attingi possunt. Alter ordo comprehendit Hecates, id est, innumerabili idearum fœtura prægnantes; videntur enim nihil aliud esse quàm unitas & Idea virium omniumque viventium, sive ipsam naturam pantamorpham, centrum omnium potentiarum, ut in effatis *Tertiusque.* suis habet Zoroaster. Tertius ordo Amilictorum est, quæ sunt potentiæ inflexiles, rigore summo divinum vindicantes honorem: quorum pedissequi sunt Hypozoci, id est, succinctores, ad Præsidum sibi superiorum mandata in executionem deducenda parati, de quibus ita Zoroaster: *Ex ipso enim omnes exiliunt, Amilictique fulmina, & prestero capaces sinus, omnilucidæ vigoris patrogenii Hecates, & Hypozocus ignis flos & fortis; immiscens vigoris proprium robur in Synochis, & quo mundus habet mentales sustentatores, inflexiles.* Hæ sunt Iynges post Fundum Paternum proximæ, tribus triadibus compositæ, quas & ipsum Fundum Pat. extrinsece spectatum diximus, & ad unam quoque Intelligibilium tantùm triadem contrahere posses: videamus deinceps Syderei mundi præsides intellectuales, quos Chaldæus præmisso loco tangit.

Venerabantur autem Chaldæi antiqui inter alia quoque triadem fontanam fidei seu curæ fidelis rerum sibi commissarum, & veritatis seu constantis in *Trias Syderei mundi præsidum.* operationibus earum virtutis, & amoris sive inclinationis summæ & sympathiæ cujusdam in procuranda salute & conservatione. Fontes autem fingebant septem, qui in mundo intelligibili * & intellectuali, respondebant corporeis sive materialibus fontibus Planetarum. Primus fons vocatur Archicus, i. e. imperatorius, & à fonte materiali Archangelicus quem & Mundum Solarem vocant, quia hic tanquam Princeps & Dux chorum reliquorum ducebat. *Fontes Planetarum: Solaris,* Secundus fons erat fons sensus sive sensitivæ naturæ, ex quo veluti ex Oceano *Saturninus,* quodam omnia sensitivæ naturæ consentanea profluebant, & correspondebat Saturno præsidi sensus. Tertius fons erat fontanum judicium, & competebat Iovi, veluti qui totius judicii, rerum- *Iovius,* que ad œconomiam Sideream, Mundumque politicum rectè administrandum necessariarum copiam suppetebat. Quartus fons dicebatur fulmineus, & *Martius,* Martem concernebat, cui proprium est, fulminibus, bellorum terriculamentis, cædibus, peste, similibusque malorum immissionibus, Mundum sceleribus immersum infestare. Quintus fons *Lunaris,* speculorum dicitur, & Lunæ convenit, quæ est veluti Solaris Mundi speculum. Sextus fons amoris dicitur, & convenit Veneri, *Venereus,* ex quo omnes gratiæ & charismata in Vniversi ornamentum procedunt. Septimus fons est characterum, *Mercurialis.* & continet summitates fontanas Apollinis, Osiridis, & Mercurii. Characterum fons dicitur incognitis signis & symbolis incumbere, quia ex hoc fonte omnis sapientiæ & divinationis occultæ circa rerum eventus, quæ non nisi per abditos naturæ characterismos cognoscebantur, fœturam procedere credebant. Atque horum nonnullos Azonos, *Dii Azoni, vel Zonæi.* id est sine zonis, alios Zonæos asseruerunt: illi ob summum quod obtinebant in Mundum præsidium, nulli certæ zonæ alligebantur; hi contra libere circa cœli zonas volvuntur, & immediatum gubernandi munus obeunt. Sequuntur hos fontium materialium triades, & est Mundus Elementaris, tripli-

** Archetypa enim nec non Angelica ratione hæc considerantur.*

triplici symbolorum triade insignitus. Prima triadis principiorum animalia procreantium summitas Hecate vocatur; media summitas, anima archica sive principalis; extrema summitas, virtus archica appellatur: prior animalium procreationi, secunda animarum introductioni, tertia virtutum unicuique rei ad operandum necessariarum distributioni præsidebat. In secunda triade azonia Chaldæorum, Ægyptiorumque Hecatica*, continebatur τριεκδότις, κωμὰς & ἐκκλυστική. Τριεκδότις triplici Mundo * omnia confert: κωμὰς in omnibus triplicis Mundi vicis & compitis habitat: Ecclystice spiritu suo omnia concludit.

*Mundi Elementaris præsides: primi; alteri;*

** Est enim & Hylæus triplex: & Hecate nihil aliud esse potest, quàm Fundum paternum, quatenus se terrestris mundi finibus ingerit.*

Catenæ huic, tractationique Angelorum noster autor, & ipse catena suo modo Angelica religiosus, ad honorandam Animam cum Angelo magni Fœderis per communionem sanctorum concatenatam, pectorale insigne appendit. Et quoniam, ait, totus Angelicus Mundus in hunc finem à Deo dispositus est, ut sit divinitatis undiquaque perfectissimum simulachrum, id est, archetypi Mundi immediata & proxima similitudo, per quos Deus universum Mundum gubernat; intellectualibus & rationalibus creaturis potissimum competit, ut sicuti Hierarchici Chori Deum, juxta ordinem ipsis à Deo præscriptum, imitantur, inferiores superioribus se submittendo; sic homines & Deum, & Hierarchicos ordines exprimant, vita iis congrua; quod fiet, si Seraphinis assimilemur per ardentem charitatem, Cherubinis per assiduam rerum divinarum contemplationem, Thronis per æquitatem & justitiam, Dominationibus per dominium quo affectibus terrenis passionibusque dominamur, Principatibus per humilem subjectionem factam superioribus, Potestatibus per resistentiam tentationum à Diabolo immissarum, Virtutibus per continuum virtutum exercitium, Archangelis per instructionem, quæ fit, proximos ad justitiam erudiendo; Angelis denique per obsequia mutua proximis præstita.

*Quomodo nos assimilemur Angelis.*

*De Anima Mundi juxta veteres.*

Animæ latitudo sub Intellectibus est, & sub Anima Natura rerum; ideoque hoc loco singulariter de utraque tractare visum fuit. Veteres vero Hieromystæ in hoc unicum concordare videntur, quod essentia possibilis ad actualem existentiam deduci minime possit, nisi per essentiam quandam actu existentem, cum nihil seipsum producere possit, neque causa suiipsius esse possit; esset siquidem antequam esset. Consequens itaque est, ut quod aliud ad actualem existentiam producit, summo consilio & intentione, ut Zoroaster loquitur, agat; ut sic dispositione rationabili ad actualem existentiam non fortuito aut casu perveniret. Atque hanc sublimem naturam, alii Mentem, alii Intelligentiam, Mundi Animam alii, alii fatum in substantia, alii, ut Platonici, complexionis necessitatem nominarunt; nam sic existimabant possibilitatem (verba sunt Cusani Cardinalis) necessitate per ipsam determinari, ut sit nunc actu, quod prius esse potuit; siquidem in illa Mente rerum formas actu intelligibiles esse ajebant, sicuti in materia aptitudine quadam potentiali; ita ut ipsa complexionis necessitas in se veritatem formarum continens, unà cum iis, quæ ipsas concomitantur, cœlum moveret; ut mediante motu tanquam instrumento potentialem aptitudinem ad actum, & quanto conformius posset, conceptui veritatis intelligibili æqualem, forma concessa ut in materia est, deduceret. Formas itaque veras in anima Mundi, natura prius esse, quam in rebus. Placuit autem Platonicis, talia distincta ideata plura quidem esse, sed illa cum naturali quodam ordine ab infinita unitate, in qua omnia unum sint, procedere, eo pacto, ut Deum asserentes, Animam simul Mundi statuerent, atque eam divinæ mentis quandam veluti explicationem innuerent; ita ut omnia, quæ in Deo concipiuntur esse per modum unius exemplaris, sint in Mundi Anima veluti per modum plurium & distinctorum; Deumque naturaliter hanc necessitatis complexionem, Animam vero Mundi naturaliter motum, sed motum explicationem rerum temporalem præcedere: atque hæc temporalis explicatio ordinem naturalem, qui est in anima Mundi, sequitur, diciturque à Platonicis fatum in substantia; à qua fatum descendere arbitrabantur. Porro ab anima Mundi omnem motum descendere

*Platonicorum de Anima Mundi sententia.*

ſcendere ajebant, quamque totam in tota & in qualibet Mundi parte exiſtere dicebant, tametſi non eaſdem virtutes in omnibus partibus exerceat; ſicuti anima rationalis in homine licet tota in toto, & tota in qualibet parte, tamen in capillis & corde non eandem exercet operationem; unde in ipſa anima Mundi omnes animas ſive in corporibus, ſive extra ea ſint, complicari voluerunt, utpote quam totam in Vniverſum, non per partes, quia illam ſimplicem & indiviſibilem ponebant, ſed totam in terra, ubi terram connectit; totam in lapide, ubi partium tenacitatem operatur, totam in aqua, totam in aëre, igne, arboribus diffuſam credebant. Hinc Ægyptios hanc per circulum ex divinæ Mentis centro evolutam exhibuiſſe, numerumque ſeipſum moventem ex eodem & diverſo conſtantem dixiſſe, notandum eſt, ſolo numero ab anima rationali diſtinctam, ut ſicuti homo in anima ad hominem ſe habet, ſic ipſam ad Vniverſum, omneſque animas ab ipſa, & in ipſam finaliter reſolvi, ſi demerita non obſtarent, credebant. Atque hæc eſt ſententia Platonicorum de anima Mundi; quam Orthodoxi negant; nam temetſi animam Mundi tanquam formam quandam univerſalem omnem in ſe formarum multitudinem complicantem concipiant, non tamen eam tanquam formam quandam ſeparatam, ſed actu in rebus contracte exiſtentem dicunt; eſt enim in qualibet re contracta rei forma; neque ullum inter contractum & abſolutum medium intercedit, uti illi ſibi imaginati ſunt, qui animam Mundi Mentem dixerunt. Solus enim Deus anima & mens Mundi eſt eo modo, quo anima quaſi quid abſolutum, in qua omnes rerum formæ actu exiſtunt, conſideratur, diciturque Verbum Patris; quod dum Veteres non intelligerent, ejus loco animam Mundi ſubſtituerunt: cujus hieroglyphicam exhibitionem vide in tabula Bembina apud Oedipum, Tomo tertio.

*Oedipi ab hæc Platonicorum ſententia diſſenſus.*

*Spiritum univerſi veteres quid dicant.*

Porro Veteres motum, per quem formæ & materiæ connexio fit, Spiritum quendam eſſe inter formam & materiam medium opinati ſunt, huncque potiſſimùm in Aplane, Planetis, & terrenis rebus reſidere ſenſerunt, quem & Græci poſtmodùm Platonici ſub verborum velamento non ineptè Atropon, Clothon, & Lacheſin indigitarunt. Latent enim in rebus quædam eventuum cauſæ, ut ſeges in ſemine, quæ in anima Mundi ceu in glomo quodam complicatæ, per motuum vim & efficaciam explicentur & extendantur. Atque hanc dixerunt Spiritum Vniverſi, varioque, ut in Obeliſcorum interpretatione videbitur, hieroglyphicorum ornatu exhibuerunt, per univerſas Mundi ſemitas, & ſingulas ejus partes diffuſum contractumque, quam naturam dixerunt; unde naturam omnium eorum, quæ per motum fiunt, quandam veluti explicationem definiverunt. Verùm hunc Spiritum nonnulli increatum, alii meliùs, & orthodoxæ doctrinæ convenientiùs, creatum eſſe, ſine quo nihil unum ſit, neque ſubſiſtere poſſit, tenuerunt: quinimo totus hic Mundus, & omnia quæ in naturæ majeſtate refulgent, per hunc Spiritum naturaliter per neceſſariam quandam connexionem id ſunt, quod ſunt, ut videlicet, potentia per ejus medium ſit in actu, & actus ejus medio ſit in potentia. Atque hæc eſt amoroſæ connexionis ad unitatem motus, ut ſit omnium unum Vniverſum: nam dum moventur ſingulariter, ut ſint hoc, quod ſunt meliori modo, & nullum ſicuti aliud æqualiter, motum tamen cujuſlibet quodlibet ſuo modo contrahit, & mediate vel immediate ut ſunt univerſum, participat, & per hunc motum res ſunt meliori modo, quo poſſunt, & ad hoc moventur, ut in ſe, aut in ſpecie per naturalem diverſorum ſexuum connexionem, (qui natura complicante motum uti uniti ſunt, ita per diviſionem contracti ſunt in individuis) conſerventur. Nemo tamen hic putet, naturam ſive motum explicari per motum ſimpliciter maximum & abſolute, ſiquidem hic uti cum quiete incidit, ita alius eſſe non poteſt, quam ipſe Deus Conditor & Motor rerum omnium immobilis. Quemadmodum enim omnis potentia eſt in potentia abſoluta, qui eſt æternus, & omnium Conditor Deus; & omnes forma & actus in abſoluta forma, quod eſt Verbum Patris, & Filius in divinis; ita omnis connexionis motus, proportionum-

*Natura quid, apud Platonicos.*

*Sitne Spiritus Mundi creatus:*

*omnia hoc ipſo connecti;*

*Motus ejus qualis ſit.*

tionumque harmonica ratio est in absoluta connexione divini Spiritus, ut sit unum omnium principium Deus; in quo omnia, & per quem omnia sunt in quadam triadis unitate, umbratili quadam similitudine secundum magis & minus, contracta secundum gradus suos, ut alius gradus potentiæ & actus, connexionisque motuum in Intelligentiis, ubi intelligere propriè est movere; & alius materiæ & formæ nexusque in corporeis, ubi esse est movere. Quæ omnia admirando ingenii ausu Ægyptii sub hieromanticis symbolis obvelata posteritati consignarunt.

** Recidivatum Animæ vocat Tertullianus; & Laërtius τῆς ψυχῆς περιπόλησιν.*

*De illa quid sentiant Ægyptii.*

Circa descensum & ascensum animarum, unde metempsychosis seu παλιγγενεσία * orta inter sectatores, Oedipus [postquam de Pythagoræ & Platonicorum sententia allegavit doctorum sententias,] de Ægyptiis refert, quòd ipsi cum crederent omnes animas ex divina mente excerptas, & ex sempiternis stellarum ignibus in terram dimissas, [teste Cicerone lib. 1 de natura Deor.] & præterea animas hasce omnia hujus Mundi corpora per varias descensuum revolutiones subire, quod inde Ægyptii, inquam, in hanc opinionem venerint, omnia plena Diis, nulla non intelligentiis animata esse; ut proinde mirum non sit, homines illos tam impenso cultu non animalia tantùm omnis generis, sed & vel ipsas plantas, cœpas, & allia, veneratos esse pro Diis; quæ insania aliunde non profluxisse videatur, nisi à malè intellecto Hermeticæ doctrinæ sensu. Omnes autem sphæras animarum copiis refertas credidisse Ægyptios, Proclus & Iamblichus aperte docent. Ipsius autem Hermetis hæc sunt verba: *Ab una totius Mundi anima universæ profluunt animæ per omnem Mundum tanquam distributæ circumcurrentes. Harum autem animarum mutationes permultæ, partim sane in melius feliciusque, partim autem in contrarium. Nam animæ quidem reptilium in aquatilia transmittuntur; aquatilium in terrestria migrant, terrenorum volatilia subeunt; aëreorum vertuntur in homines; hominum denique immortales animæ in Dæmones transeunt, demum in Deorum choros feliciter revolant; animæ vero in humanum corpus lapsæ, siquidem mala perseveraverit, non gestat immortalitatis quicquam, neque bono etiam fruitur; revoluto autem itinere in reptilia præcipitatur.* &c. Hæc Trismegistus; quamvis mox deinde opponat, animam impiam in natura propria remanere, à se ipsa nimium cruciatam, corpusque * quærere quod ingrediatur terrenum & humanum, aliud quippe corpus quam humanum non capere animam humanam, lege enim divina prohibitam nefariam degenerationem. Descendunt vero secundùm Trismegistum, animæ appetitu quodam in generationis sphæram tractæ; quod est, cum intellectus à divina Patris contemplatione ad sensibilem & elementarem Mundum convertitur, ex qua mox animæ cum terreno corpore copulationem sequi putabant; tantoque deteriorem sortem animas experiri, quanto vehementiori appetitu in inferiora agitatæ fuerint; adeo ut non hominem tantum, sed & quorumcunque animalium corpora subeant. Vbi notes Procli sententiam: *Quæcunque*, ait, *animæ magni Iovis pedissequæ fuerunt, unaque cum illo circuierunt, ordinem habentes ducalem inter duodecim Principes totius Vniversi, hæ perfectæ juxta speciem sui Dei, etiam huc profectæ imperiosam vitæ speciem appetunt*, &c. *animæ scilicet hic pervagantur circa imagines eorum, quæ in Patria * viderant*, &c. Qua parte cœli animarum fieret descensus, Plato ab Ægyptiis edoctus asserit; ex præcelso superioris Mundi, & astriferæ sphæræ habitaculo animarum descendentium initium fieri in domo Cancri, quem Ægyptii domum Sothis sive Caniculæ dicebant; at ex Capricorno ascendentium denuò animarum initium statui; hinc illam hominum, hanc Deorum portam appellant. Nemo tamen putet, hunc animarum descensum ascensumque secundum situm accipiendum esse; sed hoc ita intelligendum, quod cum Luna Cancri domina (est enim Cancer in hunc usque diem mansio & domicilium Lunæ) sit sphæræ geneticæ omnium cœlestium corporum proxima; Saturnus vero Capricorni οἰκοδεσπότης seu domus hujus dodecamorii dominus, ab eadem generationis sphæra remotissimus; ideo animæ per Cancrum, id est, Lunarem vegetabilemque instinctum, rerumque caducarum, quibus turbantur, affectibus & desideriis pressæ descendant; per Capri-

*Vnde cultus animalium & rerum inanimatarum.*

*Trismegistus de Animarum migratione.*

*In ipso discrepantia.*

** Confer Platonem in Phædone.*

** Scilicet & legem fatalem didicentes antequam in generationis sphæram laberentur.*

*Sensus traditionis hujus explicatus.*

Capricornum vero, Saturninum ſcilicet intellectualemque inſtinctum, id eſt, nova igniculorum idealium reſuſcitatione, continua contemplationis aſſiduitate, virtutumque ſtudio facta, ad eundem, unde exciderant, gradum aſcendant.

*Saturnus quid myſticè ſignificet;*

Eſt autem Saturnus nil aliud in myſtica Veterum Theologia, uti in tertia Claſſe demonſtrat Oedipus, niſi Mens cujus ope ſuperiora petuntur; nam cum Saturnus & Capricornus ſiccæ naturæ ſint, maxime homines ad intellectualium rerum exercitium, ſpiritu ad intima contrahente atque colligente, aptos faciunt, & ad contemplandum incitant, provocantque.

*Quid Luna.*

Luna verò & Cancer uti humidæ naturæ ſunt, ita maximè diſperſivâ ac dilatativâ virtute pollent, atque adeo in ſenſibilium ſpectaculorum, ac geneticæ ſphæræ gurgitem ſuaptè vi animas incitat ac propellit. Sed in ipſo deſcenſu anima & à Saturni Numine, ut loquuntur Platonici, per ſe, & à Saturni lumine per corpus æthereum, amictum quendam, quem Zoroaſtres vehiculum animæ, Hebræi, ut in Cabala docuit Oedipus, indumentum cœleſte vocant, veluti incitamentum quoddam, ad contemplationem aptiùs exequendam ſuſcipit;

*Vnde virtus Planetarum.*

à Iovis verò Numine & lumine ad politicæ vitæ gubernationem; à Marte ad injurias propulſandas magnanimitatem; à Sole ad phantaſiæ, ſenſuumque claritatem; à Venere ad amorem; à Mercurio ad ſcientiam, rerumque interpretationem, atque facundiam Rhetoricam: à Luna denique ad generandum ſua accipit ſubſidia; & tametſi omnia dentur bona, poſſunt tamen in terrenæ miſtionis contagione ad malum degenerare, fierique putant hujuſmodi deſcenſum non ſecùs ac radiorum Solarium momentaneam quandam diffuſionem.

*Platonicorum quorundam diſcrepantia.*

Alii ex Platonicis putant, animas in qualibet ſphæra ad certum tempus vitam agere, juxta rationem ipſius convenientem, à ſingulis propria vehicula ſortitas; ac tandem poſt multa ſæcula ad elementarem ſphæram deſcendere; atque in igne quidem & aëre dæmoniacam; in terra humanam brutalemque vitam agere; ſimilibuſque tandem revolutionum gradibus ad ſupernas Deorum choreas reverti.

*Quomodo anima alas perdat.*

Perdit autem alas, ita loquuntur Ægyptii, in deſcenſu anima; reſumtis verò per multos circuitus & revolutiones tandem cœlum repetit:

*Gregorius Nyſſenus de Platonicor. ſententia.*

Vbi notes Gregorii Nyſſeni, in hanc doctrinam, ſententiam: Nam ſi ex incorporea vita ad corpoream, ait, delabitur [anima,] & ex hac ad ea quæ ſenſu carent, itemque illinc rurſum ad incorpoream incurrit, nihil aliud niſi indiſtincta atque indiſcreta tum malorum tum bonorum confuſio ab iis qui hæc tradunt, fingitur & exiſtimatur. Neque enim cæleſtis vita in beatitudine permanebit; ſiquidem vitioſitas illic viventes invadit: neque ligna & ſtipites virtutis expertes erunt; ſiquidem materialis vita vitioſitatis expiatricem vim contineat.

*Quid ſit animæ ala.*

Eſt autem Ala Animæ nihil aliud quam inſitus quidam animæ igniculus, per quem tum veri contemplatione, tum ipſius boni amore ad cœleſtia rapitur. Sed hæc de vanitate ſcientiæ illius ſatis eſt: aliam enim mentis exaltationem per Seiran ſive Seriem rerum Creatarum ad ipſum Creatorem, & ab illo incipiendo per gradus virtutum ad poſtremum & ultimum uſque entium deſcenſionem; quæ eſt quaſi à centro ad circumferentiam, probamus & extollimus, quam non tectam ſed apertiſſime definitam libro Naturæ ſapientia Dei proponit.

*De Theomorphoſi Ægyptiorum,*

Sacrificia, ritus & cæremoniæ, quibus Ægyptii tum ad animam expiandam, tum ad Numina attrahenda ſolebant uti, hæc ſcilicet finis erant myſticæ Sapientiæ. Ægyptiis autem præ omnibus mundi nationibus hanc Theurgiam uſitatam fuiſſe legimus, quam & artem ſacerdotalem vocabant; & magna certe hieroglyphicorum pars ad operationem illam ſacram ſpectat; unde nempe quidquid in toto de myſteriis Ægyptiorum opere Iamblichus tradit, verus & maxime genuinus Ægyptiorum interpres, huc alludere videtur. Et quamvis indubium ſit, pareatque, Sathanam fuco quaſi præſentiæ divinæ eorum operationibus ſeſe miſcuiſſe; habuerunt tamen neſcio quid ſuprahumanum in vita, quod in Hermetis operibus patet, & SS. Patres, Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandr. & Auguſtinus mirati ſunt. Θεοληψίαν igitur, ſive θεομόρφωσιν, beatamque Deorum conſortio vitam

præſtari

præstari Iamblichus putat per præceptorum operumque divinorum, quæ omnem intellectum excedunt, obſervantiam decentem, & ſymbolorum ac ſacramentorum poteſtatem. Putabant enim ſacerdotes hoc ipſo quod ſacramenta ritè peragerentur, iis etiam non intelligentibus, aut aliud agentibus nihilominus effectum ſuum ſortiri, Deorum poteſtate, proprias imagines ineffabiles ex ſemetipſis agnoſcemtium, non ab intellectu cultoris principaliter excitatorum; quanquam intellectum & bonæ voluntatis affectum, puritatemque tanquam diſpoſitiones & concauſas quaſdam, ut ait Iamblichus, præcedere neceſſarium ſit. Sicuti enim, ajunt Ægyptii & Chaldæi, in agricultura, medicina, &c. homo materiam opportune adaptat, diſponitque, cauſa vero ſuperior atque univerſalis adhibet formam; ſic in ſacrificio, quando ſunt ſymbola ac ſynthemata, id eſt ſacramenta, ſacerdos adhibet materialia quidem, Dii autem his ipſis concedunt efficaciam. Ritè autem ac religioſe peragenda eſſe dicebant ſacrificia illa, quia ſi vel unica circumſtantia omitteretur, totum opus irritum fore exiſtimabant.

*Vnde vim ſacramentorum eſſe putarint.*

Hinc antequam intrarent, multorum dierum abſtinentia, vigiliis, corporis maceratione, rerumque terrenarum concupiſcentiis domandis ad Deorum influxus aptiùs recipiendos ſe diſponere ſummo ſtudio contendebant: adytum ingreſſi habitu utebantur ſacro, Deorumque operationibus prorſus analogo; ſiquidem maximè Diis myſticos & ſymbolicos corporum ornatus placere, iiſque veluti eſcâ quâdam nempe tanquam ad res naturæ eorum maximè congeneas congruaſque allectos ſeſe ſiſtere, opinabantur: hiſce geſtis, varias corporis ſui in nomen Numinis, quod invocabant, transformationes adjungebant, iiſque Numina mirificè trahi putabant; quibus accedebat hymnorum ſingulis Diis appropriatorum recitatio, divinorumque nominum ſub incognitis vocibus invocatio; denique ſuffumigiorum exacta ſingulis congruorum ſelectio. Nihil enim in ſacrificiis ſine ſuffumigiis perficiebant. Tantum de hac Theoſophia Hieroglyphica; poſt quam breviter notes ſyſtema mundanum. Hoc itaquecum geniis præſidentibus ita ponebant. Primo nempe ſupramundanum mundum Trinunius principii creatæ multitudinis univerſæ, Hemphta; tum mundum ſive Mundos Ideales, cui præſident Genii ordine primo Fundi Paterni; deinde Mundum Animæ Mundi πολύμορφος, & reſpondet Mundo ſtellarum, Empyreo, Firmamento; deinde Solem inter duos quinarios, hoc eſt, quinque planetarum orbes, nempe Saturni, cum præſide Rephan, Iovis cum Horo, Martiſque cum Typhone, Veneriſque ſive Nephtæ, & Mercurii, qui eſt Hermanubis, tum Solem ipſum ſeu Oſirin, hinc Lunam cum Iſide, quatuorque elementares: inter quos ignifer genius princeps eſt Chorumphta, Aëreus verò Theophta, Aqueus Mophta, Terreſtris Hecate. De hac poſitione, præter Arabum Aſtrologorum teſtimonium, ita Marſ. Ficinus: *Solem quaſi Dominum omnes in Mundo medium, quamvis diverſâ ratione, conſtituêre: Chaldæi quidem medium Planetarum; Ægyptii verò inter duos Mundi quinarios, nempe ſuper hunc Planetas quinque, ſub hoc Lunam & quatuor Elementa.* Huic conſentit Rambam Ægyptius eruditiſſimus, *omnes*, inquiens, *primi ſapientes Venerem & Mercurium ſupra Solem ordinaverunt, & hinc numerus Sphærarum, in quibus ſunt formæ ſtellarum* (ſic ſtellas Antiqui vocabant) *quaternarius eſt, nempe ſphæra ſtellarum fixarum, deinde quinque planetarum* (unam enim harum ſphæram ducebant,) *hinc ſolis, & denique Lunæ; ſupra omnes verò ſphæra quædam in qua nulla eſt ſtella.*

*Sacrificaturi quomodo ſe pararent.*

*Marſilius Fic. lib. de Sole, cap. 6.*

*Rambam, lib. More nebuchim.*

Recenſitis his ſphæris ad concatenationem rerum omnium, hoc ordine 4 genitalia corpora ſubjungebant: Terram, Aërem, Ignem, Aquam. Huic Syſtemati reſpondere poteſt Zoroaſtri ſuprà adducta philoſophia Chaldaica; ſed latiùs deducere rivos non permittit modus inſtituti tenendus, atque idcirco quoque, quamvis ſupra præmittenda promiſi, de Geometricis figuris aliiſque claſſibus rerum Hieroglyphicarum, meliùs in Obeliſcis quibuſque agetur, quantum ſatis fuerit, & quoad ejus fieri poſſit: hinc ipſos protinus aggrediamur.

*Singulas ſphæras reſpondere elementis.*

*Tranſitus ad cætera.*

OBE-

# OBELISCVS FLAMINIVS.

*Obelisci Sennisertæi, sive Augustalis, aut modo Flaminii, prima in Vrbe adoptatio.*

*Alienum imperium Ægyptum his gloriæ radiis privat.*

PRimum, quem Romæ sibi positum Obeliscum Phœbus aspexit, Flaminium hodie appellamus: Octavii Cæsaris I. F. Augusti auspicio quondam allatum. Illi enim, Principum Romanorum primo, quum post pacem Orbi partam, postque Vrbem Vniversi rectricem legibus civilibus ampliatam, eandem regalibus extollere operibus antiquissima cura esset; nihil autem toto magnificentius ferretur mundo, quàm quæ Ægypti regnum, tum ipsi Augusto in Provinciæ formam redactum, ostendebat cùm religionis, ut volebant, sanctitate, tum perfectionis excelsitate cunctis hominibus admiranda: his præsertim solis radiis, sive sacris monumentis, maximi deorum tela in effigie & materiæ quoque mysterio exprimentibus, caput terrarum coronare voluit, Romam scilicet, cujus ex apice legeque * ipse *uno minor Jove* quasi Sol hominum societati erat, aut inter reges majores, maximos,

** Regia, de qua Iustinianus Inst. de jure natur. §. 6.*

—— *velut inter ignes*
*Luna minores.*

*Quot obeliscos, & quos transtulerit Octavius: & quare non Ramessæum.*

*Ammian. Marcellinus, lib. 17, rer. gest.*

Duos igitur Obeliscos, qui in majoribus integri reperiebantur, Heliopoli transtulit Romam, à Solis urbe ad Vrbem quasi Solem urbium: illum tamen maximum omnium Obeliscum, quem post aliquot secula Constantino Imperatori Thebis ablatum Constantius ejus filius Romæ dedit, præteriens, non minori in patriam animo, nec facultatis diffidentia, sed, quod Ammianus perhibet, religionis veneratione, quoniam iste, cùm tanquam apex omnium emineret, Soli dicatus speciali munere videretur, fixus intra templi delubra quæ non poterant contingi. Fuerunt hi duo quos Roma in Circo Maximo & campo subrexit Martio. Super omnia tamen, maxima, annuente Plinio, difficultas accessit mari devehendi, spectatis admodum navibus; Heliopoli nimirum transportantibus per Nilum Alexandriam, & inde Romam: idcirco, cum feliciter res esset effecta, navis [alterius, nisi utriusque] Puteolis miraculi gratia perpetuis navalibus dicata est, sed incendio casu facto postea consumpta.

*De Obeliscis.*

*Devectio maritima operosa.*

*Augusti trabes quot annorum quorumque sint.*

Vetustate utrumque haud pari esse, dicunt monumenta scriptorum, quamvis satis dubie. De universo Obeliscorum genere Ammianus Marcellinus, libro XVII: *In hac urbe* [Thebas intelligit] *inter labra * ingentia, diversasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes & comminutos, quos antiqui reges bello domitis gentibus* [a], *aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis* [a] *incolas perscrutatis excisos, erectosque diis superis in religione dicarunt.* De ambobus hisce memoratis Plinius, libro XXXVI, capite IX: *Is autem Obeliscus, quem D. Augustus in Circo Maximo statuit, excisus est à Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit*, CXXV *pedum & dodrantis, præter basin, ejusdem lapidis: Is verò qui est in campo Martio, novem pedum minor est, à Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum, opera philosophiæ, continent.* In hoc loco Plinii Oedipus primùm de positore, Semneserteo appellato, notat, quòd ille post Cambysis devastationem rex ultimus falso vocitetur, quum nempe & Herodotus postremum illorum Amasin dicat, Diodorus verò Nectanebum. Sed minimè videtur verisimile, tam celebrem Obeliscum tempore quo regnum ad interitum spectabat, erectum fuisse, & quum Principes non de tutandis aut conservandis, nedum erigendis novis, cogitarunt: & veterum chronologiæ, ut & nominis ejus, quod Plinius prodidit, rationem exactiorem habenti apertum fiat, non ab alio nisi tertiæ & vigesimæ Dynastiæ rege tertio hanc trabem constitutam. Illum Manethon

** homines ipsos intelligit I. Argolus, quibus labia reflexa nimis turgerent: nos fossarum grandium margines.*

*[a] quæ causa, quisve locus excidendorum, vide retrò.*

*In Semneserteum Ægypti regem ejusque ætatem inquiritur.*

Ii Psam-

*Ægyptiis nomina composita fuisse.*

Psammum, Ctesias verò Amirten appellat; duobus autem nominibus iis confusis Psammirtaum dictum, Oedipus ex more Ægyptiorum, compositis sese appellationibus plerumque ferentium, tum ex fonte linguæ Coptæ deducit. Ex Psammirtao iterum corruptum esse vocabulum Semniserteus aut Senneserteus [ita nempe in Vaticano exemplari Oedipus legit] exempla omnium fere regum nominum apud scriptores exoticos depravatorum probant. Vixit rex Psammirtaus annis post diluvium MDXXVII, vel quemadmodum alii computant, MDCXXII, circa principium Olympiadum & conditæ Vrbis, ab imperio Sesostris quasi CCCXL.

*Senniserτæi tempora, ex Sesostris ætate notata.*

Sesostris nempe sive Sesosiris, secundum Manuphta, Sothimque, ac Ramessem illum in eo quasi certamine ponendorum Obeliscorum excellentissimum, de quibus suprà, succedens, rex omnium maximus fuit imperii potentia, duorumque Obeliscorum author, eo scilicet tempore quum doctrina Hieroglyphica jam aliquot secula floruisset; à diluvio MCCXXXVII anno. Abhinc tanto, ut jam dicebam, spatio, sub rege Psammirtao, & flos imperii & maturitas doctrinæ hieroglyphicæ late resplenduit, unde tam magnus gentis fastus, ut, si unquam de regni occasu cogitaverint [quod ex Hieroglyphicorum institutione, perpetuam status felicitatem promittente, mihi minimè videtur,] tam magnis tamen impensis, tam multa hominum animo atque arte valentium cura, tantaque maxima religione positos lapides qui dejiceret, qui non reverentissime coleret, hominem fore nunquam illa rerum facie crediderint. Perennitatem ipsa marmorum durities spondebat, & in iis scalptura satis alte facta clarè videtur spectare. Et negat præterea Oedipus, illo nostri Obelisci positore regnante Pythagoram, quod Plinius supra adstruebat, in Ægypto fuisse; at illum sub Amasi eò migrasse, quatuor videlicet annis ante Cambysis irruptionem, cum Laërtio * atque aliis sentit.

*Quando Sapientia Hieroglyphica maxime floruerit.*

*Ægyptiorum de se suisque opinio.*

** Is vult proficiscentem à Polycrate Sami tyr. Amasi per literas recommendatum.*

Psammirtao igitur, sive Senniserteo regi Obeliscus noster, ab hoc genitore suo Senniserteus meritò cognominandus, erectus est Heliopoli, in urbe sacerdotali, & præcipua Hieroglyphicorum schola; diisque superis in religione dicatus est, ibique per annos septingentos octoginta quinque stetit, & regali situ conspicuus, & sacerdotali voto sacroque mysterio venerandus; usquequo post varias reipublicæ tempestates, imperiumque Persarum, ac dynastiam Græcorum, Princeps tandem Romanus, primus * exterorum qui Ægypto dominaverant, animum transmovendis Obeliscis adjecerit, avulsumque sedibus, ab urbe Solis asportandum curârit & in Vrbe Soli dandum. Est enim in Circum magnum illatus, ut cujus religionem & similitudinem ille ipse haberet, hujus nimirum Solis honori & Obeliscus prostitueretur: itaque spinæ impositus, intra duas metas summitatem cœli indicabat, quam Sol anni director curriculo contingit. Facta autem hæc constitutio ante Christi Domini nativitatem anno vigesimo secundo, principatus Augusti decimo quarto; stetitque hic solus in Circo, donec is quem Constantinus Imperator Thebis Alexandriam devexerat, per filium Constantium Augustum Romam, ac maximo Circo importatus fuit, spinaque in media surrectus; exinde enim hic noster Lunæ sacer * habitus est; gentiles tamen sexum deorum indifferentem sæpe habuerunt, Christiani verò tam in operibus quam muneribus Circi solam Principis magnitudinem spectârunt.

*Prima Obelisci Flaminii patria.*

** Quamvis Ptolem. Philadel. obeliscum Nechao Memphi transposuit Alexandriam.*

*Altera Obelisci sedes, quo tempore facta.*

** ita sentio ex Victoris de utroque descriptione; siletur tamen de eo apud antiquarios.*

Quibus demum potentiis mechanicis antiquitus extructio hujus molis in Ægypto peracta sit, in principio operis dictum est; Romanam olim Augusti perstringit leviter Ammianus supra citatus: de recentiori verò molitione Summorum Pontificum, etiam in aliis Obeliscis surrigendis quam magnificentissima & artificiosissima, ex Dominici Fontana Architecti Romani nobilissimi scriptis, de Vaticani, quem dicimus, infra memorandi Obelisci translatione editis, referre in calce hujus tractationis voluimus, quod sit specimen Lectori, & exemplum reliquorum illustre, nostroque instituto sufficiens. Videtur autem percommodum, priusquam de repositione atque adeo nova ætate hujus trabis pergamus, & antequam ad interpretationem, quod nostri

*De Mechanicis potentiis quid videatur.*

ſtri demum temporis decus ingens eſt, accedamus, ut alterius Obeliſci, quem ex Ægypto idem ille Princeps adveхiſſe paullò antè dictus eſt, atque ejus mirabilis uſus mentionem ſubjunctam præmittamus, nimirum quòd de illo poſtea repetere locus non ſit. Iſce igitur Obeliſcus initio Heliopoli eſt erectus à rege Seſoſtri; qui nonnullis Sothis, quibuſdam & Zethus dictus eſt. Regnum ejus refertur circa annum à Diluvio MLVIII, haud longe poſt Moſen & Ioſua, duces Iſraëlis: de quo videatur ſæpe allegata noſtri autoris Chronologia. Transportatum verò ab Heliopolitana civitate Ægyptia locavit Auguſtus in Campo Martio; nimirum quem Soli dederat, ut is uſum quoque ſolarem haberet; cujus cum rationem curſus indicaret ac minute demonſtraret dimetientibus in lineis, digiti Solis appellationem rectè, præque omnibus, meruiſſe videatur. Dedit enim hic Obeliſcus à plano horizontali uſque ad ſupremum terminum ſphæræ, quam auratam vertex ferebat, gnomonis ſeu indicis longitudinem, centum ferè palmos alto radio; cui ſi addideris abacum, fundamenti loco ſubſtratum, (qui tempore Iulii II Pontificis Maximi, in campo Martio detectus, ſeptem pedes altus fuit, Mercato teſte,) ſphæramque tripalmarem, totus Obeliſcus CXV palmis exſurrexerit, quæ eſt exacta longitudo gnomonis, quo horæ ſingulis diebus demonſtrabantur. Idem demum immanitate Gothorum ex eminentiſſimo loco dejectus, in terra obrutus eſt, jacetque hactenus, & fundamentum præſtat ignobilibus ædificiis; ſiquidem prope S. Laurentium in Lucina, confracti cubile cella quædam ſive crypta ſubterranea oſtendit; ibique moles relinquetur, donec Sixti ac Innocentii æmulus aliquis eandem reſtituat. In abaco, de quo diximus, hæc legitur inſcriptio:

*Obeliſci Campi Martii quis author.*

*eadem trabes quo duce translata,*

*qualis ipſi datus uſus.*

*Altitudo ſitus ad præſtandum ſolarium.*

*Obeliſcus everſus hactenus ſepultus manet:*

CÆS. DIVI I. F.
AVGVSTVS,
PONTIFEX MAXIMVS,
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

*Ipſius inſcriptio Romana.*

De hoc ipſo Plinius: *Et Obeliſco, qui eſt in campo Martio, D. Auguſtus addidit mirabilem uſum, ad deprehendendas per Solis umbras dierum ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad Obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die ſexta hora, paulatimque per regulas (quæ ſunt ex ære * incluſæ) ſingulis diebus decreſceret, ac rurſus augeſceret, digna cognitu res, & ingenio fœcundo. Manilius Mathematicus apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in ſemetipſum, alia atque alia incrementa jaculantem apice; ratione, ut ferunt, à capite hominis intellecta. Hæc obſervatio triginta jam fere annis non congruit, ſive Solis ipſius diſſono curſu, & cœli aliqua ratione mutato, ſive univerſa tellure aliquid à centro ſuo dimota, ut deprehendi & in aliis locis accipio, ſive Vrbis tremoribus ibi tantùm gnomone intorto, ſive inundationibus Tiberis ſedimento molis facto, quamquam ad altitudinem impoſita rei in terram quoque dicantur jacta fundamenta.* De hujus operis ratione, in curioſorum Lectorum gratiam, Oedipus, paulo fuſius explicat I genera horarum; II longitudinem umbræ juxta diverſorum temporum, horarumque rationem conſideratæ; III formam ipſam horologii. Genus Horologii fuit haud dubie illud antiquum, quo omnes veteres uſi ſunt; quod ſingulos totius anni dies ac noctes dividit in duodecim æquales horas, ſive eæ fuerint longæ, ſive breves; hoc à modernis dicitur horologium horarum inæqualium, non quod horæ ad unum diem comparatæ non æqualiter reſpondeant, ſed quum horæ hujus ſciaterici collatæ ad diverſos anni dies ſint inæquales. Nam Romæ minimus arcus diurnus novem hodie horarum eſt, olim diviſus in duodecim horas æquales: maximus verò diurnus arcus, quindecim horis abſolvitur, quondam & ipſe duodecim æqualibus horis diſtinctus: hinc factum, ut horæ arcus minimi, quaſi dupli eſſent minores horis maximi: & ſingulæ horæ arcuum diurnorum Auſtralium omnes erant minores ſingulis illis duodecim horis, in quas arcus Boreales dividebantur, donec tandem in Æquinoctiali æquarentur; ac in hoc conſiſtebat horarum antiquarum inæqualitas, ſimili modo de noctibus intelligenda. Hora verò ſexta, de qua Plinii textus loquitur,

*Plin. lib. 36, c. 10.*

** Hæ in plano horizontali conſpectu altioris loci quàm pulcherrimæ erant.*

*Horologii Auguſtani explicatio Kircheriana.*

*Genus horarum,*

*dictum inæqualium:*

*Dimenſio diei Romana hodierno uſu,*

*& antiquo.*

*De hora ſexta, Plinio memorata.*

tur, semper ostendebat horam meridianam, quo momento umbra istius diei minima erat, quæ ut in aliis horologiis ab ortu continuo usque ad meridiem crescebat, deinde eadem, quâ creverat proportione, versus occasum decrescebat. Quanta verò umbra de jam dimenso Obelisco ceciderit, singulis horis congrua, in sequenti tabula dicto citius reperies, qua cum Sol esset in Cancro, Ariete, Libra, & Capricorno constitutus, umbræ quantitas exactè calculata proponitur, in partibus qualium totus gnomon sive Obeliscus habet duodecim, quæ facile in pedes aut palmos per regulam proportionum resolventur.

*Projectæ umbræ Obelisci delineatio.*

*Tabula quantitatis Vmbrarum, quas Obeliscus Campomartius Sole in ♋, ♈, ♎, & ♑, constituto projiciebat; partes verò dictarum umbrarum tales referunt, quales ipse Obeliscus, sive stylus habere censebatur duodecim.*

| Horæ A. Mer. / P. Mer. | VI. | V. VII. | IV. VIII. | III. IX. | II. X. | I. XI. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Par. Obel. | Par. Min. | Par. Min. | Par. Min. | Par. Min. | Par. Min. | Par. Min. |
| ♋ | 4 0 | 5 51 | 9 3 | 14 50 | 26 57 | 61 44 |
| ♈ ♎ | 10 48 | 11 39 | 14 18 | 19 27 | 29 57 | 62 44 |
| ♑ | 26 20 | 28 58 | 32 58 | 39 15 | 51 49 | 85 23 |

*Explicatio tabulæ præcedentis.*

In primo hujus tabulæ ordine sunt partes umbrarum, qualium totus Obeliscus est duodecim, singulis horis respondentes, Sol in ♋ constituto. Secundus ordo continet partes umbrarum Sole in ♈ & ♎ constituto. Tertius ordo verò continet umbrarum partes Sole in ♑ constituto singulis horis respondentes; v. g. Sole in ♋ constituto horâ meridianâ, sive VI umbra Obelisci erat quatuor partium talium, qualium totus Obeliscus à plano terræ usque ad ultimum verticem habebat 12. 0. Iterum horâ meridianâ Sole in ♑ constituto umbra Obelisci erat 26, plùs 20, min. partium: Dividimus enim singulas duodecimas partes rursus in alias centum particulas, ita ut partes minutæ sint centesimæ partium singularum duodenarum.

*Partes divisionis, Obelisci,*

*Partiumque minutæ quantæ.*

Dato itaque gnomone, & datis umbrarum longitudinibus, necessariò horologii formam assignabimus. Si enim, ductâ priùs linea meridiana, ex assignato loco styli juxtà tabellam sumas quatuor partes duodecimas, easque in lineam horæ VI, sive meridianæ transferas, monstrabunt dictæ illæ quatuor partes punctum tropici in meridiano, sive punctum, in quod meridiana Obelisci umbra incidit, Sole in primo ♋ gradu constituto, quæ quidem umbra longitudinem habebit quasi 38 palmorum. Si verò quinque partes, cum 51 min. in horam V, antè meridiem, & VII, post meridiem ex loco styli transtuleris, dabunt illa tibi puncta Tropici Cancri, in dictis horarum lineis. Nec alia ratione puncta Tropici ejusdem inquiras in reliquis horarum lineis. Porrò si decem partes cùm 48 minutis in lineam meridianam transtuleris, dabit tibi terminus punctum, in quod umbra Obelisci incidit, Sole in Ariete vel Libra constituto. Si denique 26 partes, cum 20 minutis, transferas in lineam meridianam, dabit tibi terminus punctum, in quod meridie incidit umbra Obelisci, Sole per Capricornum vagante, quæ umbra duplo major erit Obelisco, & insuper $\frac{2}{12}$ sive duabus duodecimis; id est, in linea meridiana à loco styli occupabit usque ad tropicum Capricorni 249 circiter palmos.

*Forma solarii fabricandi descripta, ex usu hujus tabulæ.*

*Puncta horarum invenire,*

*sub signo Cancri,*

*Arietisque aut Libræ,*

*aut Capricorni.*

Habitis punctis Tropicorum, & æquinoctialis in linea meridiana, reliquas horas singulas terminabis juxta partes umbrarum in tabella singulis horis adscriptarum. Et quoniam hora duodecima in hoc horologio incidit in ortum vel occasum Solis, umbra Obelisci necessario erit infinita; uti in omnibus gnomonibus in horizontali plano erectis videre est: ac consequenter hora duodecima in hoc horologio ad ortum vel occasum Solis, determinari non poterat. Primæ igitur horæ diei hujus horologii numerus I, ultimæ vero II erat; pal-

*Vmbram in horologio ad ortum vel occasum infinitam fuisse.*

*Primæ, aut ultimæ horæ, quàm varia fuerit umbra.*

palmosque 527, aut 61 partes Obelisci cum 44 minutis, Sole Cancrum tenente, umbra ibi possidebat. His iisdem horis Sole Arietem, vel Libram hauriente, cadebat umbra 536 palmorum: in Bruma verò octoginta quinque talium partium, quales Obeliscus obtinebat duodecim, nimirum septingentorum & decem palmorum. Sed duplicetur jam æquinoctialis umbra hora I & II, & habebis mille septingentos duos palmos, horologii longitudinem quæsitam. Latitudo verò meridiana erit ducentorum duodecim palmorum. Quæ omnia Mathematico ratiocinio ex præcognita gnomonis magnitudine deduximus, ut proinde de rei veritate nemo amplius dubitari possit. Invenimus autem locum Horologii, in Campo Martio deputatum, paulò longiorem fuisse foro Agonali, quod vulgò *Piazza Navona*, vocant.

*Spatium loci solario dicati.*

Sedimentum verò Obelisci, quod Plinius dubitatum adducit, vix fieri potuit, quum fundamentum molis tantum descenderit infra terram, quantum ea extra terram situ imperiali prominuit, ut fuse in arte Magnetica discutit Kircherius, quemque de lineis, horas dimetientibus, in arte magna Lucis & Vmbræ videre ab ipso invitaris.

*Fundamentum extructæ molis,*

*Flaminii Obelisci repetitio: Ejus eruendi author, & situs, Vnde nomen;*

Redeamus ad ante dictum Obeliscum Sennisertæum, quem Sixtus V Pont. Max. post erectum Ramessæum, juxta cum quo noster hic Maximo in Circo detectus erutusque est, in campo Flaminio, unde Obelisco nunc nomen datum est Flaminio, proximè à porta Vrbis principe, atque ædibus D. Mariæ, vulgò Del Populo, ubi tres celebres in vias spectat, posuit.

*Substructiones,*

Fundamento ejus, tantam ad molem æquato, basis proxime seu abacus ex saxo Tiburtino, XV palmorum altitudine, latitudine XXII, in substructionem impositus est, ita ut sex gradus latitudinis tribus gradibus scalaribus basin ambientibus sint assignati, atque abacus cùm à scalis recesseris sedecim tantum palmis latus sit. Post hunc abacum, alius quadratus est, altus quindecim palmis, latus tredecim, qui Obeliscum suscipit, inscriptus tam antiquorum, quàm novorum positorum nominibus.

*cum inscriptionibus.*

Super hæc fundamina positus est Obeliscus, cum Pyramidio [quod X palmorum est] CVII palmorum longus, quum olim esset C. Pedi nempe, temporis injuria corroso atque hinc infirmo, tres palmos demsit artifex.

*Radii nostri solaris altitudo.*

Connumerata verò substructionis XXXVIII palmor. altitudine, tota structura à superficie terræ usque ad apicem CXXXXV palmis exsurgit.

*Totius structuræ eminentia.*

Mensura partium Obelisci hæc est: Bina latera inferioris basis majora & opposita latitudinem habent X palmorum & trium quartarum partium palmi, minora verò latera opposita IX palmorum & unius secundæ; ad pyramidium verò duo majora latera opposita novem sunt palmorum & medii; duo minora opposita VI palmorum & binarum tertiarum sunt, ex qua symmetria facile pondus totius molis elici potest.

*Dimensio partium obelisci.*

Die itaque XXV Martii, Anno post Christum natum MDLXXXIX hic Obeliscus à Sixto V Pontifice Maximo sacræ Cruci dedicatus est, quod & signum sibi vult Crucis pilæ æneæ inauratæ ei impositum, & sequentia idem significantissimum reddunt.

*Obeliscus Flaminius dedicatur.*

Epigraphe in basi Obelisci Flaminii, ex parte Orientali, qua respicit Basilicam S. Mariæ Popularis:

*Inscriptiones novæ:*

*Prima,*

ANTE SACRAM
ILLIVS ÆDEM
AVGVSTIOR
LÆTIORQVE SVRGO,
CVIVS EX VTERO
VIRGINALI
AVG. IMPERANTE
SOL IVSTITIÆ
EXORTVS EST.

Ex parte Occidentali, unde ad Tyberim spectat:

*Altera.*

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
A CÆS. AVG. SOLI
IN CIRCO MAX. RITV
DICATVM IMPIO,
MISERANDA RVINA
FRACTVM, OBRVTVMQVE,
ERVI, TRANSFERRI,
FORMÆ SVÆ REDDI,
CRVCIQVE INVICTISSIMÆ
DEDICARI IVSSIT
M. D. LXXXIX. PONT. IV.

*Ejusdem vetus epigraphe.*

Antiqua inſcriptio ex aliis lateribus hæc eſt:

IMP. CÆS. DIVI F.
AVGVSTVS,
PONTIFEX MAXIMVS,
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

Hactenus quæ circa hunc Obeliſcum ſunt geſta, ſufficit enarraſſe: ipſi deinceps accingimur interpretationi.

## ARGVMENTVM HIEROGLYPHICVM.

*Numerus duodenarius apud Ægyptios ſacer habitus.*

MAgnam enimverò cum dederint Ægyptii vim numero duodenario, & cuncta fere ſymbola in hanc ipſis menſuram venerunt. Id ex Dialogo Platonis, Ægyptiorum diſcipuli, ſexto de Legibus, etiam per Ficini præfationem eidem præfixam, tibi clareat, ubi de Platone, *Laudat*, ait, *duodenarium numerum & Univerſum illum, qui duodenario illi prorſus accommodatur, ideo, quod duodecim ſint apud eum Mundi ſphæræ, & ſigna duodecim in Zodiaco, & partes duodecim in Elementis, ſiquidem quodlibet ex quatuor Elementis in tres dividitur regiones, in ſummam, in infimam, atque mediam, non ſolùm ſitu, ſed virtute etiam differentes; adde Elementorum alterum duodenarium, quo & ſubſtantiæ Elementorum quatuor, & octo qualitates comprehenduntur. Qualitatum quædam maſculæ ſunt, videlicet calor, frigus, levitas, gravitas; quarum primæ duæ ſunt principia alterationis, duæ ſequentes principia motionis ad locum; quatuor verò fœminæ ſunt, quæ paſſioni magis ſubjiciuntur, ſcilicet humor, ſiccitas, raritas, & denſitas. Hoc verò totum Ægyptiorum myſteriis contineri, Jamblichus aſſerit. Accedit, quod duodenario menſium numero ſol, dominus planetarum, & curſum peragit proprium, & varios producit effectus. Denique ſingulas vult partes Civitatis ad Ægyptiorum normam Deo conſecratas exiſtimari, propriè verò duodecim diis, id eſt duodecim ſphærarum animabus; item duodecim zodiaci ſigna regentibus; rurſus duodecim ordinibus Dæmonum cœleſtia ſigna ſequentium. Hinc Plato duodecim Vrbis portas circuitum Univerſi imitari debere aſſerit, deinde deorum dæmonumque exercitum ſub duce Jove in duodecim ordines eſſe diſpoſitum. Concludit tandem, Civitatis partes, tum per duodenarium tribuum numerum, tum verò per divinum cultum bis quolibet duodenario menſiam ſolenniter inſtauratum, ſic ad dei munera præparari, ut diis ipſis quaſi inſidentibus gubernentur.* Hæc adeo conveniunt noſtro Obeliſco, ut ea Plato ex hoc ipſo videatur deſcripſiſſe.

*Marſilius Ficinus.*

*Totum univerſum in duodecim partes diſtributum.*

*Diviſio qualitatum elementarium.*

*Platonem non diſcrepare ab Ægyptiis.*

*Toti univerſo duodecapartito præſes Oſiris.*

Mundum enim in duodecim plagas dividentes, unum omnibus moderatorem dabant Hemphta, ſive Oſirin ſupramundanum, qui in tres ſibi ſubjectos mundos influeret & vitam motumque conferret; eundemque aliquid calido humidum in natura rerum [ſenſibili in mundo eluceſcentium] tanquam principium omnium inſtituiſſe: & hæc indicantur per ſupremum in vertice Obeliſci hierogrammatiſmum, qui quaſi epigraphe ſequentium eſt, atque Oſiri ſupramundano, Momphtæque, ſummo humido-calidi moderatori [qui cùm inſenſibili in mundo idem ſint, tamen in ſenſibili differunt, ob effectuum diverſitatem] conſecrata. Infunditur autem ille mundo duodecapartito per duodecim Genios ſolares, qui notantur per duodecim Accipitres, emittuntque potentiam ac virtutem ſuam primo in duodecim ſigna Zodiaci, ac menſes his correſpondentes, deinde in duodecim cœli plagas. Hinc ſinguli Accipitres columnæ inſident ad certam plagam reſpondenti, qua effectus, quos in plagis Genius ei præſidens operatur, per hiogrammata occulta ratione indicantur. Magna verò cura ac religione hos Genios proſequebantur, nimirum quoniam rebus mundi imperarent, ne, cultu eorum omiſſo, religioneque neglecta, influentis Momphtæ dona ſuſpenderent, & peccantes contrariarum poteſtatum dominio ſubderentur.

*Vertex Obeliſci ſupremus quid contineat:*

*& ſub vertice ſpatium primum.*

*Quæ cauſſa colendorum Geniorum.*

*Quid hoc lapide contineatur.*

Proinde in hoc Obeliſco leges ſacræ & Hermeticæ ordinantur: qua nimirum ratione, ritibus ac cæremoniis cultus divinus in adytis ſit inſtituendus, ut ſacri illi duodecim Genii ſolares propitii haberi reddique, aut etiam adverſantia molimina declinari poſſint: verbo rem complectar, totum per ſigna aptata indicatur ſignatum; atque ut per duodecim ſiderei mundi ſolares Agathodæmones Oſiridis unius virtutes diverſæ

*Virtutes mundi ſyderei;*

versæ signantur, ita duodecim Apidibus terrestres Osirides, mundi scilicet elementaris, referuntur, duodecim plagarum Horizontis præsides, qui virtutem à supremis virtutibus acceptam reliquam per œconomiam, inferioris mundi dispertirent. Totius adeo Obelisci figuræ sacræ rem Sacerdotalem continent. Nempe quum admirabilem quandam Sapientes rerum sensibilium hujus mundi ad invisibiles earum virtutes ordinem conspicerent; seque ferri mundo, ex eodem generatos, vitæque & naturæ portionem in eo consecutos, viderent; hinc erga eundem, ordinesque illius omnem cultus divini partem non prætermittendam duxerunt: respicientesque corpora seu partes, quas dixi duodecupartiti Mundi, nec non vires singulorum corporum incorporeas & ordine distributas, legibus sacrorum cultum universi ita instituerunt, ut partibus à summis ad extremas usque per medias omnes, similia similibus afficerentur, & summa diligentia cuique suum repræsentaretur; siquidem diis in terram descendentibus omnes subjectas illis potentias unà moveri, & ut Iamblichus docet, ut præcursores pompasque præcedere credebant. Qui itaque uni ex iis non rectè aut legitimè sacrificaret, neque quod cuique aptum sit tribueret, aut honorem competentem haberet; hunc Deorum præsentiam non assequi rebantur: sed si quis singula sibi Numina propitia reddiderit, grataque, hoc est simillima, obtulerit unicuique dona, hunc verè spe sua potiri, divinumque Chorum integrâ plenâque præsentia suscipere, persuasum habebant. Vnde ex hoc capite ritus religionis minime simplex, at παντόμορφος esse debebat, & ad omnem harmoniam, cunctasque ut ait Iamblichus, species mundi comparatus. Nempe mirabantur quanta virtutum sive virium vis ac copia excitaretur quum dii descenderent cœlo; hanc tamen frustra esse, & absque omni effectu, si quem ritus ac cerimoniæ ratio ulla deficeret: sed quoniam Deorum numerum humano ingenio incomprehensibilem sciebant, idcirco omnem universitatis seriem duodenario numero comprehendebant, satis ad id, quod intenderent, esse rati, si vel singulas duodecadum classes Mundi, tam Intellectualis, quam Syderei atque Elementaris, hoc religionis ritu coluissent; quod ipsum & hic Obeliscus docet, duodecadum illis Genialium classibus, quibus nimirum singulis suæ sunt columnæ, & in ipsis ritus & officium, quod debetur, descriptum. Hæc nimirum omnia cum respectu ad ea beneficia erant, quæ rerum humano generi necessariarum ubertatem, aëris salubritatem & beneficum Nili incrementum, [Ægyptiis munifica Deorum pluvia appellata,] concernunt, quæ non nisi per optimam anni tempestatem obtinerentur, solo deorum præsidum munere provenientem: privato autem cultu poscebant deos quisque suos, beneficia singularia, ut sanitatis, prosperitatis, sapientiæ, divinationis, ac tandem θεομορφώσεως; peragebaturque hic cultus religiosa sacrorum amuletorum gestatione; quorum porrò tanta esse pollentia credebatur, ut Numina mollire ac efficaciter ad annuendum votis poscentium traherent.

*aut elementaris.* — *Hieroglyphorum in mundo venerando sententia.* — *Ex Cultu capiendi fructus:* — *Neglectionis damnum.* — *Ritus hoc cultu quàm varius.* — *Certa duodemarii numeri eligendi caussa.* — *Trabis nostræ distinctiones.* — *Cultus deorum publicus quo tendat.* — *Iupiter pluvius Ægypti.* — *Cultus privatus quid referat;* — *quibusque perficiatur.*

Argumentum habes, Lector: hoc ipsa jam excipiat interpretatio. Ante omnia verò exponenda videntur ea, quorum in hoc Obelisco crebra est repetitio, quæque in nullis non trabibus sacris occurrunt, quamvis varient nonnunquam. Schemata quædam sunt ovata figura, quas sacras tabulas Ægyptii vocabant; ea si priùs reserata tollamus, facilior via erit in cæteris resolvendis. Et sacræ quidem tabulæ certa quædam symbolorum magis illustrium syntagmata erant, quæ uti occultas Deorum operationes respiciebant, ita magnas quoque vires ad eos trahendos obtinere credebantur. Hinc eas separatim, tamquam eximium quiddam tum in publicis Obeliscorum & Sphingis monimentis, tum in adytorum parietibus imprimebant, quæ deinde ex his veluti prototypis quibusdam excerptæ, diversisque lapidibus incisæ, in privatum usum tamquam sacra quædam periammata gestabantur. Duæ autem quam maximam considerationis notam, hoc præsertim in Obelisco, quamvis & aliis in omnibus, habent: uni Momphto-Mendesiæ nomen indidimus, alteri, Osiriacæ; & uti ferè semper Momphto-

*Tabulæ sacræ, ad luculentiorem explicationem præmissæ;* — *Earum definitio:* — *& usus singularis.* — *Inter eas quæ sint præcipuæ.*

*Signata hæc literâ C; prior verò A.* phto-Mendesiæ tabulæ papilionem, polymorphi Dæmonis symbolum, ita Osiriacæ * Anserem Osiris & Isidis symbolum impositum reperimus.

*Ovata figura, quid pariat.* Hæ vero tabulæ nostro in Obelisco aliquoties occurrunt, binisque vicibus geminatæ ovata ambæ figura, per quam, schemata scilicet hieroglyphica complexam, sicuti ovo indicatur mundus, ita deorum eorum, quos symbola inclusa notabant, operationes in mundo efficaces suggerere voluerunt. *Tabulæ Momphto-Mendesiæ expositio:* Momphto-Mendesiæ tabulæ, quæ à parte Obelisci superna primæ occurrunt, tres habent figuras. *Ejus figuræ:* Prima est baculus αἰγόμορφος, i. e. Hircino capite insignitus: altera statua Leonino vultu transformata: tertia, Nilometrium. *Prima,* Hircinum sceptrum denotat Numen Ægyptiorum Mendes, fœcundæ generationis; cultum præcipue, ut supra vidimus, in Nomo Mendesio. *Secunda,* Leonina statua Momphtam, numen humido-calidi, aquarumque præsidem: subjunctum verò Nilometrium Momphtæ in Nilum maximè dominium indicat. *Tertia,* *Momphtæ duplicis:* Momphta porrò, pennato vertice, cruceque ansata in manibus divinitatis argumentum possidet, tam supramundanæ in humidum universale absolute agentis, quam hylææ, in idem mundi inferioris. Penna verò fugientis nostram indaginem naturæ signum est; & Crux ansata rerum omnium creatarum influxu suo conservationem denotat. *ejus habitus explicatus.* Species Momphtæ est sedentis, ut *insinuaret*, Porphyrio ajente, *incommutabilem virtutem:* vultu est Leonino, ad virtutem corroborativam, qua in humidam substantiam valet, indicandam: *Hircinum sceptrum.* jam sceptrum Ægomorphum, eidem appositum, vim demonstrat Mendesiam, sive fœcunditatem in humido, ad generationem rerum necessariam. *De humido & calido sententia Ægyptior.* Omnium enim rerum procreationem in humido & calido consistere sentiebant. Nilometrium seu Niloscopium [quod est structura in qua Nili incrementa denotabantur, ut fieret conjectura de futuro anni proventu] inundationis hieroglyphicum est. *Signum Aquarii.* Subjunctam extremò figuram, quam vides undatim crispatam, aquæ symbolum esse, quivis facile conjectet, quum & apud Astrologos nostros non alia significatio eodem signo fiat. Id autem symbolum humidi subjicitur Leoni, Nili inundantis symbolo, ad excellentiam * hujus fluminis indicandam. *Scilicet id semper per contraria juxta se posita intendebant.* Hoc itaque syntagma Momphto-mendesium nihil aliud loqui, nisi divinam Osiridis sive Hemphtæ supramundani necnon Hylæi potentiam ac in naturæ theatro elucescentem majestatem, Nili potissimùm fœcunditate, apertum est.

*Tabula Osiriaca.* Altera jam referanda est sacra tabula, Osiriaca: hæc quasi ectypon cultus divini est, quo authorem tantorum beneficiorum, ut in prima tabula descripta sunt, digne venerandum ostenderent. *Ejus figuræ:* Considerentur hoc schemate sex potissimum figuræ: binæ statuæ, ferculum, triplex ramus, baculus seu thyrsus, & juncus marinus. *Prima, facer ἱέραξ;* Prima figura, cujus est forma sedentis, ἱερακόμορφος est, sive capite accipitrino, in quo fert globum, & in manibus characterem Tauticum. Accipitre Osiris proditur; globo divinitas; cruce motus seu influxus in mundi universitatem. *Altera species;* Altera formarum os hominis præfert, sed variat tum hic tum in aliis Obeliscis: nam & sæpe cum calatho super caput, & cum pennis in vertice spectatur, in manibus nunc literam *A*, nunc sceptrum sive lituum Cucuphæ capite insignem gerens. Sed nihil aliud tamen hoc simulachro intenditur, quàm quod sit Osiridis assecla, solaris Agathodæmon, cujus symbolum est *A*; calathus verò seu cidaris potestatem notat in omnia quæ sub tutela ejus sunt; & vertex pennatus, sublimitatem operationum quibus incumbit. Opponitur huic è regione Osiris, ut ostendatur, omnem derivatarum in hunc Agathodæmonem virtutum varietatem immediate ab ipso Osiri supramundano procedere; *quare ex adverso primæ:* quæ & facies conversæ ad invicem, & in Osiridis manu signum Tauticum, influentiæ hujus divinæ symbolum, sibi volunt. *Tertia:* His porro notis formarum subjicitur Ferculum seu φέρετρον, quod, ut instrumentum sacrum, symbolum est divinum honorem diis exhibendi. *Tres reliqua.* Ima in tabula superest ramus Perseæ arboris, tum lituus reflexus, & juncus quoque Niloticus explicandus. Ramus perseagineus * tribus brachiis divisus est, quorum unumquodque quatuor foliis, pronis ac deorsum spectantibus, distinctum; suprapedem, *Falluntur opinione sua multi, qui perseam cum Persico confundunt.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA


OBELISCVS
FLAMINIVS
A SIXTO V. PONT. MAX.
BASI ET APICE
DECORATVS.
Scala per misurar la Guglia
Misura del Palmo antico Romano usato dalli Architetti in Roma.
IMP. CAESAR·DIVI. F
AVGVSTVS
PONTIFEX·MAXIMVS
IMP. XII·COS·XI·TRIB·POT·XIV
AEGVPTO IN POTESTATEM
POPVLI·ROMANI·REDACTA
SOLI·DONVM·DEDIT
Inscrittione Antica
Faccia uerso Tramontana
ANTE SACRAM
ILLIVS AEDEM
AVGVSTIOR
LAETIORQ. SVRGO
CVIVS EX VTERO
VIRGINALI
AVG IMPERANTE
SOL IVSTITIAE
EX ORTVS EST
IMP. CAESAR·DIVI. F.
AVGVSTVS
PONIFEX·MAXIMVS
IMP·XII·COS·XI·TRIB·POT·XIV
AEGVPTO·IN·POTESTATEM
POPVLI·ROMANI·REDACT
SOLI·DONVM·DEDIT
Inscrittione Antica
Faccia uerso Mezzogiorno
SIXTVS V. PONT·MAX
OBELISCVM HVNC
A CAES·AVG·SOLI
IN CIRCO MAX·RITV
DICATVM IMPIO
MISERANDA RVINA
FRACTVM OBRVTVMQ
ERVI TRANSFERRI
FORMAE SVAE REDDI
CRVCIQ. INVICTISS
DEDICARI IVSSIT
A·M·D·LXXXIX·PONT·IV
Faccia uerso Occidente.

pedem, sursum versus tria poma prodeunt: eoque nihil aliud indicatur, quam divisus in tres partes annus Ægyptiorum; quæ partes singulæ iterum in quatuor menses dispertiebantur: deorsum verò mittitur ramus, ut indicetur seminis ac plantarum dejectio in terram, ad proventum vegetabilium necessaria, sicut Hermes dixit, *superius fiat inferius, & contra*; cui ut augmentum à diis adipiscerentur, tantum sacrificiorum apparatum instituebant.

*Lituus, seu thyrsus ferulaceus.*

Lituo denique reflexo, (quem nos thyrsum ferulaceum interpretamur, *quo Bacchus regnat*, ut est apud Eusebium; sed & qui in tabula Bembina promiscue Osiridi musices inventori, atque Isidi datur,) exprimere voluerunt vitis plantationem & Musicæ inventionem: sed utraque tamen ratione ad anagogicos sensus detorta; nempe quum in singulis Mundorum ordinibus plantationes, vitesque, & harmoniæ considerandæ veniant, huc maxime respexerunt.

*Iuncus Niloticus.*

Iuncus Niloticus, ὀξύσχοινος, est scirpus levis & enodis, ex quo & calami & charta fiebat; literarum hoc loco hieroglyphicum signum est, & rerum ab Osiri inventarum; quàm multas aliàs habens significationes, si vel solitarium positum sit, vel aliis rebus jungatur.

*A latere Meridiano initium interpretationis.*

Singulorum deinceps laterum interpretationem ordientes, à meridionali initium facimus.

*Pyramidion undique laterum explica-*

Occurrit autem in pyramidio summi Obelisci forma prima formarum omnium, ad quam reliquæ universæ spectant, ex nulla ferè non parte quadrati sibi similis: effigies hominis est, quasi insidentis in throno, baculumque tenentis, cui suprà affictum Cucuphæ sive Vpupæ caput. Adversus hanc opposita est figura leonis, cui prima viri facies; imago hæc sphingis est, procumbentis in abaco, caput ipsi erectum, mitraque inclusum.

*Osiris cum capite accipitrino, aut humano;*

Prior figura, quum reliquis in lateribus humana omnino sit, in meridiana simulachrum quidem hominis est, sed caput accipiter, idemque velatus. Osirin princeps hæc figura ubique significat, supremum mundi opificem, solem supramundanum, unde vita cunctis & valor: ille nimirum sedet, quum potestatem in omnia habeat; nudus est, quod nulli corporis affectioni subjiciatur; accipitrino capite, quoniam totius vitæ & motus vitalis causa; velatum occiput habet, quia essentia ejus nullo unquam ingenio inquisita aut comperta est; globusque super capite æternitatem ejus, absque principio & fine, indicat.

*Baculus cum Cucuphæ capite.*

Cucuphatus quem fert baculus hoc sibi vult, quod, quamvis essentiæ simplicis sit, nulli non rerum varietati originem dederit.

*Androsphinx.*

Altera figura, quam Androsphingos dicimus, supremi numinis mens est, opifex rerum, totius humidæ substantiæ præsidio potens: eademque effingitur facie humana, ad intelligentiæ vim indicandam; corpore Leonino, nempe quum Sole hoc signum transeunte Nilus redundet: incubare, potestatem Osiridis, cujus ministra est, ostendit; mitratam esse, dominium suum in humida indicat.

*Quare hæ figuræ in pyramidium inscriptæ.*

utraque imago intra pyramidium ponitur, ut super omnem rerum creatarum ambitum numen eorum eminere, & in sola essentiæ suæ infinita abysso latere indicaretur, quatenus humidum calidum, cui præest, in abdito idealis rationis suæ conceptu nude & simpliciter cognoscibile est:

*& in quatuor lateribus.*

quatuor eadem lateribus insculpta, ut ejus in quadripartitum mundum vis indicaretur. Generatim verò hoc sibi vult illa epigraphe, ut dedicentur tam Obeliscus quam Hieroglyphica illa Numini Osiridis & Momphtæ, quorum ille calido, hic humido Mundano præest, per quæ totius mundi machina in sua perfectione conservatur.

*Spatium à pyramidio proximum enarratum.*

B

Infra hoc pyramidii spatium, ex parte meridionali, denuo occurrit Osiris ἱερακόμορφος, in throno residens, symbolis iisdem quibus supra ornatus; cui genibus advolvitur simulachrum hominis nudati, ambabus manibus Canopi statuunculam ipsi exhibens, verticem velata, in eoque tutulum gerens cum pennis, ex quo utrinque Aspis emergit:

*Osiridis figura transitivi: Isidisque.*

significatur hoc schemate Osiridis supramundani processus ad opus externum, nempe cùm se mundo Geniali seu Intellectuali participat, hoc est, Isidi supramundanæ, per humanam imaginem coram illa in genua positam, indicatæ. Eadem caput obnupta est, *peplumque ejus nemo*, ut Diodorus ait, *revelavit*, quoniam insensibilis substantiæ intelligentia est: tutulum super capite gerit κυκλο-οφι-πτερό-μορφον,

μορφον, supremi Numinis triformis signaculum, quo signata rebus mundialibus administrandis præficitur, fitque conjux Osiridis. Protentis ipsi brachiis offert imagunculas Canopi, symbolum humidi, quo indicatur, mundanum principium passivum nullam vim generandi obtinere, nisi accedat virtus Osiridis. quod ut fiat, summissis genibus supplicat. *Quid involvat spatium supremum Obelisci.* Posita hæc sunt in summo Obelisco, tanquam in adyto supramundano, quod intelligentiis sive idealium rationum simulachris, quas schemata ibi depicta referunt, repletum est, & quasi prototypon datum sacerdotibus, ut juxta id operationem suam instituant, de qua in fine hujus Obelisci dicetur. *Accipitres mitrati in meridionali lat.* C Hæc porrò excipiunt tres accipitres mitrati: quibus indicantur Syderei mundi solares intelligentiæ, eæque tripartitæ plagæ Austri præsident. Quod ut intelligatur, notandum ex suprà dictis de sapientia Hieroglyphica est, Osirin multifariam sumi: *Osiris supramundanus;* nempe vel pro Hemphta, seu Sole archetypo, ac supramundano; *& mundi intellectualis;* vel pro intellectualis mundi præside, qui Hermeti παντόμορφος vocatur, atque immediata supremi Osiridis imago est; *mundique siderei.* vel denique pro Osiride cœlesti, Mundi syderei anima, solari numine, cui etiam sensibilis mundi administratio commissa est. Huic potissimum numerus duodenarius, cui præest, consecratur: *Duodecim potestates bis sex Mansionum.* agit enim in duodecim circuli magni mansionibus, totidemque plagis mundi per duodecim sibi simillimas potestates, quæ ideo hic, quemadmodum & ipse, per quater ternos accipitres indicantur. Est enim una & eadem vis Osiridis, quæ per duodecim Potestates, seu Intelligentias, Solaris numinis asseclas, in totidem semitas mundi, quibus præsunt, diffusa, uti mansionibus, ita effectu differentes operationes producit. *Cidaris.* Cidarin capiti impositam habent, ut supremam in omnia potestatem ab Osiride sibi communicatam demonstrent. *Osiris hylæus.* Porrò mundi Hylæi quoque Osiris est, præses elementaris œconomiæ, qui per Bovem refertur, ac ab Osiride supremo in sidereum, & hinc, dominio semper concatenato, in Hylæum mundum diffusam vim per duodecim intelligentias Hylæas in universam elementarium varietatem distribuit, unde plurima rerum ubertas nascitur. Scilicet Osiris, qui in bovem mutatus refertur, Ægyptiis & agriculturam & cæteras artes rusticas ac vitæ necessarias monstravit. *Duodecim intelligentiarum hylæarum munera in septis omnium laterum:* Iccirco in quatuor lateribus hujus Obelisci Boves duodecim pro præsidibus plagarum Horizontis, ac mundi elementaris moderatoribus positi sunt, qui singuli in quadrangulo, mundi elementaris symbolo, includuntur. *Australia septa cum symbolis & intellectu expresso:* In primo septo quadranguli præter bovem est & brachium protentum, manu Capreolum tenens; tum hydroschema, & *A* litera, juxtaque duæ pennæ. His omnibus talis sensus exprimitur: D *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, munificus & benignus, humanæ vitæ substentator, Agathodæmon supremi numinis.* Alterius quadranguli symbola hoc sonant: *Osiris hylæus, triplici dominio cœlitus dato conspicuus, Urbium custos, favissæ hylææ, juxta triplicem anni dispositionem fœcundator, vitæque largitur.* Tertii, qui sequitur, intellectus est: *Osiris hylæus liberalis, naturæ vegetalis largitor, Isin infernam influentia supremi numinis accepta imprægnans.*

*Borea,* Secundo latere, quod Oedipo Septentrionale est, septo primo bos videtur brachiumque, & anser, cum statua Leonina & charactere Tautico; intentio deinceps omnium est: S *Intelligentia Hylæa Osiridis assecla, beneficus custos rerum, Momphta Hylæus, influentiis supernis reliquum mundum hylæum participat:* itemque: *Intelligentia Hylæa, Osiridis assecla, beneficus Momphta, Hori minister:* tum verò: *Intelligentia Hylæa, Osiridis assecla, beneficus Agathodæmon supremi numinis.* *Occidua,* Tertia ex parte, hoc est Occidentali, juxta Oedipi cum interpretatione sua progressionem, quadrangulum primum eadem symbola, quæ in antecedenti fuerunt, refert, nec alia proinde significata. Z Secundum variat aliqua: *Intelligentia Hylæa, Osiridis hylæi assecla, beneficus Hori minister, Momphta Agathodæmon.* Postremum hoc innuit: *Intelligentia Hylæa, Osiridis assecla, beneficus Momphta, à supremo Numine concepta distribuit aëri.* Princeps postremo latere septum quadrangulum cum reliquis, hæc ordine suggerunt: *Eurina.* *Intelligentia Hylæa, beneficus Osiridis Minister, Momphta, influentias in se derivatas in aërem effundit.* Φ Deinde: *Intelligentia Hylæa, Osiris benefici minister, Momphta, Agathodæmon, igneis qualitatibus humidum mundi Elementaris afficit:*

*cit: ultimo denique: Intelligentia Hylæa, Osiris benefici minister, nocivam & excessivam vim ignis profligat, moderatam & æquatam rebus comparat.* Hæc sunt duodecim intelligentiarum hylæarum sive elementarium munera, quibus mundo subjecto singulæ provident: quapropter hæc septa quadrangula veluti totidem amuleta & phylacteria constituta, tam conciliandas ad intelligentias illas beneficas, quam ad reprimenda quæcunque sint nocitura.

*Columnæ laterum quid contineant:* Exposito laterum quaternorum capite, hoc est epigraphe universali, deinceps ad singularium interpretationem accingimur. Quæcunque verò sequuntur, tribus columnis dividuis comprehunduntur. In his cærimoniæ & ritus, singulis intelligentiis exhibendi, atque effectus, qui ex hujusmodi religione emanant, proponuntur. In columna E *Prima prioris lateris.* priori principio duæ valvæ adyti, assidentibus totidem canibus, spectantur; sub his vas ansatum niloticum, & penna, tum duæ serpentes, inter quas medio exstat quadrangulum, infrà catena cum statua Isidis. His nimirum symbolis appositè innuitur cultus in adytis peragendus. Canes enim in valvis, teste Horo, Pastophoros sive præpositos adytorum significant, quorum erat, ab adytis profanum arcere, phylacteriorum Niloticorum dispositionem, administrationemque, necnon & ritus juxta triplicem anni constitutionem decernere, vitales in inferiorem mundum influxus juxta deorum catenas exponere, &c. his rebus rite præstitis, propter symbolorum analogiam ad sua numina, Mercurialem intelligentiam, cui litabant, quamque Canes anagogicè significant, haud falso attractum iri putabant; ad quod nimirum conferrent amuleta in hunc finem adjuncta, sacræ scilicet tabulæ, quæ nobis antea explicatæ sunt. Harum primæ, Momphto-Mendesio Genio dicatæ, polymorphus dæmon per papilionem δρακοντόμορφον, tabulæ hic suprapositum, indicatus, præsidet; sicut alteri, quæ Genii Osiriaci est, Chenosiris Anser præest. Vltra hæc sequitur in hac columna ramus triplex deorsum versus, deinde thyrsus ferulaceus, tum alligata tæniis ala, favissaque, tres secures, porta patens, ac in eam quasi ingressuri figura

*Pastophorum munus in adytis.*

F *Præsides sacrarum tabularum: papilio,* G *& anser.* H

hominis corpore nudo: necnon tres portæ aliæ, hydroschema, tres termini, hemicyclus, sceptra bina. Ramo primùm, (qui præsidibus anni, apud Ægyptios tripartiti, nimirum Osiridi, Isidi, Mercurio, sacer est,) thyrsoque sacerdos ad superius memorata numina intelligentiarum propitia reddenda instructus esse debet, nec non alâ quoque cum teniis Orimazæis capiti impositis, ad favissam trium hypozocorum sive succinctorum securibus muniendam. Sunt nimirum Hypozoci genii tertiæ atque ultimæ triadis creatæ, intelligibili in mundo, juxta sententiam Ægyptiorum atque à Zoroastro hominum: adscribuntur nimirum menti, quæ singulis in triadibus tertium est, & nihil aliud nisi conceptus prioris numinis sive patris [primum enim in omni triade is est, sicuti potentia secundum] à Divina mente [creatrice] communicatus, quo juxta ideam à paterno fundo sibi impressam in naturæ dispositione operatur: igitur Hypozoci quasi pedissequi sunt Amilictorum, inflexibilium & summe rigorosarum circa Dei mandata potentiarum, quæ dicuntur mentales mundi sustentatores: prout de his supra in sapientia Hieroglyphica dictum est, &, si latius vagari placet, apud Kircherium secundo, tertioque suorum Tomorum videndum. Ritibus verò istis Sacerdotalibus rectè præstitis portam inferioris mundi patentem fore, credebant; & tres quoque portas terrestres, tripartiti anni dispositione in adytis constitutas, ad omnem felicitatem aperiri, si Momphta, Mendes, Osiris, Horus, religiosò sequentium sacrarum tabularum, ipsis consecratarum, usu, & reliquis philacteriis, charactere Tautico, pyramide & vase Nilotico sacro, colerentur. Per subsequentia verò symbola innuunt hieroglyphi, quibus symbolis ac schematismis, sacrisque tabulis adytum insignitum esse oporteat, ut sacrificia suum in iis vigorem & efficaciam consequantur. Ampliora id genus ad extremum hujus Obelisci rejecta sunt, ne Lector ultrà quam gratum sit hoc loco teneatur.

I *Ramus triplex deflexus, quid significet.* *Sacerdotem Numina propitiare.* *Mens hypozoca quid sit.* *Trias sacra quibus constet.* *De Amilictis vide quæ paulo post sequuntur.* *Expiationes, venerationesque Numinum, quid adferant.* K L M *Symbola quæ ad ornatum adytorum.* N O

E In altera hoc latere columna Ibis est, arduusque insurgens aspis, & hydroschema, deinde sceptrum tricuspe, sche- *Columna media lateris primi.*

maque

maque δωδεκάπυργον, cum tribus urnis, serpente, sceptro & duabus catenis, sphæraque intermedia, ac vicino accipitre crateri insidente. Ibin atque Aspidem posthac Agathodæmones appellabimus, illam ibiacum, hanc Ophionium. Primum animal, lunare, Humidi administratorem; alterum calidi vitalis præsidem fecerunt: horum virtute humido-calidum in δωδεκάπυργον, id est duodecim arcis magnæ stationes, traducitur, unde humor supernus, per concatenatas Geniorum operationes in craterem solis derivatur: & hinc profligata Typhonia potestate, Agathodæmon cœlestium, & trium anni partium dispositor, polymorphum Numen rerum omnium ubertatem spondet, idque subsidio sequentis amuleti, ubi statua Momphtæ, Leonino vultu & penna, ansataque cruce conspicua, δωδεκαπύργῳ præsidet.

*Potestates mundi superiores Ibi atque Aspide significatæ.*

*Agathodæmones, Ibiacus, & Ophionius quid præstent in mundum.*

F G

H I Per figuras mulieris in throno residentis, duorumque thyrsorum ferulaceorum & hydroschematis, temonisque & quadrifidi circuli, tum pedis ex concha promissi de qua prosilit rivulus, nec non speciei fœmineæ quæ clunibus extremis ad calcaneum submissis nitatur, itemque duorum hemicyclorum, Isis indicatur, duplici dominio potens, vehiculo aqueo in quadrifidam mundi plagam delata, & occulto motu duplicis dominii humidum ex fontano cratere derivans in Nepthen, utriusque hemisphærii dominam. Primo enim trium anni partium dominator potens Horus cœlestem piscinam & phialam juxta terminos præscriptos occulto motu in vegetabilium naturam deducit. Quo fit, ut Hori providentia cœlestis trium anni partium statum vitali humori undique ad summam felicitatem vigilantia sua conducat, custos omnium; ad quem placandum plurimum confert sequens amuletum, in quo quadrifidi mundi figura cum catena & *A*, pennisque binis, ac hydroschemate continetur; quorum enunciatum hoc esse queat: *Agathodæmon catenam quadrifidi mundi in aqueam substantiam motûs velocitate traducit*: qua Osiris per Accipitrem infrà positum indicatus, cum sequentibus ibidem amuletis trahitur.

*Isis Syderea cum symbolis.*

K

*Hori syderei munus.*

L M N O

Tertiâ lateris hujus primi columnâ, princeps symbolum est Ibiaci, tum Ophionii Agathodæmonum, quos sequitur noctua, cum transverso brachio, ac sacra strigilecula, mundique quadrifidi figura, coturnicis item, cum brachio transversim posito. Intellectus horum est: *Agathodæmones Ib. & Oph. Typhoniam vim avertunt, à tertia Australis mundi plaga.* Strigilis enim, qua sacra animalia pectebantur, symbolum purgationis est. Itaque ut strigili animalia ab omni immunditia liberantur, sic dicti Agathodæmones ab omni maligna & infesta potestate quadrifidi mundi plagas mundant & purgant, coturnicem Arimaniam potenti dextra profligant, unde Vrbibus desiderata annonæ ubertas promanat, à polymorpho Dæmone concessa: quia tamen potissimum ex Nili incremento hæc provenit, inde amuletum succedens Niloticum Momphto-mendesium, & Isiacum, quod sequitur, usurpandum, & Numina, quæ exhibent, legitimis religionis ritibus colenda sunt; hinc enim beneficentia cœlestis in δωδεκάπυργον, id est, duodecim arcis magnæ mansiones, derivatur, adversa omnia à Nilotica favissa divertuntur; & quadrifidus mundus ac δωδεκάπυργον cœleste divinarum potestatum subsidio annonæ adferunt ubertatem, per virtutem & efficaciam suppositorum amuletorum, cæteraque quæ sequuntur symbola, postea explicanda.

*Postrema columna primi lateris.*

E

*Agathodæmones quid præstent.*

F G H I K L M N O

Prima secundi, sive Borei lateris, columna securim habet superpositam crateri sacro. Quod ut intelligatur, notandum est, inter Mundi ductores, teste Zoroastro, tres poni Potentias implacabiles, quos Ἀμειλίκτους vocant, atque hosce per tres secures exhiberi, ob summam violentiam & severitatem, qua res secundùm rigorem à supremo Numine præscriptum administrant. Hi crateri fontano, teste Psello, præesse dicebantur, id est, immensæ piscinæ supramundanæ, ex qua omnia tum sensibilis, tum insensibilis mundi membra rigantur. Securis itaque primo loco posita Amilicton notat, crateris præsidem, cujus sectione crater apertus Mendesio illabitur regno; Mendes verò cùm fœcunditatis Numen sit, humorem piscinæ diffusum in tres anni partes ad annonæ rerumque necessariarum abundantiam benignâ manu distribuit; quæ omnia per secu-

T

*Aquilonaris lateris columna prima.*

*Amilicti, potentiæ Martiales.*

V

*Securis supra craterem.*

ſecurim,craterem, thyrſum ferulaceum, & baculum humano capite inſignitum, necnon tres terminos,& appoſitum juncum marinum, foliumque perſeæ, hydroſchema, ac brachia bina protenſa, ſignificantur. *Iteratæ ſacræ tabulæ.* Ne verò nimiâ Amilictorum vehementiâ & ſeveritate noxioſum quid ſuboriri poſſit,hinc polymorpho Numini, ubertatis rerum præſidi & cunctorum ab Amilictis perpetratorum diſpenſatori, iterum duo ſequentia ſacrarum tabularum amuleta, Momphto-Mendeſium & Iſiacum conſecrant.

Y *Septum cum hirundine.* Sequuntur poſt ſacras tabulas ſceptrum, manuſque extenſa, quadratumque includens hirundinem. Septum hoc vocamus, quod in adytis cultoribus ſuperſtitioſis ſepta illa, quæ ſacris animalibus nutriendis in templis erant, referebat, in quo non viva animalia, ſed ſimulachra eorum, myſticis adornata ſymbolis, conſtruere ſolebant, & Numina, his ipſis relata, vario cæremoniarum apparatu in eo ſe includere certò arbitrabantur. Hirundo, beneficiorum ab Oſiride & Iſide in genus humanum collatorum ſymbolum, refert & Mundi leges, & colendi agri artem, architectonicamque & cum reliquis jura vivendi. Harum itaque ſacrarum tabularum uſu & applicatione beneficum dominium Oſiridis includitur, conſtringitur, & juris hominum, ad beneficiorum ab Oſiri & Iſide pręſtitorum continuationem, virtute ſacramentorum, efficitur; Typhon omnium perturbator, & coturnix Arimania, profligantur; vita in naturæ terminos introducitur; Z Chenoſiris mundorum cuſtos attrahitur virtute ſacrarum tabularum, ABC quæ ideo hic repetuntur, ut efficacia earum demonſtretur.

T *Lateris Borei columna ſecunda.* Mediâ ſecundi lateris columnâ primo loco Ibiacus & Ophionius Dæmones ponuntur, ſub quibus δωδεκάπυργον cum hydroſchemate, & laqueus & ſtatua Momphtæ, cum Anſere, quem Ægyptii Chenoſirin appellant, quaſi diceres Oſirin anſerinum. *Quid Aſpis & Ibis Ægyptiis hoc loco ſignificent:* Indicatur autem, genios Ibiacum & Ophionium, dodecapyrgi manſionum præſides, Momphtæ Leonini & Chenoſiris ſtatua conſtringi, *Quid accipiter, cum cæteris ſymbolis.* ad faviſſæ beneficæ curam & conſervationem, ut hydroſchema, & faviſſæ figura, cum brachio extenſo, ſatis docent. V Sequitur modo Accipiter, ſupra quem quadrans Aſtronomicus, infra illum verò ſtatua Hori, cum temone, quæ excipit cycloides, tum ſceptrum, & hydroſchema, ac deinde ſtatua Momphtæ, pennaque & Scarabæus: Per quadrantem tempus oportunum indicatur; per Accipitrem Oſiris ſive anima ſolaris, qui in Horum inferiorem, id eſt, ſenſibilem mundum, devectus, cœlos vita, Momphta Leoninum aquæ præſidem motu X fœcundo ſolarium operationum, per ſcarabeum indicatarum, virtute imbuit; quæ polymorphus Dæmon deinde pro cujuſque rei natura & proprietate in omnia transformatus, in innumerabilem rerum varietatem & abundantiam propagat. *Tabula ſacra columnæ mediæ.* Hinc ordine poſita eſt ſacra tabula, in qua Momphta Leoninus, pennâ in capite conſpicuus, dodecapyrgo inferiori præſidet, ubi circulus divinitatis participationem, penna ſubtilitatem operationum, Crux anſata Mundani Spiritus defluxum, à ſuperno dodecapyrgo in inferius dodecapyrgum ſuperno analogum derivatum luculenter ſignat; *Recenſitorum numinum differentia.* quæ quidem Numina hucuſque recenſita quoad ſubſtantiam idem ſunt, operationibus tantùm diſcrepantia, quod ſupra meminiſti Lector, ex ſapientia Ægyptiaca propoſita, idque te hoc loco monere Oedipus voluit, ne ipſum à ſe diſcrepare putes, ſi hic aut alibi deinceps unum cum altero videas confundi.

Y *Numen Mercuriale Nilotici dodecapyrgi, cum ſymbolis.* Sequitur poſt tabulam illam Ibis dodecapyrgo inſidens, quo Mercuriale Numen Nilotici dodecapyrgi præſes notatur, uti tres urnæ Niloticæ demonſtrant. Hic enim Typhoniæ malignitatis profligator in inferiora devectus, catenas Mundorum movet, unde Typhoniæ machinationes multiplici ejus dominio in ſuperno atque inferno mundo fractæ & contritæ conſiſtere non poſſunt; quæ omnia per ſymbola inter Z & A literas incluſa indicantur: Catenâ nimirum vitæ cœleſtis motâ Arimanium Coturnicis dominium infirmari Z neceſſe eſt, ob ſummam ſcilicet providentiam quam habet, tam de ſupernis quàm infernis corporibus in Mundana Hori domo exiſtentibus; ſiquidem omnium vitali oculo ſuo cuſtos eſt, cui & A *Vltima tabula ſacra col. mediæ ſecundi lat.* ideo ſequentem ſacram tabulam conſecrant, tanquam ſummæ efficaciæ amu-

B letum, in quo Kyriologicum *A* Ibiacum agathodæmonem,& catenæ figura motorem catenæ Numinum, duæ pennæ cum hydroſchemate divinum in humido motum notant: per hanc enim catenam Ibimorphi Dæmones, ſuperioris, medii & inferioris mundi, juxta requiſitam analogiam in unum conſpirant, ad conſervandum Mundum. Ponitur autem in præcedenti ſacra tabula *A* litera, quia ex Ibidis Mercurii vivi habitaculi geſtu inventa fuit; catena ponitur, quia Mercurius uti nuncius Deorum Græcis, ita Ægyptiis catenarum Genialium, quas ſeras vocant, concinnator dicitur: duæ pennæ adduntur, quòd Ibidis pennæ crocodilum, Typhoniæ in humidum malignitatis ſymbolum, ſideratum teneant. De cæteris ſymbolis in fine hujus Obeliſci ampliùs videbimus.

D

*Kyriologicum Alpha, cum reliquis ſacræ Tab. ſymbolis.*

*Tertia col. ſecundi lat.*

Extremæ Boreali in plaga columnæ præſes eſt Momphta Leoninus, dominium in conſtitutionem trium anni partium obtinens, ut baculo ferulaceo, & ramo inverſo notatur; cui aſſiſtunt tres Amilicti, per tres ſecures indicati, quorum virtute vis Leonina ſeu Momphtæa in mundum diffuſa magnarum virium incrementa ſumit, virtute ſubſequentium duorum amuletorum: quorum uſu beneficus cœlorum defluxus omnem Typhoniam pravitatem fugat; Horus ſumma cura & vigilantia, quæ per hirundinem notata eſt, cœleſtem defluxum firmat & ſuſtinet,quod fuſcina ſignificat; & benefica vita inferioribus dominatur, virtute ſubſequentium duorum amuletorum, jam ſæpius repetitorum, uſuque reliquorum ſymbolorum quæ poſtea explicabuntur.

T

*Vis Momphtæa in mundum diffundenda:*

V X Y Z

*ab Horo firmatur.*

*Amuletum A, B.*

*Prima col. lat. occident.*

Ad tertium latus applicamus, ubi columnæ primæ pars illa, quæ eſt inter adnotatas literas I & M, compoſita eſt ex prima columna lateris primi,ſeu Meridiani, quem ibi locum E & H literæ indicant. Porro pars altera hujuſce columnæ, prænotatis ſub literis inter M & Q, conſtat ex partibus tertiæ columnæ lateris ejuſdem; adeoque uti tota eſt ex ſymbolis primæ tertiæque columnæ lateris Meridionalis, ſub literis indicibus in utroque iiſdem, ſignificationes quoque eaſdem habet, tametſi quoad effectus, quos miſtura producit, diverſas. Quemadmodum enim plaga mundi prima lateris Auſtralis, & plaga prima lateris Occidentalis, ob vicinitatem in effectibus ſuis ſimiles ſunt, reipſa tamen differunt; ita de præſidiis quoque geniorum cenſendum. Nam ſicuti moderna Coſmographia ſingulis Mundi plagis diverſas qualitates adſcribit, v. g. Boreæ ſiccum frigidum, Auſtro ſiccum calidum, Orienti calidum humidum, Occidenti verò frigidum humidum: ita Ægyptii ſimilium qualitatum genios præſides ſingulis plagis aſſignabant, ex quorum tamen diverſa combinatione diverſi effectus emanabant; quorum quidem ſtatuas ex iis animalibus compoſitas,quæ dictas qualitates referrent, erigebant, erectas cæremoniis prorſus analogis colebant. Sic per Ibin collo contracto, Genium humidi frigidi; per Aſpidem, calidi humidi; per Leoninum Momphta, calidum humidum corroborantis; per Canem mixtæ naturæ præſidem ſignificabant, id quod ex ſymbolis in primis columnarum faciebus poſitis conſtat.Hujuſmodi miſturas in hiſce duobus lateribus, Occidentali & Orientali, paſſim reperies. Remittimus verò Lectorem ob ſymbolorum ſimilitudinem indicatam eos ad locos,& progredimur ad columnam lateris hujus tertii ſecundam.

*Figurarum primi lateris cum tertii convenientia.*

*Ratio laterum inter ſe ſimilium.*

M

*Columna ſecunda lat. Occidui.*

Principio hujus loci, ſub I & K literis, eadem ferè ſunt ſymbola quæ ſub E & F tertiæ, atque F & G ſecundæ columnæ lat. primi. Significant autem Genios intellectualis Mundi, Ibiacum & Ophionicum, malorum averruncatores, vitam beneficam concedere tribus mundi arcibus. Et primo quidem cœleſte hoc beneficium conceditur dodecapyrgo, id eſt, duodecim arcis magnæ ſtationibus; ex quo deinde id tanquam principium paſſivum cœli concavum ſuſcipit, ſuſceptum immittit in craterem Solis: cujus Agathodæmon cœleſtem humorem hylæi tandem mundi receptaculis,& veluti centris confert; in vitam verò animat Dæmon polymorphus virtute ſequentis amuleti ſeu ſacræ tabulæ: unde vitalis humor devectus in inferiora, per quadrifidam mundi plagam diffunditur; Typhonis vis diſpellitur, trium hujus lateris columnarum in adyto conſecrandarum virtute;

*Geniorum intellectualis mundi influentia in inferiora.*

virtute; quod si rite perficiatur, Horus occulto motu per cœli semitas progressus, vitalem humorem benigno suo influxu devehet per siderei mundi œconomiam, juxta ideales trium mundorum rationes, quem deinde Agathodæmon solaris piscinis magnis inferet: Hermanubis verò mundanus custos vitali dominio potens, ad eundem recipiendum distribuendumque, inferiorum mundorum portas aperiet; Typhonem humidi cœlestis dodecapyrgi expugnatorem cœlestis Chenosiris provida sua vigilantia fugabit, virtute & applicatione sequentis sacræ tabulæ, quam in præcedentibus duabus columnis explicavimus.

M *Intellectus symbolorum explicatior.*

Sed explicemus conceptus allegati symbola. Sceptrum ex quo Serpens emergit, vitale dominium indicat; remus, vehiculum quo influxus derivatur; vas Niloticum, humorem; circulus in crucem dissectus, quadrifidam mundi plagam; Noctua Typhonem; Obelisci figura semper eundem hunc Obeliscum notat; sicuti & tribus Obeliscis tres columnæ unius lateris signantur κυκλολογικῶς: Horus cum termino,

O

Mundum sensibilem; Vultur, cœlum, i. e. principium activum; tripus, cum tribus terminis, ideales rationes triformis Numinis; figura subter hunc posita, piscinam sacram; statua ἱερακόμορφος semper Agathodæmonem solarem, veluti Ibis Mercurialem, indicat;

P

subsequens figura candelabri, cujus usus in adytis erat, denotabat sacrificium, quod nunc sub quadranguli, nunc sub trianguli figura pari ratione conficiebatur.

*Extrema Tertii,*

Tertiæ latere tertio Occidentali columnæ symbola prima, inter signa I & M eadem prorsus sunt, quæ in tertia columna secundæ faciei, Borealis, ex T usque ad Y: porrò cætera, sub literis inter M & Q, non differunt ab illis quæ prima columna lateris secundi, duce T & cæteris usque ad Y continet.

*composita ex prima & ultima secundi.*

Tota igitur hæc columna ex duabus partibus mediis prædictarum columnarum ac laterum constituta est, & eadem habet significata.

*Quarti lateris prima.*

Prima postremi lateris, quod est versus Orientem, columna accipitrem crateri insidentem habet, quem sequitur thyrsus juncinus, cum thyrso ferulaceo, & tribus terminis, ægomorphoque baculo; deinde sunt duo brachia, &c. quæ non alia ferè sunt symbolis primæ columnæ secundi lateris, in regione sub notis T & Y; aut parte tertiæ columnæ lateris tertii, ab M usque ad Q. In paucis tamen quid sit diversum, continuo videbis.

*Symbola consimilia secundi,* Y

*Præsidium crateris solaris.*

Accipiter enim crateri insidens præsidium crateris solaris notat; tres termini cum junceo thyrso & baculo ægomorpho, fœcundam annonæ ubertatem;

*Quæsita ubertas annonæ,* Z

A *ex polymorphi dæmonis influentiis,*

bina brachia beneficam vim polymorphi Dæmonis in inferiora, subsidio duarum tabularum sacrarum: nam religiosâ earum observantiâ beneficus influxus, (qui per manum pyramidion tenentem notatur,) Isidis Dæmonis dominio præpotentis & averrunci præsidium, (quod per figuram in sede constitutam, cum flagello in manu, & baculo ferulaceo à tergore, aptè indicatur,) in

*præsidioque,* B *in quadrifido mundo.*

quadrifidam mundi plagam devectum, (quod per remum & circulum decussatum signatur,) & in subjecti dodecapyrgi præsides, ad humorem æquâ portione distribuendum, (quæ per tria vasa Nilotica, tres terminos, & Columbam innuuntur,) in bonum seminationis & plantationis, juxta trium anni partium distributionem faciendæ, sollicitat: Amilicti verò seu tres implacabiles potentiæ, quas tres secures notant, favissam seu piscinam Horæam adaptabunt favissis inferioribus, tum hylææ, tum mysticæ, in adyto constitutis, ad quam memorato Numinum influxui porta aperitur, virtute religiosæ cæremoniæ, & sequentium sacrarum tabularum, quæ jam sæpe expositæ sunt.

C *Favissæ in adyto constitutæ.*

*Altera Quarti.*

Secunda in columna quarti, hoc est, Orientalis lateris primo loco polymorphus Dæmon binis cum tabulis sacris occurrit. Illorum itaque virtute & efficacia supremum Numen providentiam rerum, dodecapyrgi humorem, virtute potestatum astræarum & præviis cæremoniis Niloticis, à sacerdotibus peractis, oculo cœlesti, i. e. Osiridi sidereo, committit, qui illum ad effectum producat; Horus verò vitam juxta ideales rationes supremi Numinis benigne confeN
ret: hinc Sacerdotes cæremoniis solitis, & corporum transformationibus ac Deorum analogis, recensitam Numinum catenam trahent; Horus cœleste Numen

Y Z *Catena Numinum ad providentiam rerum.*

A B C D

Numen se sistet; Typhoniæ potestates, piscinæ sacræ humori adversantes, sacrarum cæremoniarum vi dispellentur;
E Momphta præsto erit vitali suo influxu dodecapyrgi Nilotici liquorem in inferiora derivans, & omnia cœlesti liquore replebit; Agathodæmon, terminorum Momphtæ assecla, beneficentia sua
F cœlestem & vitalem liquorem dodecapyrgi à Momphta derivatum favissæ
G seu piscinæ includet, vi oculi cœlestis Chenosiris, ac tabulæ post illum sequentis efficacia.

*Tertia Quarti, sive Orientalis.* Vltima postremi lateris columna priore sui parte, sub signis adjectis Y, & Z, ad confinium usque A, non alia symbola habet ab illis tertiæ columnæ lateris secundi sive Septentrionalis: *Eadem quæ secundo lat. col. tertia symbola.* quapropter cum ibi sint exposita, jam leviter transcurramus. Indicant enim, Momphta Leoninum, influxum supremi Numinis ope trium Amilictorum, & polymorphi Dæmonis, ac sequentium tabularum sacrarum potestate attractiva, in quadrifidi Mundi piscinam derivare; sacerdotes autem omnem hunc influxum cæremoniis suis ad ideales rationes divini Numinis institutis, sui juris quodammodo facere, per canales Hori providentis humore vitali in inferiora deducto, vi sequentium duarum sacrarum tabularum.

*Summarium hujus Obelisci.* Hæc est laterum omnium Obelisci nostri brevis explicatio, à nobis ideo contracta, quantum fieri potuit, ut omni ambage originationum symbolicarum, aut longiorum sensuum anagogicorum sublatâ, citiùs ac planiùs intellectum gratiosus Lector hauriret: eandem tamen anacephalæosi, nonnullorumque commode prætermissorum, interpretationem ab solvere promisimus, cujus iccirco adjiciendæ locum hunc aptum censemus. Vidimus verò in hoc Obelisco, sub notis nimirum A P F T, primò qua ratione supremum numen *Hemphta.* Hemphta seu Osiris supramundanus archetypus, causa causarum, nunc Ac- *Androsphinx.* cipitrina, nunc humana facie conspicuus, unà cum sua Sphinge, quæ est mundi opifex, influat primò in mun- *Mundus Genialis.* dum Genialem, quem figuræ in spaciis secundis sub signis B Q G V, exhibent; *Mundus sydereus:* & hinc in duodecim intelligentias solares totius naturæ duodecadis præsides, & tandem in Elementaris mundi *Mundus Hylæus.* Hylæas Osiridis intelligentias infundatur: qua veluti epigraphe quadam præmissa, postea ad particularia descenditur, doceturque qua ratione, aut quibus sacrificiis, ritibus & cærimoniis, *Leges sacræ.* concatenati hi numinum chori, dodecapyrgi præsides, contra Typhonias potestates sollicitandi, atque ad rerum omnium necessariarum ubertatem concedendam attrahendi sint. Huic doctrinæ quàm simillimam esse Græcanicam illam, tametsi diverse ab Astronomis Græcis adumbratam, Oedipus in nu- *Comparatio Deorum Græcor. cum numinibus Ægyptiorum.* mismate vetusto explicando adducit: nihilque ait aliud esse Iovem, cujus minister est fulminis ales aquila, quam Osirin accipitrinum; nec quicquam Mercurium, nisi Ibimorphum numen; aut Martem, quàm Amilicti implacabilis potentiam; aut denique Neptunum, præter Momphtam: his nimirum totius naturæ dodecapyrgum commissum est. Singulæ verò columnarum harum duodecim, respondent uni ex duodecim plagis mundi, aut alicui bis sex mansionum *Duodecim columnas indicare 12 cœli plagas.* arcis magnæ. Hinc adyta Ægyptiorum sacerdotum dodecangula, vel octangula, vel quadrangula, aut triangula, pro diversorum Numinum cultu ita disponebantur, ut unicuique lateri una ex naturæ duodecade portio responderet; in qua mysticæ Numinum imagines eo ordine depingebantur, quo in Obelisco patet. Numina enim apparatu hoc ad mundi dispositionem analogo, sacrificiisque singulis competentibus mirum in modum trahi ad vota non cassa, persuasum *Connecti numina aptorum effectuum serie.* sibi habebant; ut inde non incongrue catenas vocaverint; eratque in hoc tota illorum arcanior philosophandi ratio veluti in cardine quodam posita. Sic in prima columna lateris primi, si quis per congrua sacrificia Mercuriale Numen solicitaverit, ei consequenter & Isis tracta sit, & polymorphus Momphta, Mendesque, ac Chenosiris &c. quorum quidem advocatione omnium bonorum felicitate se expleri existimabant, nullamque adversam potestatem subsistere posse credebant, ac, per congruum unicuique studium contemplationis, rerum omnium scientiam sibi pollicebantur; maximè manteuticam notitiam, quæ in futurarum rerum

scientia

*Hierogrammatismi ex omnibus lateribus huc rejecti.* ſcientia conſiſtit. Comprobationi eorum ſunt, ſpectati in calce ſingulorum hujus Obeliſci laterum Hierogrammatiſmi, quorum explicatio, ad hunc locum dilata, ſequens eſt. Hi primo latere, quod interpretati ſumus, Meridionali, per literas prænotatas N & O indicantur; altero ſive Boreali, D, E; tertio, verſus Occidentem, R, S; quarto, ad Orientem, G, H. Quibus nimirum ſpaciis nihil aliud indicatur niſi Ægyptiorum Sacerdotum adyta, in quibus per legitima & maximè congrua ſacrificia, ritus, & cæremonias, nihil aliud niſi dictorum Numinum attractionem intendebant. *ex latere primo & ſecundo:* Primo ibi Numinum principalium variis modis transformatorum ſimulachra ponebantur, quæ in prima & ſecunda columna per Oſiridem ἱερακόμορφον ſtantem, & ad favendum promptum, uti & per Accipitrem & per tres Ibides in ſecunda columna indicantur: iisque Sacerdotes in genua adſtantes Canopulos in formam vaſorum aptatos offerunt; hoc ipſo inſinuantes, deſiderare ſe ab Oſiride beneficum humoris præſidium, humidæ ſubſtantiæ beneficam conſervationem, utpote ſine qua nihil in mundo conſiſtere queat.

*ex laterib. poſtremis.* Quoniam verò humidum ſine calido nihil prodeſt, hinc in tertii & quarti laterum ſpaciis ultimis Oſirin humana facie pingunt, coram quo Sacerdotes nudi genu ponunt; quorum primus globum, alter pyramidem offert, quæ ſymbola ſunt caloris humidum fœcundantis; ex his enim omnium rerum generatio oritur. Spectantur autem partim velati, partim vittati, quorum illi habitu fœmineo humidi numina, tanquam rerum principium paſſivum, hi ignem ſub forma maſculina tanquam principium rerum activum deaſtris ſuis exhibent. Nudi ſunt, quia, ut retrò de illis dicebamus, ſacrificia ſua ut plurimum nudi peragebant, ſcilicet ut Numina, pura & nullis terrenis rebus affecta, æmularentur & exprimerent. *Tabularum ſacr. uſus publicus.* In parietibus vero adytorum varia ſacrarum tabularum Schemata poſita erant, in quibus ſcilicet momentum maximum ad deos in vota trahendos eſſet; atque ejusmodi in ſingulis quaternorum laterum Obeliſci hujus videntur literis *a b c d e f g h* &c. notata, quæ cuncta ex Obeliſci latere extracta pro potentiſſimis amuletis geſtabantur, aut à Sacerdotibus in ſtatuis ſingularibus Deorum, vaſiſque aut abacis ſacris inſculpebantur, diverſique generis lapidibus, aut ex metallo teſtaque operibus impreſſa in uſum privatum ſuperſtitioſæ plebi tradebantur. *aut privatus.* Sed quum omnia illorum ſymbola hic inter alia ſint explicata, denuo illa repetere ſingulari ac ſuperflua applicatione, præſertim quod ſingulare nihil contineant, non viſum eſt.

Hæc verò interpretatio celeberrimi hujus Obeliſci eſt, quæ tanto tempore tot ingeniis divinis dilata aut deſperata, multaque nocte preſſa, quippe ipſis olim authoribus invidioſe ſuppreſſa, tamen adoptatori Auguſto nimium expetita; quo Principe quanto felicior Ferdinandus ſeculis ſeris fuerit, ſemper ille Auguſtus, æternumque Divus Ferdinandus, nuſquam non paret ex Oedipi noſtri felicitate: cum qua ſi conferas Hermapionis Grammatici, minime Hermetici, ſive præſumptam opinionem, ſive temerariam ludificationem, miſerrimam certè rem, noctuas vides Athenis, haud magno labore Apollo. *Hermapionis interpretatio obel. noſtri, apud Marcellinum lib. 16 Hiſtoriar.* Hermapionem illum mundi cymbalum appellabant, ſed quum ſtrenue promiſiſſet Oedipodis munus, omnibus ſe demum præſtitit deridendum, teſte Strabone. Secutus tamen ejus librum Ammianus, hæc prodidit de illa, ſi diis placet multum hic naſutis atque oculeis, interpretatione. Principium illius interpretationis incipit à parte Auſtrali:

### Verſus primus.

*Hæc ſunt quæ Regi Rameſti donavimus, quem totum orbem gubernans Sol & Apollo fortis, veri amator Heronis filius ex Deo genitus, Conditor orbis terrarum, quem Sol ſelegit fortis Martis Rex Rameſtes; cui cum fortitudine & audacia ſubordinatus eſt Orbis terrarum rex Rameſtes filius ſolis immortalis.*

### Verſus ſecundus.

*Apollo fortis is, qui revera Dominus eſt diadematis, & Ægyptum gloria à ſe cumulatam poſſedit; is qui Solis Urbem ſplendidam fecit, & reliquum Orbem terrarum condidit, & ingenti honore proſecutus eſt in Solis Urbe deos collocatos ac poſitos, quem Sol diligit.*

Versus tertius.

*Apollo fortis solis filius, totus lucidus, quem sol diligit., & Mars strenuus donavit; cujus bona omni tempore permanent. Quem Ammon diligit, cùm donari is expleverit Phœnicis delubrum; cui Dei vitæ tempus largiti sunt. Apollo fortis Heronis filius, Rex Orbis terrarum Ramestes, qui servavit Ægyptum postquam aliam gentem superavisset. Quem sol amat; cui longum tempus vitæ Dii largiti sunt, Dominus Orbis terrarum, Ramestes immortalis.*

Alius versus secundus.

*Sol deus magnus, Dominus cœli largitus sum tibi vitam satietatis expertem; Apollo fortis Dominus diadematis incomparabilis. Quorum signa dedicavit in hac regia; Dominus Ægypti, & exornavit solis Urbem, itidem & ipsum solem Dominum Cœli una confecit opus bonum, Solis filius, Rex immortalis.*

Versus tertius.

*Sol Dominus Cœli Ramesti Regi largitus sum potentiam, & in omnes dominatum. Quem Apollo veri amator, & Vulcanus Deorum pater selectum habuit propter Martem, Rex longe gratissimus, Solis filius est à Sole amatus.*

A parte subsolani versus primus.

*Magnus à solis urbe Deus cœlestis Apollo, fortis Heronis filius, quem Sol educavit, quem dii honore prosecuti sunt, qui universo terrarum Orbi dominatur, quem Sol selegit, inclytus propter Martem Rex, quem Ammon amat, & is, qui totus lucet, longævum Regem esse jussit.*

His si Hermapion aut ab illo alius sibi videatur videre aliquid in Obeliscis, meritone dicuntur cæcutire in Solis Radiis? Phœbus enim nunquam respexit tam gnaviter inertes. Hinc Oedipus, *Suspicor*, ait, *Hermapionem loco interpretationis quamcunque aliam inscriptionem* * *supposuisse, tanto audacius quanto pauciores erant, imo vix ullus qui eum de impostura insimulare posset.* Ammianus enim non quo veram judicaret explicationem, sed, quum non extaret alia, hanc qualemcunque rei tam magnæ lucem posteritati tradidit. Facit enimverò ad lucem apud sensum non credulum, sed experientem, etiam contraria res cum certioribus collata: sicut in hoc ipso negotio, si componas interpretationem illam opinione præsumptam cum scalpturis undique in Obelisco factis, deprehendes actutum tam paucas ab Hermapione adductas res tanto apparatu hieroglyphico Ægyptios, multorum sensuum homines, molitos non esse; quæque haud digna satis ut hieroglyphica, hoc est sacra sive religiosa scriptura dicatur, à qua quàm longe tale quicquam divertat, sapiens ex monumentis sacris plurimarum gentium dijudicat. Quibus fidens, si nostram noveris interpretationem, continuo desideres in illa compositionis sive ordinis, quo res sunt quicquid sunt, prima lineamenta, quasi roseum Phœbeis in digitis * lumen: ubinam verò Tabularum sacrarum, quas vocamus amuleta, Hermapioni mentio fit? Exhibentur enim omnino triginta novem in hoc Obelisco formis sibi similibus quadrupliciter distinctæ: Momphto-Mendesii generis septendecim sunt; Isiaci sedecim, Horo & Osiridi sacratæ; tres porrò Momphtæ, & tres Agathodæmoni catenæ magnæ. Quas tandem figuras putes regem Ramessem, quasve tam gloriosa epitheta, aut verborum illam constructionem speciosam ostendere? Sed specialia magis examinemus. Nosti Lector, in Obeliscis, quæ considerentur, quatuor esse: Argumentum seu thema; formarum notas; & ordo ac situs earum; cum quatuor lateribus. Argumentum verò non esse res gestas regum, aut principum facta eximia, quippe publica atque omnibus nota, inde concluditur, quod contenta Hieroglyphica [ ipso nomine plurimùm suggerente sententias sanctiores ] nulli revelata essent, præterquam summis sacerdotibus aut iis qui spe contingerent regnum, extrà quos nulli se revelaturos esse, juramento adhibebantur eruditi. Hinc nimirum suprà monuimus, apud Herodotum, Diodorum Siculum, Pliniumque & alios lecta, (scilicet quod gesta regum magna, vel expensa variis fabricis, molitionibus, aut expeditionibus etiam facta, in monumentis Ægyptiorum incisa sint,) hæc non de Obeliscis, at vel de pyramidibus, vel columnis, aut tabulis lapidibusque in templorum parietibus inclusis, intelligen-

*Oedip. lib. 2 Obel. Pamph.*

* *Quales Leo Allatius V. cl. edidit.*

*Collata Hermap. interpretat. cum hieroglyphicis h. Obelisci, generatim.*

* *Obeliscis ita appellatis apud Ægyptios.*

*Numerus tabularum sacrar. in hoc Obelisco.*

*Interpretatio Hermapionis specialius collata, cum Argumento Hieroglyphico,*

gendum esse; in quibus nimirum vulgari charactere, Copto, quo notum fieret universis, quicquid tale, exprimebatur, prout exempla ibi apud authores citatos habent. Sed reputes velim cum animo tuo antè consyderatas figuras humanas, saltem ex initio Obelisci, quæ situ gestibusque quasi sacrificantium sunt,&c,quum quatuor mundi partibus congruæ sint, singulæ diversis rebus instructæ; postea ternos accipitres, ternosque boves, cum brachiis totidem: quarum formarum siquidem in IV lateribus tres ordines sint, duodecim constituuntur, unam eisdem figuris rem, effectibus tantum variis differentem, significantes; hinc sine dubio duodecies nominare rem similem debuisset, quam notari putabat. Sed quid Ramessi, aut Apollini, Vulcano & Heronis filio cum sacrificantium ritibus, cum accipitribus, bobus, cæterisque? Adde quod pro quatuor lateribus cum ternis singulorum hoc est duodecim columnis, sex supponat versus, primis quinque sub uno capite comprehensis, si caput aut pes aliquis ei rei inest. Falsa itaque Hermapionis præsumpta interpretatio est, & nihil nisi inscriptio incerta ex angulo forte aliquo Ægypti ab illo Grammatico, miserè discrepanti cymbalo mundi,* extracta,& infeliciter huic literarum sacrarum generi applicata; quibus nimirum solo hoc Obelisco, quod Oedipus sanctè affirmat, Vir præ Hermapione isto longe sacratiori veneratione fideque colendus, tam magna duodenis in ordinibus materia rerum reconditarum continetur, ut ea non dicam folio uno, sed ne integro volumine pro dignitate satis explicari possit. Tanta, Lectoris studiosi curæ & indagini sagaci committenda flagitataque ultrò, satis est hactenus monstrasse, ut ad cætera, quæ supersunt, hieroglyphicorum reserata monumenta, Oedipo duce, progrediamur.

*Cum figuris hieroglyphicis,*

*earumque ordine,*

*cum Lateribus, ac columnis Ob.*

*Hermapionem non rem tetigisse in Pharaonis acu.*

** ita Tyberius Cæs. tympanum famæ Plinius dicebat.*

OBE-

# OBELISCVS SALLVSTIVS.

AVgustum (quem primum diximus sacrasse monumenta Maximi deorum Romæ, h.e. templo mundi totius) Principem æmulati deinde Principes alii alios ex Ægypto transportarunt Obeliscos, tam multos, ut Vrbs Martia videretur tota Phœbea, fuissetque certè, si Philosophia regalissimorum lapidum tam clara paruisset, quam paruit moles maxima publicæ magnificentiæ, cessitque triumpho deorum Europæorum, Martis & Neptuni, & Phœbi, jam post secula sera clarissimi. Igitur Cajus Caligula, secutus exemplum avi sui, nempe ut se gloria immortalis sequeretur, Obeliscis Augusti longe majorem trabem ex Ægypto advexit: & post illum Claudius, Augusti propinquus, tres alias, de quibus binas in Mausolæo Augusti (quod in Campo Martio erat, summa magnificentia, Cæsarumque sepulturæ dicatum) erexit, regum Ægyptiorum morem imitatus. Transpositos verò his Imperatoribus Obeliscos esse, quamvis apud Historicos expressim non dicatur, inde videtur, quod cùm Strabo, qui synchronus Augusto est, ejusque Mausolæum quam exactissime describens, Obeliscorum non meminerit, Ammianus contrà post Augustum haud longe fuisse erectos dicat, his verbis: *Secutæque ætates alios transtulerunt, quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt.* Verùm quia illi Obelisci qui supra Mausolæum Octavii, & Vaticanus iste Caji, qui omnium Romæ celsissimus, Rasi sunt, hoc est formarum notis destituti; solus vero Sallustius non sola sua effigie, at literarum præterea luce sacer habetur, nos instituti nostri modum servantes, Inscriptos scilicet Obeliscos primo, Rasos postremo loco describendi, tres itaque illos præterimus, hunc solum hoc loco prosequentes.

*Qui post Augustum transtulerint Obeliscos:*

Quis primus illius in Ægypto positor fuerit, aut ex quo loco Romanis ablatus sit, scriptores non tradunt. Sothi regi, & filio ejus, hunc atque illum in Campo Martio Augusti, Heliopoli erectos, Oedipus dedit, ex identitate potissimum doctrinæ in utroque comprehensæ; ac verisimile est, eundem juxta cum Vaticano Obelisco à C. Caligula navi unâ, hunc in finem factâ, stupendæ magnitudinis, [quæ deinde in Ostiensi portu submersa fundamentum ibi turri superpositæ præstitit,] Romam fuisse translatum, atque à Claudio, postquam Cajus fatis functus erat, in hortis Sallustii erectum. Subversum deinde à Gothis inhumanis, ac superiore sui parte confractum, hactenus in terra ferè obrutum, nunc demum extractum Roma videt in hortis excellentissimi Principis Nicolai Ludovisii, Ducis Plumbini, summa magnificentia ac amœnitate lucentibus; unde ipsi Obelisco, quem & ab antiquo loco Sallustium appellat, nomen Oedipus dedit Ludovisio, eumque tanquam perenne quoddam monumentum beneficiorum à Gregorio XV Pont. Max. in Societatem Iesu, in qua Pater literaturæ nostræ antiquæ, vir reverendus Kircherius meret, collatorum, Ludovisiæ domui trophæum constituit, nempe quod antè ædem Ludovisianam S. Ignatio consecratam idem Obeliscus olim prostituendus luci & admirationi posteritatis creditur.

*Obel. Sallustii excidendi quis author sit; Quis transponendi, aut Romæ subrigendi. Ejusdem fata tertia, acerba: Vnde ipsi nomen Ludovisio sit.*

Magnitudo hujus trabis inter maximos ac minores quasi media est: longitudo à basi usque ad pyramidium, LXXII palmorum; inferioris basis latera singula sex palmorum cum dimidio latitudinem habent; nam quadratus est, & ἰσόπλευρος, hoc est, æqualium laterum: unde patet proportionem basis decuplam ad scapum non hic exactè esse observatam. Pyramidion ab angulis ad apicem quatuor palmos altum est, totidemque latera singula basis pyramidii lata. Totus demum Obeliscus LXXVI fuit palmorum. Notandum tamen est, hanc Obelisci mensuram, sicuti nec ad pro-

*Mensura scapi: ejus anomalia. Pyramidion dimensum.*


Latus Orient.
Latus Meridion.
Latus Boreale
Latus Occident.
SALLVSTIVS
OBELISCVS
modo dictus
LVDOVISIVS,
juxta Archetypum
Serenissimo Austriæ Archiduci
LEOPOLDO IGNATIO,
nunc Augustissimo
IMPERATORI,
inscriptum ab
ATHANASIO KIRCHERO. S.I.
AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo IOANNIS BLAEV.

*Nota de longitudine Obelisci. Oedip. lib. 1. Pamph. Plinius lib. 36. cap. 8.*

proportionem latitudinis in basi sua, ita non ad longitudinem Obelisci Campo-Martii accedere, cum quo hanc trabem Oedipus in quatuor prioribus illis numerat, de quibus Plinius: *Postea & alii regum in supra dicta Urbe* [Obeliscos erexerunt,] *Sothis quatuor numero, quadragenum octonum cubitorum longitudine; Ramesses autem, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum.* Constituunt autem XLVIII cubiti palmos nonaginta sex; quibus si addantur bini cubiti, sive quatuor palmi, trabes centum palmorum essent, ea scilicet longitudine, qua duos Alexandriæ ad huc reliquos, [forte ex quaternis istis memoratis, nisi locus refragetur] ex Geographia Arabica advertit Oedipus: *Sunt autem in Alexandria duo Obelisci, lapides videlicet quadrati, quorum partes altiores strictiores sunt inferioribus, & longitudo eorum quinque perticarum: basis verò in latere, seu facie, decem palmorum est, & circuitus quadraginta palmorum.* Pertica nimirum, seu Kim, XX palmis longa est. Sed hac mensura Obeliscus noster potius illis comparandus esset, quos quadraginta cubitorum Plinius memorat: veteres verò multa id genus ex relatione aliena prodiderunt, aut antequam exactam rationem mensuræ inierant, ducti tantum animi conjectura, forte & astragulos aut abacos connumerantes, id quod aliis dijudicandum relinquimus. Oedipi verò de uno horum Obeliscorum authore sententia, cum res plane incerta sit apud scriptores, solius doctrinæ hieroglyphicæ, uti diximus, similitudine nititur.

*Perticæ Arabicæ longitudo.*

*Fides Veterum in his est.*

*& Oedipi.*

## ARGUMENTUM
## HIEROGLYPHICUM.

*Cui Numini dicatus sit obeliscus.*

POsitus autem est Obeliscus honori Fontanæ Triadis, seu trium summitatum Fontanarum, quibus Psellus in expositione Oraculorum Zoroastræorum ait apud Ægyptios cultum exhibitum, utpote perenni bonorum omnium fonte scaturientibus: *Venerantur*, inquit, *triadem Fontanam, fidei, veritatis, & amoris; & tres Fontanas summitates, Apollinis* [qui idem ac Horus est,] *Osiridis & Mercurii.* nos ex Obelisci inscriptione pro iis dicimus, Hori, & Osiridis, & Isidis Momphteæ. Igitur Hieroglyphica ejus docent quomodo Trias illa in triplicem mundum influat, quos effectus in iis operetur, quibusque sit sacrificiis ad effectus facilius consequendos honoranda. Hanc autem Triadem, cui Obeliscus dicatus est, pyramidion illius exhibet, nimirum quia una de tribus Triadibus est, quibus Paternum Fundum compositum esse, philosophia Ægyptiaca ac Zoroastrea docet, quęque immediatè supremi Numinis Triformis influxui subsit; ideoque cum sit abditum hujus sapientiæ sacramentum, mirificis adornata est symbolis, quippe numini Archetypo analoga, ejusque ministra, nec ab ipso nisi effectuum diversitate distincta: Trias dicta, quia Triformis supremi numinis sigillo signata suam administrationem, quemadmodum & reliqui Triadici chori, peragit; & Horæa, quod Horus in mundo intelligibili circa mundanæ domus administrationem potissimum occupetur. Quæcumque enim symbola hoc Obelisco continentur, ad hanc Triadem videntur respicere; in qua Horus Mundanæ domus entibus omnibus & singulis fideli cura, tanquam sibi commissis, providet; Osiris in veritate disponit omnia; Isis Momphtæa omnia & singula amoris nectit consortio. Hinc post influentiam hujus Triadis in mundum Genialem, Sydereum & Hylæum, traditur ejusdem derivatio in singularium entium œconomiam, juxta quadruplicem Mundi plagam, per latera Obelisci indicatam; & quas in singulis operationes præstent. Intueberis hic, tanquam in speculo quodam, quemadmodum Sacerdotes per mystica hujusmodi symbola, per sacras tabulas, ritus, & cæremonias in adytis peractas hanc Hoream triadem placârint, placatam, ad omnem felicitatem obtinendam traxerint. Hæc enim sunt mysteria rerum earum, quas in hoc Obelisco inscripserunt hieroglyphi, nihil profani notare in tanto monumento soliti, quum vel ipsa molis effigies indicet, otiosum minime esse, quod tam insolenti symbolorum apparatu exhibeatur; ut præcedenti Obelisco Flaminio satis probatum; cui quidem totus hic Obeliscus simillimus est, si periochen respicias,

*Ad quid spectent hieroglyphica.*

*Fontanæ Triadis explicatio:*

*quare Trias dicta.*

*& Horeà quare:*

*ejus munus.*

*& influentiæ in subjecta.*

*Triadi sacra facta.*

*Obel. Sallustius cum Flaminio comparandus.*

cias, sacrarumque tabularum schemata, in tantum ut ejus compendium dici meritò posset, si tempore Flaminius & non hic præcederet: differentia tamen non nulla intervenit in minutioribus figuris, quæ tamen non adeo magnam significationum diversitatem inducunt, nec intentionem Sacerdotum immutant, ut conferenti non eadem esse videantur.

*Divisio Obelisci Salustii.* Constat igitur Obelisci hujus fabrica hieroglyphica universa ex ternis laterum quaternorum columnis sive ordinibus. Singulis verò lateribus apta ratione divisis, indicum loco signa literarum Oedipus adposuit, ut ipsis ductus certiorque factus Lector ex Iconismis, cum interpretatione collatis, majorem utilitatem aut voluptatem faciliori negotio haurire possit. *Lateris Orientalis. Pyramidion explicatum.* Primi jam lateris, Orientalis, trigono, [quod solum à cæterorum laterum trigonis, inter se similibus, differt,] simulachrum ostenditur, cui in throno sedenti cubico, sceptrumque Cucuphomorphum tenenti, à latere positum est caput Hori cui circulus cum duobus uncinis superstat antè verò positum Hieralpha, *Triadis Horeæ prima mens,* quod in Hori Triade Patrem potestate insignem denotat: ille sedens, pro imperio, sede majestatis plena, ad dominii firmamentum indicandum, manu protensa regimen significat, sceptroque cucuphato varietatem rerum dominio suo subjectarum, magnus Agathodæmon, quod suggerit Hieralpha. Hori caput, uncino & baculo recurvo stipatum, intellectum illum esse Horæum vult, malorum omnium averruncatorem: *B* *secundaque,* cujus Potentia simulachrum Accipitrinum est, quod inferius cubicæ sedi insidet, sceptrumque reflexum tenet; est enim Potentia divini Osiridis Horæi, omnia virtute sua penetrativa attingentis, dominioque inconcusso gubernantis. *tertiaque.* Oppositam adversus se Sphingem habet abaco incubantem, quæ est Isis Momphtæa, mens Horæa, omnium, quæ in intellectu & potestate sunt Osiridis & Hori, executrix. Ex Humano ea capite tutulato & Leonis figura componitur, quo robur & fortitudo in exequendis mandatis Hori & Osiridis luculentè notatur. Est enim, ut Plutarchus docet, Isis Momphtæa nihil aliud, quàm naturæ vis fœminea, & totius susceptrix generationis; omnes enim ideas & imagines admittit, habetque congenitum amorem erga id quod primum ac summum est inter omnia, ipsum videlicet bonum: hinc trium mundorum Domina nuncupatur quemadmodum symbola suprà docent, ϩιιτοc, quæ est Coptica vox & significat Dominium, in Solem potissimum & Lunam. Tantum de hac Triade, symbolisque hoc latere pyramidii.

*Pyramidia cæterorum laterum exposita.* Cæteris ex partibus supremo in Pyramidio occurrit caput circulo insignitum, duobusque stipatum uncinis; quod pari pacto Triadis Horeæ Patrem indicat, malorum omnium propulsatorem. *B, C D* Is circulo notatur, ob divinitatem; puerili specie est, quia mundus nova indies rerum progeneratione floret; solo capite exprimitur, quod intellectus Horæus totum sensibilem mundum, quem in sensu physico refert, cognoscit, ac providet, omnium alicubi nociturorum repressor, quod bini uncini, symbola averruncationis, sibi volunt. De Hori specie semper puerili suprà diximus; educati nimirum in paludibus Buti, quia per vapores in sublime elatos resoluta humiditas mundo necessaria est:sed cùm illa sine calido frustranea sit, iccirco potentiæ Horeæ est, humido-calidum, in quo omnium rerum genesis in mundo consistat, attemperare. Hanc potentiam apte refert statua accipitrina,in sede cubica sedens, quam nimirum ante exposuit Oedipus. Sphinx verò Horæa Isin Momphtæam, ut antea, exhibet, Patrisque Potentiæque conceptuum executricem, quæ Nilo, cum Sol in Leone aut Virgine est, inundante, incubitu Leonino calidum & humidum mire roborat, fovet, animat, ad copiosam fœturæ exclusionem: atque hinc Isis Momphtæa dicitur, quia, in quantum humido-calido præest, Momphtæ (qui cum Nilotico Osiri utplurimum confunditur, cujus hoc tempore dominium maxine viget) uxor est, seu principium passivum, quæ rerum generabilium semina concipiat.

*Ad cætera latera proceditur.* Post titulum hujus Obelisci explicatum, ad reliquos protinus hierogrammatismos pergamus: qui cùm in quaternis

*Geniorum influentia in mundos subjectos.*

ternis Obelisci faciebus prorsus iidem sint, semel exposuisse sufficiat. Igitur per figuras, in spaciis literarum B, C, E, F, significatur mundus Intellectualis sive Genialis aut Angelicus; in quo singulorum ordinum duces seu choragi sunt, quibus reliqui inferiores subjiciuntur. Hoc pacto figura E subjicitur figuræ F, quod genuflexione indicatur, quasi mandata supplici prece exquirens.

*Simulachrum accipitrinum.*

Princeps enim simulachrum, ἱεραχόμορφον, in sede quadrata sedens, supremum Genialis Chori principem virtute & potestate præpollentem, omnia lustrantem, & contra Typhonia mala sceptro averruncativo formidabilem, indicat, manu imperia in Genios subditos indicantem. Hujus divinam vim subiens Genius oppositus mandata supplex accipit, binos Canopulos [quæ erant vasa oblonga, turgida, & in formam pueri fasciis involuti adornata] præsidi suo ignea vi pollenti exhibet, nimirum ut ipse vivifico suo calore humidæ substantiæ animandi potestatem concedat, & id quod à Genio E circa res sibi commissas inceptum est, influxu continuet: eratque hoc exemplar quoddam rerum à sacerdotibus in adytis faciendarum propositum; modus operandi ad calcem laterum expressus infrà videbitur. Hujusmodi figuræ in singulis lateribus eædem sunt, si minutiores characteres excipias; hi enim ex indifferentia quadam religionis, sive ob ornatum, sive ad Deos facilius trahendos adjiciebantur.

*Vasa Canopi.*

E

*Mundus Sydereus.*

Sequuntur sub indicibus E F N O terni Accipitres, totidemque boves, & pares numero statuæ sedentium habitu, quæ characteres Tauticos in manibus tenent.

*Accipitres.*

Per quater ternos accipitres, duodenarius arcis magnæ Geniorum solarium numerus exprimitur, qui influxu suo, dum omnes Mundi duodecupartiti plagas perlustrant, cuncta animant, & ad fœcunditatem incitant.

*Boves.*

Sequuntur in quatuor lateribus terni, hoc est, duodecim Boves, quibus duodenarius hylæorum Numinum solarium, Elementaris mundi administratorum, numerus, cœlesti duodenario analogus, exprimitur.

*Statuæ accipitrina facie.*

Statuæ verò tres Accipitrinæ Agathodæmonum sunt tutelarium, quos averruncationis gratia, & ad Numina memorata majoris ordinis propitianda ponere, & cultu, quem feretra monstrant, exquisito prosequi satagebat sacerdotum cerimoniosa industria.

*Meridionali latere nova quædam sub* Q P

In secundo latere, indice B, post ternos boves symbola spectantur diversa à prioribus: primum est Columba, distributionis quantum singulis competit ad æqualitatem, symbolum; statua verò binis Canopulis utraque manu exhibitis Accipitriformi Numini, quod in Obelisco abrasum est, supplicans, idem significat quod figura G H, in eodem Obelisci latere. reliqua symbola jam passim exposita sunt.

*Boreo latere diversa sub* R S

In tertio latere, spacio R S, varia symbola ponuntur quorum sensus est: *Humidi præses & dominator, beneficentiâ suâ, vitam omnibus, & rerum necessariarum abundantiam præbens, per statuam Agathodæmonum ejus ministrorum attrahitur,*

*Occidentali lat. quæ varient, sub* T V

In quarto latere, spacio T V, quaternæ Accipitrinæ statuæ characteribus Tauticis insignitæ ponuntur, & sunt Agathodæmonum sive beneficorum Geniorum, uti brachia extensa notant, simulachra, quæ ad dicta Numina attrahenda magnam vim habere putabantur.

Videmus igitur quomodo ex enucleatis paulò antè symbolis Trias Horæa paterno fundo proxima, ejusque administra, juxta archetypam rationem primò in Genialis Mundi cœtus, ex his in Siderei Mundi Numina Solaria, & per hæc in inferiores hylæi Mundi Agathodæmones, ordine quodam concatenato influat.

*Geniorum influentia in res singulas.*

Quæ cum ita sint, jam quomodo eadem Numina in particulares entium gradus influant, quid operentur, quibus ritibus & sacrificiis trahantur, videndum restat; quod quidem quàm fieri poterit, paucissimis, per duodecim paragraphos, juxta duodecim columnarum series, præstabimus.

*Primo latere columna anterior.*

Columnâ primâ lateris primi sive Orientalis, Accipiter crateri suo insidens, cum sceptro hircino, & thyrso papyraceo; tribusque terminis, cum segmento sese exhibet, quem piscinæ sacræ figura sequitur cum iisdem tribus terminis; hanc excipit polymorphus Dæmon, cum thyrso papyraceo, insidens tabulæ sacræ; quorum sensus hic

*Idealis textus col. 1.*

hic eſt : *Supernorum Numinum influxu crater Oſiridis repletur, fœcundo ejus dominio per tres anni ſtationes rerum neceſſariarum abundantia ex ſacra piſcina emanat, polymorphi Dæmonis ope procreata, qui & propitius redditur ſequentis ſacræ tabulæ poſitione & cultu, ſive prophylactico Momphto-Mendeſio.* Poſt illa ſequuntur tres termini; Z temo, brachium extenſum, ἑπτάπυργον, globus cum retinaculo, tribuſque terminis, & volucre expanſis alis volatum affectante; quorum ſenſus ſequitur: *Idealis textus.* *Per prophylacticam Momphto-Mendeſii virtutem tres anni ſtationes beantur; ſeptem planetarum arx magna divinâ poteſtate repletur; virtute motus Numinis Solaris: cujus propitiationi ſequens tabula ſacra ſervit.* Horus eſt, ovali figuræ incluſus, & penna ſuprà caput ejus, ſub pedibus figura Nilometrii. *Amuletum,* B Ovalis figura Mundum, ut aliàs diximus, indicat; cujus Mens Horus eſt, teſte Plutarcho, quæ maxime in hoc detineri videtur, ut ſufficientem humoris copiam ſingulis Mundi membris diſtribuat; quæ aptè per Nilometrium Mundani liquoris ſymbolum, cui inſidet, ſignatur; erat Sacerdotibus ſolenne prophylacticum, Horo, quemadmodum ſequens Oſiri, trahendo aptum. *Oſiriacam tabulam ſacr. ſuprà in Obeliſco Flaminio vide.* Deinde Serpens ſequitur, cum clauſtro Accipitris, quæ vitæ cavea dicitur: Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, Ægyptios Heliopoli in fani porticu Accipitres veluti Oſiridi ſacros, arcano religionis inſtituto coluiſſe; C *Accipiter Heliopoli cultus.* quo oſtendebant, vitam ab Oſiride minimè concedi, niſi obſequiis & religioſis ſacrificiorum ritibus & cæremoniis priùs veluti devicto, vinctoque: ex hujus enim religionis actu Typhonia Bubo à duodecim magnæ arcis domibus arcebatur; quo facto Chenoſiris, id eſt, Anſerinus Oſiris triplici Mundo intelligentiarum ope, vitam tribus inferioribus Mundis conferebat, *Oſiridis ritibus quid petatur.* quemadmodum ſymbola inter C & D incluſa indicant. E Trahebatur & idem per ſequentia ſacræ tabulæ prophylactica, quorum prius Mendeſio-Momphtæum, gnomonem habet cum globo, & Crucem anſatam cum litera M, *Amuletum Mendeſio-Momphtæum.* deinde ſtatuas Accipitrinas cum capite Bovis infrà, è regione verò phialam, cui ſupponitur Nilometrium; quæ ſymbola hunc ſenſum exprimunt: *Idealis intellectus.* *Symmetria Mundi ex influxu Momphtæ & Oſiridis in humorem ſacrum, & Mundani liquoris ſubſtantiam derivatur terreſtri Oſiri communicata.* Cæteri ſacræ tabulæ prophylactici literâ F ſignati expoſitio ſuprà Obeliſco Flaminio præmiſſa eſt; F hic verò notandum, Anſerem cum Serpente, quem roſtro tenet, notare vitæ Mundanæ cuſtodem. *Anſer ſerpentem tenens.*

Agmen claudunt varia minuta ſymbola unà cum tribus prophylacticis ſeu ſacris tabulis; *Minuſcula in fine ſymbola.* quæ cùm in præcedentibus paſſim expoſuerimus, Lector ipſe proprio Marte facilè exponere poterit. Quid tandem minores in radice Obeliſci imagines ſibi velint, poſtea explicabitur.

Notandum verò, omnia ſymbola in hac columna à C uſque ad finem exhibita, eadem prorſùs eſſe cum ſymbolis columnæ primæ lateris ſecundi Obeliſci Flaminii, quæ ibi incipiunt à litera Y uſque ad finem. *Repetenda ex Ob. Flaminio.*

Duodecadicorum paulò antè memoratorum Numinum influxus primò in Pantomorphum rerum omnium neceſſariarum largitorem transfunditur; *Lat. 1. Columnæ ſecundæ expoſitio.* eum primò in ſecunda columna muſca δρακοντόμορφος unà cum thyrſo papyraceo, demonſtrat, *Muſcatum thyrſo,* & duobus ſequentibus ſacrarum tabularum prophylacticis attrahitur. Ex religioſo cultu horum prophylacticorum, providentia dictorum Numinum, benefica Chenoſiris ope, ſtatuarumque Accipitrinarum influxu portæ aperiuntur domus mundanæ; *Cæteriſque ſymbolis,* Y Z A B cujus tabula ſacra ſubjecta propitiatoria eſt: Horus videlicet puer, id eſt, Mens Mundi Senſibilis, ovatæ figuræ, id eſt Mundo, incluſus; *Tabula propitiatoria:* quæ omnia innuunt poſita ſub indicibus Y Z A B. His enim ſymbolis motus ſacer Chenoſiris trium Mundorum curam ſuſcipit, Typhoniam bubonem ab iiſdem ſacrarum cæremoniarum ritibus propulſat, *Ab illa figuræ reliqua.* catenæ Typhoniarum poteſtatum propulſatrices agitantur, D E F G porta domus magna Solis & Lunæ aperitur, ſceptra Deorum eriguntur, catena vitæ, & providentia Oſiris per canalem occultum devehitur in inferius Hori regnum, cui propitiando ſequens prophylacticum conſtituitur, Chenoſiris, ovali figura, in qua hieralpha cum catena, duabus pennis, Horus puer cum Tautico charactere, & hydroſchemate continentur; *Sacra Tabula Chenoſiris.*

quorum

quorum sensus est: *Agathodæmonum catena humidum Hori regnum influat.* Ad quod & operam suam conferant ternæ Chenosiricorum Numinum legiones. Hæc omnia symbolis inter B C D E F G interclusis significantur. Nota Lector, ubi hoc loco tres Anseres ponuntur, in Obelisco Flaminio eodem loco tres Ibides ponuntur. Est enim columna hæc prorsus eadem (paucis exceptis, quæ tamen nihil in significatione rerum mutant) cum columna secunda lateris secundi Obelisci Flaminii.

*Numina Chenosirica.*

*Convenientia Sallustii & Flaminii Obel.*

*Postrema primi lat. columna.*

In tertia primi lateris columna, suprapositorum Numinum influxu Genius Solaris anni dominator, tres efficaces potentiæ piscinæ sacræ conservatores, & Pantamorphus rerum necessariarum largitor attrahuntur mediante sacra tabula sequenti; quæ eadem est cum illa in col. 11 ante citata. Symbola verò sequentia ob corruptum Obelisci locum latent. Sequuntur deinde duæ aliæ sacræ tabulæ, quarum prior A canalem in Mundum derivatum, Accipitrinam statuam, globum, & serpentem continet, eorumque sensus est: *Canalis crateris Osiriaci simul ac Mundo aperitur, tùm etiam vita Mundo inseritur.* Altera cum Chenosiri suprapositio continet caput Hori, statuam Accipitrinam, cum Cruce Tautica, infrà quæ sceptrum incurvum, cum ramo triplici inverso; quorum sensus est: *Influxus Hori in Solem anni dominatoris anno abundantiam confert; Numinis providentia dodecapyrgum eâ industria gubernat, ut uterque Mundus superior & inferior, per dodecapyrgon vita & beneficentia Numinum imbuatur.* Ad quæ sollicitanda sequentia duo amuleta jam superiùs exposita præstant. Quæ quidem omnia iis symbolis, quæ literis B C D E F continentur, indicantur. Reliqua minutiora symbola pariter signa sunt ad numinum prophylaxin procurandam constituta.

*Tab. sacra.*

*Lacuna Obelisci.*

*Binæ tabulæ sacræ.*

*Text. Ideal.*

*Text. idealis.*

*Cætera minuscula symbola.*

Nota tamen Lector, hanc columnam extractam esse ex tertia columna secundi lateris Obelisci Flaminii.

Sed hoc loco majores figuras exponamus ad radicem Obelisci positas; quæ quidem prorsus eædem sunt cum iis, quæ intra spatia hujus Obelisci superiora B C E F, D E G H, F G I K, H I L M, continentur; hâc solùm posità differentiâ, quòd figura ἱερακόμορφος sive Accipitriformis, quæ in dictis spatiis sedet, eadem hîc stat, tripodem ansatam manu sinistrâ gestans; in cæteris nulla prorsus differentia est. Hoc itaque ut exponatur mysterium, nota, Ægyptios Sacerdotes in adytis suis omnia ad archetyparum rationum, sive supramundanarum Potestatum exemplar, sacrificia sua instituisse; quæ tantò putabantur futura efficaciora, quantò mystico illo sumbolorum apparatu exhibebantur ἀναλογώτερα, sive veris exemplaribus similiora. Quare ut catenas illas Idealium mentium efficaciùs traherent, in adytis suis horâ & tempore Diis oportuniore, eo suas actiones habitu adornare consueverant, ut symbolico Numinum habitui quàm simillimus esset. Hinc seminudi, larva Accipitrinâ tecti, sceptris baculisque muniti, manu ansatam tripodem, influxus triformis Numinis indicem gestantes, mystica Numinum munia exhibebant; ad quorum genua alii ministri, inferioris ordinis Genios referentes, pariter nudi, advolvebantur, vasa Deastrunculis similia offerentes; quibus quidem cæremoniis, & larvatâ repræsentatione, nihil ad Numina trahenda efficaciùs esse posse sibi persuadebant.

*Extremæ figuræ majores, explicata.*

*Ad exemplar harum statuarum sacrificantes in adytis se comparasse.*

Prima secundi lateris columna non alia est à prima columna lateris Occidentalis Obelisci Flaminii, à K usque ad Q similes enim respondentesque invicem literas indices utrique adjecimus, ut unam cum altera comparans omnia quàm facillime reperiat.

*Latere secundo columna prima.*

Alterius columnæ, hoc latere secundo, symbola eadem sunt atque illa secundæ columnæ latere tertio, sive Occidentali, Obelisci Flaminii: nisi quod hic Obeliscus Sallustius rudem & imperitum stylum sortitus sit; Flaminius verò vel minutissimas res omnes exactissime expressas exhibeat; ex qua diversitate scriptionis clarum omnino fit, ambos non uno tempore factos esse, sed rudiorem illam manum antiquiora secula respicere.

*secunda.*

*Scalptura hic rudior quid arguat.*

Tertiam columnam lateris secundi hoc Obelisco, cum Tertia tertii sive Occidentalis lateris Obelisci Flaminii conferenti nulla plane formarum aut signficationum diversitas occurret.

*Tertia columna.*

*Aquilonare latus,*

Boreum vero latus totum convenit Meridiano lateri: ejusque significationes citatis ibidem locis.

*Occiduumque.*

Postremo latere columnam primam interpretabitur Lectoris memoriæ aut diligentiæ columna prima quarti lateris Obelisci Flaminii; ejusdemque lateris secundo columna secundam hujus latere quarto; ut ibidem & tertia columna postremam hujusce loci.

*Flaminius & hic simili sunt argumento,*

Iam satis liquet, utrumque Obeliscum, Flaminium & hunc Sallustium uno esse argumento, alterumque ab altero antiquiore & prototypo esse descriptum: uter vero præcedat tempore, haud facile est edicere. Ludovisii sive Sallustii incisio rudis admodum est, & alicubi notis adeò deformatis ut à vero alia

*sed dissimili stylo:*

videantur: quod Oedipus alibi pro argumento ducit antiquitatis, sicut res omnes ab initiis imperfectioribus, præsertim quod ad externa, procedunt ad ad magis ornata: adde quod in Flaminio Obelisco quædam desint, quæ præcipua sunt in Sallustio, ut in trigonis pyramidii caput Hori cum duobus uncinis, quod tamen incertum est verène omissum sit, an repositoris Sixti V Pontificis armaturis insignium contectum; in sacra quoque tabula, quæ ultimum in tribus primis lateribus Obelisci Flaminii locum tenet, juxta duas pennas figuras Hori puerilis quodam quasi in antro apparet, quod symbolum non possident sacræ tabulæ Flaminii: quid porrò in alterutro divertat, Lector, si studiosè conferat, facile deprehendat: nobis autem, quod Oedipus distulit, uter antiquior horum Obeliscorum sit statuere, promptum non est.

*Differentia aliqua in Flaminio dubitata,*

*alia in Sallustio certa.*

OBE-

OBELISCUS PAMPHILIUS.

# OBELISCUS PAMPHILIUS

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

# OBELISCVS PAMPHILIVS.

*Quotus hic obel. & qua ratione is sit:*

Erectorum nos antiquorum ætates secuti ad septimum venimus in Vrbe Obeliscum; connumeratis scilicet quos hîc descriptione sua præterivimus, & infrà repetemus; sed & notes quod hicce olim Obeliscus extra mœnia in Circo Caracallæ positus, nostro primum tempore Vrbem sit illatus, in Circum Agonalem. Notis ut cæteri hieroglyphicis undique refertus est, quanquam simplici symbolorum contextu. Quando verò translatus sit in Italiam, exacte sciri nequit; nec quo rectore in Ægypto editus: essetque Apollinis maximi, utrumque certò referre; interim id ipsum præsumere, Marsyæ est: in non tentatis tamen relinquere, haud placuit Oedipo, cujus in rebus quàm plurimis conatum studiumque, & in optimis, maximis effectum pari semper laude prosequar. Ipse igitur, ut ad aliquam notitiam originis, nec non translationis trabis hujus veniret, omnem se movisse lapidem ait, & chronologos non Latinos tantum ac Græcos, sed Hebræos & Arabes pertinaci studio pervolvisse;

*De autore ejus studiosa probatio Oedipi.*

apud quos sequentia videantur huc facere: Sothin nimirum [quod significat Canem] regem Ægypti dicunt, regnique religionisque amplificatorem, qui mandata patris sui, Manuphta, post cladem Pharaonis in mari Rubro, regnumque aliquandiu mulierum, primi rectoris, magno animo executus sit, & inter alia memorabilia, de quibus apud Manethonem legitur, tum doctrinæ hieroglyphicæ instaurandæ, quæ tam gravissimo regni tempore pene exspiraverat, tum Obeliscorum ponendorum, more avito, curam egerit, adhortantibus imprimis sacerdotibus, penes quos sacra Hermetis volumina de summis atque arduis mysteriis, supererant, & ex iis repetitus hieroglyphicorum characterum usus, reflorescente rituum patriorum cultu.

*Post cladem Mosaicam primus Ægypti rex, restaurator Hieroglyphicorum,*

Vixerat Amenuphta, (quem Africanus & Philo Ammenephten, Memphis dominum, vocant,) circa tempora Aoth, judicis in Israël, annis ante Christum natum MCCCLXVI, cupidissimus restituendi patrii cultus deorum, operumque Pharaonicorum, sed hæc ne effecta daret morte prævenîebatur. *ejus avum,*

Filium verò, Sothin, regni successorem, molimina sua divino tanquam felici auspicio inchoantem, varios Obeliscos (nempe ut zelum in avita religione ostentaret unà cum filio suo, Ramses, octo numero posuit, secundum Plinium) partim supremo Numini, partim patriis Geniis dedicasse, Oedipus probat: iccirco eum deorum contemplatorem dicit Eusebius, & Abenephi, Oedipo in hoc Obelisco citatus, inscripsisse multis in acubus Pharaonis (hoc est Obeliscis) erectis mysteria divinitatis. *Successoresque.* *Eusebius lib. 1 Chron. Can. fol. 15.*

Plinius deinde, quos Ramses sive Ramesses Sothisos, hoc est, filius Sothis, quo regnante ait Ilium captum esse, erexerat [patri forte paratos] quadragenum cubitorum fuisse vult. *Plinius lib. 36, cap. 8.*

Hinc quod conjecturâ accipet Oedipus, Sothis hunc esse Obeliscum, & unum de quatuor illis quos Plinius Ramessem dicit erexisse, triplici probatione firmatur, nimirum Argumenti Obelisci, & subscriptionis, & mensuræ respondentis. *Oedipi de origine h. Obelisci argumentatio:*

Argumentum deinde videbimus, summa mysteria triformis Divinitatis supremæ, cui solus inter superstites Romæ Obeliscos inscriptus est, quod citatis de Sothi mentionibus apprimè quadrat: nec mensura non apta est ei rationi quam Plinius, quamvis non nisi ex auditionibus aliorum, adfert; Obeliscus enim Pamphilius hodie LXXIIII palmis longus est, qui dant cubitos triginta septem, nempe exactum mensuræ, si recte se habeat, modum, minus duobus cubitis seu quatuor palmis; & alius Romæ quidem non est ea mensura, qua Pamphilius; unde illum solum de his quos memoravimus, advectum esse ducimus. *ex Mensura,*

Hypographe autem quam maximè *& subscriptione.*

ximè declarat hunc Obeliſcum à Sothi erectum eſſe : in latere nempe II ſeu Meridiano inter ultimos characteres circa baſin, figura canis ſedentis, cum cruce anſata, quod ſymbolum hieroglyphicum eſt Iſidis, ſive Mercurii in cœlum tranſlati, qui, teſte Horo, Sothis vel canis, ob ſagacitatem rerum inveniendarum, & Græcis ἀστροκύων ſive caniculare ſydus dicebatur, ipſisque divinus habebatur; cum verò Sothis rex ex Mercurii libris literas ac diſciplinas ſacras inſtauraverit, nomenque ſibi ex Mercurii nomine aſſumpſerit, ut memoriam facti proderet, in fine Obeliſci ſignum Sothis ſive canis ſubjecit, quod & nomen ſuum & ſacræ diſciplinæ authorem, Genium, occulte inſinuaret; quaſi diceret, Sothis Sothi inter cælites tranſlato, fœcundo naturæ Genio tutelari, erexit; Deorum enim nomina reges Ægyptios ex ſumma divinitatis ambitione aſſumpſiſſe, Oedipus variis in locis probat, iiſdemque ſua dedicaſſe molimina, ut reliquorum Obeliſcorum interpretatione oſtendetur. Enarratis his rationibus, quibus Oedipus authorem huic operi haud male reſtituit, accedit & hoc, quòd cùm aliorum in Vrbe Obeliſcorum editores ex hiſtoricis, aut argumentis Oedipi, monſtrentur, Sothis ſolus de memoratis ſuperſit, quem tamen unà cum filio octonos Obeliſcos poſuiſſe conſtat : unde recte concluditur, Obeliſcos reliquos, Pamphilium & Barberinum, forſan & Salluſtianum, & Campo-Martium, huic eſſe adſcribendos.

*Sothin Sothi dicaſſe Obeliſcum.*

*Concluditur de authore hor. Obeliſcor.*

Poſt Claudium, tertium ab Auguſto tranſlatorem Obeliſcorum, uti antea narravimus, ducentis fere ac duobus annis ſecutus Antoninus Caracalla, in Circo ſuo, quem via ardeatina ad caſtra Prætoriana, mille fere paſſibus ab Vrbis mœnibus ſtruxerat, hunc Obeliſcum erexit, anno poſt Chriſtum natum CCXLIX : quamvis incertum ſit, utrum ab ipſo imperatore ex Ægypto tranſlatus, an verò ab aliis præcedentibus eouſque fuerit relictus. Poſitus autem intra duas Circi metas, inſigni majeſtate fulgebat; donec vel ab hoſtibus Barbaris, vel terræ motu proſtratus, ad noſtra tempora jacuit, variis partibus confractus, quas demum artificum ingenioſa manus reſtauravit, dexterrimumque ingenium Oedipi notis antiquis fragmentorum inſcripſit, totam deinde trabem reſeratione ſymbolorum fecit eloquentem.

*Obeliſci hujus erectio Romana prima:*

*Ejuſdem clades,*

*& fera reſtitutio,*

*& interpretatio.*

Summus enim pontifex, Innocentius X, anno Chriſti MDCXLIX, cum non ita pridem ad hunc apicem, ſupremaque Mundi gubernacula, ex glorioſa Phamphiliorum familia aſcendiſſet, ut quondam Pontificis maximi Sixti V veſtigiis inſiſteret, Vrbemque, jam diverſorum Pontificum publicis operibus fabricisque ſplendidiſſimis eximie nobilitatam novo cumularet ornamento, & ipſe inter alia cum ſacra tum profana monumenta, exornando anno jubileo Obeliſci quoque erectionem deſtinabat. Proinde facta electione inter Vrbis Obeliſcos, fractos omnes, ac in terra obrutos, aut fœdè minutos, hic tandem, quem olim in Circo ſuo Caracalla erexerat, præ aliis ſuſceptus eſt; non fine divina providentia; nempe quum priſcæ religionis cultuſque divini myſteria orthodoxæ religioni haud quaquam abſimilia contineat. Toti huic operi dirigendo præfectus erat vir ſingulari prudentia D. Lucas Torregianus, Archiepiſcopus Ravennas; Architectus fuit Laurentius Berninus, Eques, artis ſculptoriæ & architectonicæ claritate operibus multis, quibus Vrbem exornavit, illuſtrata vix ſecundus Michaële Angelo Bonarota, in his artibus excellentiſſimo : junxeratque ipſi hoc opere ſedulam manum Ludovicus Berninus, germanus ejus, fraternæ gloriæ æmulator. Proſtituendo denique Obeliſco opportunus habitus eſt locus Circi olim Agonalis, quod hodie Forum Romanum dicitur, media in Vrbe, & celebratum nundinis ac populi frequentia, clarumque palatio Pamphiliæ pontificiæ familiæ, à qua nunc Obeliſco nomen eſt Pamphilio.

*Auguſta reſtituendi occaſio.*

*Tantæ molis directores:*

Summo igitur labore Obeliſcus in Circo Caracallæ [qui inter Circos Romæ integerrimus eſt] è cubilibus ſuis extractus eſt ac in quinque partes diffractus, deinde chamulcis cylindriſque impoſitus, ergatis aut aliis machinis variâ induſtriâ promotus ad conſtitutum uſque locum; ibidemque dum fundamenta, ad magnitudinem molis comparata,

*operis proceſſus:*

parata,

parata, locantur, integritati suæ restituitur. Nempe cùm fragmenta, multo labore investigata, componi partibus nequirent, architectus singulari dexteritate frusta ex simili pyrite mutilatis aptavit, & absque ferreis retinaculis coagmentavit, solidus ut lapis videatur eminus tuentibus: insertisque ita in partibus novis insigniendas curavit Oedipus hieroglyphicas formas, ex antiquis fragmentis descriptas, quod præstitit M. Antonius Caninius. Fundamentum Obelisci ab imo exordio ad superficiem terræ tricenûm pedum est. Vt autem celeberrimus Vrbis locus * insignem haberet & reverentiam & utilitatem, auctum est opus ad magnificentiam molis conspiciendis parergis. Fons est, rupis in modum excavatus; super quo Solis Obeliscus fundatus est. Rupis hujus latera quadruplicia totidem colossos habent, quibus vario symbolorum ornatu insignibus quadripartita mundi facies repræsentatur; sub his prosiliunt aquæ, per salebrosas quasi catadupas rupis in subjectam vastissimam concham jucundo strepitu præcipitantes. Supra hanc rupem triplex basis Pyramidi substructa est. Positorem felicis monumenti * optimum maximum memoriâ quàm augustissimâ abacus medius perennibus loquitur laterum marmoribus.

*Obeliscus confractus iterum coagmentatus.*

*Fundamenti in terram jacti altitudo.*

** vulgò la Piazza Navona.*

*Pontificalis situs & ornatus monumenti operosi.*

** Restituti a. C. 1649, post primam erectionem circiter 2985, post cladem à Totila 1099.*

Inscriptio basis, quà spectat Obeliscus ad Ortum:

NOXIA. ÆGYPTIORVM. MONSTRA.
INNOCENS. PREMIT. COLVMBA.
QVÆ. PACIS. OLEAM. GESTANS.
ET. VIRTVTVM. LILIIS. REDIMITA.
OBELISCVM. TROPHEOS. SIBI. STATVENS.
ROMÆ. TRIVMPHAT.

Ad Meridiem versus:

INNOCENTIVS. DECIMVS. PONT. MAX.
NILOTICIS. ÆNIGMATIBVS. EXARATVM. LAPIDEM.
AMNIBVS. SVBTERLABENTIBVS. IMPOSVIT.
VT. SALVBREM.
SPATIANTIBVS. AMOENITATEM.
SITIENTIBVS. POTVM.
MEDITANTIBVS. ESCAM.
MAGNIFICE. LARGIRETVR.

Occiduo latere:

INNOCENTIVS. DECIMVS. PONT. MAX.
NATALI. DOMO. PAMPHILIA.
OPERE. CVLTVQ. AMPLIFICATA.
LIBERATAQ. INOPORTVNIS. ÆDIFICIIS.
AGONALI. AREA.
FORVM. VRBIS. CELEBERRIMVM.
MVLTIPLICI. MAIESTATIS. INCREMENTO.
NOBILITAVIT.

A parte Aquilonis :

OBELISCVM.
AB. IMP. ANT. CARACALLA. ROMAM. ADVECTVM.
CVM. INTER. CIRCI. CASTRENSIS. RVDERA.
CONFRACTVS. DIV. IACVISSET.
INNOCENTIVS. DECIMVS. PONT. OPT. MAX.
TRANSTVLIT. INSTAVRAVIT. EREXIT.
ANNO. SAL. M. D. C. LI. PONTIF. VII.

*Obelisci inscriptiones quo aditu spectentur.*

Hæc sunt quæ in abaco fundamenti medio inscripsit Pontifex. Sed latera cum illis Obelisci, medio fere quadrante ultrò vergentia, non planè respondent mundi plagis, ob fori situm, cujus rationem prudens architectus merito habuit : prima igitur, lateris Eurini, inscriptura in aspectu est Turriani & Vrsini palatiorum; altera, à latere illo fori, ubi Pamphiliorum palatium est, quum respondeat illi inscriptioni hieroglyphicæ, qua Sothis primus hujus Obelisci author Mercurium suum Termaximum respiciebat; tertia, versus Occidentem, spectat in plateam illam Altempsianis nec non Collegii Germanici ædibus illustrem; quarta inde fori spectatur, ubi S. Iacobi ecclesia, Hispanorum, habetur. Sed præter has inscriptiones lusus fœcundorum quorundam ingeniorum eximii extant, de quibus sunt quæ continuo sequuntur :

*Super erectione acus Pharaonicæ, monumenta ingeniorum.*

INNOCENTIVS X.

*Cum anno instaurandæ justitiæ sacro ex uno Virginis Aquæ fonte, quatuor effudit fluvios, antiqui Paradisi, hoc est, justitiæ specimen exhibet, & seculum renovat.*

INNOCENTIVS X.

*Quaternis Aquæ Virginis fontibus ad ornatum, & commoda Vrbis apertis, magnificentiam Pontificiam, superinductis Regum Ægyptiorum arcanis, patefecit.*

INNOCENTIVS X.

*Marmoreo Aquæ Virginis monumento Ægyptiorum Obeliscum imponens, metam posuit Romanæ Magnificentiæ.*

*Dum ineunte expiationis anno Ægyptium Obeliscum suis Fontibus*
*Admovet Roma, vel ipsos Solis digitos lustrare Aqua Virginis potuit.*

*Vbi certabatur olim in pulvere, nunc in aquis luditur, ô gratas temporum vices!*
*Quò se sublimius erigit hic Memphis, eò submißius Romam adorat.*

His additur ænigma :

*Virgo Romana dorso candido Nigellum Ægyptium gestat ad nundinas.*

*Interpretationis sequentis ratio,*

Visas hactenus post excisionem Obelisci erectiones ejusdem aliquoties repetitas, translationesque & confracti demum restitutionem, pulcherrimamque exornationem splendidissimi omnium quæ Romæ sunt monumentorum, excipiat deinceps interpretatio Hieroglyphica. Hanc verò cùm singulari Oedipus volumine exhibuerit, & multo quam cæteros accuratiore ratione cùm idealis lectionis, tum intellectionis minutissimorum omnium, præstiterit, expressis & hierogrammatorum nominibus, & transformationibus figurarum, & mysticis singulorum significationibus : nobis tamen non alio quàm sicuti in superioribus describenda est modo, solam enarrationem atque explicationem, quam omnium undique versus symbolorum luculentissimam facit, prosecutis, circa originationes verò ac sensuum longiorum ambages Lectorem semper ad superiora rejicientibus, ubi principia & remotiora hieroglyphicorum mysteria, eadem omnium scilicet, abunde præcipiuntur.

*Oedipi, aut nostri instituti.*

ARGVMENTVM
HIEROGLYPHICVM.

Pamphilii Obelisci, cæterorumque omnium interpretatio, tantis retrò seculis usque à Nectanebo, * vel si mavis, Philadelpho, * & ante retrusa in tenebris, at Innocentio X, ex familia Pamphiliorum, Pontifice Maximo vinculis libe-

** hoc regnante Manethos vixerat, scriba adytorum.*
** Ægyptiorum ultimo, qui pulsus est anno 2 Olymp. CVII.*

*Qualia ſint hieroglyphicorum dogmata.*

liberata,& quaſi eruderata, hoc maxime mirandum habet, quod cum Chriſtiana religione quàm multis in myſteriis conveniat; quamvis id non adeo mirabile ſit, ſi, quæ ſuprà diximus, de Triſmegiſto, qui caput eſt hieroglyphicæ ſapientiæ, rectè meminiſti. Et vide mihi locum apud Euſebium in Sozomenis, ubi dicit, *Ex ſcriptis Manethonis Heliopolitæ, ſed Zebennitæ genere, qui temporibus Ptolomæi Philadelphi ſacerdos fuerat ſacrorum*, ſive malis *idolorum*, columnas in Seriadica terra poſitas fuiſſe, quibus ſacra dialecto ſacræ fuerint notæ inſculptæ à Thout, primo Mercurio; eaſdemque poſt cathaclyſmum ſive diluvium ex ſacra lingua in Græcam hieroglyphicis ſive notis ibidem ſacris verſas interque libros in adyta Ægyptia relatas ab Agathodæmone, altero Mercurio, patre Tat. Enimvero ex libris ſacris * hauſiſſe Manethona plurima, & Fl. Ioſephus lib. 1 contra Apionem probat. Scriptis autem Enochum, filium Iared, primum Triſmegiſtum, Divini nominis prædicatorem, mundum erudiviſſe, ex Catholicæ eccleſiæ doctoribus ſuprà monſtravimus; & inde accepiſſe rectum de Deo ſenſum Hermetem, ſeu Theutum Ægyptium, qui Noe filiis & Abrahamo coætaneus fuit, quis refellat? Hinc nimirum Origines *philoſophia* (gentilium dicit) *neque in omnibus legi Dei contraria eſt, neque in omnibus conſona: multi enim philoſophorum veterum, id eſt, Mercurius & Plato, unum eſſe deum, qui cuncta creavit, dixerunt, atque in hoc conſentiunt legi; aliquanti autem hoc adjiciunt, quòd deus cuncta per Verbum ſuum fecerit & regat, & Verbum Dei ſit, quo cuncta moderentur; in hoc non ſolum legi, ſed & Evangeliis quoque conſona ſcribunt.* Verum apertiora Mercurii, aut à Mercurio hominum, Lector ipſe in ſequentibus videat.

** Ambras dixerunt, exemplaria Obeliſcorum.*

*Hermes Triſmegiſtus à prinævis patribus eruditus.*

*Origines.*

Continet enim hic Obeliſcus primò Trinunius Numinis ſive Animæ mundi univerſalis Triformis, quam Ægyptii Hemphta vocant, tum intrinſecus, tum extrinſecus ſpectatas operationes: quomodo videlicet ſupremum illud Numen ante omnem creaturæ conſtitutionem in ſolitaria eſſentiæ ſuæ unitate Mentem genuerit opificem, & deinde Mentem tertiam, Spiritum omnium vivificatorem; deinde, ut numen Trinunum ex ſolitaria unitate multitudinem produxerit. Multitudo illa primò mundum Intellectualem ſive Angelicum, quem Ægyptii Genialem vocant, includit; in quem, porrò hic ſequitur, cùm divinæ mentis habeat exemplaria abſolutiſſima & immediata, ejus continuò influentias dari, vitamque ei, motumque & potentiam in omnia inferiora tribui: hinc ordines illius influentiarum divinæ bonitatis participes facti, vim illam in quatuor mundi plagas, quatuor Obeliſci lateribus indicatas, important, qui ſua virtute in varias claſſes dividuntur, Rectorum ſcilicet, Ducumque,ac adminiſtratorum ſpirituum, mandata principis exequentium, itemque Tutelarium, qui mala quæque avertunt. Altera multitudinis creatæ ſpecies eſt Mundus Sydereus. De hoc Obeliſcus habet, quomodo ſupremum numen per Geniorum claſſes, veluti miniſtrorum, virtutem ſuam ipſius infundat ordini, nempe Oſiridi ſolari numini pantomorpho, & ſidereæ animæ; qua divina influentia operationes & effectus varii in mundo inferiori exercentur, mediantibus quatuor primis naturis, hoc eſt, elementis. Eſt enim ille tertium in rerum creatarum multitudine, corporeus ſcilicet ſive hylæus mundus, corruptionibus & generationibus rerum deſtinatus, quem anima mundi ſyderei abundantia divina affecit, ex quo rerum omnium humanæ vitæ neceſſariarum ubertas emanat, qua felicitas ejus gaudet. Hæc illa triplicis catena mundi, de qua Plato quoque & Pythagoras quæ ab Ægyptiis docti erant.

*Numinis apud Ægyptios unius & trini ratio pluſquam philoſophica.*

*Ex Vnitate proceſſiſſe multitudinem.*

*Creaturæ omnis ordo triplex.*

*Mundorum trium concatenatio,*

*Angelici cum ſuis ordinibus,*

*Sydereique,*

*Hylæique.*

Quemadmodum vero quatuor lateribus Obeliſcus noſter conſtat, quæ quatuor mundi plagis reſpondent; primum nimirum Eurinæ, ſecundum Meridionali, tertium Occiduæ, & quartum Boreæ: ita ſingularum illarum Genios, analogis omni ex varietate naturali rebus, trahendos in vota pars nulla non docet; quibus nempe ritibus ac ſacrificiis ſint colendi ac ſollicitandi, aut adjurationibus, hymnis & canticis, ſuffumigiis etiam, juxta analogiâm quandam naturæ & proprietatis, alliciendi & invocandi, aut, ſi fuerit irati, placandi, mun-

*Latera quaterna,*

*quid contineant.*

di, mundi bono; qualibus demum Geniorum adversorum vis nociva arcenda sit; insuper & quibus medicamentis infirmitatum ac morborum ab noxiis geniis mala curanda, aut prophylacticis avertenda. Præterea, quòd futuri cognitionem vitanda ad mala, aut ad acquirenda bona, sibi putarent necessariam, iccirco hic Obeliscus habet quomodo per somnia, per auguria, per varias, easque multiplices divinationum species vaticinandi scientia procuretur: atque ea propter quo victu, vestitu, ac situ in religionis negotio, sacrisque peragendis ipsos, qui talia supremo à numine geniisque obtinere velint, se tenere oporteat: implicitè quoque symbolorum contextu hoc mirifico designantur Amuleta, Philacteria, Prophylactica, in averruncationem malorum, & felicitatem à bonis omnibus tum publice, tum privatim, & in adytis Isiacis dictorum Geniorum ab invocantibus exhibenda; qui cæremonias quoque & exorcismos sub multiplici fabularum allegoria docentur, quave ex materia statuas Tetelesmenas, quæ & Thalismata dicuntur, & στοιχεῖα apud Græcos, inter Arabes Tallesmath, construantur, ut iis secundum analogiam adaptatis, & per assiduam vitæ, animique corporisque castimoniam ac puritatem exhibitis, Genii alliciantur.

*Vbi dii non sunt, divinatio.*

*Sapientiæ sibi non sufficientis vanitates.*

Hæc summa est rerum, quas in hoc Obelisco structura illa artificiosa symbolorum repræsentat, quæ partim eximia aliqua tam Theologica, quàm Naturalia continent mysteria: nonnullæ verò magicas & superstitiosas artes involvunt; sed hæc præteribuntur, nec ingeniis nimium curiosis in damnum exponentur; reclusis tantum penetralibus sapientiæ antiquæ, superstitionibus verò refutatis, ut luce amabili veritatis compulsa officina ματαιοτεχνίας nostri quoque temporis corruat, honor autem divinus nulla non ex re cumuletur.

*Interpretis in referandis symbolorum sensibus cautio;*

*& intentio.*

Methodicè verò in opere tam intricato processuri singula Obelisci latera in sex partes seu schematismos dissecabimus, totum scilicet in viginti quatuor: singuli iterum schematismi in sex subdividuntur hierogrammatismos; ut ita partibus hisce ordine explicatis perfectiùs clariusque totius argumentum Obelisci Lectori repræsentetur. Schematismum autem dicimus certam quandam hierogrammatum vel hierogrammatismorum congeriem; hierogramma verò simplicem literam hieroglyphicam; hierogrammatismum, qui ex pluribus Symbolis ac hierogrammatis conflatus est. Sed ut ratio conceptus idealis (quem singulis in schematismis explicandis primo proponimus) rerumque significatarum multitudo & varietas, à sapientibus intenta, penitiùs introspiciatur, physicas anagogicis & his morales, magicas, mysticasque interpretationes κατὰ τὴν ἀναλογίαν, allegoricis mysteriis ita temperabit Oedipus, ut vel ex hoc capite veterum sacerdotum intentio, & quantam rerum multitudinem sub pauculis symbolis comprehenderint, exactiùs dispiciendum sit.

*Interpretationis faciendæ dispositio.*

*Schematismus quid; ac hierogrammatismus.*

*Oedipi in hac interpretatione ars & effectus.*

## LATERVM SINGVLORVM INTERPRETATIO.

PRinceps lateris orientalis, nec non cæterorum primi schematismi, quatuor continent hierogrammatismos, qui sunt veluti epigraphæ quædam totius secuturi apparatus rationem indicantes; & primò quidem juxta apicem Obelisci occurrit in singulis lateribus globus alatus, ex quo serpens emergit, estque symbolum τερμορφον quod non incongrue ὀφι-κυκλο-πτερόμορφον, hoc est, Alisphæro-serpentiforme appellatur, quo sacerdotes pulchrè sane divinitatem illam virtute & proprietate triformem denotant, apud Eusebium corruptè *Emeth* dictam, Iamblicho *Emeph*; Ægyptiis *Hemphta*, hoc est, *deus maximus*, quem aliis descriptionibus non nunquam prædicabant *omnia verbo virtutis suæ exprimentem*, aut *æternum rerum omnium vivificatorem*, nec non *causam causarum*, seu *universalem mundi animam*, & ipsis, quæ videntur symbolis, triformem esse indicabant: globo enim seu sphærâ, Trismegisto teste, circulum illum immensum, incomprehensibilem, supramundanum & archetypum significabant; nimirum æternam illam nullisque terminis finitam, puram & simplicem Dei essentiam, quam Patrem, aut Mentem primam, aliquando & Intellectum supremum appellat Trismegistus;

*Lateris cujuslibet initium.*

*Globus alatus cum serpente.*

*Hemphta ejusque appellationes.*



Latus I. Orientale.
Latus II. Australe.
INNOCENTIO X PONT. MAX.
Latus III. Occidentale.
Latus IV. Septentrionale.
OBELISCUS PAMPHILIUS.

*Serpens de globo promissus.*

ſtus: deinde ſerpente,* qui è globo emergit, fœcundam Dei naturam, ſive formam quandam in Deo coëxiſtentem, omnium vivificatricem atque animatricem, quæ Triſmegiſto eſt *Verbum*, Platoni *Mens opifex:* alis verò vim in Deo motricem ſive formam quandam omnium penetrativam intelligebant, quam *ſpiritum mundi* vocat Iamblichus, *Amorem* Triſmegiſtus, & Plotinus *Mentem Tertiam*, alii ſub aliis nominibus de ea meminerunt. Iucunda verò notatio eſt in alis pennarum trino ordine diſtinctarum, quibus accuratiſſimi illi obſervatores indicabant, æternas archetypi numinis ideas & exemplaria rerum in trium mundorum claſſibus elucеſcentium. Nam, ut rectè Clemens ait, ſolebant Ægyptii ſubinde exilia adhibere ad maximorum ſignificationem.

*Alæ ad globum:*

*in alis ordines pennarum.*

*Quare ſerpens ſubter globum ſit.*

Obſerves & illud, ſerpentem non ſuprà globum ſed infra prominere, nimirum ut hieromantæ Mentis Opificis naturalem propenſionem & appetitum communicandi ſe mundis inferioribus, indicarent.

Ponitur autem hoc ſymbolum in capite Obeliſci, veluti totius titulus & epigraphe, juxta apicem, ut ſummi numinis, veluti ex incomprehenſibili rerum omnium centro, in mundi ſenſibilis latitudinem, tanquam in circumferentiam, influxus & emanatio pateret, nempe ſicuti ex puncto ſupremo Obeliſci in baſin ejus (ceu regnum latitudinis) lineæ omnes protenduntur, quæ ad idem recurrunt & ibi uniuntur, ita Numen ſupremum ex monade ſua in multitudinem procedens, cauſa, vita & veluti anima omnium eſt, atque ad idem omnia revertuntur tanquam ad authorem & effectorem omnium, à quò eſſentialiter pendent. Triangulo autem includitur, ſive intra pyramidii triangulare latus, ut omnia ad Trinitatis ſignificationem conſpirare, ſignificarent: Triangulum enim ſacræ Triadis ſignum eſt. In ſingulis demum Obeliſci lateribus idem inſcribitur, ut ſicut Obeliſcus Vniverſi amplitudinem quadripartitam ſignificat, ita omnipræſens Numinis ſupremi virtus innueretur.

*Ad quid globus alatus in ſummo Obeliſco ſit poſitus,*

*& in Triangulo,*

*ſingulisque in lateribus.*

*Hierogr. ſecundus,*

Ad alterum hierogrammatiſmum accedimus, qui in eodem pyramidii trigono poſitus, ſolo disjunctivo ſymbolo ſecretus, lateribus ſingulis tres figuras, hoc eſt, duodenas quaternis habet. Mundus illo ſignificatur Genialis, ſive Angelicus, aut, ut Ægyptii dicunt, ſecundorum deorum, Archetypo mundo quàm ſimillimus, ſimplex, & incorporeus, qui immediate accipiat influentias Numinis; iccirco nimirum hoc ſymbolum in ipſo pyramidio alterum à primo locum occupat; in quavis verò Obeliſci facie inſcriptum, quòd nihil non in mundo ſenſibili commiſſum creditur Geniorum gubernationi. Quemadmodum igitur proceſſum Numinis ex monade in plurativum numerum indicaturi binario, (qui eſt multitudinis & imperfectionis, & in conjungendis humana figura cum tutulo ejus in capite latet,) mundi Genialis tanquam ſecundi ſi ad archetypum reſpicias, imperfectionem quandam (ſcilicet reſpectu eſſentiæ ſupremi numinis) notant; ita triade, quæ trigono hierogrammatiſmum includente, & numero ternario figurarum ſignificatur, ſummam mundi ejuſdem inter res creatas perfectionem intendunt, tanquam operis immediatè à ſupremo Numine profecti, & primæ Triadis creatæ; archetypa enim Trias eſt increata. Ternarius deinde quadruplicatò, ſecundum latera Obeliſci, conceptus duodenarium parit, per quem numerum rerum univerſitatem indicabant: atque iccirco tribus geniis tum excellentia naturæ Angelicæ, tum tres triades ſeu claſſes inter ſeſe quibus in præſidium inferiorum diſtincti ſunt, per duodecim verò Mundi univerſi adminiſtratio iis ipſis peragenda intelligitur, cave tamen triades ordinis cum triade perfectionis confundas. Variis Genii ſymbolis, ſitu, geſtu, ac habitu diſtinguuntur, ad indicanda munia diverſa, quæ in mundo ac partibus ejus obtinent; ſtruppis præſertim ſive tutulis in capite multiformibus, quia omnis poteſtas, dominium ac principatus, vitaque & influxus primò fit à ſupremo Numine in genialem ſeu intelligibilem mundum, tanquam in caput megacoſmi. Illi autem genii, qui humana facie ſunt, inſenſibiles dicuntur, hoc eſt, ſolo intellectu & inviſibili quadam aſſiſtentia omnia moderantes; reliqui, quibus forma brutorum eſt, ſenſibiles deos refe-

*Quare in eodem pyramidio, laterisque omnibus ſit.*

*Mundum Angelicum imperfectiorem archetypo, quamvis præſtantiorem cæteris eſſe.*

*Quid triade geniorum quadruplici ſuggeratur.*

*Varietas diſtinctionis Geniorum.*

*Struppi capitum.*

*Genii humana facie,*

*aut brutorum forma.*

A

*Hierogrammatismi secundi Figuræ primæ symbola.*

F

referunt, qui sub formis animalium totum orbem circumeuntes, teste Trismegisto, humanum genus erudiunt.

Princeps, quæ est media figura, latere primo, humana est, quasi fœminæ superiore parte corporis nudatæ, reliquâ vestitæ, in sede variegata insidentis; quæ pedes indiscretos habet, manu dextra sceptrum upupæ capite insignitum tenens, sinistra efficaciter contracta; capite verò tutulum φλογο-οφι-κυκλο-πτερόμορφον, sive ex flamma bifurcata, aspidibus duobus, circulo & pennis compositum, gerit. Ab utroque latere adstant aliæ imagines humanæ, quibus humerus sparsus capillis, pedesque discreti sunt. Prima harum, sive dexterior, altera manu sceptrum cum Loti flore fert, altera calathum; capitis quoque ornamentum ex Loto est. Secunda sceptrum Lotigerum manu dextrâ, sinistra pennam, super caput calathum cum Loti flore habet positum. Arcanis his symbolorum similitudinibus pergunt hieromantæ ostendere, quomodo numen uni-trinum, [cujus est figura præterita, & quod nullo proprietatum vestitu, ut loquuntur Ægyptii, se præterit] ad extra prodeat, & mundo per rerum naturalium effectus innotescat. Hinc tutulo in capite maximæ figuræ nihil aliud repetitur, quàm Numen antea significatum: per circulum nimirum prima mens; per serpentem secunda, h.e. fœcunditatis Opificis mentis in centro divinitatis abscondita vis, ut & ignea quædam, per flammam; motus verò, volatus, & impulsus divini spiritus per pennas indicatur. Effusam bonitatem ac virtutem immediate percipit ab hoc Numine Mundus genialis, & in ipso princeps Genius pantomorphus, in omnem sese formam transmutans, Divinitati proximus, ac characterem ejus in capite gestans ut in se miram supremi numinis providentiam in administratione rerum exprimat, atque adeo ipsius significationem in geniali mundo habeat; unde eum Ægyptii passim cum ipso Numine supremo confundunt. Formâ, quæ ipsi est humana, juvenilis ac fœminina, illius in mundo Angelico pulchritudo & fœcunditas notatur; nudata superiori corporis parte intenditur quod quamvis deus, quem hicce exprimit, omnibus rebus creatis adsit, & insit, nulla tamen earundem contagione simplicitas & puritas ejus inficiatur; inferiora autem tectus est, quum seminalium idearum rationes occultæ sint; pedes indiscretos habet, eò quòd Deus, licet nunquam non in motu sit, semper tamen immobilis est; & hinc sedes huic data quadrata, ad stabilitatem & firmitudinem diuinæ naturæ, tum ad immutabilem inconcussumque naturæ ordinem indicandum; basis verò sedis quinque ansatis crucibus distinguitur, ut ostenderetur, virtutem divinam in quinque potissimum naturalium entium classes & ordines dominio agere; in intellectualia scilicet, rationalia, sensitiva, vegetabilia & vitæ expertia corpora omnia; dominiumque illud sceptro upupæ capite insignito pulchre exprimitur. Figurarum verò, huic de qua vidimus extremarum, eadem significatio est naturæ scilicet genialis, quâ Deus, qui omnia in omnibus operatur, tanquam ministra utitur. Ideo nempe figuris hisce geniorum sceptra tutulique lotiferi affinguntur, ut præsidium esse intelligantur, & quidem Orientalis plagæ, quam Lotum symbolice notat: nudo iidem sunt corpore, quòd vacent mistionis terrenæ involucro; discretisque pedibus & ad currendum institutis, ut eorum promptitudo & celeritas pareat. Horum prior sceptrum Loti flore insignitum tenet potestatis in Orienti subjacentia signum; necnon Calathum ubertatis symbolum, quâ mundum administratio eorum beat; alter præter Lotiforme sceptrum, pennam quoque sinistrâ fert, celeritatis in actionibus indicem: uterque verò genius in capite canistrum habet, Loti flore conspicuum, quo motum & reverentiam, ac obedientiam erga supremum Numen & πανζόμορφον Hemphta, occulte indicant, Loti nimirum, floris Ægyptii, proprietate considerata, qui occulto quodam consensu naturæ cum Sole oriente extra aquam emergens hunc spectat, erecto deinde statu meridianum haurit, ejusque decursum prosecutus versus occidentem cadente die aquis iterum se condit.

*& minorum, latus priori tegentium.*

*Symbolorum significatio.*

*Tutulus figuræ primæ.*

*Forma fœminea juvenilis, non vestita quadamtenus.*

A F

*Pedes indiscreti,*

*sedes quadrata.*

*Figuræ minores quid sibi velint:*

*sceptris lotiferis,*

*aut corpore nudo:*

*calathoque*

*& penna,*

*aut canistris.*

*Loti floris cum sole sympathia.*

Hæc illo hierogrammatismo sensu anagogico significantur, virtutes nempe divi-

A F divinas creaturis profundendas angelos primo contingere, uti dictum est; ejusdem tamen est & alius intellectus, scilicet de ritibus & sacrificiis sacerdotalibus, quasi per picturam & typum repræsentatis, quomodo recte instituenda sint, ut per ea rapti in Deum, quæsitæ supremæ felicitatis apicem contingerent.

*Symbolorum significatio secundaria.*

Positam siquidem in adytis, à consortio hominum remotissimis locis, statuam sacerdotes habebant, eo symbolorum ornatu quem hic vides; & ad eundem habitu & cæremoniis sese conformabant, nudi, nullo corporis amictu, calathos lotigeros in capite ferentes, & manuum altera thyrsos lothi, altera calathum aut pennam gestantes, quoniam Numen supremum potentesque genios similitudine & analogia horum symbolorum, quippe convenientium significatione sua effectibus eorum, duci efficaciter credebant; ideo & adituri illa macerabant sese abstinentiâ victus, *ne divina pars* ut ait Plutarchus, *à mortali premeretur*, sed corpore vacuo animus liberior ac altior elevaretur in cœlum; hoc enim vult figura gracilium ac tenuatorum corporum.

*Idoli figura in adytis.*

*Sacerdotes superstitionibus operaturi conficiebantur inedia.*

Post divinitatem in Triade archetypa spectatam, & deinde in Intellectualibus occupatam, per quæ mundum hunc sensibilem afficit, deinceps quasi ad magis specialiora procedunt hieromantæ, tertio jam hierogrammatismo monstrantes quid numen illud triforme in parte principali sensibilis mundi, hoc est in Sole, operetur, & quomodo paulatim in sensibilibus mundanæ machinæ simulachris innotescat. Accipiter est, variegatus, & in ejus capite calathus perseæ fructu repletus, eoque arcanum aliquid & venerandum significatur; tum globus quem aspis arduus medium complectitur: tria symbola, atque eadem cum illis quæ in primo hierogrammatismo visa sunt, nisi quòd hîc distincta sunt quæ ibi conjuncta, insigni utrobique mysterio. Processum namque numinis ex uno in plura, & ab inaccesso luminis fontani recessu multiplicationem rerum in mundis fæcundam innuunt. Nimirum uti proximo Hierogrammatismo dicta tria symbola unita sunt, ut cum simulachro humano alteritatem quandam, sive lapsum monadis in dyadem, arcana quadam allegoria innuant, ita nunc tertio hierogrammatismo separata cernuntur; quo apte ostenditur Numinis triformis ex dyade in triadem progressio, hoc est, quomodo divina sublimitas paulatim in corpoream naturam, sensibilem & aspectabilem, progrediens, potissimum in Sole mundanorum corporum principe suum sibi tabernaculum posuerit, ut cum Scriptura loquamur. A G

*Primi schematismi latere primo hierogrammatismus tertius.* G

*quare hæc symbola divisim spectentur.*

Sed hæc symbola quæ dispersa multitudinem à divinitate procedentem ostendunt, si conjungis, inaccessam illam divinitatis triformem monadem exhibebunt.

*Eadem conjuncta quid ferant.*

Per Accipitrem igitur tutulatum Vnitas illa triformis, Sol Archetypus intelligitur, in principali corpore mundi elucescens, quem & Osirin, & Orimazen, ovi mundani productorem, dicunt, & Mythram Persicè, teste Plutarcho: atque idem sibi tiara seu cidaris vult, mystico sensu, quæ formata tanquam calathus prominens, fructuque perseæ repleta, avis caput includit; indicatque regalem potestatem Numinis supremi, cuncta in sublime trahentis, ideoque capiti imponitur, arci rationis & potestatis, & fructum perseæ continet figuram cordis repræsentantem, nempe ut significetur sapientia in mundi administratione, rerumque inventione elucescens.

*Accipiter quid sibi velit; cidarisque ejus.*

Striæ verò lineares & circulares colli & in alis accipitris indicant, cælorum conversiones fieri per sensibiles in Mundum inferiorem potentias Osiridis asseclas, quibus motus, causa rerum omnium, exhibetur.

*aut distincta notis colla atque alæ.*

Posita verò post Mundum Genialem figura hæc Accipitris in quadrangulo, * ad indicandum Mundum sensibilem sive corporeum, qui per quadrangulum apte indicatur; quanto nimirum mundus quisque à primo Archetypo circulari plus recesserit, tanto imperfectior est, quod angulorum figurarumque varietas notat, quæ longius à monade quam trias recedit: hinc nempe inter monadem & tetradem posuerunt triadem angelicam, ut indicarent, influxum in mundum corporeum fieri mediantibus Geniis.

** Respice & mysteria figurarum Obelisci, sine pyramidio considerati.*

Globus aspide circumclusus nihil aliud significat, quàm vim illam Osiridis divinam & igneam, quæ mundum totum pene-

*Globo cum serpente quid volvatur.*

A

*Osiridis vis penetrativa ac fœcundativa.*

penetrat, vitamque & motum, ac fœcunditatem in mundo; unde Phœnicibus aſpis bonus dæmon dicta, cui caput accipitris Ægyptii affinxerant, quod ille actuoſus ſit: quanquam accipiter ab aſpide hoc loco ſecretus videatur, ad ſignificandam divinarum perfectionum in Oſiride ſive Solari numine, uti jam diximus, diſperſionem.

*Primi ſchematiſmi latere I hierogrammatiſmus quartus:*

Quartus hierogrammatiſmus progreſſum ſupremi numinis per mundos ſuperiores, intellectualem & ſyderium, in infimum, elementarem, prodit, unde in generationis ſphæram delabitur, ex qua ſumptis alis redeat in monadem ſolitariam. Eſt autem totus ille hierogrammatiſmus cum præcedenti in eodem quadrato incluſus, ſed ſingulari ſepto ſecretus, non ſine myſterio. Nempe cum hic poſtremus hierogrammatiſmus mundum Elementarem exhibeat, haud immerito per diſtinctum minus quadrangulum in majore comprehenſum id indicarunt, ſiquidem à ſydereo mundo tanquam contentum à continente concluditur ac gubernatur: & hinc Oſiris ἱερακόμορφος eidem inſiſtit, ad dominium, quod in eum obtinet, indicandum. Septo illo concluſa ſunt, primo litera Ibiaca in Alpha formata, ipſique connexa linea ſive baculus, ſub hoc tres circuli, atque iterum baculus, deinde tria quadrata, cum quinque triangulis rectangulis, inter quæ baculus cycloformis datur, & demum feretrum: quo ſymbolorum apparatu maxima & inſignia innuunt myſteria.

*Quare in ſepto quadranguli poſitus ſit.*

*Alpha quid ſignificet,*

Alpha [motus ex ſuperioribus in inferiora ſignum, quod indicat ejus figura pyramidalis] ſignificat Agathodæmonem, ſive genium bonum, geniorum nimirum principem princeps litera & in primo hoc loco poſita, ad oſtendendum hujus in mundo inferiori & ſenſibili imperium; quod & baculo ſive ſceptro exprimitur alteri crurum characteris annexo: ſed potentia tamen genii varia eſt & à ſuperiori numine dependens, propterea nempe reſupinum jacet, quum ſtatu ſymbolorum erecto abſoluta dominia indicentur.

*& cur ſupinum jaceat.*

*Tres Circuli quid ſint.*

** Veteres contrà quàm Ptolem.*

Tribus deinde orbibus ſive circulis triplex ſyderii mundi cœlum ſtellarum ſcilicet fixarum, tum quinque planetarum [apud Ægyptios pro uno ſumptum] & Solis ac Lunæ *, vel etiam triadem mundorum intellectualium, qui præſides habent mundi tam empyrei ſive intellectualis aut angelici, quam ſphærarum, & hylæi, in quos Numinis triformis ſub forma Agathodæmonis influxus & dominium extat. Mundi enim illi circulis indicantur, ob idealem, quam quiſque habet cum ſupremo & ſupramundano Deitatis circulo.

*☿ & ♀ ſupra ☉ conſtituebant.*

A

*Sceptrum ad quid faciat.*

Sceptrum verò cum tribus figuris quadratis indicat ulteriorem proceſſum ex Triade circulari in tetradem triplicem, ſive quaternariam triadem, [ex ſimplici videlicet & immutabili in angulosam & corruptionibus obnoxiam variamque hylææ miſtionis faciem,] & hinc in triadem ſive ternarium angularem, qui eſt figurarum trianguli rectanguli, generationis rerum notæ.

*Quaternarius quam habeat ſignificationem.*

Quaternarius enim numerus in mundo univerſitatis rerum corporearum ſignum eſt, cum propter ſimilitudinem cum iis, tum ob elementorum, ex quibus illæ ſunt, compoſitionem; ideoque hic tres mundi materiales ſive hylæi ſignificantur, qui ſunt corporum aëriorum, aquaticorum & terreſtrium; in hos enim mundos, mediantibus tribus illis genialibus, virtus ſupremi Numinis deſcendit. Præterea cum Sol zodiacum perambulans maximè elementarium ſive mixtorum corporum miſcellam incitet, & ad generationem rerum diſponat, hinc per tria quadrata annum indigitarunt, qui teſte Diodoro Ægyptiis in tres partes, Ver, Æſtatem & Hyemem dividebatur, quæ partes per tria quadrangula, ſicuti per quatuor latera totidem menſes, aut ſigna Zodiaci, quibus ſinguli anni trientes conſtabant, denotabantur: per hæc enim dodecamoria Sol divinus ille Oſiris, Agathædemon Ægypti, tranſiens elementa ad rerum productionem excitat.

*Annus apud Ægyptios tripartitus,*

*Figuræ trianguli ſcaleni explicatio.*

Scaleni verò figura generationem rerum variam exprimit. Sicuti enim per circulum, centro, radio & circumferentia trinum, nihil verò ex ſe gignentem, ſed complementum & polygonorum omnium maximum, infinitis lateribus conſtantem, ſolitariam illam unitatem Trinæ divinitatis indicabant; ita per triangulum æquilaterum Trinunam eandem in operibus creationis ſeſe exhibentem notabant, eſt enim trigonus prin-

*Circulus & triangulus quid ſignificent.*

*Trianguli species.* principium totius generationis, omnium figurarum polygonarum sive corporearum genitor; ab hoc proximus est Isosceles, terræ & firmamenti signum; tum Scalenus, summa geneticæ mysteria indicans; nempe hæc duo triangula quum figuras quatuor regulares producant significant IV elementa, quorum eæ symbola sunt; Isoscheles nempe terræ primum * principium est; Scalenus ignis, aeris, & aquæ. Constat hicce verò tribus lateribus inæqualibus, totidemque angulis, recto uno, & duobus acutis: per rectum intelligebant legem naturæ in operando constantem & immutabilem; per unum acutorum, nempe majorem subduplum, motum augmentationis; per postremum subsesquialterum, diminutionis divisionisque rationem: lineâ præterea inferiori principium passivum notabant, maxime terram sive Isidem; per normalem ei rectâ insistentem, principium rerum activum, formam, calidum, seu Osiridem; per hypotenusam, sive subtensam, quæ utramque lineam conjungit, compositum, Horum, ex utroque natum. Dicitur itaque Scalenus geneticus, vel nuptialis, ob generationis rerum omnium sublunarium mysteria. [e] Quaternarius verò, elementorum symbolum, cum ternario conjunctus, septenarium, septem entium universi notam, & harmoniam totius continentem, producit, quo nimirum suggerunt, Numinis supremi virtutem septenariam seu universalem tum exeri cum ex triade in tetradem [ sive cœlestem sive sublunarem ] procedit. Quinque verò triangulos [f] quaternariis tribus subjunctos [ quibus octonarius mysticus exprimitur, qui octo Genios principales indicat, quibus septemplex Mundus gubernatur ] in unum majus triangulum disposuerunt, ut generationem sublunarium quinquepartitam ostenderent: nimirum vel impressionum aëris, quæ dicuntur meteora, quòd in sublimi ferantur; vel mineralium, quæ sunt corpora metallica; vel tertiò naturæ vegetabilis; vel quartò sensitivæ; aut quintò rationalis corporeæ: hi enim gradus entium, cum ex materia & forma componantur, aptè per totidem triangulos geneticos significantur. Inter quinque scalenos [f] occurrit alia figura, [h h] baculi scilicet cycloformis, qua Numinis supremi processus cyclicus notatur, ex circulo nimirum in lineas, hoc est ex cælestibus in elementaria, & deinde hinc iterum in circulos reversi reditus in monadem solitariam. Postrema hujus hierogrammatismi figura feretrum est, quod Ægyptiis Tisle dicitur, cultus divini nota, qua venerationis attractionisque Numinis Triformis in omnibus rebus latentis modus & ratio monstratur. Hoc instrumentum, sicuti omnia reliqua, quæ quovis modo sacrificiis ac ceremoniis inserviebant, inter hyeroglyphica relatum, ob mysticas rationes quaternarii quem præsentat, sacratius habitum: illo enim respectu quatuor elementa rerum, vel quadripartitam mundi plagam intendebant, in quam totidem Genii, quorum simulachra feretro in solemnitatibus portabantur, vim suam diffundere credebantur.

** Quadratum enim pro secundo habetur: sed de his suprà repetas plura.*

*Angulis ac lineis scaleni quid contineatur mysterii.*

*Quaternarii cum triangulo conjuncti significatio.*

*Quinque trianguli cum tribus quadrangulis, vel etiam in unum triangulum compositi.*

*Quinque gradus entium sublunarium.*

*Baculus cycloformis.*

*Feretrum sacrum:*

*Quare in hieroglyphica relatum.*

Consepto demum totum hoc systema symbolorum à superioribus secluditur, ut esset omnium hoc Obelisco contentorum epigraphe quædam summaria, ideo clausa, ut ostenderetur, à Numine Triformi totum contineri Mundum, atque omnia ejus in divina Natura idem & unum esse, juxta illud Pherecidis in Hymno Jovis: *Deus enim est circulus & quadratum & triangulus & linea & centrum & omnia omnium.* Igitur, & sub mundi Genialis triade quadrangulum symbola syderea includit, mundi illud sensibilis hieroglyphicum; & signa deinde elementaris mundi minus quadrangulum in ipso majori inclusum comprehendit, quoniam hunc mundum ille tanquam continens contentum suum complectitur.

*Hierogrammatism. tertius & quartus conclusi quid notent.*

*Quid contineatur comprehensione quadrangulorum in se.*

Clausulam septi hujus faciunt subjunctæ lineæ, decem numero; tres nimirum transversæ, reliquæ rectæ, quæ proximam transversam alternatim contingunt. Hisce verò ductibus linearum totus dictarum rerum contextus, quasi in idea numerica, exhibetur. Quemadmodum enim Archetypus mundus per dyadem in triadem & tetradem angelicam influit: ita Osiris, quem refert accipiter, corporei mundi dux ex monade suâ, hoc est ex centro Solis, in quo,

*Linearum ad ultimum septi, interpretatio.*

A

ceu anima residet, evolutus primò in binorum mundorum *c e* syderei & elementaris dyadem, hinc in corpoream rerum triadem, hoc est, generationis sphæram, quæ per tres transversas, *a b c*, notata est, labitur per tetradem, hoc est, quadruplicem Mundi corporei portam, quatuor normalibus lineis *d f g h* indicatam; tandemque veluti per canales influit in totius universi individuas res, quæ scilicet per hieroglyphica ordine in singulis lateribus sequentia exhibentur. Tres verò transversæ parallelogrammæ *a b c* cum quatuor *d f g h* normaliter positis disjunctisque conficiunt VII, mysticum numerum harmoniæ mundi, qui numerus etiam indicatur per septem lineas, literis *d i f k g l h* signatas, quæ tribus superioribus transversis conjunctæ, constituunt decem, decadis mysticæ, revolutionis rerum omnium ad sua principia, symbolum. Quod verò septem lineæ normales conjungantur cum tribus *abc* transversis, per id indicant, ex triade corporea influxum superiorum per quatuor mundi portas continuari in omnem inferiorum individuarum rerum ambitum: quidquid nimirum de figura mysteriosa Obelisci retrò vidimus, hic per compendium spectatur.

*Quid sibi velit contactus linearum aliquarum.*

Explicationi hactenus primi schematismi, (de supremo Numine triformi, & quomodo illud ad creaturas se exporrigat, tam hujus mundi quam supramundanas,) textum quoque hieroglyphicum seu discursum idealem singulorum symbolorum, ad majorem luculentitatem & gratiam, subjunxit aquila illa nubibus nostris, aut phœnix innumeris retrò ætatibus, Oedipus venerabilis; nimirum ut reserata adhuc mysteria inscriptionis majori brevitate colligantur: *

** Numeri aut literulæ, Lector, faciunt tantùm ad collationem explicatus cum figuris.*

*[1] Hierogrammatismus primus, de mundo Archetypo.*

*[1] Triformi Numini Hemphta, Menti primæ motrici omnium, [3] Menti secundæ opifici; spiritui [2] pantamorpho; triuni, æterno, [1] principii & finis experti; deorum secundorum Origini: quod Numen ex Monade sua solitaria veluti centro, & apice in*

*& secundus, de angelico.*

*Mundanæ pyramidis amplitudinem diffusum, bonitatem suam primò contulit Mundò intelligibili deorum secundorum, orientis præsidum; qui divinitatis Triformis charactere insigniti triplicis Mundi præsides constituuntur. [A] Supremus in ordine & choro suo Genius, virtutem ab Hemphta participatam, per Asseclas [EF] Genios jussis ejus obedientissimos inferiori Mundo [HI] continuo influxu confert; unde rerum omnium [K] varietas, nunc nascentium [DL], nunc intereuntium [GN], ut iterum renascantur, in inferiori Mundo [HI] origo; & sic tandem humana felicitas completur. est ergo hoc exemplar sacerdotibus ad imitandum in sacris propositum.*

A

*[1] Hemphta ex centro Monadis suæ [II] in dyadem, & hinc per dyadem, hoc est, Angelicas Mentes in triadem, mundi [III] hoc est in Sidereum mundum sensibilem diffusum, Supremo se communicavit Osiridi, id est solaris mundi præsidi.*

*Tertius, hierogr. de mundo Sydereo.*

*Hic, virtute participata, Siderei Mundi Anima, dux & moderator, [2] cælorum agitator constitutus, ope sensibilium deorum (planetarum) [6] Mundum universum triformis Numinis charactere insignitum [7] vivificat, [7] fœcundat, [7] locupletat.*

*[a] Monas per [b] dyadem in [c] triadem, & ex hac in [c] tetradem diffusa, hoc est IV Mundum, [e] elementarem, in eo per [a] Agathodæmonem [b] potentem, trinam suam diffusionem, [c] potentiamque [d] propagat, [e] in triplicem Elementaris Mundi faciem, sive Hyleos Mundos; & hinc in generationis Sphæram [f] quintuplici Entium ordine distinctam lapsa, omnia ad [f] generationem, [7] fœcunditatem, [7] ubertatem instimulat; expletoque demum bonitatis suæ [h] appetitu circulari, ex [k] infima materialium mundorum miscella, in solitariam suam [h] Monadem revertitur, Numen [g] divino cultu, & honore ab omnibus colendum, & adorandum.*

*Quartus, de Hyleo.*

In latere Meridionali schematismus primus, similiter illi quem præcedenti latere interpretatus est Oedipus, quatuor continet hierogrammatismos, ex quibus princeps ut & tertius iidem sunt cum prioribus respondentibus; secundus & quartus diversi sunt ab alteris. Primus itaque Hierogrammatismus est globus ὀφι-κυκλο-πτερόμορφος, Triformis Numinis symbolum, quod antea satis explicatum est. Secundus, ab altero illo prioris lateris varians, ita se habet: media figura [A], fœminea, cidari seu tiarâ cui forma calathi est, perseæ fructu repletâ insignitur, superiori corporis parte nuda, mammis turgentibus, sed partem corporis inferiorem caligis tegit, pedes non disjungens, sedi quadratæ variegatæ insidens, manuque dextra [B] scuticam, sinistra sceptrum [C] Cucuphomorphum

*Lateris secundi, Schematismus initialis:*

G

*Ejus Hierogrammatismus primus.*

*Alter, ex illo Figura major;*

*Figuræ primam stipantes.* morphum præfert. Huic figuræ assistunt simulacra alia ad dextram & sinistram: quorum priori, cui forma mascula, nudo, nisi quòd verenda ejus subligaculum tegat, pedes [H] quasi cursum corripientis, caput in vitta est [E], cum tutulo pennigero [F], cujus medio circulus impositus; manu [∥] dextra statuam ypsilomorpham, sinistra Tauticum characterem, sive [G] ansatam crucem gerit. Alterum simulachrum [D], toto corpore nudum, capillis passis, turgentibusque uberibus fœminam mentitur, in capite [F] fert pennas bifurcatas duas, quibus circulus intermedius est; manu dextra cidarim sive [m] tiaram calathi figurâ exhibet imperanti mediæ figuræ; alteram manum contractam tenet. Per hunc itaque hierogrammatismum meridionalis pars mundi genialis indicatur, in quem supremum Triforme numen influens per præsides plagæ meridionalis omnia ibi disponit & moderatur. Media nempe illa figura sedentis unus ex Vsiarchis, hoc est principalibus Geniis, denotatur; cujus simulachrum nudum est, quod is ab omni terrena mixtione recedat; verenda tecta habet, quoniam occultas seminalium rationum miscellas, abdito quodam hominibus mysterio, rebus omnibus indit; sed Calatho perseoformi, quem pro tiarâ habet, abundantiam daturus princeps intelligitur; scuticâ [ qualis ut plurimum fiebat ex cauda bovis sacri, quam ad prohibendas inimicorum geniorum potestates maxime valere putabant ] dextram obarmans, ut Typhoniam vim, hoc est, adversa omnia profliget à rebus sibi commissis; & sceptro, quod sinistra tenet extensa, pro imperio suo, cucuphomorpho varietattem rerum producendarum promittens; igitur & quadratæ sedi variegatæ insidet, ad dominium & potestatem, quam in omnia plagæ sibi subjectæ habet, indicandam.

*Significatio horum hierogrammatum: maximi primò.*

*Scutica, symbolum tutelaris Numinis.*

*Hierogrammata minora.* Reliquæ duæ figuræ stantes (quod indicat subjectionem) significant asseclas Genios, ex inferiori ordine, quos Ægyptii, Psello teste, Zoneos vocant; habitus verò masculinus vel fœmineus principium generationis est, activum aut passivum; tutulis in capitibus illorum cum pennis, indicant promptitudinem & celeritatem voluntatis ad principis Vsiarchi mandatis obsecundandum, quam & pedibus discretis & veluti ad currendum incitatis ostendunt. *de minoribus primæ figuræ significatio.* Horum prior in dextra manu statuam fert quæ formam habet literæ V, *Statua quæ Ypsilon refert.* nimirum quod illa lucidam significet pyramidem, sive lucis semitam, qua inferiora à superioribus illuminantur & influxus divinos participant; indicabatur enim quo honore coli genius hic debeat: *Sensus ulterior horum symbolorum.* nam quamvis hujusmodi simulachrum referret mundum genialem, simul tamen sacerdotibus modum exhibebat deorum rite colendorum, sacrificiorumque juxta mysticas & legitimas ceremonias instituendorum; & eodem prorsus ritu, cerimoniis, habitu, situ, quem Genii, plagæ alicujus mundanæ præsides, referebant, sacerdotes se componentes sacrificia classibus eorum offerebant. *Litera Tautica in Obeliscis frequentissima.* Character verò Tauticus, sive crux ansata, nulli non simulachro familiaris, quam scilicet hæc statua masculina Principi genio offert, uti ex omnibus mundi genitalibus corporibus sive elementis compositus est, ita amuletum contra diversas potestates efficacissimum credebatur; significat verò processum animæ mundi per omnia loca, & partes ac membra penetrantem, numinis supremi scilicet in Mundum elementarem per Genios influentis. *Postrema figurarum secundarum quid exprimat.* Altera figura fœminea dextra calathum præbet, alteram contractam tenens: calatho abundantiæ præsidium, influxus scilicet divini in res inferiores; per manus contractionem, efficacia in operando indicatur. Eadem itaque hierogrammatismus ille symbola habet, quæ latere præcedenti, hoc loco fuerunt, nisi quod instrumentis aliis, ac tutulis differant.

*Latere Merid. Schematismi G Hierogrammatismus tertius.* Tertius hierogrammatismus Accipiter est Tutulatus, unà cum globo serpentifero, quod hieroglyphicum, ut latere priori vidimus, significat Triforme numen in mundum Sydereum illapsum, & in Sole, quod vult accipiter, potissimum se manifestans, ut Mercurius in Asclepio, citante Oedipo in hoc Obelisco, docet.

*Quartusque.* Quartus hierogrammatismus primò bovem habet, sub illo decussem, tum brachium extensum, capreolumque, qui est vitium crinis & veluti cincinnus tenen-

tenens; post hoc verò figura Agathodæmonis, quam denique sequitur species humana, nixa podice ad calcaneum submisso, humeros vestita, & in capite urnam habens; totus situs quasi accepturi aliquid, literam V sive ypsilon refert.

*Bovis significatio,*

Per bovem Agriculturæ deum Osirim sive Apim intelligebant; decussis ostendit ascensum, descensumque animæ Mundi sive Triformis numinis, in Sole operantis, nempe sicuti illud in Osirin influit, ita hic in omnium humano generi necessariarum rerum inventionem ac suppeditationem; quam & manus extensa cum capreolo docet.

*& manus extensæ,*

*Abenephius citante Kirchero.*

Pulchre illa Abenephius comprehendit hoc dicto: *per Bovis signum indicabant servitutem terræ, per manum verò extensam beneficentiam Geniorum.* Capreolus verò seu clavicula vitis aut cucurbitæ, coliculus est contortus, variè obliquis lineis, unde ἕλιξ dicitur, quo locum serpendo capiunt; ideoque pulchre indicat vegetabilis naturæ appetitum, quo in superiora, à quibus vitam obtinent, feruntur; deinde & vitis inventionem continet, quam Osiri acceptam referebant, unde in sacrificiis frondes vitigineas in manibus gerebant.

*Annulus vitis quid significet.*

*Alpha hieroglyphicum.*

Alpha litera bonum genium sive agathodæmonem significat, literis, ex quibus compositum vocabulum est, initialibus id insinuantibus, quasi ἀγαθὸς Δαίμων: idolum demum anguste se continentis figuræ in V formatæ, situ suo receptivo Isin seu terram notat, cum qua Osiris Agathodæmon congrediens, Eusebio & Plutarcho teste, rerum in Ægypto varietatem producit; hoc nempe urna in capite vult, abundantiam scilicet, quæ ex hac commixtione oritur, demonstrare.

*Statua Ypsiloformis.*

*Duplex hor. symbolorum intellectus.*

Dupliciter tamen hæc intelligi queunt, vel ut per bovem Sol, Luna per Isin, vel ut bove Terra, Iside aqua sive Nilus intelligatur, quod utrumque Plutarchus asserit ab Ægyptiis esse receptum. Aqua nimirum & terra congredientibus, suppeditatio rerum necessariarum resultat, quam Authores tantopere prædicant, & *dextrâ manu digitos extensos habente significatur*, sicuti *sini strâ contractâ conservatio & custodia facultatum*, teste Diodoro apud Causinum.

*Diodorus apud Causinum.*

*Ægypti pulchræ prædicationes.*

quin ipsa Ægypti tellus brachio designatur, & antiquis etiam brachium Osiris dicta, nempe quod ex Austro in Boream rectà protendatur, habeatque Nilum loco venæ cardiacæ, & mari propinqua quasi in digitos divisa exeat, ut est apud Abenragel in descriptione Nili. Ob hujus fluvii caput * austrinam quoque regionem effluxum Osiridis dixerunt, ut Plutarchus refert; & quum beneficum hunc effluxum tyrannis Typhonia hoc est cæli vis exiccativa impedire veniat, ideo tutelares Ægypti Genios adversis potestatibus oppositos, & plagæ hujus meridionalis præsides ad vim Typhoniam perfringendam advocabant, ne prævalerent ἀγαθοδαιμόνων ἀντίτεχνοι. Sequitur ergo lateris hujus schematismi primi, quatuor nimirum hierogrammatismorum, compendiosa idearum lectio *:

** Cum ipso & tota Ægyptus protenditur ab Austro in Boream.*

*Quare tutelam geniorum expetat Ægyptus.*

**Numeri ac literæ inter symbola nihil nisi indices figurarum sunt.*

*Hierogrammatismorum primus,*

[1] *Triformi Numini Hemphta, Menti primæ motrici omnium,* [3] *Menti secundæ Opifici,* [2] *Spiritui pantamorpho, Triuni Numini, æterno, principii & finis experti; Deorum Secundorum Origini; quod ex Monade veluti apice quodam in Mundanæ*

*Alter,*

*pyramidis amplitudinem diffusum, bonitatem suam primò communicat Mundo intellectuali Geniorum, qui sub Duce* [A] *Chori Austrini* [B] *Tutelari, per* [ED] *Asseclas Genios* [HH] *celeres, efficaces, promptos, substantias simplices & materiæ expertes, virtutem participatam potestatemque* [KI] *inferiori Mundo communicant. Exemplar Sacerdotibus propositum, ut ad eos propitiandos in Sacrificiis analogo ritu operentur. Ab his virtus à supremo Numine communicata*

*Tertius.*

*in syderium Mundum derivatur, ubi* [1] *Osiris potens solis sensibile Numen, omnia virtute* [3] *sua, fœcundat,* [3] *essentiam vitam & motum largitur, rebus vera sensibilis Mundi anima, Dux & moderator,* [4] *agitatorque cœlorum,* [4] *ope Assectarum sensibilis mundi Geniorum,* [2] *Mundum sensibilem triformis Numinis charactere insignitum* [3] *vivificat,* [3] *fœcundat, locupletat.*

*Quartus.*

*Hic* [a] *Apis sive Serapis fœcundus Ægypti Genius est, qui virtutem à superis acceptam* [b] *quadripartito influxu in omnia Austro subjecta* [d] *beneficus, per* [f] *Genium Nili Nephthen distribuit, Ægypti* [e] *Agathodæmonem; undè omnium rerum humano generi necessariarum ubertas & abundantia emanet, per quæ tandem humana felicitas completur.*

*Lateris tertii primus schematismus.*

Tertius schematismus, sive latere Occidentali primus, primo hierogrammatismo

*Hierogrammatismorum primus; Secundusque.* matismo globum refert alatum, qui nihil aliud quam, quod ante prædicatum est, numinis scilicet Trinunius naturam refert. Secundus hierogrammatismus denotat mundum Genialem, in quem primò influxum suum exerit numen; *Figura Genii medii,* ubi princeps hujus chori, ut in præcedenti schematismo paruit, sedi quadratæ insidens, scutica pariter instructus, manu dextra veluti præcipiens quidpiam, summam, quâ suos in ministros valet, authoritatem & dominium exprimit. Scuticà verò contra sinistras potestates tutelam innuit. Cætera cum in præcedentibus sint explicata, non attinet hoc loco repetere. *Genii reliqui.* Asseclæ genii nuditate sua, & situ, gestu, ansatisque crucibus, quid significent, jam sæpe dictum est: tutulis pennigeris potestatem ac supremi Numinis participationem indicant; *& quibus aucti sint.* ansatas verò cruces suas deorsum mittunt, ut indicent appetitum influendi in inferiora fidei suæ commissa; pennas in manibus tenent, easque quasi principi Genio exhibent, ad celeritatem & promptitudinem nutibus ejus debitam ostendendam, quod & pedibus ad properandum directis indicant: horum alter ἰβικέφαλος, alter λεοντοκέφαλος est; ille qui à sinistris, ibiceps, è Lunaris, alter Leoniceps è solaris classis ordine se esse ostendit. De hac transformatione Eusebius: *Eusebius lib. I.* Hos igitur deos Terram ajunt lustrare universam, hominibusque modò sacrorum animantium figura, modo hominum vultu, modo alia quapiam specie tectos se præbere interdum videndos, cum illi sint à quibus omnia reapse procreentur; adeoque poëtam cum in Ægyptum appulisset, ac sermones ejusmodi cum eo sacerdotes communicassent, quasi rem fieri solitam, quodam suo poëseos loco, ita celebrasse:

*Quin etiam interdum peregrino Numina vultu*
*Mille novis lustrare solent nostra oppida formis,*
*Fasque, nefasque simul propiori lumine cernunt.*

*Tertius, Quartusque hierogrammatismus.* Tertius Hierogrammatismus, accipiter videlicet tutulatus, cum globo serpentifero, quid sibi velit in præcedentibus abunde notatum est. Quarto igitur occurrit prima figura κυκλολογικὴ catenæ, [d] quæ occultè continet trium Mundorum, quos circuli significant, hactenus descriptorum concatenationem: *Catenæ symbolum.* ita Abenephius: *Catena figura connexionis est mundi superioris cum inferiori.* Sequitur Anubis, [a] sub figura canis, *Figura canis.* qui Osiridis custodiam, teste Plutarcho & Diodoro, atque unum ex quatuor præcipuis Ægypti tutelaribus indicat, cui in cœlo respondet Sirius seu canicula, Sothis apud Ægyptios dicta, Græcis ἀστροκύων, in humidam naturam influens, de quo Plutarchus: *Plutarchus de Osiride & Iside.* *Ex syderibus Sirium Isidi adscribunt, quod aquam ducat.* Inde nimirum cani subjectum est vas Niloticum, *Vas Niloticum,* sive hydria, quæ præsidium incrementi Nili indicat: collum ejusce strictissimum est, labrum verò latum, venterque immodice turgidus, quanquam figura varia inter hieroglyphica occurrat. Canem quoque ad Isidem referri, *Simulachrum Isidis, c.* simulachrum vult Isidis, cui mammæ turgent altera manu capreolum viteum tenenti, altera vas similiter Niloticum [c]; quæ pulchre continent præsidium tutelare in humidum naturæ elementum, sive Nilum, quo terra, quam Isis referebat, per anni decursum irrigata in vegetabilium procreationem animatur, hanc enim annulus vitis indicat. Hinc Horus: *Horus lib. I. cap. 3.* *Annum indicaturi, Isin, hoc est, mulierem pingunt, quo etiam signo Deam significant. Est autem apud eos Isis sidus, quod Ægyptiace Sothis, Græcè Astrocyon dicitur,* quod optime hujus loci hieroglyphico respondet; ut proinde non incongrue canem posuerint supra Isidem, hoc enim, teste Plutarcho, aqua maxime ducitur, quæ ab Iside attracta generationis rerum omnium terrestrium caussa est. *Simulachri Isidis forma decussata quare.* Statua verò ita conformata est, ut ipsa conformatione membrorum exprimat rationem influxus à superioribus potentiis, quà acceptam, quà communicatam inferioribus. Pedes hæc ipsa indiscretos habet, quo terreni Numinis designaret immobilitatem & principii passivi in conceptibus rite formandis conditionem. Hinc etiam emanans rerum, Numinis hujus beneficentiâ & liberalitate in terram Ægypti collatarum, *Brachium cum capreolo.* abundantia per brachium extensum cum viticulo aptè notatur. Explicationem habes, nunc de omnibus his



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

N ſymbolis idealis dedicantium conceptus lectionem vide :

*Hierogrammatiſmus 1. Mundus Archetypus.*

[1] *Triformi Numini Hemphta ;* [1] *Menti primæ Motrici omnium ;* [3] *Menti ſecundæ opifici;* [2] *Spiritui pantamorpho Triuni Numini,* [1] *æterno ,* [3] *incorruptibili* [1] *principii & finis experti. Secundorum Deorum origini ; quod ex Monade ſua veluti centro*

*Hierogr. 2. Mundus Intellectualis.*

*quodam in Mundanæ pyramidis amplitudinem diffuſum , bonitatem ſuam communicat intellectuali Mundo Geniorum, qui ſunt Occidentalis Mundi* [EF] *præſides , & ſupremi Numinis miniſtri ſub Duce* [A] *ſupremo* [B] *Tutelari , cuius imperio* [K] *obediunt ; hic* [A] *Archetypæ poteſtatis charactere inſignitus , virtutem* [A] *participatam ,* [EF] *Aſſeclis Lunæ-Solaribus Geniis communicat ; qui* [L] *influxum , acceptum* [I] *celeres derivant in inferioris Mundi* [CD] *Occidenti ſubjectam œconomiam , vario ſuo habitu , ſymbolis , geſtu , in ſacrificiis auſpicandis , ad adverſas poteſtates diſpellendas , & bonos genios propitiandos , quid fieri debeat, erudiunt.*

*Hierogr. 3. Mundus ſydereus.*

*Ab his virtus in Mundum Sidereum derivatur , ubi* [1] *Oſiris Senſibllis Mundi Solare Numen , cum Aſſeclis* [4] *planetis* [2] *omnia virtute ſua* [3] *fœcundat ; eſſentiam , Vitam & motum largitur rebus , vera ſenſibilis Mundi Anima , Dux & Moderator ,* [4] *agitatorque cœlorum , Mundum Senſibilem triformis Numinis charactere inſignitum* [3] *vivificat ,* [3] *fæcundat , locupletat ; & hic virtutem participatam in Mundum Elementarem*

*Hierogr. 4. Mundus Elementar.*

*derivat , & in eo , quæ Occidenti ſubſunt , propagat ; in hac Elementaris Mundi parte* [a] *Anubis &* [c] *Iſis* [d] *concatenatum influxum cælitus excipientes, reliquis ſuæ curæ & tutelæ commiſſis rebus imprimunt ; undè* Nili [bc] *fœcunditas* [f] *& beneficentia* [g] *& liberalitas Numinum , & conſequenter rerum omnium Ægypto neceſſariarum ubertas , humanæ felicitatis complementum, emanat.*

T

*Schematiſmus continens triformis Num. influentias in Plagam Boream.*

*Quare princeps hierogrammatiſmus in omnibus lateribus ſit inſcriptus.*

Poſtremi lateris principem ad ſchematiſmum accedimus , qui ſimiliter ac cæteri quaternis dividitur ſchematiſmis. Primus , ὀφι-κυκλο-πτερόμορφος ſive globus alatus cum ſerpente , idem quod antea ſemper ſignificat , triformem nempe divinitatem , principium rerum omnium , Mundum ſupramundanum , archetypum, qui mundos omnes & omnia mundorum Verbo virtutis ſuæ fert & ſuſtentat. Hoc ſymbolum omnibus in partibus Obeliſci poſitum eſt ideo, ut omnipræſentem Numinis ſupremi influxum innuerent. Secundus hierogrammatiſmus Mundum Genialem, proximum ab Archetypo , vel primum rerum creatarum, ſignificat , in quem trinuna deitas immediate influit. Prima itaq; hujus ſecundi Hierogrammatiſmi figura omnia communia habet cum reliquis trium receſitorum ſecundi ordinis Hierogrammatiſmorum , præter tutulum , quem, cum valde myſterioſus ſit, ideo paulò fuſiùs enodavimus. Conſtituitur is ex flamma bifurcata juxta caput , cum circulo in medio, ex quo duo emergunt tumidis cervicibus aſpides, & folia perſeæ ; in circuli denique medio figura Scarabei eſt. His itaque dico principalem Boreæ plagæ Genium denotari, à triformi Numine multis privilegiis & qualitatibus imbutum , quas diverſitas ſymbolorum in tutulo eluceſcentium appoſitè indicat : & per flammas quidem, ignea notatur vis in eo emergens, ſive ſumma intellectualis virtutis ſublimitas, ſubtilitaſque omnia penetrans, ideoque in capite ponitur; per ſerpentes & fœcunditas , & in formarum productione vivacitas ; perſeæ folium ſapientia eſt , in aſſidua perpetuaque rerum fidei ſuæ commiſſarum diſpoſitione elucens. Scarabeus denique in centro circuli , diffuſionem ejus in univerſum Mundum notat , quem per Scarabei ſymbolum indicabant. Aſſeclæ Genii , nihil diverſum à præcedentis Schematiſmi ſymbolis habent , præter Ibiformem à dextris Genium aſſiſtentem , manu globum ſerpente circundatum offerentem; quo arcanè inſinuare voluerunt , Lunaris naturæ Genium , ſive humidi elementi præſidem , qui aptè per Ibidis caput indicatur , dùm globum ſerpentiferum principi Genio offert ; quia tametſi humidum ad omnem generationem requiratur, niſi tamen igneus accedat ſpiritus , ſive calor fœcundativus , quem ut in primò Schematiſmo oſtendimus , globus ſerpentifer refert , nullum rerum naturalium effectum nos conſequi poſſe , indicatur , cum omnis generatio in calido & humido conſiſtat ; precari itaque videtur Genium principem , ut humido elemento vim ſuam caloris & fœcunditatis , vivacitatiſque vigorem per influxum communicet. Alter autem Genius ſtatuam

T

*Ornamentum capitis genii hoc latere maximi explicatum.*

*Flammæ quid ſignificent in capite.*

*Scarabeus in circulo.*

*Geniorum minorum prior,*

*Cum ſymbolis ſuis;*

*Poſterior.*

ſtatuam porrigit, ut ſpiritu infuſo vim acquirat, id efficiendi, quod intenditur. Eſt autem hic geniorum hierogrammatiſmus ſemper exemplar ſacrificiorum à ſacerdotibus inſtituendorum, qui ad bona à Geniis impetranda ſimilibus ritibus, geſtibus, ac ſymbolis utebantur.

Tertius Hierogrammatiſmus idem eſt qui in omni facie Obel. hunc locum poſſidet, accipiter nempe cum globo ſerpente clauſo; quibus ſignificatur anima Syderei mundi, vel divinarum perfectionum in ſolari lumine ſive Oſiride diſperſio, Numen ſcilicet ſolare & ejuſdem vis penetrativa ac fœcundativa.

*Catenæ ſymbolum,*

Quarto igitur hierogrammatiſmo primò κυκλολογικὸν catenæ habetur, trium Mundorum concatenatorum per tres circulos indicatorum ſymbolum, unde & Ægyptiacè connexio dicitur. Eſt enim concatenatus quidam influxus Triformis Numinis in mundum intellectualem Geniorum, & hinc in Syderium, & denique ex hoc in Elementarem, qui hic proponitur, cujusque influxus figura catenæ ſymbolum eſt. Hermes in Aſclepio * catenam illam ex tribus his veluti annulis nectit, fati, neceſſitatis, & ordinis, quibus nimirum & rerum principia pariantur, & cogatur effectus ab illis primordiis dependens, quæ ſequatur ordo, id eſt contextus & diſtinctio temporis rerum perficiendarum.

*Hermetis triplex annulus.*

** vide fol. 140 ed. Baſil.*

*Crater ſacer.*

Catenæ è regione reſpondet figura crateris ſacri, quem in libaminibus ſacrificiorum abhibere ſolebant: Deo Mophta enim ſive Genio Nili ſacrificaturi figuram hanc manibus tenebant, veluti craterem quendam, cum liquore diis dicato. Cratere autem ſenſu anagogico mentem divinam, * in quam anima demerſa divinorum contemplationem, & intelligentiam Dei nacta, ipſi ὁμοιόμορφος efficitur, notarunt; phyſico deinde intellectu, influxus mentis ſupernæ in humidum mundi Genialis, tum poſteà, hoc mediante, Syderei, & Elementaris, indicatur; quod vult ſubjecta urna, ſive urceus Niloticus capiti Ibidis innixus, quem, Herodoto & Plutarcho teſtibus, adhibebant in ſacris, certiſque diebus feſtis præ foribus ponebant, in beneficiorum, quæ per Sothin, ſive Mercurium, & Oſiridem ſeu Nilum acceperant, memoriam.

** Hinc Græci quoque craterem Iovi affinxerunt, in quo omnia commixta eſſent.*

*Vrna Oſiridi ſacrata.*

*Plutarchus libro de Oſir. & Iſid.*

Huic urnæ itaque paulo poſt reſpondet caput ibidis, & è regione uncus ſive harpago ſacer, quo tutelam indicabant Genii Nilotici ſive Mercurii. Ibis enim, aut membra ejus, proprium Mercurialium rerum ſymbolum eſt, quippe quæ unus ex quatuor Ægypti geniis erat, in humida tutelam ſuam exercens. Vncus verò, Ægyptiis Gamat dictus, indicat extractionem Hori aqua ſubmerſi, & per Ibin indicati. Tropologice autem Horus, ſenſibilis Mundi typus, ſub aqua merſus rerum in mundana machina contentarum oblivio & ignorantia eſt, à qua mortales liberet Mercurius, qui nimirum abſcondita eruens, atque in conſpectum hominum educens, quæcunque humano generi ſcitu neceſſaria erant, ſub forma ibidis eos docebat.

*Ibis aut partes ejus.*

*Harpago.*

*Hori immortui aquis ſignificatio tropologica.*

Hoc nempe & ſequens hieroglyphicum, trium quadrangulorum majorum & totidem minorum, monſtrat. Per quadrangula enim majora quaternam in zodiaco triplicitatem, quâ tria anni Ægyptiaci tempora, Horæ appellata, conſtituuntur, denotant, quæ Sol pertranſiens diſtinguit; per minora verò, numeros partium, in quas ſinguli dies ac noctes dividebantur, nempe matutinæ, meridianæ, ac veſpertinæ nocturnæve. Hac diſtributione Mercurius omnium in elementari mundo rerum generationem ac productionem denotabat: Horus enim, filius Oſiridis & Iſidis, id eſt Mundus ſenſibilis, per Solem & Lunam perficitur. Hinc Hori capiti ſubditus ſerpens ceraſtes, bina cornua habens, humido-calidum animal, vitam ſignificat animantium.

*Sex quadrangula quid contineant.*

Totius ſchematiſmi adhuc explicati lectio idealis hæc eſt:

*[1] Triformi Numini Hemphta; [1] Menti primæ Motrici omnium; [3] Menti ſecundæ opifici; [2] Spiritui pantamorpho, Numini trinuni, æterno &c. Quod ex Monade ſua veluti ex centro & apice quodam in*

*Mundanæ pyramidis amplitudinem diffuſum primò bonitatem ſuam communicat I I. Mundo intellectuali Geniorum [C D] Boreæ præſidum, ſub Duce [A] Pantamorpho [B] archetypi Solis imagine inſignito, qui [F] ignea quadam & penetrativa [G] vi imbuti, & contra aduſtivam Typhoniam vim muniti [E] influxum derivant in inferiorem [H I] Mundum; exemplar Sacerdotibus propoſitum ad operationes in ſacrificiis*

*Hierogrammatiſmi borei lat. cum 4 Mundorum antè explicator. ſymbolis.*

T

*Hierogrammatiſmorum Tertius.*

*ficiis analogo ritu expediendas propoſitum.*

*Ab his virtus in Sidereum* III. *Mundum derivatur, ubi* [1] *Oſiris ſenſibilis Mundi Anima* [2] *Mundum virtute ſua* [3] *animat, omnibus eſſentiam, vitam, motum tribuendo, qui* [4] *Cœlos aſſeclarum ope agitans, omnia inferiora motu, lumine, calore fœcundat, vivificat, locupletat. Hic virtutem participatam in Mundum*

*Quartuſque.*

*Elementarem, potiſſimum in Borealem Mundi partem & craterem* [a] *derivat; Cui* [d] *Mercurius &* [g] *Horus præſunt, qui humorem* [c] *beneficum ex cratere* [a] *contra aduſtivam* [e] *Typhonis violentiam temperant; &* [b] *concatenato quodam influxu per* [f] *anni duodecim menſium* [f] *dierumque curricula, omnibus inferioribus* [h] *vitam largiuntur.*

** de lineis in fine hor. ſchematiſmorum, vide ſuprà later. 1. ſchem. 1.*

Hactenus laterum omnium ſchematiſmi primi explicati ſunt, * de quorum contentis præter allegatos paſſim authores videri & Porphyrius poteſt, in libro de ſacrificiis & abſtinentia animalium. Vidiſti, Lector, primis his ſchematiſmis, tanquam in epigraphe, univerſalia capita doctrinæ, quæ toto deinde Obeliſco tractatur: primo Trinitatem in Vnitate; deinde Trinitatem in Multitudine: illam nempe in ſe fœcundam ſui, vel multitudinis immanentis; vel extrà ſe multitudinis creatricem ac conſervatricem: ex hac primo conſyderatæ ſunt poteſtates ſpirituales ſive angelicæ, qui ſunt veluti ſecundus quidam ſplendor, & primæ illius lucis miniſtri; deinde viſibilis corporeuſque mundus univerſus, ex ſphæris ſyderum & corporibus genitalibus conſtans, Angelorum adminiſtrationi commiſſus. Creata igitur multitudo triplex eſt, Hylæi, Syderei & Genialis mundi: in quibus iterum & Trias elucet & Vnitas, ut ſuprà fuſius explicatum eſt. In reliquis verò lateribus hujus Obeliſci, veluti particularia doctrinæ, cujus capita ſumma caput Obeliſci continet, traduntur: quis ſcilicet in rebus humanis, quis in natura, quiſve in animo hominis uſus ejus ſit, & quomodo ex ſummi Numinis & deorum ſecundorum, uti loquuntur, ſeu geniorum influxu bonis omnibus repleantur, qui ſe recipiendis præparaverint.

*Ἀνακεφαλαίωσις ſymbolorum hactenus explicatorum:*

*Trinitas in ſeſe, vel ratione externorum ſpectata:*

*Trinitatis ſymbolum in multitudine creata.*

*Quid reliquis Obeliſci ſchematiſmis contineatur.*

*Sequentium locorum rectè intelligendorum ratio.*

Sed antequam ad ulteriora progreditur Oedipus, præmittit primò quomodo Deus, cum immaterialis ſit, rebus tamen materialibus ſe immiſceat: quare item Ægyptii ſingulis mundi cardinibus, locis & penetralibus deos præfecerint: nec non cur ſtatuas deorum ex omni materia ſenſibili confecerint; & quam ob rem animalia habitacula deorum appellârint: denique cur quaſdam materias tanquam diis contrarias reſpuerint. Ad primum, ait, quod attinet, Deus cauſa cauſarum cum ſit & nulli diſtans rei, utpote ſine cujus perpetuo influxu omnia in nihilum abirent; omnibus itaque & ſingulis rebus intimè præſens ut ſit, neceſſe eſt. Hanc doctrinam orthodoxam Ægyptii à Mercurio traditam, tametſi aliquo modo tenerent, fidei tamen ſuperno deſtituti lumine, unitatem hanc in omnibus rebus latentem diſperſerunt in rerum materialium multitudinem; quo factum eſt, ut ſingulis rebus proprios Genios, tanquam ſuperni Numinis particulas quaſdam aſſignantes, eos loco verorum Numinum haberent; hinc omnem materiam deorum ſuſceptioni aptam credebant, quemadmodum ſubtiliter, more ſuo, Iamblichus oſtendit. Id tamen egerunt, ſacerdotes, ut ſolas congruas diis materias ſeligerent in ſacrificiorum uſum; incongruis, utpote poteſtatum ἀντιτέχνων ſive adverſarum, ſymbolis repudiatis; hinc tanto ſtudio & cura, ſingulis diis ſingulas ſtatuas adornabant, ex iis materiis concinnatas quas ἀναλογίαν quandam ad dictorum deorum proprietates obtinere, quaſque præſidio eorumdem ſubjacere ſuperſtitioſius credebant. Ita ſimulachrum Serapidis mundi mentis ex omnibus mundi ſenſibilibus materiis conficiebant, herbis, radicibus, ſeminibus, nullo non lapidum terrarumque genere. Seligebant tamen materias, quæ in locis Ægypti creſcebant; plagam prætereà mundanam exactè obſervantes, ne res unius plagæ proprias, cum alterius rebus, tanquam ad Genium proprium non pertinentes, confunderent. Inde & ſacra nonnulla animalia divinis honoribus colebant, quod ſub eiſdem ceu habitaculis Numina docerent mortale genus, aut de futuris rerum eventibus præſagia præberent; quorum obſervatione & cultu, Deorum familiaritatem ſibi ſe conciliare poſſe arbitrabantur; non nulla mactata

*Deum propè eſſe rebus omnibus.*

*Idololatriæ origo.*

*Materia ſtatuarum.*

*Iamblichus. fol. 208. edit. Baſil.*

*Animalibus quare cultum exhibuerint.*

B

*Combuſtione animalium quid intenderint.*

ctata comburebant, immaterialia Numina ſub hoc cultu per reſolutionem in IV elementa factam honorantes, unicuique dantes quod Dei eſt proprium. Hæc omnia quàm perſpicuè docet allegatus antè Iamblichus. * Solos igitur Ægyptios hujusmodi idolorum fabricandorum rationes tenuiſſe, Diodorus annuit: *Genus artis Græcis ignotum, ſed apud Ægyptios erat uſu cognitum. Nam ſoli Ægyptii non oculis totius ſtatuæ compoſitionem metiebantur, ſed dimenſione, ut ex variis multiſque lapidibus in unum corpus ad certam menſuram redactis ſtatua perficeretur, &c.* Videntes itaque Ægyptii divinitatis ſignaculo omnia inſignita, juxta ſignationem & characteriſmos ſigulis rebus impreſſos, ſecretiorem ſuam adornabant philoſophiam, quæ propterea nihil aliud eſt quàm analogia quædam recondita, rerum ſenſibilium, ad inſenſibililum Deorum virtutes, quibus dùm arcana quadam commiſtione in ſacris utebantur, neceſſariò naſci putabant, veluti ex rebus diis perquam acceptis, Θεομόρφωσιν, & hinc attractionem Numinis & unitionem, quæ ſumma totius felicitatis eſt; & hoc nimirum omne id eſt, quod reliqui ſchematiſmi hujus Obeliſci docent.

** Fol. 308 edit. Baſil.*

*Diodorus lib. 2. cap. 3.*

*Arcanior Ægyptiorum philoſophia unde ſit.*

*Lat. 1. ſchematiſmus ſecundus.*

B

Eurini igitur lateris ſchematiſmo ſecundo [1] ſtatua ſequitur apoteleſmatica, in cujus capite [2] coxendix leonis poſita; deinde [3] Cynocephalus ſtans, manibus ad ſtatuam quaſi apprehendendam extenſis; his ſupponuntur duo [4,5] leonina capita, ſacro [a] velamine veſtita; ſupra poſteriorem verò eſt [6] clava cum loti flore, cui imminet pyramidium; poſt hæc [7] brachium manu [8] capreolum ſtringens, tum ſegmentum circulare [8], & [10] quadratum, inter quæ figura [9] canalis media eſt, in formam ſerpentis conſtructa, quam μωνία Ægyptii vocant. Poſt quæ duo ſequuntur [11] [12] brachia: alterum manu [11] expanſâ; alterum [12] autem capreolum [r] ſtringens. Per [1] ſtatuam apoteleſmaticam intelligunt deaſtrum Mophta, cujus virtutem cœlitus attrehere intendunt, quod & figura ipſa Ypſilomorpha, ſive lucidæ pyramidis, vult. Mophta autem coxendix ſive petaſo leonis, capiti impoſitus, appoſite exprimit: referebant nimirum per partes leonis diverſas operationes ſolis; hinc enim Horus: *Robur [ſolis in terram] notantes Leonis membra anteriora pingunt, quod hæc ei ex toto corpore robuſtiſſima ſint*; & Herodotus: *Poſteriora Leonis, uti & omnium animalium opera deorum indicant*, effectum ſcilicet ſolidationis ſolaris: hinc ob eandem cauſam pulchrè illi ſuppoſuerunt duo capita leonina; quorum alterum clavam ſuprapoſitam habet, cum loti flore & pyramidio, ſibique vult, Mophta cœleſtem robur dare vegetabili naturæ per influxum addictum; alterum terreſtrem Mophta denotat, nimirum eundem cum Plutone, ſive Nilum ſubterraneum. Velamine hæc ſacro indicant, quo veſtitu in ſacrificiis ſacerdotes uti debeant ad eum propitiandum: paritque hujus numinis attracti beneficentia abundantiam rerum vegetabilium, quam brachium manuſque cum capreolo ſive viticulo ſignificat. Poſt ſtatuam apoteleſmaticam Cynocephalus, qui ſtat ac manus in cœlum tollit, Horo teſte, * Lunam orientem indicat. Sed & hoc volunt hieromantæ, ut Statua illa conficiatur ac ſacro ritu conſecretur quando Sol ſeu Mophta in poſteriori parte Leonis cœleſtis ſit, & ſub ortum Lunæ, quo rerum abundantia benefici Numinis influxu procuretur. Inter ſegmentum verò circulare [notam Horizontis ſuperioris,] & quadratum [notam anni, vel elementaris mundi] poſita figura canalis capite referens pyramides obverſas, indicium eſt humoris Nili influxu cœleſti per Mophta in ſubterraneas partes veluti in canales quosdam Leone dominante derivandi, quibus augmentum fluminis, cauſa vitæ rerum, efficitur. Exundationis hujus vi annus per quadratum, teſte Horo libro 1, cap. v, notatus ubertatem acquirit, quæ eſt Ægypti beatitudo, dante nimirum Numine benevolo, cujus largitas & varietas ſequentibus binis brachiis [11], [12], ſicuti per ſceptrum binode utriuſque Numinis Momphtæi, cœleſtis & terreſtris, dominium ſignificatur.

*Symbolor. explicatio: Statuæ, in ypſilon formatæ,*

*Coxendix leonina.*

*Horus lib. 1, cap. 18.*

*Capita leonina.*

*Clava.*

*Brachium cum viticulo.*

*Cynocephalus.*

** lib. 1, cap. 15.*

*Secundarius ſymbolorum intellectus.*

*Figuræ Geometricæ.*

*Canalis.*

*Bina brachia, Sceptrum binode.*

Deinceps ſequitur figura [14] humana proſtrata, & ſub illa figura [15] parallelogramma in literam V utrimque terminans, cum tribus lineis in medio, porrò [u] [16] Ceraſtes, ſerpens cornutus, & ſub hoc triangulus [17] Scalenus cum tribus

*Sequentia Hierogrammata enarrata.*

B bus [a b c] quadratis, deinde hydroschema, seu [18] figura aquæ, quam sequitur sceptrum [19] bifurcatum, & post hoc sceptrum [21] ὀφθαλμόμορφον, sive formam oculi habens, deinde verò [23] receptaculum sacræ aquæ, tum [24] quadratum; deindè [25] manus extensa, cui subsunt [26] Cerastes, [27] & clava temoniformis cum brachio ac [28] coturnice, quam segmentum [29] circulare cum favissa, seu sacræ [29] aquæ receptaculo sequitur. Hæc singula excipiat explicatio sua. Figura humana refert Mophta seu Momphta (utrumque rectè dicitur,) cujus nomen situs membrorum exprimit; erat enim Ægyptiorum ille mos, statuas eo situ aut habitu referre, qui nomen Dei ab ipsis invocati exprimeret: ita nempe bina brachia cum intermedio spacio μ Copticum exprimunt, caput O, sed brachia cum ventre Φ, pedes verò crucem bifurcatam; quam figuram explicatiorem videas apud Authorem * nostrum hoc Obelisco. Putabant enim nihil ad trahenda Numina potentius esse, quàm hæc ingeniosa structura statuæ. Ritum quoque in figuræ hujus consecratione observandum eâ ipsâ suppeditabant: sacerdos nimirum in adytis in pavimento prostratus simili membrorum situ Numen tacite exprimebat, concepta verborum forma id ipsum invocans. Et Hebræos in sacris suis Nomen Dei ex quatuor literis, digitis certâ ratione dispositis expressisse, Prodromus & Oedipus Kircherii habent; Græcos quoque Patriarchas & Episcopos in benedictione solenni digitorum compositione nomen Christi X̄ indicare, notum est. De Cabalistarum & aliorum more simili vide Authorem nostrum, citatis locis. Explicato jam ritu, effectum inde emergentem videamus. Figura scilicet humana dextram extensam habet, quasi quidpiam designatura: designatio autem sequentis est symboli, quod teste authore Scalæ Magnæ Copticæ, sacram barram Ægyptii dicebant. Erat autem sacra barra instrumentum simile feretro, in quo sacerdotes sacras statuas positas legitimo ritu & mysteriosis operationibus consecrabant: habebat ea in medio tria discernicula, tribus anni partibus designata; cornua vero ⋗ & ⋖ ortum & occasum, juxta quas plagas arcanè disponebatur, indicabant. Hac itaque barra, triplicis influxus, quem trinum illud discrimen notat, per ternas scilicet anni partes, ab [q] ortu & [r] occasu beneficium exposcebant; Ex ea enim sequebatur vita [16] in calido (quam per cerasten [16] igneum serpentem) & generatio rerum per [17] triangulum geneticum scalenum, in triplici elementari mundo, (per [a b c] tria quadrata) & humidum (quod per [18] hydroschema seu figuram aquæ indicabant) profluebat. Sequitur baculus [19] furciformis, fulcimenti symbolum κυρολογικὸν, ac si digito monstrarent, quod per actionem supra indicatam vita rerumque omnium in triplici elementari mundo contentarum generatio in calido & humido consistens, verum anni per □ indicati fulcimentum, procuretur. Sceptrum verò sive baculus furciformis instrumentum sacrum erat, quo feretrum in pompis deorum circumlatum, sacramque barram, sicubi requiescendum esset, fulciebant; factum ex ligno diis quos in festo ferebant dicato, ac desinebat in formam V, quod superni influxus symbolum est; idcirco cum quatuor tales in processione essent, totidem feretri capulis correspondentes, occulte optatum Numinis influxum per mysticas hasce cæremonias procurandum innuebant; cujus & Pausanias mentionem facit, in Corinthiacis: *Praibant autem sacrificuli sacris instructi fuscinis.* Hanc excipit brachium [21], sceptrumque [22] cum oculo, tum figura favissæ [23] vel sacri receptaculi; quibus indicabant beneficentiam Osiridis sive oculi cœlestis. Osiridem enim indicaturi Ægyptii, teste Macrobio & Plutarcho, oculum & sceptrum pingebant, uno providentiam, altero potentiam intendentes. Sequens figura [23] Favissæ, seu sacræ cisternæ est, qua in adytis ad usum sacrum aqua Nilotica servabatur, per occultos meatus eo introducta. Hac enim annus [24] instans [25] beatur [26] vita & rerum abundantia [27], quarum æqualitatis & temperiei bilancis [30] jugum symbolon est. Infestus verò [28] dæmon à sacræ lymphæ [29] receptaculo T abigitur. [24] Annus nimirum, uti dictum est, per quadratum intelligitur; vita, in calido & humido consistens, per [26] cerasten B

*Interpretatio horum symbolorum:*

*Humana species.*

* *Kircherius Obelisco Pamphil. lib. 5. schemat. 2.*

*Ritus sacerdotalis in precationibus.*

*Hebræorum & Græcorum sacris operantium allusio ad nomen divinum.*

*Barra sacra.*

*Serpens.*

*Figuræ Geometricæ.*

*Hydroschema.*

*Quadrati significatio.*

*Fuscina sacra.*

*Pausanias.*

*Brachii significatio.*

*Sceptrique cum oculo,*

*Favissæque,*

*& reliquorum symbolorum.*

B sten bicornem ; per brachium [25] liberalitas;per clavam [27] lotiformem,cui arura hoc est ¼ agri , imposita est , soliditas rerum Orienti per Lotum indicato subjectarum , uti & abundantia [27] agrorum. [T] Brachio demum [28] cum Coturnice,cui favissa subditur,repulsus infesti [28] Genii à piscina sacra significatur. Exposita hactenus symbola lectione ideali jam repetas Lector :

*Lectio Conceptus idealis.*

*[1] Statua prophylactica mystica, Sole in [2] posteriore parte Leonis existente , [3] Luna oriente construenda est , & versus [1. 6.] Orientem constituenda; præterea ea [4] utrique [5] Mophta Cœlesti & [4] terrestri dicanda est sacro [a] ritu. Ex qua [7] beneficentia Numinis , abundantia rerum [8] generabilium [8] vegetabiliumque ; per [9] aquam verò in subterraneis partibus in Ægyptum exæstuantem , annus [10] instans, beatitudine & abundantia [r] benefici [12] Numinis [13] duplici dominio potentis repletur.*

*Præterea [14] Sacerdos in sacris , se in formam Mophta conformando , sacros [15] ritus in barra [15] sacra perficiet.*

*Ex his enim [16] vita , rerumque omnium in triplici elementari Mundo [abc] contentarum [17] generatio , in calido & [18] humido consistens , anni [20] instantis unicum [19] fulcimentum emanat : Hinc quoque [21] liberalitas Regis [22] Osiris, oculi cœlestis; per [23] affluxum sacræ lymphæ, seu Favissæ in [24] instantis anni [25] beatitudinem Numinis beneficientiâ causatam refunditur.*

*Atque demùm vita [26] rerum [27] Orienti subjectarum cum [30] æquali temperie conceditur; Vis [28] infesta [30] benefici Numinis tutela à Favissa seu sacræ lymphæ [29] affluxu arcetur cohibeturque.*

*Eurini lateris tertius schematismus.* C

Tertio lateris Orientalis schematismo prima figura labyrinthi est , tum duarum [2] cornicum , quas sequitur [3] Cerastes bicornis , deinde Ibis , cujus caput ambiunt [5] duodecim circelli ; juxta hanc [6] scarabæus inter [7] quadratum & [8] triangulum ; sequitur [9] caput pueri , cujus collum in tres Zonas dividitur , è regione cujus ponitur figura [10] portæ tribus eminentiis conspicua ; quibus supponitur [11] Cerastes bicornis ; & huic [12] noctua prostrata , cum extensæ manus figura ; post quæ sequuntur statuæ sivè idola , quorum [14] prius miro situ , [14] alterum [13] tutulo suo haud minimum mysterium exhibent ; subditur hisce [16] Cerastes bicornis ; huic binæ [18] stellæ cum [17] statua mystica , & capite pueri collo trizonio , altari [19] supposito ; post hæc [20] sceptrum tria parallelogramma secans , cui subditur [22] phallus oculatus , cum accipitre [21] è regione ; sequitur hunc figura græco Π similis , cui includitur [24] O ; deinde sex [25] [26] quadrangula cum tribus [27] harpagonibus in formam capitis hircini adaptatis ; post quæ [28] manus extensa , deindè figura [29] Sphæroides , post quam tria idola cruribus repandis , quæ manibus conjunguntur ; quorum singula [30] vas [31] [32] habent capiti impositum, diversæque figuræ singula vasa sunt ; pòst serpens [36] occurrit , sub quo quinque [37] quadrangula , cum [38] Sphæroide ; deindè [39] retinaculi mechanici figura , cum [40] brachio ὠοφόρῳ sivè ovum ferente. Habemus itaque nomenclaturam singulorum symbolorum , jam subjungamus universorum rationes mysticas.

C

*Labyrinthi significatio.* Labyrintho Ægyptii naturam rerum innuebant , quòd illa sit in abdita divini Numinis abysso sita, ideoque impervia & inveniri difficilis. Hinc nimirum Labyrinthum Hecatæo variis in locis teste , templo Genii Naturæ apponebant Memphitæ.

*Cornicumque.* Duæ cornices labyrinthum indicant marem & fœminam , hoc est , principium rerum activum & passivum , quibus Natura veluti instrumentis utitur ad pariendum: observârant enim, hanc avem non plura quam duo ova parere , ex quibus semper mas & fœmina prodeunt. Cum verò ex principio activo & passivo Natura generationem rerum perficiat , generatio autem in calido & humido consistat, ex quibus vita rerum & incrementum ortûs omnium contingit ; apte igitur cornicibus illis supposuerunt Cerasten [3] serpentem bicornem, vitæ in calido & humido consistentis symbolum.

*Cerastes quid sibi velit.* Generatio porro sine motu Solis & Lunæ sub zodiaco perfici nequit ; hæc enim sydera motu suo vario, dum seminales rationes Mundo inclusas movent , & ad formas suscipiendas disponunt , tandemque generationem rerum perficiunt ; atque hinc porta [10] magna vitæ rerum aperitur.

*Quid Ibidis caput cum circulis.* Quæ omnia pulchrè per [4] ibidem cujus [5] caput duodecim veluti circulorum circumflexu coronatum vides;& per Ibidem quidem Lunam indicarunt , per circulos illos parvos , totidem dodecamoria zodiaci,

quæ

C

quæ singulis mensibus permeat Luna, notantur; illi caput Isidis ambiunt, ut demonstrent ex mente Mercurii hanc mirabilem divisionem processisse. Sed quum Luna nihil valet sine Solis aspectu, hinc è regione ipsi apponunt [6] scarabeum, Solis symbolum, propter operum ejus ad opera Solis mirabilem analogiam. Sol enim duodecies per totius anni spatium cum Luna congrediens rerum omnium generationem perficit: necnon sicuti Luna duodecim signorum ambitum conficiens, mensem constituit, annum videlicet Lunarem; ita Sol duodecim signa permeando annum solarem constituit, quo elementaris virtutis per [7] quadratum indicatæ, ad generationem rerum omnium, per [8] triangulum geneticum indicatam, mirus concursus monstratur. Cum verò influxus Solis & Lunæ toti mundo, veluti portæ vitæ rerum, competat, hinc symbolis Solis & Lunæ apposuerunt caput [9] pueri; cujus collum tribus fasciis seu zonis cingitur, & è regione figuram [10] portæ constituerunt. Per caput equidem pueri Horum indicant, quem Plutarchus mundanam domum vocat, alii totum mundum sensibilem, in tres veluti zonas distinctum, Solarem, Lunarem & Elementarem; vel quo tres horæ, id est tres anni partes, ab Horo sic dictæ, nempe Ver, Æstas & Hyems, constituuntur. Portæ [10] figura κυκλολογικὴ portam magnam vitæ apertam indicat. Serpente [11] vitam significari, jam sæpe dictum est.

*Scarabei symbolum.* *Quadrati figura,* *Trianguli que.* *Hori caput.* *Horæ pro partibus anni.* *Ianua patens.* *Aspis.*

Sequuntur deinceps contra potestates quæ felicitati rerum generationis adversæ sint, amuleta, ex sacris symbolis, & omni materia geniis beneficis analoga: cujusmodi sunt simulachra [14, 15] hominum in genua se appronantium, manumque ad frontem elevantium quasi monituri sublime aliquid. Eorum primum Genii nomen refert situ suo: putabant enim homines illi, tractos hac transformatione delectari genios; adversos verò, quos per [12] noctuam cum brachio indicant, cohiberi, ac tanquam inimicis symbolis per Agathodæmonum ἀντιμαχίαν profligari. Alterâ figura, cui [15] tutulo insigni segmentum circuli supponitur, potestas in inferiora notatur. Supponitur statuis his serpens bicornis, ad vitam, quam conservat, indicandam. Præterea cum hujusmodi simulachra vim omnem & potestatem à Geniis Australibus hauriant, hinc [18] stellas supposuerunt serpenti, cum simulacro prophylactico, & capite Hori, quo indicatur, arte astrologica, ritibusque sacris destinatis, (quos [19] altaris forma Horo supposita aptè designat,) consecrari debere hujusmodi simulachra, ut vitalis influxus per astra, eorumque Genios præsides in illa derivetur; per stellam enim & deum & fatum, & stellam ipsam & genium ejus [secundum doctrinam suam] & divinationem, quam ejus ope de rerum futurarum notitia se haurire credebant, indicabant, multiplici significatione sub simplici figura intellecta. Horo suppositum [20] sceptrum, quo tria secantur quadrangula, notat ejusdem in tres elementares mundos dominium. Quoniam verò tempus annuum in hac mundana domo semina rerum disponit, disposita animat, animata innumerabili rerum partu producit, ex corruptis iterum nova semina suscipiens, ut perpetua successione elementares mundi in statu à triformi Numine ordinato conserventur: hinc illa omnia per vulturem & phallum oculatum linearumque sequentium supellectilem indicant. Est enim Vultur annui temporis symbolum, qui quum conceptionis dies quinque habeat (concipit autem ex vento,) deinde centum viginti dies uterum gerat, & totidem diebus pullos exclusos nutriat, tantumque temporis vacet suo ingenio, exactè refert annum Ægyptiis æquato temporis spatio tripartitum, ἐπαγωμένοις sive intercalaribus adjectis: præterea Sol quotidie ab Ortu per Meridiem in Occasum movens circulum diurnum efficit, qui annali respondet; hunc motum, rerum conceptus, incubationes, & partus producentem, motu vulturis perhibuerunt, qui teste Horo, Sole oriente respicit occidentem, & cum eo vertitur porrò, à Sole fœcunditatem concepturus. Exprimunt autem hunc motum duo [23] trianguli isosceles in oppositas partes siti, intermedium veluti Solem, circulo significatum, semper comitantes. De his omnibus vide Horum

*Sacra apotelesmata.* *Humanæ speciei positura mysteriosa.* *Noctua & Brachium.* *Humanarum figurarum altera.* *serpens sub statuis quid notet:* *Aræ symbolum, & caput Hori.* *Stellarum varia significatio.* *Sceptrum cum tribus quadrangulis.* *Phallum oculatum.* *Vulturis notatio.* *Bini trianguli cum circulo.*

Horum libro 1, cap : 11. Motus autem calorem excitat, & calor humidum afficit, ex his generatio rerum conſtat: proinde juxta vulturem poſuerunt phallum [22] oculatum, quo inſinuant Oſirin ſive Solem fœcundum, oculo ſuo cœleſti per circum anni dierumque curricula rerum generationem perficere, in œconomia ſex Mundorum inferiorum, qui per totidem quadrangula [25, 26] deſignantur.

*Phalli oculati ſignificatio.*

Continua porrò obſervatio docuit, quod vultur omnino tredecim ova, ex quibus non niſi fœminæ prognatæ ſint, pareret, & hinc ſymbolum Lunæ factum, quæ tredecies in anno cum Sole conjungitur. Totum igitur cœlum per vulturem notarunt, nimirum quod fœminæ inſtar omnia intra ſe Solis & Lunæ opera generet. Sed Luna [24] portam ad Mundos materiales, per [25] quadrangula indicatos, [26] fœcundo dominio ſub tribus hircino capite ſceptris [27] intellecto, aperit, ut [28] benignitate Numinis [29] cœli repleantur. Symbolum enim benignitatis manus; cœlorum verò index figura cycloformis eſt. Quia verò influxus [29] cœleſtis ſubjectum, humidum eſt; hinc ſtatuas [31 34 33] tres poſuerunt, quorum pedes repandi conjunguntur manibus in formam Iauta, quæ littera Ægyptiacè idem ſignificat, quod principium: & per has ſtatuas indicabant triformis Numinis identitatem, influxumque, quo in inferiora, & hinc iterum in ſuperiora movetur ſine motu, rebus materialibus ſine contagione immerſum; quod quidem ſimulachra pedum repandorum cum manibus conjunctione myſticè exprimunt. Sed quamvis ſtatuæ, quoad formam ſimiles ſint; vaſis tamen in capitibus diverſæ figuræ diverſos effectus notant; ſalutarem videlicet illum liquorem ſupramundanum per vas [32] circulare; per [31] ſecundum, ex rectis, & curvis lineis mixtum, aquam ſideream; per tertium [30] rectilineum, elementarem aquam. Eſt enim Nilus ſupramundanus, eſt cœleſtis, eſt elementaris Ægyptius, quorum ſinguli conferunt aquam animo corporique ſalutarem. Hic enim eſt, qui vitam non quinque tantum megacoſmi portis, ſed & ſecundum analogiam quandam quinque microcoſmi portis, qui ſunt quinque ſenſus, confert, adeoque pulchrè expreſſa ſunt per [36] ſerpentem ſtatuis Niloticis ſuppoſitum, & per quinque quadrangula figuramque cœleſtem numero ([38]) ſignatam; quamvis per quinque quadrangula quoque indicaverint quinque mundorum portas, in quas lympha illa recenſita triplex influit, ſuntque Archetypa, Genialis, Siderea, Elementaris, & Microcoſmica. Hac enim triplici lympha data, ovum animatur ſingulis dictis mundis competens, multiplici fœtu gravidum, fructuum felicitatem & abundantiam in ſingulos Mundos redundantem confert, quæ ſanè [40] brachium, cujus manui ovi figura ſuprapoſita eſt, appoſitè exprimit. *Pulcherrimus adhuc contextus ſymbolorum fuit, primò naturæ, deinde Solis, tum Lunæ ſtellarumque, & eorum beneficiorum, denique & rationum archetyparum, queis animus hominis per congruam diſpoſitionem imbutus felicitatem conſequatur: rivulos omnium in alveum hunc rectum & clariſſimum Lectionis idealis diſcurſus collegit Oedipus, cum quo provecti breviſſimam hanc legamus oram.

*Ovum vulturis Lunam ſignificat.*

*Manus cum figura cycloformi.*

*Tres ſtatuæ Niloticæ habitu maſculino:*

*tria vaſa in horum capitibus.*

*Triplex Nili conſideratio.*

*Aſpis ſub his ſtatuis,*

*& figuræ quadrangulorum.*

*Brachium cum ovo.*

** De retinaculo 39 bicuſpide, ortum & occaſum indicante, vide ſequenti in ſchematiſmo.*

*Schematiſmi tertii, Orientalis, contextus Idealis.*

[1] *Natura rerum abſcondita, & inventu difficilis, duobus utitur principiis [2] activo & [2] paſſivo ad generationem rerum neceſſariis; quibus [3] vita univerſi conceditur; conſiſtitque in [O] calido & [P] humido, quorum hoc [4] Luna per [5] duodecim menſes ejuſdemque menſtruo ſpatio per [5] duodecim manſiones circuli magni; illud annuo [7] ſpatio [6] Sol promovet; unde iterum [8] generatio rerum in [9] Horo ſive mundana domo; eſtque hæc [10] porta magna [11] vitæ rerum.*

*Quoniam verò vis infeſta [12] Typhonis hiſce contraria, vel immodici frigoris, vel æſtus immodici aduſtiva vi, magnam inducere vaſtitatem ſolet & ſterilitatem.*

*Hinc [14] ſtatuæ ſive ſimulachra averrunca conficienda ſunt Typhonis ἀντίτεχνα, verſus orientem directa, nominaque Geniorum [14] Mophta & [15] Nephta, quos referunt, exprimentia, ad quorum conformationem, adverſa poteſtate cohibita, vita [16] rerum tuta manet & ſecura.*

*Debet prætereà ſub certa [18] conſtellatione fieri [17] ſtatua Mophta, quam ipſum nomen exprimat, & [18] Hori tribus mundis [20] hylæis cum poteſtate præſidis; ſicuti enim [21] Momphta [24] Dominus [23] ortivo & occiduo influxu tres [25] hylæos mundos; ita [18] Horus [22] invigilans [27] triplici influxu tres [26] hylæos mundos [22] fœcun-*

C *dat, & [28] beat. His [29] Cælum influit in [30, 31, 32] Nilum, cujus incrementum uti triplici de causa, ita virtute triplici, [35] supramundana [34] cœlesti [33] elementari, [33] id est, aqua triplici concurrit, [35] supramundana, [34] sideria & [33] hylæa, qua animus sacrificantis ad id quod intendit obtinendum, præparatur; Et hinc [36] vita per quinque [37] portas [38] cœli in [40] Ægyptum exuberat [5] beneficam [40] rerum & fœcundam matrem.*

*Lateris Orientalis schematism. quartus.*

Pergimus ad quartum primi lateris schematismum, in quo primò occurrunt tres [1] remi vel temones, quibus subduntur tria [2] segmenta circuli, cum [4, 5] retinaculo bicuspide, quod sequuntur [6] tria quadrata; deinde [8] funiculus; vas [9] niloticum fulcitum duobus [10] pedibus ad progrediendum aptatis; ac canalis cui [11] serpens adrepit, quem è regione tria respiciunt [7] quadrangula. Hæc sequitur Favissa, seu [12] receptaculum sacri affluxus, cum duobus [13] sceptris, deinde duo, [14, 16] scaleni rectanguli mediantibus duobus [15] quadrangulis. Illa excipit sceptrum [17] phallophorum, duo segmenta circuli [21, 22] & retinaculum [28] tricuspe [18, 19, 20], cui subditur [23] caput Isidis, cum duobus [24] quadrangulis & [25] serpente, cum arculâ [28] perseoformi Hori; quod sequitur [26] noctua cum [27] ramo tetradicis furciformi, & [26] retinaculo bicuspide, & [31] sacra barra, cui subduntur tres [32] circuli cum brachio [33] extenso, & funiculo [34] sive ligaculo, & [35] sceptro; deinceps est [36] hydroschema, cum [37] Ceraste bicorni, cui subduntur tria paria [39] brachiorum in cœlum extensorum, quorum duobus extremis duo vasa Nilotica, medio verò tres [38] circuli superimminent, sub ultimo verò [41] statua mystagoga ponitur, & pone illam [40] altare cum capreolo vitis.

D

*De extinctis Hieroglyphicis.*

Quæ porrò sequuntur, tria vel quatuor symbola, luci nostræ temporis injuria, Cambysis nempe vel Gothorum sævities invidet: interrasa enim sunt, & nisi conjectura inutili sciri nequeunt.

*Tres remi.*

Cùm verò viderent Ægyptii spiritum mundanum in humido stabulari, humidum autem secundum triplicem mundum triplex sit, hinc aptè tres remos, vel temones posuerunt, hujus per tres mundos transmeationis indices.

*Hecatæus de bary Isiaca.*

[Nimirum ut Hecatæus habet, Baryn Isiacam naviculam tres habuisse remos, unum retro, loco temonis, immobilem; duos alios à lateribus, quibus Barys intra aquas promovebatur; per navim indicabant, inquit, animæ mundanæ per humidum, motum; per temonem, sivè remum, immobilem omnium directricem providentiam; per duos intermedios remos auxiliares Geniorum copia indicabant, quæ cum omnia, in hac mundanæ barys machina moveant, ex motu hoc calidum & humidum, & consequenter seminalium rerum penuaria, ut & moveantur, & promoveantur necesse est.] Cùm verò tria maximè hanc spiritûs transmeationem promoveant, Stellæ, Sol, Luna ab ortu in occasum promota; hinc aptè tria segmenta circuli κυκλολογικῶς suppoſuerunt, superni, teste Eusebio & Plutarcho, hemisphærii indices; retinaculum verò [4, 5] bicuspe, ortus & occasus cornua demonstrat, quibus Horizon superior cum inferiori connexus, quasi clauditur. Ex astrorum quippe Eurozephyrotico motu tria anni tempora conficiuntur, quæ per tria [6] quadrata aptè indicantur; ut suprà in Schematismo I. lat. I. ostensum fuit. Totum hunc processum, utilitatemque quam ille tribus [7] mundis confert, adhuc luculentiùs proponit sequens symbolorum apparatus: ubi [8] ligaculum connexionis symbolum est, quo per occultum & impenetrabilem Numinis processum per humidum, (quem [10] pedes ad procedendum aptati cum vase [9] Nilotico, quod fulciunt, pulchrè indicant,) [11] vita favissæ sacræ [12] infusa, (per [11] serpentem figuræ columnari adrepentem indicata,) humido, & calido [13] dominante, hylæi Mundi ad generationes rerum imprægnantur. De vasis Niloticis, & quadrangulis suprà dictum est. Pedes itaque ponebant sine alia corporis parte adjuncta, ad occultum & insensibilem hujus progressum indicandum; ut verò aptiùs ostenderent medium per quod transit, pedes affinxerunt vasi [9] Nilotico rotundo, quo indicabant, & ex humido, & per humidum eundem fieri, id est humidi ope omnia quæcunque in mundo fiunt Numen perficere. Atque hoc verum esse, indicat [12] favissa sivè quod sequitur receptaculum sacræ lymphæ, quæ est cisterna sacra, supra quam pedes ad currendum parati consistere videntur, ad custo-

*Navicula Isidis significatio symbolica.* D

*Tria segmenta circuli.*

*Retinaculum bicuspe.*

*Quadrata sub notis 6 & 7.*

*Ligaculum sacrum.*

*Figura numeri 11.*

*Pedes cum vase Nilotico.*

*Favissa sacra.*

D

*Bina sceptra.* — *Figuræ scaleni & quadrati.* — ** Nempe 3 partibus annus apud Ægyptios divisus erat.*

custodiam simul, & tutelam, quam in humidam naturam habet, duplici scilicet dominio per bina [13] sceptra notato, indicandum; utilitates verò, & commoda, quæ ex hoc progressu, tutela, & dominio Numinis proveniunt, sunt primò [14,16] generatio rerum, quæ in [15] annos instantes per [14,16] Scalenos, & [15] quadrata indicatos redundant: ponunt autem duo tantum quadrata pro duabus anni partibus; quo indicabatur duabus tantum anni partibus * generationem fieri, reliquam verò seminalium rerum penuariis clausis, in nova fundanda sobole occupari; quia verò generatio nihil prodest, nisi fœcunditas insignis accedat, hinc supposuerunt hisce symbolis sceptrum [17] phallophorum, id est, testibus involutis conspicuum, quod symbolum erat fœcunditatis ritu sacro procurandæ, & in phallophoriis Ægyptiorum solennitatibus unà cum ficulneis veretris sivè etiam foliis pudendi similitudinem exprimentibus, teste Plutarcho, præferre solebant.

*Sceptrum phallophorum.* — *Ægyptiorum.* — *Retinaculum tricuspe.*

Quoniam prætereà fœcunditas, & generatio sine motu Osiridis invalida est, hinc retinaculum [18,19,20] tricuspe supposuerunt, quo motu ejus ex [18] ortu per [19] meridiem in [20] occasum supra Horizontem facto, generationem rerum promoveri, fœcunditatemque disponi, ac superna infernis hoc naturæ retinaculo veluti colligari, pulchrè indicant; quo Isis, id est, terrestris Mundus, per caput suppositum significatus, ex aqua & terra, elementaribus [24] corporibus, constitutus, uti & [24] anni ubertate replentur, & tandem vita [25] in calido & humido consistens, per Cerasten [25] bicornem indicata, propagatur in omnia Mundo subjecta corpora. Nè tamen infesta vis Geniorum ἀντιτέχνων hanc fœcunditatem impediret, hinc noctuæ [27] Ericam seu tetradicem apponunt, veluti contra malignam vim amuletum quoddam; Est autem Erica herba, vel ut Arabes volunt Seriphium, sivè absynthium marinum, quam alii tetradicem appellant, Ægyptiis imprimis sacer frutex; de quo suprà meminimus in historia Osiridis *. Ponitur autem ramus supra retinaculum [29] binis cuspidibus deorsum versis, ad continendas in inferioribus malignas

*Capitis figura numero 23.* — *Quadrangulum.* — *Serpens.* — *Noctua, cum Tetradice.* — ** Vide & Plutarchum lib. de Osiride & Iside.* — *Quare ramus Ericæ suprà retinaculum positus.*

D

*Sacra barra.*

machinationes. Præterea in sacra [31] barra, [quæ erat Arca sacra, in qua Osirin conditum & ab Erica herba Typhonis assultus occultatum credebant) sacros ritus perficiebant ad Numen sive Agathodæmonem propitiandum; de quibus cæremoniis fuse Porphyrius libro II de Abstinentia.

*Tres circuli.* — *Brachium.* — *Tæniæ.* — ** Hanc sceptrum cum hemisphærio indicat.* — *Hydroschema cum serpente.*

Hisce enim cæremoniis peractis Triformis Numinis in triplicem mundum, [tribus [32] circulis indicatum] benignitatem [per brachium [33] extensum propositam] ligari & astringi [quod volunt [34] tæniæ sive funiculus Osiridis,] & hujusce potentia * consequenter humidæ naturæ, per [35] hydroschema indicatæ, vitam [37] concedi, credebant. Propterea & Sacerdotes ut suprà dictum est, manè meridie & vesperi [quod symboli hujus numerus innuit] in adytis *, brachia ad cœlum tendentes, [39] U literam * exprimebant, quæ supremi Numinis vitam referebat in Vniversum transfusam: horum brachia, & sola quidem hic pinguntur, cum duobus quinariis digitorum, ut ostendatur decas illa solitaria divinitatis in binos quinarios mundanos derivari per occultas & analogas diis convenientes operationes; per illas enim allusiones faciliùs & ubeiùs à Numine sollicitato triplicis Mundi, [per tres circulos [38] brachiis illis superpositos, repetiti] vitam [39] in humido consistentem [hoc enim duæ urnæ quadratæ perhibent] totius felicitatis summam se consecuturos sperabant.

** Hac de re Porphyr. lib. 4 ex Chæremone.* — ** Ipsa Ægyptiis apertum cor dicitur, & exceptionem influentiarum supernarum notat.*

*Positura statuæ mystagogæ.*

Idem & subsequens statua mystagoga sibi vult; cum altari capreolo vitis onerato: & illa quidem corporis positurâ nomen Hemphta exprimit Ægyptiis literis; sed flexura brachiorum, quorum alterum sursum, & alterum deorsum directum est, pyramides similes exhibet, dictos paulo ante mundi quinarios significantes, ex quorum conjunctione nascitur decussis sive denarius numerus, symbolum naturæ universæ, cui Emphta præest. Omnia ergo hæc symbola sunt sacrificiorum ritè exhibendorum, tam thesi & diathesi corporis, quàm oblatione donorum; qualia indicantur capreolo seu viticulo in altari [40] posito; nulla enim re nisi tenerioribus plantis diis gratis mensas instruere solebant, de quo videndum puto Stucchium de ritibus

*Altare cum capreolo.* — *Diis quo dono fecerint.*

D

bus & sacrificiis,& Kircherium variis locis. Eadem verò in liquidiori hac constructione idearum contemplari licet:

*Formata idearum lectio.*

*Triforme Numen [1] triplici vehiculo, [1] Stellis, [1] Sole, [1] Luna, per tria [2] cælestia spatia, ex [4] Ortu in [5] Occasum, diffusum, tria [6] efficit anni tempora, atque sic [8] agitatum ligatumque occulto & [10] invisibili motu processuque per [9] humidum, [11] igneo mistum vitam præbet tribus [7] hylæis Mundis.*

*Sacri liquoris [12] affluxum colligit duplici [13] potestate, superna & inferna, [14] duo [16] generationis principia ab [14] ortu & [16] occasu ordinat, unde [15] Mundorum inferiorum, [15] annorumque instantium [17] fœcunditas resultat, quam sacro [n,o,] ritu Sacerdotes venerentur. Prætereà triforme Numen per cœlestia spacia [21] ortivum, [19] meridianum & [22] occiduum agitatum, per [23] Isin inferiorum [24] Mundorum, [25] caloris humorisque præsidem, [28] Horum infestæ [26] malignæ Typhoniæ potestatis vi interemptum, [27] tetradicis germine binorum mundorum fulcimento, quô supera inferis [29,30] conjunguntur, Typhone verò, ritu in sacra barra facto, dispulso, profligatoque, instaurat. Trium Mundorum [33] benefica vis [34] ligata sub meridianum [35] tempus, [36] humidæ naturæ vitam [37] concedit. Hinc Sacerdotes mysteriosa [39] figura transformati, [39] brachiis in cœlum extensis, ad trium [38] Mundorum à supremo Numine Triformi procedentem vitam, omni die, [39] manè, [39] meridiè, [39] vesperi per [40] preces & [40] sacrificia appropriata, [41] statuas quoque simili sacro ritu apparatas, excipere debent.*

*Quintus primi lat. schematismus.*

E

*Iugum bilancis.*

Præteritis illis quæ hoc Obelisci loco per temporum injuriam depravata sunt, ad ea, quæ deinceps sequuntur, pergimus: hæc sunt, [1] jugum bilancis, [2] Ibis cirrata, [3] triangulum, [4] retinaculum tricuspe [5] feretrumque sacrum; deinde sacra Favissa, seu [6] receptaculum sacræ lymphæ, sub qua [7] globus, cum [8] ceraste; Hæc sequitur iterum [9] Ibis cirrata cum [10] globo; è cujus regione [11] porta cum clava [12] lotigera; sequitur [13] receptaculum sacri affluxus, seu cisterna sacra cum sceptro [14] oculiformi & [p] hydroschemate, quod [15] serpens excipit, cum segmento [16] circuli; prætera [17] Accipiter figuræ [18] ovali insidens; tum rude schema [19] tabulæ sacræ, unà cum statua [20] mystagoga è regione posita. Hæc excipit figura brachiis [22] extensis humana, ovalem figuram quasi sustinens: è regione mitra [23] capreolata, est;ipsi succedit [24] Ara, supra quam figura hominis extenditur, quæ manibus pedibusque exprimit mundanæ domus portam. Postea [26] caput arietis cum [25] triangulo desuper, & infra [27] Cerastes sequitur, de hinc figura [28] ovalis. Significatio horum symbolorum hæc est: jugum sive ζυγὸν sacræ bilancis vel stateræ, æqualitatem caloris & humidi significat, sed cum id ad præcedentia symbola spectet quæ interrasa sunt, maluit Oedipus universa differre quàm conjecturarum inutili conatu quicquam proferre. Primò itaque [2] Ibis cirrata est symbolum Genii Lunaris, & generationis, (cujus triangulum [3] scalenum index est,) præsidis singularibus ritibus & honoribus venerandi, quos scilicet feretrum [5], in Comasiis circumferri solitum, indicat: & quia generatio omnis ex motu originem suam habet, hinc tricuspe [4] retinaculum unà cum [6] Favissa seu effluxus sacri figura, Ibidi supposuerunt, indicantes, motu Lunæ [2] sacro ritu propitiatæ ex ortu, per meridiem in occasum facto [4] seminaria [3] generationum, affluxumque [6] sacræ lymphæ, & hinc [7] Mundi [8] vitam promoveri. Tametsi verò Isis [9] Genius [10] Mundi Lunaris, [10] portam [11,12] genitabilium rerum, [13] affluxumque sacræ lymphæ aperiat; nisi tamen oculus [14] cœlestis Osiris eum respiciat, [p] aquas calore suo [15] vivificet, in [16] inferiori mundo nihil eam efficere posse testatum persuasumque tenebant; hinc aptè supposuerunt. Ibidem cum [10] globo, & [11,12] porta lotifera; Favissa, [13] sceptro [14] oculiformi [p] hydroschemate, & segmento [16] Sphæroide, & [17] Accipitre Sphæroidi insidente, cœlestium, superiorum inferiorumque Domino, quibus omnia, quæ diximus, arcana indicabant. Siquidem [9] Luna & [7] Sol conjuncti [11] mundanam portam aperiunt [12] vegetabilia roborant, [13] piscinam sacram radiorum [14] commistione fœcundant [p] aquis largiuntur [15] vitam, & omnia quæ in inferno [16] mundo continentur, animant [17] Osiri [18] cœlorum domino, & moderatore potissimum agente. De cæteris quidem symbolis satis ex antecedentibus constat, igitur quid segmento sphæroide indicetur, monstrabimus. Nihil verò aliud nisi mundus inferior segmento hoc devergentis convexita-

E

*Ibis cirrata.*

*Scalenus.*

*Feretrum.*

*Tricuspe retinaculum, cum Favissa.*

*Reliquorum symbolorum significatio.*

*Segmentum sphæræ.*

vexitatis notatur, ſcilicet pars dimidia cœli nobis non patens, de qua ut & adverſo hemiſphærio, Plutarchus: *Nephtys eſt id quod infra terram ſitum non cernitur; Iſis quod ſupra terram manifeſtum extat; & circulus hæc duo claudens, horizon eſt, & Anubis dicitur.* Hinc videtur & ſignificatum ſegmenti ſuperioris hemiſphærii. Quibus præterea ritibus Genii hi Lunæ-ſolares Mundi bono attrahendi ſint, & quæ bona ex hujuſmodi cultu proveniant, ſequenti ſymbolorum ſyntagmate declarant. Primo enim apparet ovalis figura, cujus inferior pars [19] abacum ad conſiſtendum aptum habet; quam teſte Iamblicho tabulam ſacram appellabant; *Sacerdos*, inquit, *in porta adyti ſtans ſacram tabulam manu gerens, patriâ Ægyptiorum linguâ Deum ſuſcitat.* Vſum ſacrarum tabularum hieroglyphicis myſteriis inſcriptarum non tantum in Obeliſcis, ſed & in Canopis, & Sphingibus. Iſiacis ſtatuis, Mumiis, ſepulchriſque, ſuprà indicavimus, quippe quæ & à collo geſtabantur, & membris diverſis corporis applicabantur. Talem verò tabulam ſacram innuunt per præſentem figuram, ſymbolis quidem vacuam, ſed quæ ſecuturi paulo poſt ſyntagmatis hieroglyphici index foret. Huic è regione reſpondet ſtatua myſtagoga genii Momphta humidi Elementi præſidis, cujus vas Niloticum, quod in capite gerit, ſignum eſt; nomen Genii poſitura membrorum & geſtu exprimitur, quo indicare voluerunt, tabulam ſacram per ritus paulo poſt explicandos ad ſe trahere virtute Genii vitam mundi cœleſtis, quam [21] Cyclica figura ſequens notat. Quo ritu id fieri debeat oſtendunt ſequentia ſymbola; eaque ſub forma præcepti, quaſi dicerent: ſacrificulus in formam characteris Tautici, ſive crucis anſatæ conformatus, ſacros hymnos peraget, deindè ſupra aram ſe incurvabit exprimendo [24] characterem myſticum Π qui mundanam domum, tum quoque [23] dominium ac poteſtatem in [23] vegetabilem naturam ſub capreolo indicat; quibus cum O Sol & C Luna præſint, influxus eorum benignos Genii præpoſiti myſtico cultu excitati in inferiora derivabunt. Ex hujus derivatione [26] Ammon fœcundum Numen caloris, & humoris, & conſequenter [25] generationis præſes [62] vitâ omnia mundana corpora imbuet. Omnis enim ratio theſis ac methatheſis ſacerdotum precatorumque in ſacrificiis hoc loco deſcribitur; præcipue uſurpatum duplex nomen divinum. Primum duabus his literis conſtabat, Φ & T: quarum priori connexio univerſi & omnium rerum amoris, poſteriori influxus Numinis in mundos hylæos notatur: ex quibus natum ſymbolum Dei, univerſum mundum virtute ſua animantis. Alterum nomen Πὸc erat, quod in lingua Ægyptiaca Dominum ſonat; quarum princeps litera emanationem ſuperiorum ad inferiora ſignificat, porta mundanæ domus dicta, reliquæ κυριολογικῶς referunt Solem & Lunam. Vtrumque nomen hoc loco intenditur; primum literâ Tauticâ, myſterioſiſſima omnium & in omnibus fere Obeliſcis frequentiſſima; alterum altera figura: horumque hieroglyphicorum tacita figuratione numen ſeu dominum Vniverſi implorabant; quaſi dicerent: *O numen æternum poteſtate in omnia ſummum, Domine univerſorum, exaudi preces & ſacrificia noſtra, mitte influxum tuum ſuper nos & ſuper omnia, pro quibus te imploramus; ut participes fiamus donorum tuorum; effunde ſuper nos virtutem aſſeclarum tuorum Oſiris & Iſis deorum ſecundorum, dominorum univerſi, &c:* Ritus nimirum & geſtus erant in omnibus conceptis verbis conformes. Capite porrò arietino Ammon intenditur, cui numini tantam Ægyptii virtutem tribuebant, ut ſola invocatione nominis ejus magnis bonis ſe repleri crederent: hoc ipſo, juxta cum ſerpente Ceraſte & duobus ſphæroidibus ſegmentis indicabant, fœcunditatis & generationis Genium excitari ad id, quod denotabat concedendum, ſcilicet vitam rerum omnium fœcundam, Cœlorumque benignitatem. Hæc omnia ideali contextu ita præcipi poſſunt:

*Caloris ex [1] ortu & occaſu æquabilitate, lunaris [2] Genius per [4] ortum [4] meridiem & [4] occaſum means [3] generationem rerum inſtimulat, varietatem rerum & [6] affluxum ſacri humoris & vitam [8] affert [7] Mundo, [8] eam ob cauſam in Comaſiis ejus [5] circumferenda ſtatua eſt.*

*Præterea Lunaris [9] Genius orbis ſui [10] dominus*

*Plutarchus de Oſir. & Iſide.*

*Tabula ſacra.*

*Iamblichus.*

*Statua Myſtagoga.*

*Poſitura Sacerdotum Numina invocantium myſterioſa.*

*Diſpoſitione ſacerdotum duplex nomen divinum propoſitum.*

*Φ & T literarum ſignificatio.*

*Π, grammatis & O ac C kyriologicorum, myſteria.*

*Transfiguratione ſua quid velint Sacerdotes.*

*Arietis caput quid notet.*

*Serpens.*

*Bina ſegmenta.*

*Lateris primi ſchematiſmus quintus.*

E *nus & [9] varietate refertus [11] mundanam portam aperit, dum ſolidat omnia [11] & naſcibilium rerum [12] abundantiam profert, per [13] affluxum ſacri humoris, hoc eſt per [14] oculum cæleſtem & Oſiridis [p] affluxum; inde [15] vita [16] rebus ſubterraneis. [17] Solaris verò Genius cœleſtibus [18] dominans, per [20] ſimulachrum myſticè conſtructum, & per [19] tabulam ſacram [19] prophylacticam, & per [20] ſtatuam fidelis Oeconomi ſui Mophta ſupernas aquas adducendo omnia fæcundat; quæ ut efficaciùs fiat, Ritus ſacri ſic perficiendi ſunt. [22] Statua in formam Anſatæ crucis ☥ effigianda eſt, & alia Aræ [24] incumbens manibus pedibuſque exprimat* Πõc *nomen. Hinc enim [24] porta mundi [25] generationiſque ſub dominio Solis, & Lunæ aperietur. Hinc [26] Amun ſe ſiſtens Oſiris aſſecla [27] vitâ [28] cœleſtia imbuet.*

*Lateris Oriental. ſchematiſmus ſextus.*

F

Vltimo primi lateris ſchematiſmo occurrit [1] cycloides, cum [2] brachio extenſo, & [3] barra, [4] ſphæraque, è cujus regione alia [7] ſphæra, tribus fulcris ex triangulis concatenatis inſtar tripodis ſuſtentata, quam deinceps tripodem Idealem dicemus, ſub qua ſegmentum [5] ſpheroide, hinc tres [8] circuli, intra duo ſceptra [6, 9] locati, tum duo [9] triangula, cum binis inter ſe [10] quadrangulis. Hæc excipit ſacra tabula, ſive ſyntagma hieroglyphicum prophylacticum.

*Explicatio ſymbolorum:*

*Sphærica figura.*

Tria priora ſymbola in præcedentibus explicata ſunt. Globus itaque, indicat hoc loco circulum, cujus, ut Hermes dicebat, centrum ubique, circumferentia nuſquam eſt, & quem Xenophanes apud Pierium Valerianum non immerito Archetypam ſphæram appellavit; unus quippe circulus, aut ſimplici alteri cuipiam figuræ ſignove circumductus, teſte Valeriano, Ægyptiis non tantùm Nunc, Semper aut perpetuum atque æternum, ſed & Omnia, τὸ πᾶν, ſignificabat, id quod figura hæc, figurarum omnium capax, intra ſe complecti videtur; in qua neque principium neque finem invenire queas, & hoc æterni Numinis, Dei O. M. proprium eſt; quem hic in ſolitariæ ſuæ unitatis abyſſo quieſcentem, ſuique beatitudine & contemplatione contentum conſyderarunt Sapientes. Sed & eundem tanquam creatorem rerum omnium contemplantur; atque idcirco globum alterum adpoſuerunt, ex quo tres ſeries triangulorum promittuntur: quod ſignificat Deum ideas concipientem, juxta quas in rerum productione operatur.

*Numinis ſummi conſyderatio duplex.*

*Sphæra cum catena triangulorum triplici quid ſignificet.*

F

Ternæ verò catenæ ex uno globo prodeuntes monſtrant triplicem mundum, angelicum, ſydereum, & elementarem, ad quos Numen triforme virtutem creatricem & conſervatricem exporrigit, omnibus in ipſis trigonicum characterem imprimens; unde nimirum Zoroaſter dixit, Triadem in toto mundo reſplendere. Igitur ſequentibus ſymbolis, tribus nempe [8] circulis intra duo [9] ſceptra incluſis, primo Triformis Numinis ideis prægnantis proceſſus indicatur in mundum tripartitum, qui fit per duplex dominium, ſuperiorum & inferiorum, corruptibilium & incorruptibilium, cœleſtium aut elementarium; ex quo proceſſu generatio rerum conſequens, per [9] triangulos ſcalenos geneticos notata, in mundis hylæis, quos [10] quadrata ſignificant, pulchrè indicabatur. Traditi verò quomodo hoc numen trahi in vota, aut ſi iratum eſſet placari poſſet, ſequens præſcripſerunt veluti in tabula ſacra prophylacticum amuletum, cujus uſu omnium bonorum participes ſe futuros putabant. Sacra tabula conſtat [11] triangulo ſcaleno, [12] brachioque extenſo, & duobus ſceptris, [13] uno ſcilicet trinodi, altero [15] binodi, inter quæ [14] ſegmentum ſphæræ, hemiſphærii inferioris ſymbolum, medium eſt; deinde iterum ſegmentum ſphæræ, hemiſphærium ſuperius indicans; poſt quod [17] faviſſa ſequitur, binæque pennæ cum [19] duobus Rhomboidibus & ſegmento, brachioque extenſo [20], & hydroſchemate [21], & [22] ſceptro binodi. Triangulus ille geneticus, Oſiris benefici & fœcundi, id quod per brachium aptè indicatur, munus eſt: Oſiris enim, teſte Plutarcho, inter alia ſignificat vim efficacem & beneficam; unde Omphis, (meliùs Omphta) hoc eſt beneficum numen, dictus eſt. Igitur cum ille in toto mundo author ſit generationis, ſceptris ſequentibus nihil niſi myſteria mundana tetigerunt duces illi initialis ſapientiæ: priùs tres nodos habet, quadratos duos, unumque interjectum rotundum; his nimirum ad triangulum ſuperius geneticum & Omphiacum alludentes indicare volunt, præſtantiorem ac diviniorem naturam ex tribus conſtare,

*Tres circuli.*

*Trianguli genetici.*

*Numinis uſurpati cultus apud ſacerdotes.*

*Sacra tabula, cum ſymbolis contentis.*

*Trianguli hoc loco ſignificatio.*

*Oſiris quare Omphis dicatur.*

*Tria ſceptra cum nodis ſuis enodata.*

ex

F

ex eo nempe quòd mente cernitur, nodo circulari indicatum; deinde ex materia, tum ex utriusque composito, mundo scilicet, quæ ambo nodis quadratis intelliguntur; ita Plutarchus: ἡ τε κρείττων καὶ θειοτέρα φύσις ἐκ τριῶν ἐστὶ, τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς ὕλης καὶ τοῦ ἐκ τούτων ὃν κόσμον λέγουσι. Continent nimirum sceptra bina in se 2. 3. 4. 5. per quinque nodos indicata: eorum verò quadrata, 4. 9. 16. 25: singuli numeri certos in mundo ordines entium indicant: & hi sunt nodi sacri, de quibus apud Iamblichum legitur. Ita [12] Numinis favor in [17] piscinam sacram, deinde in [18] aërem & agrorum [91] feracitatem, id est benefici Numinis vis in humidam substantiam inferioris mundi attrahitur, unde per influxum ejus vita, usu sacrorum amuletorum conceditur. Ideas hactenus explicatas ita constructas recolere licet:

*Plutarchus.*

*Numeri in sceptrorum nodis.*

*Iamblichus fol. 164.*

*Lat. Or. Schematismi 6 contextus idealis.*

[1] *Cœlis vitam* [2] *largitur; per* [3] *sacræ barræ ritus Triforme* [4] [6] *Numen ideis* [7] *prægnans, triplici* [777] *influxu in triplicem* [777] *genialem* [4] *Mundum,* [5] *immediatum influxûs subjectum lapsum,* [09] *gubernat omnia.*

*Hinc in Elementares & Hylæos* [10] *mundos lapsum, generationes rerum ubique* [9] *ortivo, &* [9] *occiduo influxu, annuasque elementarium virtutes promovet.* Tabula vero sacra sive prophylactica averruncativa, quam in præcedenti Schematismo 19 in sacris adhibendam præscribit Hieromantes, hîc deinceps explicatur: [11] *Generationis vis* [12] *benefica, dominio* [13] *superno* [14] *infernoque* [15] *potens,* [17] *affluxum sacri humoris,* [16] *ex supernis demissum augmentat, Saturnus fugacis temporis dispositor, & beneficum Numen agrorum fœcunditatem promovet, in humidam naturam potens. Per hujus enim* [23] *influxum* [24] *vita omnium est,* [26] *omnium potestas.*

*Latus secundum, sive Australe.*

Absoluto primo latere, pergimus ad alterum, ubi, quoniam primum schematismum, summo nimirum Obelisco inscriptum, anteà interpretati sumus, deinceps ad reliquos gradum applicabimus. In proximo igitur schematismo occurrit [1] papilio δρακοντόμορφος, & [2] thyrsus papyraceus, tum [3] segmentum sphæræ, tum deinde bina sceptra, quæ tres includunt [4] circulos, tum præterea [5] crater, cum [6] sceptro oculiformi, tum denique globus cum sceptro, tribusque quadrangulis, deinde globus, & [10] ibis segmento Sphæræ insidens, deinde postea tres luteres seu receptacula sacræ aquæ, quæ sacra demum tabula excipit. Exhibentur verò in hoc latere Geniorum plagæ meridianæ præsidum officia, & effectus, & ritus colendi; nempe quum primo schematismo tanquam epigrapha quadam supremi numinis in quadruplicem mundum influxus indicati sint, jam ad particularia descenditur, scilicet quomodo divinum Numen in omnibus omnia per Asseclas Genios operetur: & hoc est quod ingeniosus abditorum symbolorum contextus hic exponit.

H

*Schematismus secundus.*

H

*Hoc schematismo contentorum ratio.*

Toti scilicet mundo dominari volebant potentiam pantamorpham, quam nonnulli præsidem hylæi sive materialis mundi, Arabes *Colcodean*, dicebant; eò quòd formas singulis rebus congruas, consentaneasque destinet; ex quarum formarum aptâ distributione summa illa rerum varietas in humani generis usum emergat; & hoc numen papilio δρακοντόμορφος indicat. Insectum est, Ægypti papyretis proprium, primò vermiculus, deinde pedibus augetur duobus, mox quatuor, cornibusque alisque. Varietatem verò thyrsus papyraceus indicat, planta aquatilis, omnia necessaria ut cibum, vestes, utensilia Ægyptiis præstans. Papilio verò in hanc Nili filiam naturali appetitu fertur, quod apud Ægyptios significat Numinis polymorphi inclinationem in bonum mundi inferioris, cui ex aquatili humore alterum datur rerum principium. Verumtamen hæc rerum varietas non in Elementari duntaxat Mundo conspicitur, sed & in Angelico, & Siderio quoque seu Sole & Luna, sicuti & in subterraneis partibus: hoc enim tres circuli sibi volunt, & duo sceptra, supernum infernumque dominium significantia. Angelicus enim Mundus, quamvis formarum materialium incapax sit, habet tamen, secundùm analogiam quandam, suam & ipse congruam formarum varietatem, solis sapientibus conceptibilem. Hujus vis polymorpha deinde derivatur in sacrum [5] craterem Osiridis, id est, [6] oculi cœlestis per Orbis [7] Solaris super Horizontem factam conversionem, undè trium anni [8] temporum varietas maxima in rerum productione emergit, deinde in [9] globum [10] Genii Luna-

*Quod Numen respiciant hæc symbola.*

*Papilio similis draconi.*

*Papyri thyrsus.*

*Pantomorphi regiminis latitudo.*

*Mundorum materialium à Polymorpho beatorum symbola.*

Lunaris, cujus vi [12] Luteres Plutonici seu subterranea inferioris Mundi [12] receptacula ubertate replentur, & ad innumerabilium formarum productionem disponuntur.

*Luteres Plutonici.*

Erant autem hujusmodi Luteres sacri in omnibus adytis ita dispositi, ut ipso situ & figurâ circulo-lineari, nescio quid augustum & divinum exprimerent, mentium, ante quam Deos sollicitarent, expiationi destinati: in tenebris enim orabant, veluti supremam caliginem obtestantes. Divinæ enim naturæ sublimitatem, ad quam penetrare nec Hominum nec Angelorum mens possit, indicaturi Ægyptii primum omnium principium tenebras esse dixerunt, supra omnem intellectum positas, teste Damascio Platonico: & has incomprehensibiles caligines in receptaculis subterraneis sua sacra facientes ter invocabant, Trimorphum Numen indicantes, quod & tria separata receptacula humorum suggerebant.

*Tenebræ Ægyptiis principium primum.*

In hæc, triplici mundo respondentia, vis polymorpha derivata effectus præstat à Naturæ moderatore intentos. Primum receptaculum consideratur in mundo Angelico, claritas nempe & limpiditas intellectus Angelici; in quo ceu in speculo quodam elucent supremæ divinitatis, rerumque fidei curæque uniuscujusque commissarum dictamina. In mundo Sidereo receptaculum humorum dicunt ipsum diaphanum spacium, aquis cœlestibus fœtum, cujus fœcunditas varia radiatione Solis & Lunæ derivatur in receptacula inferna, hoc est, Crateres Nephtyos & Mophta, ex quorum fœcundatione vita rerum omnium emanat.

*Tres luteres triplici mundo accommodati.*

*Ad cætera symbolorum progreditur.*

Expositis polymorphi numinis in triplici Mundo effectis & operationibus, deinceps quomodo propitius reddatur usurpando tradunt, gestatione nimirum amuleti, qualis est sacra tabula sequens, qua numen certissime trahi putabant.

*Amuleti sive sacræ tabulæ symbola exposita.*

Constat illa hieroglyphico hoc syntagmate: duobus pedibus in formam pyramidis dispositis, quam nihil aliud dicimus ac polymorphi Numinis influxu suo per omnia progressionem significare; tum [14] Cornice [15] sphæroidi insidente, quo principium rerum passivum significari supra dictum est; deinde leone procumbente [16] Momphta, Genio incrementi Nili; postmodum & brachio cum sphæroide duobus binodibus sceptris incluso, quibus benevolentia Osiridis, quadruplici dominio conspicui, in cœlum primò, deinde in inferiorem mundum, per segmentum sphæræ intellectum, data indicatur: sed quum hæc beneficentia potissimum in humoris participatione consistat, hinc subjecerunt figuram sacræ lymphæ, quæ quid sit aperiamus.

*Sacra lympha quid sit.*

Constat verò ex Plutarcho, Ægyptios, Nilum suum divinis honoribus superstitiose prosecutos, in nullis non sacris ejus aquâ, quam Lympham sacram nominabant, usos fuisse; ideo nempe & in adyta subterranea feruntur per occultos meatus eam derivasse in receptacula sacra, quas Favissas cum Festo appellamus.

*Favissæ sacræ.*

His formam piscinæ dabant, ingressum dei & fœcundum affluxum Osiridis appellantes; credebantque ejus curam tam superiores quam inferiores Genios habere peculiarem, quod volunt duæ pennæ, geniorum symbola, & segmentum cum Rhomboidibus duobus, qui agrorum indices sunt, & manus beneficentiæ nota, & hydroschema cum duobus binodibus sceptris craterem continentibus: his enim nihil aliud indicatur, quam quod per sacrificia, ad receptaculum lymphæ sacræ peracta, crater Osiridis quadripotentis ubertate in quadruplicem mundum, quem cornua crateris denotant, repleatur.

*Cætera tabulæ sacræ symbola explicata.*

Hinc tandem seminalium rationes, quæ per ovum indicantur, suscitatæ in uberrimam fœcunditatem repullulent. Quod ut uberiùs fiat, festorum solemnitates & honores dicto Numini exhibendos per statuam & feretrum indicant. Atque hanc tabulam sacram tanquam prophylacticam, ac attractivam Numinis sacerdotes locis publicis passim incidebant. Sed, quum pleraque hic memoranda antè quoque tetigerimus, ne subinde rem unam diversis nominibus narrantes Lectori minus placeamus, præteribimus cætera; Ægyptios nempe varias in rei non alius symbolo significationes proposuisse, penitius scrutanti facile paret. En verò lectionem structuræ idealis:

*Lat. 2. Schemat. 2.*

[1] *Polymorphus naturæ Genius* [2] *usum rerum Meridiei subjectarum inferioribus* [3] *partibus necessarium, primò ex* [4] *tribus Mundis, Triformis*

*formis* [4] Numinis *vi & influxu, derivat in* [5] *craterem* [6] *omni videntis* [5] Numinis, *oculi cœlestis* [7] *Mundo invigilantis, &* [7] *dominantis inferioribus: deinde in Mundos* [8] *hylæos derivat per* [9] *globum Lunarem.* [10] *Lunaris verò Genius hunc in* [12] *incrementum humidi, destinat subterraneis* [11] *receptaculis adytorum, quæ mundum inferiorem exhibent: ad hos verò Genios propitiandos hæc sacra tabula ordinatur.*

Nota, nos sacram tabulam eam hic dicere, quæ omnia illa symbola ovali figuræ inclusa continet.

[13] *Abditus & invisibilis motus, processusque* [15] *cœlestis* [14] *Osiris, per* [16] *Momphta* [17] *beneficum, quadruplici* [18,20] *dominio* [18] *cœli insignem in inferis affluxum* [22] *sacri humoris actuat, undè* [23] *agri fœcundati coluntur* [22] *velocitate & beneficentia Numinis;* [25] *humidum* [26] *quadruplici pariter dominio & in* [27] *quadruplicem inferioris Mundi plagam* [28] *potens, seminalium* [29] *rerum rationes per* [30] *Isidem disponit, ac proinde sacro ritu* [31] *celebrari & coli debent.*

*Lateris 2, Meridionalis Schematismus tertius.*

Proposita præcedentis schematismi sacræque tabulæ symbola polymorphum numen attrahentia excipiunt jam sacri ejus amuleti effectus declarandi. Primo occurrit [1] Cynocephalus, vel Lunæ simpliciter, vel Orientis Lunæ, Horo teste, symbolum, cum [2] harpagone sacro, quem inter hieroglyphica receperunt Ægyptii, eò quòd Osiridis corpus à Typhone in Nilum projectum ejus ope, teste Plutarcho, fuerit extractum. Corpus Osiridis Sol est, qui in Nilum tunc projicitur, cum Typhonis superflua, & pernitiosa humiditate, solaris caloris vis, generationi rerum necessaria suffocatur; extrahitur autem per Genium Nili [3] Mophta, dum pernitiosum humorem superfluumque reprimit, temperatque; idque supremi Numinis, quod solitarius [4] globus indicat, virtute; cujus [5] abdita & invisibili operatione concurrente, [6] humor vegetabili naturæ proportionatus confertur. Quod pulchrè indicatur per vas [5] Nilotium inversum, ex quo duo [5] brachia, manibus [6] cucurbitam longam stringentibus, egrediuntur; sicuti enim per pedes motum Numinis per universum, ita per [5] brachia & manus practicam executionem, sivè operationem Numinis occultam, innuebant; ut alibi probavimus; craterem inversum ponunt, & [5] brachia indè egredientia, ut nota-

*I Cynocephalus.* *Harpago.* *Osiris pro Sole.* *Vas Niloticum cum brachiis.* *Pedes aut brachia Hieroglyphice quid significent.*

*De Obeliscis.*

retur, naturæ humorem ex supremo [4] cratere, per brachia manusque Numinis beneficas, in vegetabilem naturam, per cucurbitam aquosissimum fructum indicatam, derivari; occultè itaque hisce innuunt, virtute sacræ tabulæ, & Typhonis perniciosam vim ad temperiem redigi per Genium Nili Mophta. Supremum Numen quoque in concedendo temperato Nili incremento, sacri phylacterii virtute, quasi cogi adigique. Si enim hujusmodi incrementum vel excessivum, vel defectivum à medio declinabat, necessariò sterilitatem indè in magnum Ægypti detrimentum consequi experientiâ didicerant. Hinc Sacerdotes ad placandum iratum Numen [8] sacrâ tabulâ instructi, inter sacrificandum corporibus in Genii tutelaris monogramma transformatis, [9] cucurbitam manu dextra inclinatam, loco scuticæ symbolo averruncationis adhibebant; mensoriam [10] verò virgam, quam sinistrâ tenebant, temperamenti & proportionis notam, vel in Numinis nomen, vel quasi sedis figuram formabant, intra quam Genius receptus, imperioque potens, temperamentum [11] humoris omni superfluitate sublatâ promoverent, naturæque vegetabili cucurbitâ notatæ aquas temperatas, per hydroschema indicatas, concederet. Siquidem durante Nili [13] incremento, per [14] Sphingen jacentem indicato, dictum Numen ad concedendum quod petebant alligabatur; quod aptè indicat [15] laqueus; ob ritus verò sacros, per [16] feretrum indicatos, [17] Numen ambiens omnia, [18] vitam tandem absolutam, quod serpens vult, [19] sacro conferebat humori per [19] hydroschema indicato. Horum omnium rationes, cum in præcedentibus paruerunt, ad eas Lector remittitur. Sequitur Idearum harum cum antecedentibus cohærentium ac implicitarum ad liquidum constructio:

*Cucurbita.* *Intentio horum symbolorum.* *Figura Humana cum scutica ac virga mensoria.* *Cucurbita iterata.* *Hydroschema.* *Sphinx procumbens.* *Laqueus, cum reliquis symbolis.*

*Hujus sacræ tabulæ virtute* [1] *Luna Oriens Typhone dispulso placatur.*

[3] *Mophta* [6] *humorem* [4] *Mundi superioris in Mundi inferioris receptacula, per* [5] *abditos, & invisibiles operationis divinæ effectus* [6] *in humidæ* [7] *naturæ conservationem derivat.*

*Lateris Meridion. schematism. 3.*

*Hinc* [8] *Sacerdos* [11] *cucurbitâ longâ, hujus affluxus symbolo,* [10] *baculo prætereà, &* [9] *Scutica cucurbitoformi in literas Numinis indices, vel*

Z z

*in sedis*

I *in sedis figuram transformata, eo ritu sacra efficiat, quo Deos delectari [12] in humidum augmentum noverit.*

*Nam hinc [14] Isisformis [13] Mophta, omnis incrementi Nilotici Author [15] ligatus hoc [16] honorifico ritu, Supremi [17] Numinis, Mundum ambientis, virtute vivifica [18] vitam dabit [19] humido.*

Symbola hoc loco per temporis injuriam extincta restituere, quantum nimirum conjectura ex cæteris ducta posset assequi, noluit Oedipus, melius magis judicans apud ingenuos tacere, quàm absque fructu ad lapidem lapidi profundere ingenium.

*Lateris 2. Merid. Schematismus quartus.*

K *Crocodili hoc loco significatio:* Continuata superioribus sequentia primo Numen supremum proponunt per [1] Crocodilum cycloidi cœlorum symbolo incubantem: nempe hujusmodi animal cùm utplurimum lateat, ideò latentem & impervestigabilem Dei Naturam indicat; tum quia inter cætera animalia linguam non habet, solo silentio Numen monstratum adorari debere, significat; denique cùm visu perspicacissimo sit præditum, divinæ providentiæ ad res omnes excubantis, & fati generationem rerum perficientis aptissima nota habetur. Ac quamvis hoc crocodili symbolum malignam quoque Typhonis naturam, uti & Ægyptum denotet; tamen quia hoc loco symbolis Typhonem, aut Ægyptum constituentibus destituitur, at figuræ tantum cycloidi, cœlorum symbolo, adjunctum sit, divinum Numen hoc loco per ipsum significari certum est; nempe [2] Cœlorum temporisque authorem: *Cycloides.* tempus enim duobus oppositis motibus per contrarias eorundem lationes, motionesque effici putabant, quas aptissimè, teste Horo libro I. capite II. contrario duorum [3,4] serpentum situ indicabant. *Duo serpentes contrario situ.* [1] Numen itaque primò [2] cœlos duabus oppositis 3, 4 lationibus agitatos influens, tempus, idque consequentia ordinat; deinde receptacula, primò cœleste, post & terrestre, fœcunditate replet. *Domuncula cum puero.* Vnde [7] domus hæc Mundana [8] Hori, (quam aptè sequens figura, intra quam puerum stantem reperies sceptro cucucomorpho instructum, unà cum [6] lituo è latere posito, notat; sed cum Oedipus in tabula Bembina fuse illa interpretetur, eò Lectorem cupidum ampliorum remittimus,) ubertate K sua magnam illam rerum varietatem & [6] harmoniam profert.[10] *Coturnix.* Coturnix verò sequens cum sacro[9] harpagone indicat omnem infestam à mundana hac domo vim *Harpago.* cohiberi profligarique, per [12] statuam mystagogam Genii, elementaris [11] Mundi præsidis. *Statua mystagoga.* Hinc enim concatenata virtute [13] vita [14] cœlis, [15] benefica vis [16] in craterem Osir. profluit, cui [17] Arueris & [18] Nephtys subterranei dæmones præsunt, *Segmenta cum vasis in capitibus statuarum.* quod segmenta, quæ in capitibus portant, indicant. Nam ut rectè Plutarchus supra citatus asserit, est Nephthys & Arueris ea pars horizontis, quæ visui non patet, videlicet rerum in intimis terræ visceribus provenientium receptacula, in quibus humor ad rerum generationem aptatur; quod & vasa infra segmenta in capitibus notant, his nimirum præsunt prædicti dæmones,[19] dominio in [20] humidum potentes, sequentibus symbolis, sceptro [19] binodi, & [20] hydroschemate, & sacræ [21] lymphæ receptaculo id exprimentibus. [22] Sphæroidi supponunt [23] linguam, eò quòd, *Sphæroidis & linguæ symbolum.* teste Horo, sicuti, caput semper humorem distillat in linguam, adeòque lingua semper in humido degat, ita caput Mundi sensibilis cœlum, humorem illum [24] vitalem per serpentem distillat primò in [25] duodecim mansiones arcis *Arx magna.* magnæ, quæ apte indicantur per sequentem figuram instar muri protensam, duodecim quadrangulis conspicuam, denotaturque per hanc Zodiacus, cujus duodecim partes turres seu mansiones Deorum vocatæ sunt; *Pinnæ murorum quadratæ.* eò quòd singulæ singulis Diis essent consecratæ, juxta effectuum, quos in iis Sol & Luna constituti operabantur, diversitatem. Quadrata sunt, ad indicandos duodecim menses sive Annos Lunares, quos Luna eum peragrando quadripartita phasium dispositione constituit: quæ cùm duodecies in hoc per annuum spatium Solem attingat, hoc congressu, vario illo lucis nunc plenæ, nunc mediæ, nunc diminutæ temperamento, omnia in inferiori Mundo constituantur. Horum influxum participant [26] humoris [27,28] Genii Momphtæ asseclæ, *Hydroschemata cum sceptro.* ut statuæ mystagogæ paulò post indicant: qui inter duo [26] [29] hydroschemata cum [30] sceptro ideo ponuntur, ut indicarent,

K

*Statuæ myſtagogæ alteræ.*

rent, hos Genios in ſuperiores & inferiores aquas dominium plenum obtinere; quorum prior indiſcretis pedibus, ſedentis ſitu, brachio ſiniſtro coxæ applicato, dextrâ Y literam conſtituit, mammis turgentibus, quâ ſymbolica ſtatuæ effigiatione indicabant Mompta vim à ſupremo Numine (quod nutus manus, & flexura cubiti in pyramidem efformata notat,) participatam cœlis communicare, hos enim cycloides per ſiniſtram ad corpus expreſſa indicat; hinc eam inſenſibili motu, quod pes ſolitarius indicat, inferioribus aquis communicari, quod ſtatua myſtagoga [28] in ſupplicantis morem efformata, pedibus & manibus ſat oſtendit. Nam hoc ipſo occultè denotare volebant quandam Geniorum ſubordinationem, qua inferior ſuperiori veluti ſupplicare contendit, in votis circa res fidei ſuæ commiſſas adimplendis. Hæc omnia aptiora inter ſe ſequenti modo recole:

*Schematiſmus 4. lateris ſecundi.*

*Supremum [1] Numen ſolo ſilentio venerandum per humidum means, [2] Cœlo abdita & [1] inviſibili quadam virtute incubans, per [34] contrarias cœlorum aſtrorumque motiones ſacri liquoris, affluxuumque [5] receptacula explet. Ex quibus in mundana [7] domo [8] Hori omnium rerum [8] varietas & [6] harmonia emanat. [10] Diſſonâ, [10] pernicioſâ, & rerum [10] deſtructivâ poteſtate [9] eliminatâ. Quod fit per [12] ſimulachrum Genii [11] Elementaris Mundi præſidis, ſacro ritu, cultu, ſymboliſque ad ſuperiora Numina attrahenda analogis. Ab his enim [13] Vita [14] Cœlo, [15] beneficentia & [p] ubertas [16] in Craterem ſacrum, cui præſunt [17] Arueris & [18] Nephtys Genii (hâc ſimulachrorum fabrica colendi) profluit; [19] dominantur enim [20] humido, affluxus [21] in receptaculo ſacri liquoris præſides; [22] cœlum [23] humectans, [24] vitam dat, influitque per duodecim [25] manſiones Arcis magnæ in [26] humidum, cujus [29] humidi [30] præſides ſunt [27] Mophtæ [28] Aſſeclæ hoc imaginum habitu exprimendi & colendi.*

L

*Lateris Meridion. ſchematiſmus quintus.*

*Vide Horum lib. 1. Iſ. Clem. Alex. lib. 6. ſtrom.*

Penultimo lateris hujus ſchematiſmo pergentibus nobis duo Cynocephali ſacro habitu induti ſeſe offerunt, Lunares Genii, acceſſus & receſſus à tropico ad tropicum indices. In capitibus globum ſerpentiferum cum pennis habent, divini Numinis promptitudinis & in rebus producendis feracitatis ſymbolum; in manibus anſatas Cruces portant, quibus influxus in inferiora, per [7] pyramidem indicatus, ſibi à [8] ſupremo Numine communicatus, notatur; quibuſque adverſæ poteſtates unice prohibentur; & calidum ac humidum, in quibus vita conſiſtit, motu ex [9] Ortu in [10] Occaſum facto, promovetur, unde [12] ſeminalium rationum miſcella in vitam animata, rerum, quam videmus varietatem producit, quæ nempe per [12] ovum & [11] ceraſtem indicantur. Poſt hæc ſequuntur ſimulachra [13] Anubis & [14] Nephtyos [16] hylęorum videlicet Mundorum præſidum, divini [15] Numinis in [16] inferioribus miniſtrorum: id enim alatus globus in capite canis indicat. Ipſe verò proſtratus jacet, cum ad cuſtodiam rerum, tum ad ſubjectionem, quam exhibeat ſupremo Numini, (quamque & velocitate ad mandatis ejus obſecundandum, binis illis pennis in capite poſitis, indicat,) oſtendendam; hanc & [14] Nephtys ſupplicantis in morem effigiata, ſeque ad influxum Numinis ſitu corporis veluti diſponens apte docet: his enim genii vis divina, per [15] globum indicata, hylæis Mundis, quibus præſunt, [16] tribus ſignatis quadratis, communicatur. Illa excipit figura [17] humana circulum ſeu rotam circumagens, cui adponitur eadem regione faviſſa, ſeu [18] receptaculum affluxus ſacri, cum binis [19] ſphæroidibus, quibus ſupponuntur duo [20] pedes. Circulus ſive rota, quam prima figura circumagit, vocatur circulus Hecates, quia Hecatæ dicatus eſt, quemque in adytis & ſacrificiis, teſte Pſello, ad Numina ſollicitanda circumagere ſolebant, de quo in Oraculis Zoroaſter: ἐνέργει περὶ τὸν ἑκατικὸν στρόφαλον, *Operare circa Hecatinum circulum*, quam cerimoniam deſcribit in Scholiis ad dicta Zoroaſtris oracula Pſellus: *Hecatinus circulus Orbis eſt aureus in medio ſapphirum incluſum complectens, loro bubulo converſus, undiquaque varias figuras & characteres habens, quem rotantes perficiebant invocationes; atque iſtiuſmodi ſunt, quas Iyngas vocare ſolent; ſive orbicularem, ſive triangularem, ſive aliam quamcunque figuram habeant. Atque dum circumagitant Orbem illum, ſonos inconditos vel etiam belluinos cum clamore emittunt, ridentes, & aerem flagris ferientes.*

L

*Cruces anſatæ.*

*Pyramis ſub ſegmento. 7.*

*Retinaculum bicuſpe. 9. 10.*

*Anubis cum globo alato.*

*Nephtys.*

*Circulus Hecatinus.*

*Pſellus.*

*Circuli [18] ratio in ſacris.*

Volvebant itaque hanc rotam in ſacrificiis, quia Numen occulta humidæ naturæ receptacula, [19] cœloſque tranſiens,

L

*Pedum figura, Sphæroidumque.*

*Serpens, Sphæroides, & proxima symbola.*

iens, ut [20] pedes & bini [19] sphæroides indicant, hoc strepitu ad id, quod petebant, concedendum sollicitari credebatur; [21] vitam scilicet [22] cœlestem, ex [23] beneficentia Numinis, qua humida [24] natura [25] vivificaretur, fœcundareturque: videtur hæc rota, seu orbis in variis adhuc fragmentis hieroglyphicis, inter manus vel sacrificantium, vel pompas solemni ritu celebrantium. Prætereà [28] cœlestem [27] Osirin, virtute à triformi Numine accepta, vitam & fœcunditatem haurire hujus cerimoniæ vi, quam deinde vegetabili naturæ communicaret, putabant. Atque [27] Osirin [28] cœlestem significat Accipiter, [28] sphæroidi insidens; influxum verò à supremo Numine vegetabili Naturæ communicatum [26] thyrsus Loti indicat ex vase Nilotico deductus, & triplici [a c b] capreolo insignitus. Iterum hoc ritu Lunam Osiridis tæniis ligari credebant, ne immodica humoris vi, vegetabili naturæ officeret. Ejus rei index est sequens figura [29] Ibidis, junco [t, s] sacro alligatæ, cum Tiara ex qua capreolus emergit, Numinis in vegetabili natura dominantis nota. Sunt autem, teste Macrobio, tæniæ Osiridis nihil aliud, quàm radii Solis, quibus humidum Lunæ superfluum diminutum ad temperiem reducitur; [30] potestasque acquiritur contra vim vegetabilium adustivam Typhoniam: nimirum & Lunæ suæ tæniæ * sunt, ut apud Pierium Valerianum Macrobius perhibet.

*Thyrsus ex vase Nilotico, cum viticulis.*

*Ibis ad juncum alligatus.*

*Tiara cum Capreolo vitis.*

*Tæniæ Osiridis quæ dicantur.*

** Græcis lancum capit. ornam. Ægyptiis cirri linei instar funiculorum; quibus seque deosque ornabant.*

Porro dantur, Accipiter collum contrahens tamquam ad somni quietem, insidensque horizonti; post illum Aspis [32] Agathodæmon supra horizontem: quo indicabatur, dormiente Osiride, id est, infra hemisphærium constituto, omnia contabescere; vigilante verò sive supra horizontem versante, omnia tripudiare, vitam & prosperitatem omnibus conferri: hæc verò duo symbola quæ hic distincta vides, ut plurimum aliàs in unum contrahere solebant, eaque exhibere sub Aspide accipitris capite insignita; id quod præclarè sane ad Ægyptiorum mentem describit Arius apud Eusebium: *Primum idque divinissimum animal est serpens Accipitris formam habens, valde gratiosum, id si palpebras erigebat, primogenitam omnem suam regionem replebat, cum verò clausos retinebat oculos, tenebræ fundebantur.*

*Accipitris symbolum insignius.*

*Arius.*

L

Sequitur idealis discursus lectio:

*Latere 2. schematismi 5 textus idealis.*

*Supremum [1 2 3] triforme Numen per [7] sacræ Lunæ [4] accessum & [5] recessum menstruum [6] spiritu suo vivifico [8] divinoque [9] ortus & [10] occasus influxu in inferiores [7] terræ partes facto, [11] vitam omnibus largitur per [12] seminalium rationum dispositionem. [13] Anubis & [14] Nephte trium [16] hylæorum Mundorum præsides, Sacri liquoris [18] receptaculum per [19] cœlos expletum, divini Numinis omnia [20] transeuntis assistentia, per Hecatini [17] circuli circumvolutionem strepitumque ab adversis potestatibus conservant, unde [21] vita [22] cælorum sacra Numinis [23] beneficentia, & [24] humidi [26] vita conciliatur. [27] Osiris [28] cælestis, [30] potestate à supremo [a, b, c] triformi Numine communicata, & vi in inferiorem [n] Mundum derivata ligat [29] Lunam, ejus immodicam humiditatem infringendo, ex cujus temperamenti vinculo [s t] harmonia nascitur. Osiride [31] Agathodæmone dormiente omnia contabescunt, [32] vigilante verò omnia tripudiant, vita & prosperitas omnibus inferioribus conceditur.*

*Sextus hoc est postremus meridiani lateris schematismus.*

M

*Hierogrammatis numero 3 signati explicatio.*

Initio ultimi schematismi mira quædam & prorsus exotica metamorphosis datur. Volucris est, unam alam habens, & loco alterius alæ brachium humanum substitutum, cum uno pede, volucris ungue in formam serpentis abeunte, caput prætereà Accipitris habet, corpus reliquum Ibidis; qua admiranda metamorphosi, quid indicaverint, videamus. Ægyptii itaque naturam rerum polymorpham contemplantes, Numen præterea supremum pariter πολύμορφον, omnes naturalium classes pertransire, singulis vitam & fœcunditatem motu suo immobili communicando. Vt hanc πολυμόρφωσιν exactè exprimerent, partes è singulis classibus assumptas in unicam congesserunt mysticam figuram, ut sic tandem mirum, & exoticum simulacrum prout eorum ferebat ingenium, exhiberent; cujusmodi præsens symbolum est; quo quicquid in hoc latere Obelisci de Polymorpho Numine omnibus rebus illapso fuse & ample tradiderunt, hic epitomικῶς referre videntur. Per caput enim accipitris Deum immensum intelligebant; per [2] brachium humanum nihil aliud significantes nisi mentem secundam rerum conditricem sive paternæ voluntatis execu-

*Caput ejus accipitrinum.*

*Brachium, manusque,* *Alaque,* *& Pes.*

executricem, quod & manus indicat; ala verò ſpiritum polymorphum notat, à prima & ſecunda mente procedentem, in cujus, ut & mentis opificis per pedem in ſerpentem deſinentem indicatæ, poteſtate vita rerum omnium eſt. Hinc ſequitur quomodo Triforme Numen ſub hoc ſymbolo comprehenſum triplici mundo ſe infundat.

In Angelico mundo per caput Accipitris innuitur vis ignearum poteſtatum, ſive geniorum ſublimium Deo vicinorum, quos orthodoxa doctrina ab ignea vi Seraphim appellat; per manus, Genii rerum omnium executores, quos Angelos, Archangeloſque vocamus; ala continentur mundi præſides poteſtates promptiſſimi & perniciſſimi, qui deinde in alias claſſes pro mira officiorum effectumque ſuorum varietate diſtinguntur. Triforme Numen in mundo Sydereo polymorphum conſyderatur varietate ſtriarum macularumque per avis corpus diſperſarum, quæ nihil aliud indicant, quàm ſtellas in firmamento; per caput verò Solem innuebant; per humanum brachium ac manum rerum executionem intendentes, ſtellas nimirum, & Solem, & Lunam veluti officinas vivas Numinis triformis eſſe. In elementari denique mundo per caput accipitris ignis intelligitur; ibide aquaticâ aqua cognoſcitur, alâ aëriâ aër, ungue ſerpentino terra; ex quorum genitalium corporum conjunctione variæ tandem rerum naturalium claſſes fiunt, ex quibus animarum humanarum ignea quadam vi pollentium ſenſus accipitre ſuggeritur, ala volucrium claſſis noſcitur, ſub Ibide aquatilium intellectus datur, quadrupedum ſignum pes habetur, ſerpente demum inſecta ſignificantur; in quibus omnibus omnia operatur triforme Numen, opifice mente ſua, per brachium humanum indicata, omnem rerum varietatem, quam indicant maculæ, producens. Præterea ſymboli hujus in formam crucis efformatione univerſalis in omnia mundi corpora influxus traditur.

*Symbolorum hierogrammatis 3 ſignificatio in mundo geniali:*

*aut Hylæo.*

*In ſymbolis Claſſes rerum naturalium.*

*Situs hujus ſymboli.*

Sequitur poſt ſymbolum polymorphon ſtatua [5] myſtagoga ſive magica, quæ ſitu ſuo literis Ægyptiis matrem, & oculum Oſiris exprimit, atque in hanc ſpiritum illum univerſi virtute artis hieromanticæ ſe traducere poſſe, credebant, per Oſiridis σειρὰν, quam vocem Pſellus explicat, quaſi Geniorum ſeriem catenæ more connexam, quam per [6] funiculum in formam catenæ triplici gyro, triplicem mundum indicantem, oſtendebant. Primus gyrus circularis, mundum Archetypum; ſecundus cycloides ſive ovatus, mundum Cœleſtem; tertius interruptus, Elementarem mundum facile innuebat; & hos gyros Chaldæi Zonas vocabant. Sequuntur jam ſymbola Geniorum: primò Solaris Genii, aſpis, cui ſceptrum [9] triplicis dominii ſubjicitur & è regione datur vas [8] Niloticum: ita nempe caloris vim in humidorum miſcellam agentem apte notabant; ex calido enim & humido omnia, quæ in mundo ſunt, conſiſtunt, & ut hoc luculentius oſtenderent, veluti ad enumerationem partium procedunt, quas ſequentibus ſymbolis ſignificant. Horum [10] ſive Mundum ſenſibilem caput pueri notat; Iſin [11], humidum terreſtre, caput fœmineum Horo ſubjectum; Myſtagoga [12] ſtatua Momphta virtutem omnium diſpoſitivam; & demum [14] Sothin, quem Græci Αςρκύωνα dicunt, forma canis ſedentis; quem Phœnices Thaut, id eſt, Mercurium dicebant; atque hæc eſt σειρὰ ſive catena Deorum, qui, ſupremi Numinis ductu, πολύμορφοι omnia quæ in mundo ſunt adminiſtrant, & diſpenſant. Pſellus in Anacephalæoſi dogmatum Chaldaicorum, (quæ nihil aliud ſunt quàm ſcholia in oracula Zoroaſtris Ægyptia:) *Sunt apud ipſos quoque Hecates Azoni, quæ Zonas non habent, ut Chaldaica* τριεκδότις, κωμὰς, & ἐκκλυςικὴ; *Dii autem Azoni illis dicuntur Serapis, & Dionyſius, Oſiridis item* σειρὰ, *quaſi dicas, Geniorum ſeries catenæ more connexa, & Apollinis; appellantur* ἄζωνοι *Dii, quod expeditè poteſtate ſua in Zonis utantur.* Quid verò per τριεκδότιν aliud quam triforme Numen, quod â Chaldæis ſub forma trina adorabatur, intelligatur? quid per κωμὰς, niſi mens opifex, quæ omnibus mundi vicis, unde & κωμὰς dicitur, ſe inferat, omnia in omnibus operando? quidve per ἐκκλυςικὴν, præter ſpiritum mundi omnibus incluſum intendatur? quæ quidem appoſite quadrant volucri polymorphæ, Hecatæ Archetypæ, ſive triformis Numinis τριεκδότȣ ſymbolo; quod

*Statua ſpiritus mundani.*

*Catenæ figura & explicatio ſymbolis ſequentibus.*

*Anguis arduus.*

*Sceptrum & vas.*

*Caput pueri,* *Fœminæve.* *Statua Momphtæa.* *Canis.*

*Pſellus edit. Pariſ. authore Opſopæo. fol. 116.*

*Chaldæorum & Ægyptiorum dii comparati.*

M quod sequitur catena Geniorum, quorum ope omnia perficiuntur: Serapis nempe, hoc est, teste Eusebio, spiritus mundi per [7] aspidem erectum indicatus; per vas [8] Niloticum Bacchus, seu Momphta humidi præses, quem sequuntur [10] Horus, id est, Apollo, [11] Isis, [12] Nephte, & [14] Anubis, Hecates asseclæ, quibus [30] vita rerum commissa est, in omnia [13] mundi membra propaganda; paret igitur, quàm aptè authorum monumenta hieroglyphicis respondeant. Sed canis symbolum ad multa in hoc Obelisco facit. Mercurium enim, literarum ac multarum rerum humano generi necessariarum inventorem, post mortem in cœlum translatum, in ea plaga, quam Leo occupabat, videlicet in Syrio, sive Cane majori, ad sagacitatem ejus indicandam, regnum suum constituisse credebant. Hic præcipuus Ægypti [14] genius & custos, seu [15] Tutelaris patriæ terræ est, utpotè qui [30] Polymorphi genii [15] influxum derivet in inferiora, unde [30] vita [13] mundi, & abundantia rerum omnium ac absoluta felicitas emanat; quæ omnia per sedentis [14] habitum, per [15] Crucem ansatam, per [13] globum serpente conspicuum, per alium denique [16] serpentem cum segmento circuli & sceptro indicabant. Cùm itaque talis ac tantus esset hic Genius, regno terreno, sacerdotio, & sapientia celeberrimus, sacrarum literarum unicus institutor, Reges posteros in beneficiorum memoriam hujus cultui potissimum intentos fuisse, constat; præ omnibus autem hujus Obelisci Erector, qui cùm nomen sibi Sothis ab hoc Sothi sapientissimo Rege, Sacerdote & Philosopho assumpsisset, hunc Obeliscum quoque in ejus honorem, à quo omne bonum processisset, erigere constituit, & ut id posteritati constaret, Canem [14] sedentem in fine Obelisci exprimendum curavit, qui & Mercurium & Erectoris Sothis nomen veluti symbolum utrique commune exhiberet, gratitudinemque suam ei, à quo omnia accepisset, [15] Tutelari & regni & regiæ potestatis, hoc symbolo testem relinqueret; posuit autem eundem in plaga meridionali, eo quod Sothis meridianæ potissimùm plagæ dominaretur, à qua effluxus Osiridis, hoc est, Nili initium, cujus Sothis custos esset, & consequentur omne bonum promanaret. Atque hæc sunt, quæ de secundo Latere Obelisci explicanda restabant.

*Aspis erectus.* *Vas Niloticum.* *Hori atque Isidis capita.* *Nephtyos simulachrum.* *Serpens cum globo.* *Anubis.* *Crux ansata, Serpens, Segmentum, sceptrumque.*

M

Quam brevissimè verò hæc omnia ita concipias:

*Schematismi 6 later 2. constructio idealis.*

[1] *Triforme Numen Mundo materiali immersum* πολύμορφον, [3] *virtute sua omnia pervolat, mente* [2] *sua opifice omnia exequitur,* [4] *spiritu suo vivifico omnia rapit, inferiora superioribus per* [5] *influxum connectit,* [6] *concatenatque. Vnde* [1] *varietas rerum existentium in Mundo; hoc iterùm* [7] *igne divino* [7] *Agathodæmonis magni, sacrum* [8] *humorem temperat & fœcundat.*

[9] *Superiori & inferiori Mundo dominatur, cujus Asseclæ* [10] *Horus,* [11] *Isis, Genii singulari ritu, &* [12] *cerimoniis per* [12] *statuam iis erectam colendi sunt.* [14] *Sothis* [30] *vitam à triformi Numine inditam* [13] *Mundo custodit, servat & influxum supernum* [15] *cum infernis conjungens,* [16] *vitam dat* [17] *rebus omnibus.*

[14] REX SOTHIS *amore, & reverentia hujus Numinis motus, hoc sacrum saxum ei veluti* TVTELARI *cognomini, à quo vitam, & dominium acceperat, ponere voluit.*

Duabus ex partibus Obeliscum vidimus, convertamus ergo nos ad tertiam faciem; in qua quæcunque occurrunt ex antè interpretatis, intellectioni nostræ satis applicata, leviter tangemus, in cæteris pro modo longiores. Primum in primis suprà explicavimus Hierogrammatismum; igitur jam ad secundum pergimus. Occurrunt hic principio bina simulachra mystagoga, ibidis caput habentia, & sacro velamine vestita, hemisphæriis insidentia. Hæc sequitur [2] vultur [3] Cœlis insidens; postea caput pueri trizonii inter duo [4,6] retinacula intermedium, deinde [7] Accipiter, cui [9] serpens [8] globum circumdans apponitur, crateri [10] insidens cum sceptro [11] binodi & receptaculo Isiaco sivè cisterna [12] sacra; huic supponitur [13] brachium manu extensa; tum baculus [14] tuberosus, ex quo serpens emergit unà cum [15] hydroschemate; & thyrsus [16] Papyraceus; cum [17] coturnice ac duobus [18] [19] serpentibus; quos dictus thyrsus & [20] papilio δρακοντόμορφος excipiunt, cum hemisphæriis supernis, & uno inferno [22] grandiore, præterea duo baculi, inter quos tres [23] circuli medii dantur, & denique duo scaleni [24], inter quos bina [25] qua-

*Lateris tertii schematismus secundus.*

O

O

*Quid intenderint his symbolis.* quadrata sunt. Nimirum cùm in primo Schematismo ostenderint influxum triformis Numinis in quadruplicem Mundum, jam ad particularia descendentes, describunt in hoc latere operationes, effectus, & cultum Numinis ibiaci, humidi tam superioris, quam inferioris naturæ præsidis, prout per binas imagines mystagogas cum ibidis capite apte significatum est. Cum enim plagam occidentalem, adversis dæmonibus, humidum beneficum anniversario flatu Lybico continuò infestantibus, refertam comperirent, hinc prophylacticos, occiduam plagam respicientes Genios, humidæ naturæ præsides ponunt, quorum virtute ab infestis Geniis se tutos, & innoxios rebantur; ipsos ob hoc variis sacris placare conantes. *Velum sacrum.* Velum illæ sacrum gestant, quo teste Plutarcho, statuas has ornare solebant, & in capite cucurbitam: *Cucurbita humidæ naturæ symbolum.* nimirum sicuti fructus ille ventricosus omnem in se terræ humorem derivat, ita Genius humidæ naturæ præses, omnem in se humorem attrahit, dominium in aqueum Elementum habens, quare & ipsius capiti cucurbita illa imponitur, scilicet quia ratio in capite existit, ex quâ omnis vis & potestas emanat. Duobus verò hemisphæriis insident, ad indicandam potestatem hanc in omnes duorum hemisphæriorum horizontis res extensam. Brachiis uterque & pedibus exprimit V, symbolum influxûs superni Numinis, cui subsunt, participandi, excipiendique. Quoniam verò Genii concatenati sunt, & Genius humidæ naturæ suam intentionem assequi nequit, nisi adjuvetur à cœlesti potestate, *Vultur.* hinc illi supposuerunt[2] vulturem, qui cum in suo genere semper fœmina sit, ab aëre concipiens, ut paulò ante diximus, principium passivum denotat, cœlum nimirum, teste Horo, quod in utero suo omnium rerum generabilium semina continet. *Figura cœlestis.* [3] Cœlesti idem figuræ insidet, ad ostendendum, humidam naturam nihil proficere, nisi à cœlo veluti in utero quodam disponatur ad rerum generationem.

*Horus.* Hinc vulturi supponitur intra [4] [6] duo retinacula Horus Mundi [5] conciliabulum, sub forma capitis puerilis, nimirum quia mundus semper nova rerum productione floret; collumque ejus tres Zonas habet, quod Mundus universus tripartitus seminalibus rationibus repleatur, unde bonorum omnium redundantia existit, quomodo hoc symbolum fusiùs apud Plutarchum exponitur. Sed quum nihil proficiat mundus, nisi Solaris Genius accedat, ideoque Horum excipit [7] accipiter, illius Genii symbolum, una cum [8] globo [9] serpentigero, cujus virtute & efficacia Mundus animatur fœcundaturque: [10] ille crateri insistit, quia vis & potestas Solis calore suo maximè in humidam naturam, eam attemperando disponendoque ad generationem rerum in hylæis Mundis agit, in quos potestatem suam exerit. *Accipiter.* *Globus cum serpente.* Sequitur [11] Baculus hieroglyphicus qui hoc loco binis nodis quadrangularibus insignitus, indicat vim in infernos Mundos, & potissimum in humidam naturam subterraneis conceptibus refertam, quam per sacram [12] cistam, sacrorum opertaneam eidem suppositam aptè exprimunt. *Baculus binodis.* *Cista sacra.* Brachio extenso dominium beneficum [13] significatur, ex quo per alium baculum tuberosum, serpente fœtum, juxta cum hydroschemate, indicatur vita & fœcunditas aquarum. *Brachium extensum,* *Baculum tuberosum,* Et quoniam moliminibus boni Genii, adversæ potestates insidiantur, & malignis machinamentis suis rerum necessariarum usum fructumque per thyrsum [16] papyraceum & [17] coturnicem indicatis, vivificum superiorum inferiorumque spiritum, per [18] duos [16] serpentes insinuatum, variis modis impedire solent: *Thyrsus papyri.* *Coturnix* *Bini serpentes.* hinc polymorphum Genium per papilionem [21] δρακοντόμορφον indicatum apposuerunt coturnici malignæ, id est, adversis potestatibus; *Papilio.* hujus enim vi & potestate, usus rerum necessariarum per thyrsi [20] notam in [22] inferioribus conservatur, & ab omni infausta potentia defenditur; *Thyrsus.* *Segmentum inferius.* qui cum in triplicem[23] Mundum potens sit, vim omnem fœcundæ [14] generationis rerum in Mundos [25] elementares [24] rerum generatione varios deducit, quæ aptè per duos scalenos & duo quadrata indicantur. *Sceptra,* *Cum Figuris Geometricis.* Nam Polymorphus Genius omnia in singulis Geniis operatur; *Genius polymorphus.* humidam quippè vim rerum altricem promovet in Dionysio, seu Baccho; in Hercule seu Momphta solidativam rerum; ut in Ammone fœcundativam; receptivamque vim in Terra; operatricem,

O

O

cem,in Nephte seu Proserpina; in Luna seu Isi vim denique humectativam;|si tamen quandoque excessus defectusvè in mundana domo Hori in rerum dispositione contingat,ille per Typhonem,vim adustivam & causticam, vel superflui humoris, ( omne enim excessivum vel defectivum in natura rerum Typhon notat, ) ad mediocritatem reducit, & consonum reddit, non secus, ac in corporibus perniciosis humoribus oppletis caustica, aut in plus æquo siccis hydrotica medicamenta faciunt. Quæ omnia quam pulcherrime Plutarchus explicans,huc respexisse videtur: *Rursus*, ait, *ubi Osirin Isis recepit, & Horum educat exhalationibus & nebulis, ac nubibus crescentem & roboratum; superatus quidem, non tamen etiam interfectus est Typhon, non enim passa est Dea, quæ terræ domina est, undequaque aboleri naturam humori contrariam; Sed dimittit eam, & laxat, cupiens temperiem relinqui, quia non poterat mundus esse perfectus, abolita ignea natura.* & paulò post. *Nam genitalem & alendo aptum spiritum Bacchi nomine afficiunt; qui vim percellendi & dividendi habet, Herculis; qui recipiendi facultatem, Ammonis; id quod per tellurem & fruges penetrat, Cererem & Proserpinam; quod per mare Neptunum nominant. qui autem naturalibus istis etiam mathematica quædam astrologica admiscent, ii putabant Typhonem esse vim adustivam Solis, Osirin humectativam Lunarem: Lunam enim,quæ lumen habet genitabile, & humectans, prosperam esse dicunt & animalium procreationi & stirpium pullulationi; Solem verò intemperato igni plus æquo calefacere, exsiccareque natas & florentes stirpes, & suo ardore magnam partem terræ fecisse habitationibus ineptam, ac sæpe etiam Lunam ab eo superari. Itaque Ægyptii Typhonem Seth nominant, id significante vocabulo quod vi prævalet*; Hac de causa scilicet mox sequitur tabula sacra, quâ veluti amuleto quodam, & adversarius profligatur, & benignus Genius attrahitur placaturque. Sed lectionem idealem hujus schematismi formemus ante necesse est:

*Vis Polymorphi in rerum excessu aut defectu.*

*Plutarchus.*

*Quæ causa deinceps positæ sacræ tabulæ.*

*Schematismi 2, lat. 3, contextus idealis.*

[1] *Ibiformes humidæ naturæ in inferioribus præsides Genii ritu sacro colendi sunt, quia hi genitalia principia primò in* [3] *cœlum, tanquam* [2] *principium passivum seminaliumque rationum receptaculum diffundunt; Quæ* [5] *Horus sensibilis mundi retinaculum* [5,6] *actuat, & colligat;* [7] *Osiris verò iis incubans,* [9] *vitali spiritu, tum* [8] *Mundum, tùm* [10] *craterem sacrum fœcundat; cujus* [11] *bipotenti Dominio in inferiora,* [12] *cista opertanea, sivè subterranea reseratur, cujus &* [13] *benefico* [14] *vivificoque dominio,* [15] *aquæ incrementum capiunt. atque hinc* [16] *rerum necessariarum profluit ubertas, omni* [17] *Typhoniâ vi dispulsâ;* [18,19] *vita tam in superiori, quam inferiori mundo propagatur.* [21] *Polymorphus denique naturæ Genius se singulis miscens, nova* [22] *inferiorem mundum* [20] *rerum necessariarum abundantia, & varietate instruit* [23] *trium mundorum dominator;* [14] *generationis rerum in mundis hylæis Author unicus.*

O

Vides igitur Lector ex his,quomodo Lunares Genii ad generationem rerum materiam disponant, Solares dispositam actuent, & fœcundent; Polymorphus verò actuatæ ultimum complementum in varietate rerum producenda, præbeat.

Proximè sequitur sacra tabula eadem ferè quæ antè in Schematismo VI Lateris II spectatur: habeturque hic primo loco [1] Scalenus, cum [2] brachio extenso, & duobus sceptris [3,5] binodibus, & sphæroide [4] intermedio. Post hæc [6] serpens, cum [7] receptaculo sacri influxus, & duabus [8] pennis, [9] brachioque extenso, cui subjungitur [10] hydroschema cum baculo seu [11] sceptro. Sunt hæc sacra symbola arcana quadam ratione ex rebus ad benignum Genium analogis constructa & hinc affinitatem quandam sivè sympathiam cùm Genio habere putabantur, atque adeò hisce eum attrahi,& contra infaustas potestates propulsandas animari. Nam, ut in præcedentibus dictum, Scalenus figura mysteriis referta est, & principii generationis rerum typus unicus, nec invenustè à Plutarcho dictus *σχῆμα γονιμὸν, fœcundum, nuptiale.* Reliqua hieroglyphica, quæ suprà frequenter attigimus, præter lectionis mox sequentis enarrationem, singulari explicatione non indigent. Effectus itaque sacræ tabulæ sequentia symbola indicant: Iuncus [12] papyraceus cum [13] vase Nilotico, cui juncta figura [14] linguæ,tum [14] concha cum folio perseæ, deinde [16] quadratum & [17] vas Niloticum,Araque.Per thyrsum junceum Chenosiris potentia, vase Nilotico cum annexa figura linguæ, humorem irriguum quod sicuti lingua perpetuo

*Tertii lateris schematismus tertius.*

P

*Sacra tabula quid sibi velit.*

*Tabulæ effectus in symbolis sequentibus.*

*Iunci significatio,*

*Vasisque & Linguæ,*

P

petuo eſt in humido, & humorem in cætera membra derivat, ita Niloticus humor ſupernus in reliquas Mundi [17], teſte Horo, annuum incrementum deducit, quo neceſſariarum rerum ubertas conceditur. Conchâ denique ſeu cyatho ſub forma cordis cum folio perſeæ & arâ ſubjectâ indicatur, quòd Numen, cui ſacra tabula inſcripta eſt, lingua & corde ſollicitari debeat, nimirum hymnis & laude, ſtudioque ſapientiæ cum religione juncto, ut tunc amuletum præcedens vim ſuam conferat precatoribus. Sequitur ſceptrum Mophtæ. Deſcripturi nimirum, ut Plutarchus teſtatur, potentiam & dominium alicujus genii, ſuper ſceptrum literam ejus depingebant. Ita hoc loco Momphta deſignant per literam M, quæ aquam ſignificat, cujus ille præſes erat, quaſi dicerent, Deus incrementi aquarum, literâ M indicatus. Pennâ aliàs vel velocitatem, vel ventum, vel animam, aut divini numinis impetum indicantes, hic nihil aliud quàm zephyrum auram purificantem intendunt; & per piſcem Phagrum malitiam, ſeu malitioſam vim Typhoniam aërem aduſtiva quadam facultate infeſtantem. Phagrus enim piſcis marinus genitale Oſiridis à Typhone in flumen projectum devorare dicitur, nimirum cum venti Typhonii ex mari inſurgunt, ſicci & aduſtivi, quibus genitalis Nili humor & fœcunditas ſperata impeditur: ideoque Phagrus pro ſymbolo abominationis & mali ominis habetur, qui cum è mari aſcendens in Nilo conſpicitur, ſignum eſt incrementi tenuis & exilis, ut ex Plutarcho rectè intellecto aut correcto patet, de quo videatur Oedipus, hoc loco. Præterea verò proponitur ſchematiſmo noſtro [21] Μονία, & [22] receptaculum ſacri liquoris, ac figura quadrilatera, tum hemiſphærium, & quadrangulum, [23] brachiumque extenſum; Indicant nimirum per Moniam vim à ſuperioribus in quadripartitum mundum & ſubterraneos meatus devehi, unde ſacri liquoris receptaculum benevolentia Numinis repletur, uti ſuprà explicatum eſt, & [25] aquæ inferioris mundi [24] quadripartito influxu [26] vivificantur: divinus [25] Oſiris duplici dominio potens [28] cœlos, [30] influxuque ſuo [29] mun-

*Conchæ ſymbolum, foliique perſeæ & aræ.*

*Sceptrum cui ſuprà M appoſitum.*

*Pennæ ſignificatio varia.*

*Piſcis ſymbolum.*

*Obeliſc. Pamphil. lib. 5.*

*Figuræ, quæ numero 21 ſignata, explicatio:*

*Ceterorumque jam ante notatorum.*

*De Obeliſcis.*

dum inferiorem beat & bonis omnibus replet; quem influxum ſcilicet per pyramidem quem [31] manus brachii porrecti tenet, referunt. Iam verò cuncta recole ſacræ conſtructionis idea; primo nimirum ſacram tabulam:

*Brachium cum pyramide.*

[1] *Generationis præſidi* [2] *benefico* [4] *Cœlorum* [3], [5] *dominatori*, [6] *vitæ invectori in* [7] *receptaculum affluxûs aquarum;* [8] *inimicæ virtutis averuncatori*, *Aëris* [9] *conſervatori*, [10] *humidi* [11] *dominatori potenti.*

*Schematiſmi tertii Lectio idealis.*

Effectus ſacræ tabulæ.

*Sacrâ hâc prophylacticâ tabulâ*, [12] *neceſſaria* [13] *humeris copia ad* [14] *vegetabilium* [15] *irrigationem germinationemque ſuppeditatur*, [16] *annuo* [17] *Nili incremento.* [18] *Mophta* [19] *aëris* [20] *pernicioſam & Typhoniam vim à Lybico cardine derivatam infringit;* [21] *canalem* [22] *receptaculi ſacri liquoris, uti &* [22] *ciſternam Iſiacam* [23] *beneficè in affluentia ſua conſervat;* [24] *influxu quadripartito incubat* [25] *aquis, eas calido, &* [26] *humido vivificando;* [27] *divinus Oſiris duplici* [25] *poteſtate* [28] *cœlos* [20] *infernum Mundum* [30] *influxu ſuo* [31] *beat, & omnibus bonis implet.*

Q

Quarto hoc ſchematiſmo occurrunt duo [1] ſceptra oculata; mox [2] tripus τρισιερόμορφος id eſt tribus ſuſtentaculis in formam triangularium annulorum concinnatis effictus, & duæ [4] noctuæ, cum [5] ſimulachro myſtagogo. Sequuntur tria [6] quadrangula, & [7] trabs duodecim quadratis conſpicua, tum tria [8] vaſa Nilotica, ac baculus [11] ſerpente fœtus, [10] ſceptrumque oculatum, cum [11] hydroſchemate, & [12] ſerpente, cui [13] feretrum ſacrum ſupponitur. Hæc excipiunt duo [14] Sphæroides, brachiumque [16] extenſum, manu [15] pyramidem tenens; iterumque [17] trabs duodecim quadratis illuſtris, cum [18] hydroſchemate, ſub quo [19] tabula ſacra, iterumque [21] hydroſchema, & è regione [20] cucurbita. Iſta ſequuntur [22], [23] ſex ſtatuæ myſtagogæ, quoad ſitum omnes inter ſe ſimiles, niſi quod tres ſuperiores tiaris diverſis ab inferioribus veſtiantur. Secundum hæc [24] caput Hori eſt, ac [25] ſacerdotis figura, [26] & alter Horus aræ inſiſtens, cum [27] accipitre, quibus ſubjicitur figura [18] catenæ, [30] phallus [29] oculatus, ac [31] Scarabeus.

*Lateris tertii, occidui, ſchematiſmus quartus.*

[1] Sceptrum oculatum, ut alibi demonſtravimus ex Macrobio, indicat divinum intellectum, quem ipſi Oſiri-

*Interpretatio ſymbolorum. Phallus oculatus.*

Bbb dem

Q

*Divini intellectus appellationes.*

dem Archetypum sivè supramundanum vocant, mente suâ opifice omnia collustrantem; ideò duo ponunt sceptra, quod sicuti Sol & Luna sunt veluti duo quidam oculi in Mundo, omnia inferiora lustrantes, ita divinitas suprema, unà cum mente sua opifice, in Sole & Luna omnia perlustret, omnia in omnibus operetur; ut autem indicarent, quomodò per ideas divinas triformi Numini communes id fieret; hinc aptè sane supposuerunt oculis [3] tripodem mysticum cum [2] globo seu circulo, ex quo tres radii ex triangulis contexti profunduntur versus inferiora; quo quidem hieroglyphico nihil aliud denotabant, nisi triformis Numinis ideis fœti processum in universa, ideas nimirum cum singulis classium rerum creatarum trigonis, in quantum earum capaces sunt, communicantis; ab his enim ortus omnium est, & existentia universorum, cunctaque, ut sint, vivant, sentiant, ac factori suo similia sint, habent. Succedunt hisce duæ [4] noctuæ, malorum symbolum, ex adverso duorum [1] oculorum positæ, quibus ostenditur, bonitatem triformis Numinis omnis mali expertem esse, imò malorum omnium, (quæ originem à solis rebus creatis, per binarium in noctuis numerum notatis, habent,) profligatorem esse; siquidem, ut Plutarchus ait, *Numen optimum & beneficentissimum mala nequaquam intendit, sed ea, veluti rubigo quædam ex ipsa ferri natura, suaptè sponte resultant.* [5] Statua verò mystagoga, dum sacro ritu, quem corporis situ exprimit, instituitur, ad Triformis Numinis virtutem recipiendam, tùm apta redditur, tùm ad omnia Numini contraria virtute sua, id est, ad potestatum malignarum machinationes profligandas, potens & efficax. Vt verò particulariùs triformis Numinis influxum exhiberent, ad anni temporumque aptam dispositionem indicandam, [6] tria quadrangula sequuntur, per quæ primò tres corporeos Mundos, deindè tria anni tempora significant, uti in primo Schematismo lateris primi vidimus.

*Globus tres triangulorum catenas promittens.*

*Noctuæ duæ.*

*Plutarchus.*

*Statua mystagoga.*

*Tria quadrangula.*

Cum verò tres mundi hylæi vitales suas operationes non perficiant, sine Solis, & Lunæ motu per duodecim mansiones arcis magnæ, menstruo illo processu facto, hinc aptè supposuerunt trabem seu [7] murum duodecim quadratis, veluti totidem mansionibus arcis magnæ, Zodiaci, interstinctum; quem non incongruè δωδεκάπυργον appellamus; per has enim Luna menstruo spatio, Sol annuo permeant, & trium anni temporum rationem disponunt, hylæorumque mundorum seminaria ad rerum generabilium productionem cient; horum progressu [8] Nilus cœlestis terrestrisque aquæ abundantiam, teste Horo per tres hydrias indicatam, vitali inundatione præstat; [10] oculus verò cœlestis Osiridis [11] aquis [12] vitam præbet, & proindè summo [13] cultu venerandus, quam per [14] cœlos [16] benefico [15] influxu in [17] duodecim mansiones Arcis magnæ, & hinc in [18] humidam naturam propagat, quorum symbolorum numerum quem continent duodenarium ideo sibi nimirum respondere, observes. Et hieroglyphici quidem ejus ratio inde dependet, quod Ægyptii, uti alibi ostensum fuit, Fanum Solis in Vrbe Solis, muro quodam mystico [12] pyramidibus, aut turribus quadratis dispositum cingerent, quarum singulas uni ex duodecim Zodiaci signis, singulorumque præsidibus Geniis dicabant. Hac enim mystica dispositione, Deos allectari ad favendum sacris, quæ ob sacros ritus fiebant, magna persuasione ducebantur, ut proindè non immeritò inter sacra symbola ea receperint. Proxime verò occurrit sacra [19] tabula, cum [18] hydroschemate, & [20] cucurbita; quibus indicare volunt, sacram tabulbm fieri debere humidi Genio inscriptam, deindè statuas mystico apparatu construendas; nempe tres, [21] tribus Lunaribus Geniis, & alias tres, occidentalibus [23] solaribusque Geniis, ut schema docet; tres priores cidarin in formam cucurbitæ capiti impositam tenent; tres posteriores calathum fructibus plenum. Figura statuarum refert literam N, quæ, ut in superioribus diximus, cum duplicem pyramidem, rectam & inversam, exhibeat, influxûs superni infernique, tum illapsionem, tum receptionem indicat; præterea motum generationis rerum sursum deorsumque; motum quidem supernum, brachia in formam V contorta; infernum, pedes cum fœmore in formam contrariam Λ contra-

*Δωδεκάπυργον, sive arx magna.*

Q

*Tres hydriæ, cum symbolis cæteris.*

*iteratum signum arcis magnæ;*

*ejus originatio.*

*Sacræ Tabulæ indicandæ signum.*

*Bis ternæ statuæ,*

*harumque figura quid indicet.*

Q

*quid sedere eorum sit,*

contracti indicant. Sedere finguntur, ad quietem indicandam, quâ veluti ad formarum receptionem necessariâ aptæ reddantur materiales potentiæ; superiores Lunanes cidarin in formam cucurbitæ, humidi symbolum; inferiores calathum fructiferum, Solaris benevolentiæ notam capitibus tenent; illis innuitur vis ☽ humidæ, hisce caloris in humido mistura, quâ vegetabilium abundantia, quam pollicentur, indicatur.

*quidve capitum ornamenta.*

*Numerus statuarum quid sibi velit.*

Tres ponuntur, tùm ad Triformis Numinis ideas, tùm ad trium anni temporum, quibus singulis singuli præsunt, & horæ, teste Diodoro, dicuntur, distinctionem, quam tàm Luna, quàm Sol, dum mansiones Arcis magnæ percurrunt, per dictos geniorum administros efficiunt, demonstrandam. Nam ut in præcedentibus dictum est, Sol annuo cursu tria anni tempora, Ver, Æstatem & Hyemem (juxta Ægyptios) efficit, quorum singula cxx diebus, sive quatuor mansionum signis definiuntur: Luna menstruo suo cursu per duodecim mansiones facto, annum conficit Lunarem in tria pariter tempora distinctum, quorum singula decem dierum spacio definiuntur; horum prius à Neomenia ad Lunam ἀμφίκυρτον veri, alterum, ab amphicirto ad amphicirtum, æstati, tertium ad amphicirto ad neomeniam sivè συζυγίαν, hyemi respondet. Atque illa aptè indicantur per paulo ante positum murum duodecim quadratis distinctum.

*Horus duplex: primus, cui porta subjecta.*

*Alter, aræ superstans.*

His verò ita arcane constitutis, Mundanæ domus portam sive Horum, quem caput [24] pueri cum subjecta figura portæ indicat, aperiri credebant, sicuti sub altero symbolo capitis [26] Horæi mundum fœcunditate repletum intelligebant, fotis scilicet benigno concatenatorum geniorum aspectu seminariis rerum inferiorum. Genii namque illi sunt, qui Horum stipant, Mophta & Osiris, in mundana œconomia superioris atque inferioris humidi calidique præsides, indicati habitu ac dispositione [25] sacerdotis in literas nominis Mophta transformati, nec non [18] accipitris figura. Hos ritibus colendos vult ara sub capite Hori posita; conjunctos verò & cum rebus sibi subjectis copulatos significat [28] catena. Semina rerum exhibet [30] phallus radiis solaribus, [29] oculo indicatis, fota. Scarabeus demum hoc loco signum universi est. Accipe igitur de omnibus hactenus interpretatis formatam constructionis lectionem:

*Figura sacerdotis.*

*Accipiter.*

*Ara.*

*Catena.*

Q

*Phallus oculatus.*

*Scarabeus.*

*Lateris Occidentalis schematismus 4.*

[1] *Intellectus divinus per mentem* [2] *opificem malorum* [4] *omnium profligatricem, quam generat,* [3] *ideis sibi similibus fœtam, quæ & sapientia Dei, influit per* [5] *simulacrum ritu mystico constructum, primùm in mundos* [6] *tres corporeos seu hylæos per duodecim* [7] *mansiones arcis magnæ, in* [8] *triplicis Mundi Nilum, quem* [9] *fœcundat per spiritum suum, cui & providet* [11] *humorem, &* [12] *vitam præstando, honore & sacro ritu* [13] *venerandus.* [14] *Cœlos* [15] *pyrmidali influxu* [16] *beneficat; duodecim* [17] *mansiones arcis magnæ* [18] *humore gravidat. Hinc sacra* [19] *tabula apotelesmatica construenda, ad divinitatem occultè in eam derivandam; ad* [21] *humoris omnium* [20] *principii acquisitionem. Tria* [22] *simulacra Lunarium Geniorum ritu mystico adornanda, & ad influxum recipiendum parata. Alia tria* [23] *simulacra Solari Geniorum simili forma & ritu simili consecranda, ut in ea vis & potestas cœlitus derivetur.* [24] *Hori sensibilis &* [26] *insensibilis Mundi imago per* [25] *appropriata sacrificia, per* [27] *Solem spiritus mundani præsidem* [18] *concatenata,* [30] *seminalibus rationibus, quas* [29] *oculo suo divino perpetuò fovet, Mundum universum fœcundat & beat, operationibus* [31] *analogicè institutis.*

*Lateris Occidentalis schematismus 5.*

R

Penultimo hujus lateris schematismo symbola ordine sequentia proponuntur: primo nempe, [1] Receptaculum sacri liquoris cum [2] Crocodilo; tum figura bifurcata cum binis [3] pennis, & statuâ mystagogâ [4] Mophta, nec non quadrangulis tribus; tum hydroschema, duoque Segmenta, unum inferius, & alterum superius; deinde bina brachia cœlo tensa in formam U; deinde thyrsus papyraceus, & vas Niloticum, stipatum duobus [7] Rhomboidibus, & subjectis tribus quadratis. His adduntur avis expansis alis volare nitens, & Leo [15] procumbens, & duo [12] Rhomboides, [12] Capreolusque, tum [13] penna & figura [14] Mophta cum harpagone. Hinc tria quadrangula, [8] thyrsus papyraceus, flos loti inclinatus, qui ex bulbo emergit, statua [20] Momphta, [23] calathusque capreolatus, & [24] tres serpentes bicornes cum segmento supra, post quæ deinde bina segmenta sequuntur cum tribus quadran-

R

** Figura erecta est, in cujus parte dextra tuberculum & utrinque virgula declinans.*

drangulis, & [25] thyrsi; [26] linguâque, [27] hirundineque, & serpentigero [28] caduceo*: [29] deinde datur Tiara in formam calathi capreolati, sceptrumque [30] Cucucomorphum, & [31] receptaculum sacri liquoris, quod sequitur figura [32] hirundinis, ac tænia [33] sive ligaculum, cum [34] serpente. Præterea & ibis, caput vel collum terræ appronans, triplicem capreolatum ramum quasi appetens; deinde cycloides, segmentumque, brachiumque porrectum.

*Symbolorum recensitorum declaratio. Crocodilus quid hoc loco significet.*

Receptaculum [1] sacri liquoris sequitur [2] Crocodilus, qui hoc loco nihil aliud quam Typhoniam naturam significat, priori symbolo adversissimam. Hinc unci figura prohibitionem quandam innuit malignæ virtutis, quæ scilicet per ventos benignos juxta tripartitum anni tempus propulsatur: hoc enim sibi volunt pennæ, aeris ventorumque indices, cum statua mystagoga & tribus quadrangulis. Sacros scilicet effectus Amuleti in præcedentibus exhibiti, adhuc enumeratos porrò continuant Ægyptii sapientes: propulsantur enim per illud, ab humoris sacri receptaculo, tribusque anni temporibus in tribus Hylæis mundis, præter dictos effectus, etiam omne quod humori sacro contrarium accidit, Mophta nempe vi simulacri sibi congrui, ventorum furentium vim aquis & humori infestam dissipante. Humana igitur figura statuæ tres numero in hoc schematismo literas nominis Mophta exprimunt: brachia enim cum pectore & manu pendente *M*, caput *O*, pedes cum fœmore *N* referunt, ex quibus componitur *Mon* quod incrementum Nili indicat: ita & duobus brachiis in cœlum latis invocationem numinis humori præsidis intendunt, quem hujusmodi cæremoniis analogis potenter moveri credebant, ad aquarum & [9] rerum in vita necessariarum, sequentibus symbolis indicibus, copiam, quippe per fœcundum incrementum Nili agrorumque irrigationem orientium. Aquæ enim ex Nilo redundatæ, quæ quotannis Ægyptum oblimat, fœcunda irrigatio per urnam Niloticam duobus stipatam Rhomboidibus notatur. Rhomboides enim nihil aliud est quam ἄρουρα aut arvum, sive quarta pars agri centum cubitos complectens, quo sicuti anni instantis spacium, ita agrorum inundationem, ad Sothis ortum fieri solitam, innuebant. Sequitur avis extensis alis crucem formans, Genium aërium quadripartitæ aëreæ zonæ præsidem, cum Leonio [15] Mophta & [13] penna; quo indicatur, Genium vento immisso agitare aërem, & hunc agitatione incrassatum per Leonis calorem resolutum, in humorem descendere, ex quo demum [12] agrorum vegetabiliumque fœcunditas, quæ per binos Rhomboides & capreolum indicata, emanat; statua [14] Mophta, harpagone averruncationis adversarum potestatum symbolo instructo, strenuè cooperante. Ne itaque rerum necessariarum, per [18] thyrsum papyraceum significatarum suppeditatio deficiat; utque rerum vegetabilium appetitus, Loti flore, qui ex bulbo suo emergit, luxuriem summam notante, expleatur, [20] statuæ Mophtæ [15] trium hylæorum mundorum præsidis, sacro ritu & mystico fabricandæ sunt. Hinc enim vita cœlitus hausta, & in hylæos mundos derivata, quam [21] serpens bicornis erecta denotat, magnum conferet emolumentum. Verùm quum nihil rectè sine genio Lunari conficiatur, hinc eum veluti cooperatorem Momphtæ sub forma capitis [22] Ibiaci expresserunt, qui [23] potestatem in vegetabilia, calatho capreolato indicata, adeptus [24] triplicem vitam tribus mundis hylæis, per tres bicornes serpentes & tria quadrata iis supposita indicatam largitur, ad necessariorum copiam & humoris [26] continuationem. Sed & humor nihil efficit, nisi pro rata proportione singulis rebus in mundis hylæis distribuatur, igitur [27] hirundinem apposuerunt quòd ea pullos alat mira æqualitate servata, & ut Horus de ipsa ait, *vicina morti se ipsam volvat, ac pullis latebras comparet.* * Hinc & Osiridi Isidique hirundo sacra habebatur, eò quòd dicta Numina mortalium animos maximè legibus & justitia ad vitæ temperamentum instruxerint. Hac enim æqualitate distributionis maximè [28] vita in [31] receptaculo sacri liquoris consistit; prætereà Numen hac [32] æqualitate singulorum, in [30] varietate rerum mundanarum elucescente, potens in vegetabilia [29], connexu

*Statuæ Momphteæ mystica ratio.*

*Brachia supina.*

*Vrnæ Niloticæ significatio.*

*Rhomboides quid denotet.*

R

*Avis in crucis formam descripta.*

*Statua Momphta repetita.*

*Lunaris Genius capite Ibiaco significatus.*

*Hirundinis mira notatio.*

*Horus.*

** Vide Pierium, Tit. Hirundo.*

*Sceptrum ad quod serpens adrepit.*

R

nexu [33] vivifico [34] animat humidæ naturæ [35] ſubſtantiam. Ac denique cum Lunaris Genius ex ſe & ſua natura inclinet ad res vegetabiles fidei ſuæ commiſſas promovendas, nec deſinat cœlorum beneficam vim in inferiora derivare; hinc aptiſſime Ibidem [36] poſuerunt, triplici capreolorum ramo quaſi appronantem; per ſphæroidem verò & brachium [39] extenſum nihil aliud indicantes niſi cœli influxum cum virtute genii concurrentem. Hinc tres capreoli indicant tria vegetationis emolumenta, quorum prius in herbarum & olerum, alterum in fructuum omnis generis, tertium in animalium ubertate præſtatur. Solebant enim veteres certas plantas ſive ramos non ſolum dedicare certis diis, ſed & eoſdem manibus ſimulacrorum, quæ Deos illorum referebant, myſtica quadam ratione contortos inſerere; ita & hoc loco Ibidi, ſive Lunari genio ramum tribuerunt triplici capreolo inſignitum; qui uti myſtica ratione conſtat, ita plurima quoque ſignificata involvit; nimirum quaſi dicerent, Genius Lunaris à triformi Numine ſibi communicatam virtutem in triplicem mundum hylæum diffundit, unde triplex vegetationis naturæ emolumentum, ex tripartito anni tempore emanat in inferiora, favore & benevolentia cœleſti. Ideæ illæ in modum lectionis conſtructæ ita ſonare videntur:

*Ibis ad ramum inclinatus.*

*Triplex Viticulum.*

*Plantarum ratio in ſacris.*

*Schematiſmi 5, lat. 3, lectio idealis.*

*Porrò à [1] receptaculis ſacri humoris, omne in aquis, & aëre [2] perniencioſum in tribus Mundis [5] hylæis ſiſtitur per hujuſmodi [4] ſtatuam; [6] humor Nili [7] ad irrigationem agrorum per [8] ſolitas preces, [9] neceſſariarum rerum copiam ſuppeditat tribus Mundus [10] hylæis; præterea [11] Aerius [12] Genius per [11] quadruplicem Mundi partem [13] diffuſus, & hujuſmodi [14] ſimulacro attractus, aërem malis impreſſionibus liberat. [15] Mophta pariter appropriatâ ſtatuâ attractus in tres [15] hylæos Mundos, primò [18] copiam rerum neceſſariarum, deindè vegetabilium ex humido emerſionem, per [20] ſtatuam denique [21] vitam cœlitùs largietur omnibus. [22] Lunaris Genius [23] poteſtate ſuper [a] vegetabilia acceptâ, [24] triplicem trium Mundorum [24] vitam derivabit in rerum [25] neceſſariarum uſum; in [27] aerem, eum [26] humectando, [28] fæcundandoque receptaculum [21] humoris ſacri; ex qua [29] poteſtate [30] varietas in inferiori [a] mundo, [32] aeriſque [33] connexus, cum [34] vivifico [35] humore, provenit. Eſt enim magna [36] pronitas Lunaris [36] Genii ad ſibi commiſſam [37] vegetabilis naturæ œconomiam, [38] cœleſti [39] benevolentia proſequendam.*

S

Vltimo ſchematiſmo proponitur primò triplicis flos Loti, juxtaque coturnix & capreolus, ſub quo tria quadrangula; deinde [6] capita fœminina tria, totidemque [7] urcei, deinde [8] vultur ſacræ barræ inſidens, tum globus cum thyrſis proſtratis, ex quorum primo capreolus progreditur. Poſtea [12] Ibis cum quadrangulis [13], uno longo tribusque aliis brevioribus; quæ ſequitur ſceptrum binode [14], [15] & hydroſchema, & [16] brachium extenſum; iterumque ſceptrum [18] cum nodis binis, [19] ſerpenſque & [23] barys ſacra, cui inſiſtunt crux anſata ſimplex, nec non [21] temon ſex quadrangularibus eminentiis conſpicuus, & ſceptrum [22] cucuphomorphum; hæc ſubſequuntur iterum crux [21] anſata, tum [26] quadratum; cum [25] ſphæra ſuprà eminente, juxta quod vas [27] Niloticum anſatum, & infrà [28] ſerpens cum ſegmento. De Loto ſoliſequo variis retrò locis vidimus; & hic tres unico caule ramulos conſpicis, quorum primus caput ortui, alter erectus florem explicatiſſimum meridiei dat, poſtremus cum Sole inclinatus ſe recondit. Significatur hoc ſymbolo cognatio & compaſſio quam videmus in rebus naturæ. Ita nempe plantæ nonnullæ ad revolutiones Solis convertuntur, aliæ figuram ſolarium radiorum repræſentant, quædam igneam ejus naturam habent; & alia quàm plurima rerum genera proprietatum hujus luminum principis participia facta ſunt. Selenotropia verò ad Lunam vertuntur: unde hæc ordini Lunari, illa Solari adſcribuntur; atque ut breviter dicam, nihil non cœleſte in terris reperias, modo ſcilicet terreno; nimirum quoniam & omnia terrena in cœleſtibus, & inferiora in ſuperioribus invenire eſt, modo cœleſti, & ſecundum cauſam; ita & cœleſtia ipſa ſupracœleſtibus repleta ſunt atque effluentia. Hoc eſt fundamentum totius ſympatheticæ connexionis, quæ ordines omnium rerum conſtituit, quibus inferiora ad ſuperiora & hæc ad illa * reſpectant, ut

*Lateris 3, ſchematiſmus ſextus.*

*Explicatio ſymbolorum.*

*Loti ſignificatio.*

*Symbolorum ſympatheticorum ratio.*

** Hinc ordine, quamvis non ſemper magnitudine, ſuperiora varia dicuntur: inde & cultus idolorum & animalium, & ſacrificiorum.*

S

latius Proclus deducit, libro de ſacrificio & magia, quibus ad hæc hieroglyphica reſpexiſſe videtur. Sed quoniam juxta amicum hunc rerum confluxum & contrariorum officina eſt, *Mundi namque*, ut Plutarchus ait, *origo atque compages ex contrariis facultatibus mixta eſt, quarum tamen non ſint æquales vires; melior enim prævalet quidem, deteriorem autem funditus aboleri nefas eſt, &c.* ideo nempe [1] Loto, ſolari herbæ, [2] Coturnicem, Soli contrariam avem adpoſuerunt. Diſſidia illa bonorum & malorum Ægyptii ſub geniis Orimaziis, benignis & lucidis, aut Arimaniis, malignis & tenebricoſis, intellexerunt, à quibus diverſitates rerum pendere arbitrabantur. Eluceſcit autem hæc rerum ſympathia & antipathia maxime in inferiori tripertito Hecates regno, quod aptè per tria [6] capita Iſidis, & tria vaſa [5] quadrangula expreſſum eſt. Hecate verò cum Iſide, Nephte, Teleuta ſimilibusque paſſim confuſa, dicitur ab innumera rerum productarum varietate, unde & myrionomos appellata. Symbolum vero noſtrum Iſidis caput eſſe, ſtatuæ ejus in variis Romanis Gazophylaciis obviæ ſatis teſtantur. Porrò cum hæc ſympathica & antipathica rerum vis potiſſimum in cœlo veluti utero quodam ſeminaria ſua recondita habeat, proinde appoſite per [8] vulturem indicata, illius vis genitalis per ſacros ritus in [9] barra Iſiaca factos, [11] devehitur in [10] cœlum lunare; [12] Genius verò lunaris divinâ poteſtate in vegetabilia inſtructus, in tres inferiores hylæos [13] mundos [14] duplici potens dominio, ac in [15] humidam naturam [16] benefico [17] eam influxu derivat, ex quo [18] dominio tum [19] vita in rebus ſingulis, tùm ad boni proſecutionem, & ad malorum fugam motus naſcitur. Præterea Genius lunaris eodem dominio in humidam [23] naturam agens, vitam præbet, quæ per mundanam baryn derivatur in ſingula, [20] influxu [21] triformis Numinis univerſali, per omnia mundi inferioris Hecates regni corpora, annuo ſpatio traducta, queis varietas illa [22] rerum in Mundo admirabilis efficitur. Hanc ob cauſam, teſte Plutarcho, *Lunam matrem mundi appellabant, propter naturam compoſitam & mixtam ex utroque ſexu, quibus cùm ſit plena & prægnans ex Sole, iterum in aërem genitalia principia emittit.* Hinc [24, 27, 28] per periapta hujus influxus vivifica, portantibus [28] vita, proſperitas & deſiderata felicitas communicatur. Singulorum rationes myſticæ jam in præcedentibus expoſitæ ſunt. De bary quoque ſuprà vidimus: eſt ea verò Ægyptiaca vox notatque certum navigii genus, cujuſmodi noſtræ cymbæ ſunt, ex Papyro, ſeu Loto ſpinoſo confectum: hâc enim, quoniam Iſidem in trajectione Nili, dùm Typhonem fugeret, evaſiſſe ferunt, ideoque eâ in numerum ſacrarum literarum relatâ ſupremi Numinis motum per humidum indicarunt; cui ſubindè ſupponunt Crocodilum, uti apud Euſebium eſt. Figura ejus graphicè expreſſa videtur in tabula Bembina Oedipi noſtri. Notes quoque, hanc non diſtingui à notâ hemiſphærii inferioris, niſi ſiſtris & temonibus adjectis; cùm & figuram horizontis ſivè hemiſphærii inferioris pariter à ſimilitudine Scapham appellârint. Iam lectionis Idealis contextum accipe.

*Plutarchus.*

*Capita cum quadrangulis.*

*Hecate unde dicta.*

*Vultur.*

*11 Thyrſi proſtrati, 12 Ibis.*

*13 Quadrangula.*

*Figuræ Tauticæ, cum cæteris ſymbolis.*

*Plutarchus.*

S

*Barys ſacra quid ſit.*

*quidve ſignificet.*

*Hinc* [1] *Sympathia &* [2] *Antipathia rerum in* [6] *tribus Mundis hylæis, triplicique* [6] *Hecates, ſivè Iſidis regno* [7] *inferiori eluceſcit;* [7] *humidumque veluti in* [8] *cœlorum utero actuatum, per ſacram* [9] *barram, vegetabilium vehiculum attractum adductumque omnia in pulchram harmoniam ex diſſono-conſonis conflatam coaptat.* [12] *Lunaris Genius trium Mundorum* [13] *illicium,* [14] *poteſtatem in* [15] *aquas adeptus,* [16] *benefico* [17] *influxu bipotens,* [19] *vitâ replet* [23] *baryn mundanam, quâ triformis* [20, 21, 22] *Numinis vis & efficacia per omnia Mundi corpora traducta,* [22] *varietatem rerum omnium efficit; hinc amuleta crucis* [24] *Tauticæ,* [25] *circuli &* [26] *quadrati myſtici; hinc ſacri vaſis* [27] *periapta* [28] *vitam hauriunt, quam omnibus ea portantibus communicant, & ad deſideratam felicitatem perducunt.*

*Lateris 3. occidentalis ſchematiſmus ſextus.*

V

Ad ultimum appellimus latus, ubi Alpha Schematiſmorum horum, ſeu in ſupremo Obeliſco primum, quippe quo antè initiati ſumus, prætergreſſi ad proximum accedimus. Hinc [1] ſiſtrum habet quadruplex, [3] Faviſſæ ſeu receptaculo ſacri liquoris [4] annexum, & figuram portæ ſacræ, tum [4] quadratum cum [5] brachio extenſo [4] capreolum ſtringente; deinde ſerpens bicornis datur, cum duobus quadratis, binisque pen-

*Interpretatio ſchematiſmorum lateris quarti, ſeptentrionalis.*

*Primus; Secundus.*

nis,

V nis, & thyrso [9] papyraceo, ac [10] hydroschemate, binisque iterum serpentibus, quibus interdatum [13] quadratum: Hæc excipit sacra tabula, quadratum urnæ Niloticæ includens, nec non figuram aræ capreolis auctæ, ac brachium [17] extensum cum [18] hydroschemate & baculo [20] binodi: quibus stella & bini rhomboides & quadrangulum additur. Post tabulam hanc sequitur [26] noctua, quam mediam cohibet brachium, tum figura humana cum baculo, tum denique [23] vas Niloticum & [24] lingua, atque aliud vas [26], in quod figura pyramidalis descendit.

*Symbolorum schematismi secundi, hoc latere, significatio.*

Boream Ægyptii partem, regnum Typhonis, Austro contrariam, adversis spiritibus Arimaniis plenam dicebant, quorum vis, Ægyptiis vocabulis *Sith*, *Bebon*, *Smy*, significata, nimirum *frigida & adustiva*, ut Plutarchus docet, *ex mari Ægyptio septentrionali surgente, quâ humor Ægypti, fœcundus scilicet Osiridis effluxus, Nilus contabescit.*

*Dæmones Septentrionales quomodo aversi fuerint.*

Hanc verò sistrorum, arcana quadam ratione confectorum, strepitu sisti & cohiberi putabant. De hoc instrumento suprà in processu Isiaco enarrato ex Apulejo vidimus: significatque parte superiori rotunda Lunæ sphæram, sub qua mundus hylæus ex quatuor elementis, quæ numero ejus quaternario indicantur, nihil nisi quæ perpetuo motu, ortuique & obitui subjecta sunt, possidet.

*Sistri mystica significatio.*

Hujus itaque agitationis, rerumque ortûs & occasûs in nihilum, Nili præterea accessus & recessus, Plutarcho teste, symbolum est; unde & portæ sive introitus vitæ nota eidem adjungitur. Sed nec abactæ tantum Typhoniæ sive Arimaniæ vis, at allectationis quoque Orimazeæ, adversâ fugatâ, signum habebatur; & hinc nimirum receptaculo sacri liquoris insistit; quod & beneficentiæ, & vitæ symbola proxima volunt, quarum virtutem Arimania è mari Boreali profusa vis tollere videbatur.

*Huic subjunctum receptaculum sacri liquoris. Brachiumque & anguis.*

Numine verò benefico agitatis [7] mundis elementaribus [8], ventisque cohibitis, necessaria-rum rerum copia provenit, ut indicant duo quadrata, totidemque pennæ, thyrsusque papyri.

*Quadrangula cum pennis & thyrso.*

Humido [10] etiam elemento, inimica vi propulsata, duplex vita, cœlestis & elementaris conceditur, quod ex hydroschemate duobusque serpentibus ac interjecto quadrato apertum est lectori.

*Hydroschema.*

*Bini serpentes.*

Sequitur igitur sacra tabula, sive amuletum prophylacticum, quod possidet primò urnam Niloticam cum quadrato desuper, elementaris humidi symbola; deinde [15] aram cum [16] capreolis, [17] brachiumque porrectum, nec non hydroschema, sceptrumque [20] binode, & stellam, binosque rhomboides & quadrangulum. His significatur Numen beneficum ac duplici dominio potens coli debere, ut trahatur ad agrorum per stellæ addictæ influxum fœcundam irrigationem, quò proventus rerum acceptabilium procreetur: omnia tamen præterea variis sensibus vel ad corporis vel mentis necessitatibus auxilium intentis, abundant.

*Tabula sacra cum symbolis suis.*

Hoc enim amuleto sacro omnia infausta & infelicia profligari credebant, quod indicant per [26] noctuam, quam [21] brachium extensum transversum veluti prohibere nititur; & quoniam nemo sola sacræ tabulæ gestatione voti sui compos fit, nisi accedat castimonia vitæ, & sapientiæ studium, quibus uti sibi similibus rebus, Numen unicè ad subveniendum attrahitur; hinc [22] sacerdotes, ad influxum superni Numinis in [23] lympham derivandum, lingua [24] & corde illud continuò sollicitabant: quod sibi vult figura nuda cum pennâ capiti impositâ, brachio demisso, manuque contracta, alterâ baculum gerens: per pennam nempe sublimitatem contemplationis; per brachium contractâ manu, efficaciam in operando; per corporis nuditatem, animum ab omni terrenæ corruptionis labe immunem; per baculum verò dominium, quod in res, quas poscebat hoc pacto, obtinebat, indicabant; ut [24] linguâ, precum assiduitas, hymnorumque recitatio, & denique [23] urnâ humor supernus in infernum cœlitus derivandus; hoc nempe adsignificat [25] pyramidalis figura, in [26] urnam demissa.

*Effectus sacræ tabulæ, in symbolo noctuæ & brachii.*

*Vas Niloticum.*

*Figura sacerdotis cum symbolis suis.*

*Linguæ significatio.*

*Pyramis in urnam descendens.*

Vides igitur ad attractionem Numinis Geniorumque in in hoc præsenti Schematismo tria cumprimis requiri, primò adversarum potestatum per sonum sistrorum, (ob rationes mysticas, quibus istiusmodi instrumentum constat,) profligationem; secundò amuletum sacræ tabulæ, quo contra easdem munirentur; tertiò denique

*Conclusio hujus schematismi.*

V

nique per cerimonias sacras ritusque, uti & actiones Diis beneplacitas; cujusmodi sunt sapientiæ studium, castimonia vitæ, & efficacia in operando; his enim mundanus spiritus ad benefaciendum, malumque avertendum unicè attrahi credebatur. Sed apponamus universorum apta ratione collectorum liquidam lectionem:

*Lectio idealis schematismi secundi, hoc latere.*

[1] *Sistrorum sacro sono porta* [2] *magna aperitur ad* [3] *receptaculum affluxûs sacri liquoris.*

*Numen* [5] *beneficum excitatur ad* [4] *agrorum vegetabilium abundantiam, uti &* [6] *vitam rebus concedendam.*

*Mundi* [7] *terrestres &* [8] *aërei typhoniis impressionibus fœti, sistri sono purgati, rerum* [9] *necessariarum usum præbent.*

[10] *Humido* [11] *vita* [12] *utriusque Mundi elementaris* [13] *conceditur.*

Hic sacræ tabulæ amuletum sequitur.

*Humidum* [14] *elementare,* [15] *sacris ritibus & cæremoniis præviis* [19] *vegetalis naturæ copiam,* [17] *benefici Numinis* [18] *aquarum præsidio* [20] *bipotentis liberalitate, per* [19] *stellam* [20] *convenientum; ad* [20] *agrorum fœcunditatem attrahitur.*

*Cujus ope & protectione* [26] *infaustæ perniciosæque potestates* [21] *cohibentur domanturque.*

[22] *Sacrorum mysticorum præses in sacris sapiens, promptus, efficax, castus, dominio potens efficitur, corde & linguâ consonis, sacro* [23] *liquore cœlitus perfusus,* [25] *spiritus Mundani influxum hisce præviis operationibus participat. Quod etiam consequitur per sequentis tabulæ sacræ amuletum.*

*Lateris quarti schematismus tertius.*

X

Iterantes verò sacram tabulam hieromantæ proponunt primò [1] serpentem, tum duas [2] pennas, [3] brachiumque extensum cum baculo [4] binodi, quibus subditur [5] stella cum quadrato. Post tabulam deinde sequitur [6] cornucopiæ cum [7] septem quadratulis; deindè ala [8] quadrizonia, & simulacrum [9] Momphta, cum Iynge, quæ insidet [11] sphæroidi; hæc excipit [12] Horus cum [13] sphæroide, & [14] retinaculi figura; tum Aspis [15] erectus, & Accipiter [16] dormientis specie, qui insident [21,22] segmentis; post quæ datur [17] urna Nilotica, [18] & decussis, cum [19] astroscopio; clauditque agmen brachium [20] extensum quod [23] capreolum tenet. Post sacram verò Tabulam, de qua passim visa deinceps etiam intelliges, sequitur [6] cornucopiæ cum septem [7] quadratulis, quibus indicantur septem

*Symbolorum interpretatio.*

*Cornu cum septem quadratis.*

mansiones septem Mundi præsidum; tot enim mundos corporeos cum tot præsidibus Zoroastræa schola constituebat, Psello teste, qui in Zoroastris oracula commentans, sic ait: *Septem dicunt corporeos mundos, empyreum unum & primum; & deindè tres æthereos, & postea tres hylæos, sive materiales.* Respondentque VII planetarum circulis, quos ipsi mundos pariter vocant; quorum prior empyreus aptè Soli, ob igneam virtutem qua pollet, reliqui reliquis VI planetis congruunt, quorum III superiores, ætherei, III inferiores ob similitudinem quandam & vicinitatem, quam ad elementarem obtinent, hylæi, hoc est materiales mundi vocantur; de quibus Trismegistus in Pymandro: *Septem deinceps fabricavit gubernatores, qui circulis mundum sensibilem amplectuntur, eorumque dispositio fatum dicitur;* item: *Sol DEVS Deorum cœlestium præstantissimus; soli cœlites reliqui veluti principi regique parent, &c.* Per has itaque præsides veluti ex cornu quodam copiæ tota rerum dispensandarum ratio in inferiores hylæos mundos derivatur, qui aptè per suppositam cornui copiæ alam quadrizoniam indicantur: erat enim ala symbolum impetûs divinæ intelligentiæ, quæ amore instimulata sese materialibus indit mundis, in generationem rerum lapsa: hosce quatuor mundos hylæos, igneum, aërium, aqueum, & terrestrem, indicant in ala IV zonæ; illa in pyramidis formam effingitur, ut indicaretur, ex apice veluti centro divinitatis in amplitudinem rerum materialium motum ejus procedere: varietas verò alæ diversicolor ostendit entium motu productorum diversitatem. Deinde appositè sanè infra alam posuerunt Iyngem, dictæ intelligentiæ omnia quàm celerrime & promptissime pervadentis symbolum, quam Psellus mentem νοητὴν, id est intelligibilem vocat, procedentem ex mente paternâ. Porrò hæc Iynx è regione aliud simulachrum habet, in nomen Mophta transformatum, quod humidæ naturæ præsidem notat. Habet is hydriam, seu vas Niloticum, aut modium in capite, ad indicandum subjectum principale, in quod dictorum mundorum præsides per Sphingen sive Iyngem agunt, esse humorem; cujus præses & dispensator

*Psellus.*

*Hermes.*

*Ala quadrizonia.*

*Pyramidalis formæ ratio.*

*Iyngis symbolum.*

*Simulacrum Mophta, cum vase Nilotico in capite.*

X

Mophta

X

*Quare urnam in capite habeat.*

Mophta eſt; ſed & quia cum Serapi & Plutone ferè confunditur, hinc nimirum cum modio, ſeu urna in capite veteribus notatum eſſe, Servius autor eſt.

*Iynx, avis cum capite humano:*

Habemus igitur quomodo VII præſides mundi, per Iyngem in quadripartitum elementarem mundum agant; ſequitur ut quomodo intelligentia divina per Iyngem indicata, per omnia mundi corpora, à ſupremo Numine hauſtam vim diſtribuat, & quinam inde effectus reſultent. Cum itaque omnium ratio Iyngi inſit, qua de mundo diſponat, hinc aptè cycloidi, quod paſſim cœlorum ſymbolum dicimus, imponitur; ſcilicet ad indicandum primas paternæ mentis rationes cælo inſitas, per quas deindè in mundum ſenſibilem, id eſt, [12] Horum trizonium, veluti cœlorum [14] retinaculum quoddam, poſt & in inferiora deriventur. Nam, ut rectè Plutarchus, dicitur Horus nunc Solis ſenſibilis motus, nunc mundus terreſtris, nunc aëris omnia ambientis temperies. Igitur cum hæc per collum ejus trizonium indicentur, ipſe inter duos cycloides medius ponitur, quòd ſuperiora inferioribus aptè temperet, & colliget, indicante ſcilicet [14] retinaculo. Sed quoniam mundus nihil proficit, niſi ratione omnium providente & vivificante ſingula in fines ſuos dirigantur, hinc vitalis ille [15] univerſi ſpiritus Agathodæmon ſupremus [16] Oſirin veluti ad abditas virtutes in lucem efferendas inſtimulat; qui ſi dormierit, omnia in inferiori mundo, per [21, 22] ſegmenta quibus inſident notato, ſqualore & tabe quadam conficiuntur; vigilante verò, omnia gaudio & lætitia cum ſumma ubertate tripudiare, teſte Euſebio, ſpectantur; quod aptè per [15] aſpidem erectum ſquamis gyriſque illuſtrem, & per [16] accipitrem ad ſomni requiem quaſi compoſitum indicarunt, de quibus cum in præcedentibus actum ſit fuſius, ad ea Lectorem rejicimus.

*eidem ſubjectus cycloides.*

*Hori varia ſignificatio:*

*ejus hic ſitus.*

*Anguis cum Accipitre dormiente.*

*Poſtrema hujus ſchematiſmi ſymbola.*

Sequitur urna [17] Nilotica cum [18] decuſſi & [19] quadrante aſtrologico & brachio [20] extenſo, manu [23] capreolum ſtringente: quibus figmentis indicant, humorem ſacrum, in quem dicti mundorum præſides influunt, beneficam tandem rerum omnium abundantiam conferre. Influxus indicatur per [18] decuſſim ex binis pyramidibus compoſitam, veluti X, quarum una recta influxum activum, altera inverſa paſſivum indicat: denarius autem naſcitur ex ſeptem præſidibus & Iynge, tribus ex unitatibus compoſita. Decuſſim autem, ſive duas lineas decuſſatim ſe interſecantes, denarium indicare, Horus docet: *Recta linea ſimul cum altera inflexa ſuper alteram* *, *vel decuſſim vel decem lineas planas indicabant.* [19] Aſtroſcopium autem tum in uſu fuiſſe, oſtendit tabula Bembina, * ubi hoc paſſim cum gradibus delineatum deprehendes; indicabant nimirum ſapientes induſtriam aſtrologicam ad omnia ritè conficienda, & ad dictos genios propitiandos accedere debere. Hi ergo exhibitâ ſacrâ tabulâ, tum effectibus ejus per concatenatorum Numinum attractionem, primo nimirum indicant, amuleto illo in ſacris cæremoniis cum fiducia & ſingulari præparatione adhibito, ſeptem Mundi principes, ſeptem cœleſtium manſionum præſides ad influxus ſui copiam in quadrizoniam Mundi elementaris faciem derivandam inſtimulari: parum tamen præſtantes influxus illos eſſe, niſi Mophtæ eorundem Tutori, ac diſpenſatori antè committerentur: hunc verò, cooperante Iynge, rerum in divina providentia latentium diſpoſitrice, à cœlis derivatos influxus toti ſenſibili Mundo, (quem Hori caput, veluti vinculum quoddam ſuperiorem inferiori mundo connectens, indicat,) communibus Numinum ſuffragiis diſtribuere, & in eo ad varietatem rerum efficiendam ſumma concordia diſponere. Quia verò Oſiris humore mundano obrutus, quandoque veluti obtorpeſcit, hinc igneus Agathodæmon ad eum excitandum deputatus eſt, qui humoris exceſſivi copiam, quo ſeminalium rerum penuaria quodammodo ſuffocantur, æſtu ſuo, conſumpto humore ſolari ſuperfluo, eum ad temperiem redigit, ac veluti à torpore ad vigilantiam deducit; quo facto humidum quadripartitæ mundi elementaris plagæ proportionatè diſtributum, aſtrologico quoque artificio adhibito, rerum omnium abundantiam confert. Quod ſi quiſpiam putet, hunc ſymbolorum contextum eſſe arbitrarium, hunc continuò Iamblichi teſtimonium ſuperet,

X

*Decuſſis ratio myſtica.*

*Horus.*

** de his ſupra vide. nec non Obel. Pamphil. fol. 385.*

** Hanc proponit Oedipus Tomo. 3.*

*Anacaphalæoſis hujus ſchematiſmi.*

*Autoris de hoc ſymbolorum contextu probatio.*

X qui expresse dicit sacrarum literarum contextum esse secundum concatenatas rationes ideales, summo ingenio à sacerdotibus institutas. Igitur hæc ipsa excipiat liquidior sacrarum formarum syntaxis.

*Idearum tertii schemat. 4 lat. constructar. brevior lectio.*

Sacræ Tabulæ expositio.

*In vitam [1] animatur aërea [2] substantia; benefici [3] Numinis præsidio geminato, [5] astralis influxus elementari mundo conceditur.*

Effectus hujus Amuleti.

*E septem corporeorum mundorum [7] præsidum mansionibus, veluti à [6] cornucopia, quatuor [18] aëreæ Zonæ bonis omnibus replentur; in [9] simulacrum Momphtæ sacro ritu & cæremoniis analogis, [10] Iynx [11] cœlorum intelligentia, unà cum [12] Horo, [13] cœlorum [14] retinaculo attrahitur; & [15] Agathodæmon magnus Osiris excitatur; qui si [16] dormierit, omnia torpescunt in [21] inferioribus, [15] eo verò vigile omnia [22] inferiora [15] luce & calore replentur; denique*

*Sacro [17] humore, [18] influxu [19] astrologico deducto, [20] benefica [23] abundantia rebus omnibus confertur.*

*Lateris quarti, Septentrionalis, schematismus quartus.*

Z Brachium illud excipiunt tria [1] quadrangula, sub quibus urceus cucurbitam corpore imitans, juxta quæ urna Nilotica datur, cum segmento infrà, malleusque cum subjecto consepto, quod decem perpendicularibus lineis interstinctum, & viginti octo gradibus, quaternidenis ab utroque latere, instructum. Sequuntur tres serpentes bicornes, cum cruce [7] circulo inscripta, & [8] harpagone, quem sequitur [9] accipiter sacro [10] crateri insidens, postea alius [12] accipiter [13] sphæroidi insistens, cui à tergo oppositum [11] quadrangulum oblongum in formam portæ. Succedunt hisce [14] duo [15] Leonina simulacra sacro velamine vestita, cum [16] decusse, & brachio [17] extenso capreolum [18] manu stringente; deindè sceptrum [19] oculatum, sub quo [20] globus cum tribus [21, 22, 23] quadrangulis, interposito capite [22] Ibidis, quibus subjungitur [24] segmentum formâ scaphæ, cum serpente [25] amphisbæna. Post hæc [29] Barys est navigium, [26,27,28] sistris in cornibus, in medio ansatâ cruce instructum; & demum [31] Isis mystagoga, cum [30] harpagone, & figura [13] Hori, qui baculum cucuphomorphum tenet in porta consistens.

*Explicatio horum symbolor.*

Tria [1] quadrangula tres mundos elementares, in quos [2] humoris copia mittenda, idemque segmentum circulare indicat; hæc sequitur [3] Isidis malleus simul & clavis, quâ post cæremonias certorum pulsuum, teste Hecateo, aperitur [6] septum bovis Mnevii sivè Apidis. De hoc septo in antecedentibus Obeliscis quoque vidimus. Ducebant enim à Bove varia signa Lunæ congrua, ideoque septum sive habitaculum ejus inter hieroglyphica relatum, mundi sublunaris symbola habere voluerunt. Quatuor nimirum angulis septi mundum elementarem innuunt; per decem trabes, quibus in terram defixis constitutum erat, Lunæ in decem hujus mundi entium gradus influxum intendentes; scilicet cùm ex quatuor primis gradibus simplicibus elementorum sex alia composita nascantur, aëriorum aquatilium, quadrupedium, insectorum, vegetabilium, & mineralium, qui omnes numero decem sunt, & in hos totidem lineis normalibus expressos Luna influxu suo agit. Præterea, ut indicarent periodicum numerum motûs Lunæ, quatuordecim dentes extremis trabibus indiderunt, ut ita Lunaris luminis tempus crescendi aut decrescendi referrent, juncta enim efficiunt numerum XXVIII. Aperiebatur autem septum malleo, qui simul clavis erat, sub forma characteris Tautici sive crucis ansatæ constructa. Ex hoc enim mystico apparatu & cæremoniis triplici mundo [5] triplicem vitam, in quadripartitam [7] mundi plagam diffusam acquiri, omnibus [8] infaustis & perniciosis potestatibus expulsis, [10] Craterem que [9] Solis supernæ virtutis copiâ repleri, sentiebant; quod volunt III serpentes, & circulus cruce insignitus, cum harpagone, & accipitre crateri insidente. [12] Alter verò accipiter qui super sphæroidem sedet, quemque præcedit figura portæ [11] quadrangularis, indicat, Osiridem cœlestem [11] portam elementorum aperire, per quam [14, 15] Momphta uterque sacro cultu placatus, influxum in decem entium genera factum, fœcunda & benefica sua vi compleat; sed Momphtæ tamen conatus invalidus esset, nisi accederet [19] oculus cœlestis Osiris, & [23] Isis ibiaca, nempe Solis & Lunæ Geniorum auxilium; nam hi in [20] Orbem abeuntes, [21,22,23] trium anni temporum differentiam

*Septi Apidis construendi ratio mystica.* Z

*In malleo mysteria.*

*Duo accipitres.*

*Duo capita leonina.*

*Sceptrum oculatum, cum capite ibidis.*

rentiam constituunt, & dum duodecies annuo spatio junguntur, consequenter in inferiori mundo vitam omnibus largiuntur. Hæc pulchrè expressa sunt per [19] oculatum sceptrum cum [20] globo, cui Ibidis [22] caput supponitur, ut eo conjunctio duodena Solis & Lunæ indicetur, sicuti per tria quadrilatera [21, 22, 23] tria anni tempora, & per duodecim latera in tribus quadrilateris elucescentia, duodecim menses proponuntur, quibus duodeno Solis & Lunæ congressu tres elementares mundi, aëreus, aqueus & terrestris, iisdem quadrilateris indicati, vitam [25] duplicem, uraniam & hylæam hauriunt: hæc nempe duplex vita non inepte per [25] amphisbænam indicatur, bino capite conspicuam. Per hunc quoque congressum Lunæ-Solarem [29] barys mundana [26, 28] sistris ad noxiam vim propulsandam instructa, ut & salutifero Tautici characteris sive ansatæ [27] Crucis beneficio, quod ipsi scaturientes ex ea rivuli demonstrant, in omnia influente, in sacra simulacra Isidis, hoc est regnum ejus, & in universam Hori mundanam domum vitam infert. Nam statuâ quæ tutulo [31] binis serpentibus binisque alis & globo insigni notatur, quorum significationem suprà reseravimus, Isidem [30] referunt; hæc sistrum manu tenet, ad Nili tutelam significandam, habetque harpagonem adjunctum, scilicet ad malorum propulsationem monstrandam: at situ literas sui nominis exhibet; monstrat autem simul formam juxtà quam à Sacerdote sui cultus operationes perficiendæ sint. Sequitur figura quadrangula, intra quam puer [31] nudus manu tenet baculum ansatæ crucis figurâ ut & capite upupæ conspicuum; per portam quadrangulam Mundus elementaris, per puerum in porta constitutum, teste Plutarcho, Horus sive spiritus mundanus, per pedes discretos occultus ejusdem motus in omnia; per baculum denique πολύμορφον varietas rerum, quam motu suo in mundanæ domus Oeconomia efficit, indicatur. Volebant igitur toto hoc Schematismo indicare, cæremoniosâ hâc per malleum claviformem sacri Septi factâ apertione, hoc est cœlestis Mundi, Osiridis & Isidis habitaculi, cœlestem sive divinum

*Trina quadrilatera.*

*Serpens Amphisbæna.*

*Barys (quæ significat motum animæ mundi per humidum) cum sistris & Thautico charactere.*

*Statua Isidis.*

*Statua Hori.*

*Brevis repetitio & conclusio hujus schematismi.*

humorem descendere, vitam triplicem in calido & humido consistentem, in quadruplicem cœlestis Mundi plagam diffundi (ubi nota quod Circulus cui crux inscripta, influxum in cardines cœlestes, decussisque crucis in terrestres denotet;) Osirin verò sacrum craterem, cui insidet, ab omni violenta potestate liberare & custodire; necnon ab eodem cœlestium præside portam hylæam aperiri, curamque in ulteriora committi Momphtæ, cujus proprium est, humorem generationis negotio destinatum ad effectum producere, & deinde influxu quadripartito, ac benevolentia larga quatuor cardinibus terrestribus ad vegetabilium abundantiam distribuere. Hæc verò quia sine cooperatione Solis & Lunæ fieri nequibant, hinc cœlestis oculus Osiris & Isis ibiaca cœlestes orbes annuo spatio obeuntes humidum per tria anni tempora in tres inferiores Mundos hylæos provido derivant motu, atque in inferioris Mundi hemisphærio vitam, quæ in calido & humido consistit, bary inferioris Mundi per humidum genitale rerum occultò Numinis motu promotâ ad ubertatem & incrementum, efficiunt. Quia verò Dii nisi rebus mysticis sibi analogis allecti, tergiversari credebantur; hujus arcani sacerdotes conscii, arte sacra jam instructi, certis anni temporibus Bary crucibus ansatis, sistrisque instructa, Nilum pervagantes variis cæremoniis sistrorumque strepitu Numina concatenata ad id quod petebant, id est, fœcundum humorem, rerum omnium principium obtinendum, sollicitabant; ac ut dictæ cæremoniæ majoris essent efficaciæ, & contra adversas potestates tutiores forent, statuam mysticam Isidis, Nili, hoc est mundani humoris, præsidis, uti & Hori, sensibilis mundi, arcana quadam ratione, tutulis, sistris, sceptris, similibusque adornatam circumferebant; quibus peractis, omnem sibi faustum rerum eventum spondebant; ut est in sequenti lectione.

*Influxus cœlestis, aut terrestris quomodo notetur.*

*Momphtæ munus,*

*Solisque & Lunæ.*

*Navis sive barys sacræ usus.*

[1] *Tribus Mundis Elementaribus* [2] *humor conceditur per malleum* [3] *Isiacum, fœcundum* [6] *septum Bovis Mnevii,* [6] *ad menstruum Lunæ curriculum constitutum aperitur; undè vita* [5] *triplex triplici Mundo, in res* [7] *quadruplici Mundi plagæ subjectas,* [8] *perniciosis*

*Schematismi 4. hoc lat. lectio idealis.*

Z *niciosis qualitatibus expulsis, in [9] Solis [9] sive Osiris [10] craterem infunditur; hic verò Osiris [12] cœlestis accepta potestate, [11] portam aperit mundanam Momphtæ [15] superiori & [14] inferiori; qui, prævio sacro ritu cultuque, quadripartito [16] influxu [17] beneficâ omnia [18] abundantiâ replet & servat; scilicet quando sol pervenerit ad Leonis mansionem, abundantia rerum ex Nili incremento conceditur, unde ille sacro ritu celebrandus est. Præterea Numen omnia intuens, [19] oculus cœlestis Sol, in [20] orbem abiens, tres [21] [22,23] Mundos elementares, juxta quadripartitorum trium anni temporum (quibus singulis quadrimestribus quater, & perpetuo cursus annui spatio [22] lunæ duodecies conjungitur) rationem [24] inferiora fœcundat. Hinc sacerdotes [26] influxum hunc [27] triplicem [28] per mundanæ machinæ humidum diffusum, Bary [29] sacra vecti, sistris [26,28] & [27] cruce ansata contra omnem adversam vim securi, ad se derivant; denique simulacra [30] Isidis & [31] Hori Tutelarium [30] Numinum mysticis [31] symbolis instituta; vim cœlitùs in se derivatam portantibus colentibusque felicitatem pollicentur desideratam.*

*Lateris quarti schematismus 5.*
*a*

Spiritum mundi supremum, ob benignitatem in effectibus præcedentibus, invocantes, ac colendi ejusdem ritum suos docentes Ægyptii primò statuam ponunt, cujus figuram, ad sistendum aut præsens habendum illius numen, sacerdos corporis positu ac habitu imitetur, Momphta nomen exprimens; deinde sacra amuleta, ut [2] cucurbitam formâ clavæ effictam, tum pennam cum urna sacra Nilotica, quæ duo mox repetunt, addito globo serpente cincto, sub quo quadrangulum ponitur; hæc excipit papilio dracontomorphus, &c. Momphta nomen intellectu Ægyptio aquarum deum sonat, quem aliis Obelisci hujus faciebus suprà vidimus variis locis, variâque formâ ac situ: nempe vel humana specie ac prostratum, ut modus adorandi notaretur; pendulumve * quasi in aëre, scilicet ut pareat absolutum ejus dominium in aquatilem humorem; vel capite leonino aut toto corpore leonem, procumbentemque, quomodo semper Nilotici incrementi præses habetur. Est verò Numen omnia actu percurrens, ideoque Aspide illa ardua in capite significatur, vitâ ab eo cuncta animari; baculo verò, quòd dominio in omnia potens sit, quo etiam tansformatus simili thesi sacrificulus, nempe sacris rite præstitis, in Genios se posse putabat. Sacra verò amuleta, quibus inter sacrificandum instructi erant, (nempe cucurbita, quam clavam Momphtæ dicebant, pennaque accipitris, motus Osiridis dicta, & urna sacra, ex collo, aut in manu suspendenda,) nihil aliud significant quam munera numinis Momphtæi in œconomia mundana, humidum præsertim per clavam Osiridis solidandi; ideoque his periaptis Mundanum spiritum (quem globus serpente conclusus refert, ut subjectum quadrangulum mundum inferiorem,) provocari putarunt, bis tamen urnam cum penna repetentes, scilicet ut ostenderent, spiritum mundanum non obsecundare, nisi per contemplationem, mentisque motum, & aquam Nili supramundani, quibus animus purificatus, expiatusque veluti ad supernos influxus quadantenus aptetur & capax reddatur. Papilio verò [10] δρακοντόμορφος, genii polymorphi symbolum, apud illos nihil aliud significabat, quam quod spiritus mundanus, sollicitato Numine Momphtæo mediante, inferioribus mistus πολύμορφος fiat, hoc est sese potissimum in varietate rerum ostendat; hujus siquidem virtute [11] terrestris mundus innumeris formis imbutus * splendescit. Tota verò hæc potestas in inferiores mundos hylæos à supremo triformi numine & à superioribus mundis est; atque ideo supposuerunt inter duos baculos [12] tres globos, cui succedunt tria [13] quadrangula cum scaleno [14] rectangulo; quæ hoc sibi volunt, quod rerum in tribus mundis hylæis generatio non nisi à supremo Numine, in generationis sphæram lapso, mediante spiritu mundano & Polymorpho Genio, proflueret. In hoc Morphei regno Anubis, (quem significat [15] canis corpore procumbens, at erecto capite vigilax, rerum inferiorum, Isidi commissarum custos) malignam vim Typhoniam interimit, quod lancea [16] subjecta indicat: siquidem ut Plutarchus ostendit, solebant Ægyptii numen Anubis in Hermopoli, sive Mercurii civitate, per hominem lanceâ Hippopotamum, id est, Typhonem, transfigentem exhibere. Præterea canem

*Momphta quid significet: ejus numinis figura varia.*

** confer figuram 17 schematismi 3 primo latere.*

*Momphta quantum numen sit.*

*a Sacerdotem Genii imperitasse.*

*Symbola Momphtea.*

*Vrna cum penna quare bis posita sit.*

*Papilio quid sibi velit.*

** Vide schematismum secundum later. 1.*

*Tres globi, totidemque quadranguli, & scalenum.*

*Canis juxtaque lancea.*

α canem volunt esse fatum hylęorum mundorum, & in iis uniuscujusque rei proprium, scilicet per astrologicas impressiones, magicasque operationes, tum per somnia, auguria, cæterasque divinationes & ominum species, quorum Hermes author est, homines contra adversa erudire: hoc enim tres stellæ significant: indeque exhibendos ipsi tanquam divino, ac sapientis orationis præsidi, honores [18] feretrum monstrat. Insuper, ut numina symbolorum omnium concatenata majorem in modum votis omnium aspirent sacram tabulam sequentem ordinabant: in qua Accipiter cum capreolo in cujus rostro herba, quod hieracium Oedipus interpretatur; deinde triangulum cum Sphæroide, & Leonis procumbentis figura spectantur: queis indicabant, supremum Osirin vegetabilis naturæ præsidem genitalia principia cœlis inspergere, eadem denique in Mophtæ regnum indè derivata actuataque desideratam felicitatem concedere, & hisce mediantibus Numinibus reliquam Numinum concatenatorum turbam, sub triformis numinis præsidio, facilè se sistere. Accipe itaque idealis contextus lectionem:

*Tres stellæ.* *Feretrum.* *Sacra tabula cum symbolis suis.*

*Schematismus 5 lateris 4. septentrionalis.*

[1] *Sacrificans quoque sacro ornatu, baculo, clava* [2] *Mophtæ,* [3] *pluma Osiris, & sacri* [4] *liquoris amuletò instructus sit.*

*Nam* [5,6] *hisce* [8] *spiritus* [7] *mundanus in Elementarem* [9] *Mundum derivatur,* [10] πολύμορφος, *sive in omnem formam* [10] *transmutatus rerum inferiorum.*

[12] *Triforme Numen è* [12] *tribus Mundis supernis in* [13] *Elementares, sive* [14] *generationis sphæram lapsum,* [15] *Anubin constituit sacrum vigilem* [16] *cœlestium, &* [17] *astrologicæ impressionis vectorem & latorem omni honore* [18] *colendum.* [19] *Sacrum verò &* [20] *sapienter institutum amuletum hoc est.*

[20] *Osiris* [21] *fœcunditatis & totius vegetationis autor est, cujus* [22] *generationis facultatem è* [23] *cœlo in suum Regnum Sacer* [24] *Mophta trahit.*

*Lateris quarti schematismus sextus.*

β Vltimus omnium schematismus [1] figuram mystagogam quasi hominis sedentis, pedes discretos ostendentem proponit, tum [2] globum serpentiferum cum [4] quadrangulo, sub his craterem, deinde tres tiaras figurâ differentes. Statua nimirum iterum ad spiritum mundanum attrahendum requisita, crateris

*Statua crateri insistens.*

β figuræ innititur, ut indicet numinis triplici potestate eminentis in ipsum craterem sive humidam naturam deductionem. Tres enim tiaræ triplicem denotant potestatem, prima [7] polymorpham in omnia; altera [6] solarem in vegetabila, indicante capreolo; tertia cucurbiformis Lunarem significat. Hæc excipit denuo tabula sacra sive Amuletum prophylacticum, quod ad hanc triplicem potestatem in inferiora derivandam multum virtutis habere credebatur. Hujus symbola sunt: triangulum scalenum cum brachio [10] extenso, binisque [11,13] sceptris binodibus, quibus interjectus est sphæroides; deinde duæ [14] pennæ cum [15] sceptro Mophta, tum [16] brachium extensum cum [17] urna Nilotica, & binodi [19] sceptro, & [18] penna, deinde [30] aries ante statuam mystagogam [21] sedentem, quæ utraque insistunt sceptro [22] binodi, clauditque tabulam segmentum cum sceptro binodi; quibus, tacita quadam invocatione, generationis beneficam vim per cœlorum potestatem in aëreum Mundum ac regnum Mophta beneficum, & hinc in humidam naturam, tandemque in fœcundum Ammonis Regnum, quod per Ammonium indicant Arietem, derivari postulant; singulorum rationes cum ex præcedentibus pateant, reiterandas non duximus. Ad postremum duæ statuæ mystagogæ ponuntur, quarum prior [23] Hori est, sub forma pueri sedentis & sceptro Cucucomorpho instructi; altera [24] Isidis sacro velo tutuloque spicaceo in globo inserto conspicuæ, manu Loti florem tenentis; atque hasce statuas mysticas [25] feretro imponunt, ad innuendos ritus, & cerimonias, pompasque quibus dicta Numina honorare debeant, una cum [26] periaptis ad avertenda mala gestandis, aptis ad id, quod in sacris suis prætendunt, obtinendum.

*Tres tiaræ.* *Iterata tabula sacra:* *ejus symbola explicata.* *Vltima figurarum hujus Obelisci.*

Toto igitur hoc Schematismo, nil aliud indicatur, nisi modus, quo mundanus spiritus, per statuam dicatam, & sacram tabulam mystico apparatu instructam in sacrum craterem, id est in universi humidam substantiam, attrahi debeat; quomodo inde triplex emolumentum per triplicem à supremo Numine Spiritui mundano concessam potesta-

*Schematismi hujus finalis absolutio.*

poteſtatem emanat. Præterea quibus cæremoniis per Comaſiarum pompas & ſolemnitates, ut Numen rite invocetur, prodecendum ſit. Poſt omnia formatam harum formarum lectionem liquidiorem ſubjungamus, priorum intellectui aptam:

*Lateris quarti ſchematiſmus ſextus.*

*Hinc ſcilicet per* [1] *ſimulacrum* [3] *ſpiritus* [2] *Mundi in* [5] *craterem* [4] *inferiorem trahitur;* [7] *triplex* [7] *Superni* [7] *Numinis poteſtas* [6] *in humidum Polymorphum conceditur; quam poteſtatem concedit, & ſequens periaptum ſacræ tabulæ.* [9] *Generationis* [10] *beneficus* [11] *Præſes* [12] *cœleſti dominio* [13] *quadripotens* [14] *aërem per* [15] *Mophta* [16] *beneficum* [17] *humorem* [18] *aëreum* [19] *committit* [20] *Ammoni in* [22] *inferiora* [22] *potentiſſimo, qui per* [12] *ſimulacrum & cerimonias appropriatas trahitur, ad potentiam exerendam.*

*Hinc ſi ſacerdotes* [23, 24] *ſtatuas ſacras myſtico* [25] *apparatu, Diis attrahendis analogo, adaptent, ſpiritus dictorum Numinum* [26] *per influxum ex* [27] *ſuperno in* [28] *inferiorem mundum trahetur, & vita ab omnibus malis &* [29] *adverſis immunis tranſigetur, & felicitas perpetua acquiretur, qui finis eſt totius ſacræ doctrinæ hieroglyphicæ.*

*Pamphilii Obeliſci concluſio.*

Hæc ſunt quæ de myſteriis Obeliſci Pamphilii præcipuis prodidit Oedipus, multis, ut ipſe addit, prætermiſſis, quæ nimirum ſenſus analogicos, tropologicos, politicosque concernebant, & Lectori ſolerti, ac ſymbolica doctrina imbuto, vel illis tincto quæ ſupra præmiſimus ad fabularum ac ſymbolorum explicationem variam, cæterorum mundorum ſeriei applicare haud difficilia erunt. Hieroglyphica itaque hujus Obeliſci reſeratione obſerata ſanctiori hac proteſtatione, ſi quid in enarratis Trinæ unitatis archetypæ, aut multitudinis Trinitate inſignitæ myſteris antiquis contrarium uni Trinitati dierum antiquæ æternum benedictæ præter mentem ſcriptoris intercurrerit, ut ne id valeat, ſed reprobatione antiquatum ſit; inde mox promovemus ad reliquos.

OBE-


Latus II Orient.
Latus III Occident.
Latus I Austral.
Latus IV Septent.
OBELISCVS
olim
VERANVS,
modo
BARBERINVS;
quem hac forma primus edidit,
interpretatus est, et
FRANCISCO CARD.
BARBERINO,
S.R.E. VICECANCELLARIO,
Dicavit consecravit
ATHANASIVS KIRCHERVS
Soc. IESV.
Ex Typographejo I. BLAEV.

# OBELISCVS BARBERINVS.

VEranum Obeliscum, Verano in agro extra muros haud pridem detectum, jure ac merito dicimus Barberinum, nimirum & à susceptore Francisco Cardinali Barberino, Vrbani VIII P. M. nepote, & à loco in quo nunc est, palatio Barberinorum; cui nomini felici non tantum refossio hujus trabis debetur, sed & interpretatio ejus primò omnium procurata, quæ est cæterorum causa reserandorum. Optimus enim in literis, quo & in literas nemo benignior Princeps, cùm conjecturâ Antiquariorum * investigasset, laudabili proposito & labore prædicando, nobile hoc monumentum, eo in loco quem Circi esse, ut volunt, Aureliani, vestigia * aliqua indicant, ubi hodie vinea quædam est, illius hero pro percussione fundi & abducendo lapide haud exiguam exolvit pecuniam: erutumque quod tanto tempore in terra obrutum fuerat, devexit in palatium Quirinale, quod est Barberinum, ubi adhuc in area, tribus partibus componendum, jacet. Accidit id anno Domini nostri MDCXXXIII. Eminentissimam hanc humanitatem cum nihil lateret, neque autoris nostri nisus in eruderanda antiquitate, ad hieroglyphicorum penetrationem, præterire quiverunt, tantò magis admirandi, quanto minùs tentati tot retrò seculis mirandis. Videmus enim, de quibus suprà, rerum Præsides, aquilinis, hoc est ad summa juxta ac infima inocciduis visibus, vario bonorum influxu suspiciendos, tum quoque ab illis ἀγαθοδαίμονας, azonos, angelos, deos à secundis proximos, longa virtutum serie devinctos; [quod secundum mentem & Ægyptiis & Romanis Camœnis aptam accipias,] quorum omnium claritatem cùm non nisi in profundissimo Phœbeo fundo cognoscas, videas virtutem ex officio adversus eminentiores, aut in inferiores derivatione divinorum munerum. Igitur quùm Nicolaus Pereiscius, vir summus & quem Musa vetat mori, Adris nostri sive Hermetis Ægyptii redivivi, hoc est, instauratoris scientiæ hieroglyphicæ, R. P. Athanasii Kircherii, apud altè memoratum principem Cardinalem meminisset, divinus apud deum inter secundos * vix ullis secundum, nullis non exemplum humanæ felicitatis; hic, qui magno animo trabem luci reddiderat, tanto majori voto aut placito interpretem sacrum ad Vrbem pertraxit, advocante R. P. Mutio Vitellesco, Soc. Iesu Generali. Hac ratione Roma, quum trabes sive acus Pharaonicas, multo tempore in terra rejectas, nunc pulchriùs restitutas miretur, caput hisce radiis Osiridis denuo coronatum tanto magis venerandum ostendit, quantum id illa ipsarum pyramidum situ Augustali, vel Pontificali, & olim & hodie, super omnes extulit. De principis hujus eminentissimi in hæc opera mercurialia divinitate aurea præstita, hoc est optima gratiâ & copiâ rerum autori in studiis, magnisque sumptibus in expediendo ejus Prodromo Copto factis, amplius vide in autoris dedicatione hujus Obelisci.

*Occasio trabis quæsitæ, ejusque cubilia.*

*Prodit de eo Barthol. Marlianus in Typographia Vrbis.*

* *Onuphrius Panvinius lib. 1 de lud. Circens.*

* *Dii secundi Ægyptiis dicuntur angeli, hic viri in honore & virtute summi.*

De translàtore nostri monumenti, ex Ægypto ad Vrbem, non meminerunt historiæ, nullos nisi Augustum & deinde Cajum exprimentes, * quorum jussu in Circis, nempe Campi Martii & Maximo & Vaticano, Obelisci erecti sint; alii verò Obeliscorum secutis ætatibus indistincte tribuuntur: de reliquis omnino tacetur, quamquam præter Constantini Obeliscum, de quo posteà, Publius Victor quadraginta quatuor numerat, nec enarrat: & quum de illis in Mausolæo, deque Salustiano quid verisimile sit suprà ostenderimus; de Pamphilio asportato tamen parum certi, putamus Antoninum Caracallam, qui

*Quis transtulisse Obeliscum nostrum credatur.*

* *De his supra: & Plin. lib. 16, cap. 40. A. Marcell. lib. 17.*

*Publius Victor de regionib. Vrbis.*

qui post Claudium ducentis ac duobus fere annis imperavit, eum statuisse in Circo suo ad castra Prætoriana; tum super hac quoque trabe Verana sive Barberina indubitati quicquam dicere nequimus, adduxerit, anne ab alio adductam erexerit tandem Valerius Aurelianus, qui imperator trigesimus quintus factus Anno Christi CCLXXI.

*Quamdiu steterit trabes putetur,* Prostitutus autem in hoc loco Obeliscus stetit, ut puto, ad tempestatem Gothicam, qua, Anno Christi DL strages omnium monumentorum eruditæ magnificentiæ à furibundis nimis inhumaniter facta est; & hinc plurimis in locis haud minimum detrimenti accepit. *quosve habuisse in Ægypto genitores.* Editus primo in Ægypto regibus Sothi ac Ramesse creditur, quorum ille, pater hujus, MXCVII post diluvium Anno, ante Christum natum MCCCXXXVI, regnasse dicitur, & Plinio * teste, in On sive Solis Vrbe, quatuor numero, quadragenum octonum cubitorum Obeliscos statuisse; filius verò, Ramesses, quo regnante Ilium captum est, alios quatuor longitudine quadraginta cubitorum. *Kircherii de Obeliscis Sothis & Ramessis sententia.* Sed quamvis Plinis partem tantum Sothi, filioque dederit erectorum lapidum, Oedipus tamen omnes communi utriusque auspicio aut administratione factos contendit. Hoc itaque regium par & antecedentes Pamphilium cum Salustio, & hunc Barberinum genuisse, probatur ex mensura relata, dictis hisce, de quibus positorum nomina memoriæ speciatim non sunt prodita, quàm proxime convenienti. Nimirum, ut supra quoque diximus, veteres similia multa ex aliis tantum audientes, ipsi exactam rationem non iniverunt; & propterea *Barberini Obel. inter Plinii Ramesseos minimi longitudo exacta;* hos tres Obeliscos, Salustium, Pamphilium, ac Barberinum, inter eos magnitudine minimum, ex quatuor illis posterioribus esse, quos Plinius Ramessi adscribit, verisimile est, cubitis singulis palmos binos reddentibus. Hi media sunt, inter alios majores ac minores, longitudine, qua ipsis & Exquilinus annumerandus; noster verò, Barberinus, non excedit sexaginta sex palmos, in basi quinos latus. *Ejusdem scalptura.* Figuræ, integris præsertim in locis, tam dextre factæ sunt, ut à nostris nuper temporibus esse, non tot seculorum, videatur.

** Plin. lib. 36. cap. 8.*

ARGVMENTVM

# HIEROGLYPHICVM.

Est autem Obeliscus Barberinus omnigena figurarum varietate admirabilis, & præ cæteris omnibus mysteriosus, *Cui numini dicatus sit Obeliscus.* prostitutus honori supremi numinis (quod παντόμορφον vocat Trismegistus cum Platone, alii Osiridem aut Mythram Ægyptium, vel Animam mundi, similibusque nominibus ἰσοψήφοις) *De his præsidibus ad mentem Ægyptiorum præceptio.* deinde & cultui quadraginta octo Geniorum mundi, præfati numinis ministrorum & universi veluti præsidum. Hoc ut intelligatur, sciendum est, Ægyptios observasse in cœlo XLVIII deorum stationes, quas Græci eos secuti posteà ἀστερισμοὺς seu constellationes vocârunt, quas ex eorum instituto recitat Aratus & Hyginius, & apud Oedipum in Astrologica Ægyptiorum duobus Hemisphæriis exhibentur, Australi & Boreali. Australe Plutarchus urnam lucis, Osiridis regnum, salubre ac beneficum dextrumque mundi latus, vocat; oppositum verò sinistrum, maleficum, venenosum, fœmineum, originemque tenebrarum, Arimanii seu Typhonis regnum, idque ex mente Ægyptiorum, secundum quam & viginti quatuor Numinum Osiridis ἀντιτέχνων, stationem habet, de quibus etiam Damascius, apud Bulengerum in Astrologia Chaldæorum: *Damascius.* *Post Zodiacum circulum, alias* XXIV. *siderum stationes definiunt; quorum alteram partem ad Boream, alteram ad Austrum collocant, æquo siderum numero, quæ sub aliorum sensum cadunt, in lucida regione viventibus assignant, quæ aspectum fugiunt, in tenebrarum regno mortuorum esse volunt, atque hos universi ordines constituunt. Hæ itaque unà cum Sole eas annuâ revolutione perlustrante, pyramidibus actionum suarum* ἀπαλλήλως *obversis, magnarum passim in hoc Mundo mutationum sunt causæ.* Hoc nimirum est ovum illud Zoraftreum, id est, mundus, in quo Orimazes XXIV deos & Arimanius totidem ἀντιτέχνους condidit, bonorum malorumque commistionis causa: quam fabulam Plutarchus libro de Osiride & Iside, & in Obelisci Pamphilii libro Secundo attingit Kircherius noster.

Ægyptii igitur quadraginta octo deos illos

*Quater duodenorum præſidum diſtributio.*

illos propoſituri, ſingulis lateribus duodecim exhibent, bonos ex parte aut malos, totidem ſtellis indicatos, quibus quater repetitis univerſus numerus expletur, cui Ægyptii putabant omnia mundi ſubjici, & ab illo adminiſtrari, ac contineri. Continet itaque Obeliſcus Barberinus primò Pantamorphi Numinis & miniſtrorum ejus, XLVIII Geniorum Mundi, effectus & operationes, quas mediantibus quatuor primis naturis ſeu elementis in inferiori mundo exercent: ſed & implicite ſacrificia, adjurationes, ac cæremoniæ traduntur, quibus Genii alliciendi ac in ſtatuas deducendi ſint: necnon inſtrumentorum aut ſupellectilium in ſacris uſus monſtratur; quave ex materia ſtatuas illas certis in locis τετελεσμένας, quas ϛοιχεῖα Græci vocant, conſtruere deberent, ut rebus Geniorum proprietatibus κατὰ τὴν ἀναλογίαν adaptatis allecti illi vocitantibus Magis faciliùs obſequerentur: denique quibus amuletis, phylacteriis, periaptis, ad malorum omnium averruncationem, & conſequendam felicitatem cum publicè tum privatim quiſque geniorum ſit colendus & invocandus.

*Quid porro cum argumento cohæreat.*

*Harum rerum interpretandi modus.*

Interpres verò, cùm philoſophiæ naturalis ac theologiæ gentilis myſteria hic eruet, ſecreta illa ſuperſtitionum magicarum eo modo tanget, ut, quod eſt in laudem veritatis, artes nigriores amabili luce compulſæ corruant.

*Quid intenderint ſacerdotes hiſce hieroglyphicis.*

Ex his tamen duplicem videre licet ſapientum intentionem in lapidum inſcriptione, primam nimirum ut profundiſſimæ ſuæ ſapientiæ monumentum poſteris proderent; ſecundam, ut hac prophylactica quadam imagine ab eo loco, in quo erectus Obeliſcus erat, omnia ſiniſtra & infortunata averruncarent, tam bonorum attractione, quam nocentium propulſatione.

Tantum de argumento hujus Obeliſci: ad ipſa jam progredimur ſymbola; ubi, ſecundum morem in ſuperioribus obſervatum, Oedipus principes quaternorum laterum ſchematiſmos generaliter præmittit, ut his lector firmior factus citius penetret ad cætera.

*Explicatione capitum præſternitur univerſis ſymbolis.*

Primo igitur proponuntur ſtellulæ octo & quadraginta, in ſingulis nimirum lateribus viginti quatuor. Hoc hieroglyphico ſchemate antiqua ſapientia indigitat tot vultus, qui totidem cæli vultibus ſeu Aſteriſmorum imaginibus ἀδιαλλήλως reſpondent: nam Ægyptiorum antiqui Theologi, teſte Haly Rhodan, tot in mundo cœleſti vultus deſcripſere, quot in Elementari entium gradus ſunt, ceu vultus terreſtres cœleſtibus ſubſtantes. Specialior de his ratio deinde dabitur. Sunt autem hi Genii præcipui totius naturæ præſides, in quatuor veluti δωδεκάδες cuſpidatim eâ ratione ordinati, ut ſingula ſingulis Mundi partibus & Elementis ſubjectis, juxta analogiam proprietatum utriſque communium, aptè reſpondeant.

*Stellulis ſuprà ſcriptis quid ſibi velint.*

*Quæ ratio ſubjungendi ſchematiſmos.*

Porrò cùm Mundi anima παντόμορφος per aſtra ſeu Genios cœleſtes in inferiora agere non poſſit ſine medio, ſub ipſis ſtellis, quæ Geniorum ſymbola diximus, Ægyptii immediatè ſchematiſmos hieroglyphicos quatuor genitalium corporum, ſeu Elementorum (è quibus quicquid in Mundo Senſibili eſt componitur, quæque ſunt veluti prima objecta, vel ſubjecta, in quæ dicta Mundi anima cùm per Aſtra & Genios cœleſtes, tùm per propria cujuſque Numina ad rerum naturalium generationem agit) non incongruè poſuerunt.

*Lateris auſtralis ſchematiſmus primus.*

Ac primo quidem hieroglyphico ſchemate, quod in parte Meridionali tibi litera A indicat, docent hieromantæ quâ ratione, & quid Anima Mundi per Genios Solares ſeu igneos operetur in natura inferiori; quibus item ſacrificiis ac cæremoniis, diſpoſitionibuſque præviis ea allicienda ſit.

*Figura potior.*

Hoc loco Anima Mundi Oſiris ἱερακόμορφος ſive Accipitrino capite larvatus, ſellæ quadratæ inſidens, dextrâ baculum κουκουφοκέφαλον, hoc eſt, Vpupæ capite inſignitum; ſiniſtrâ ſigillum Tauticum, ſive Crucem anſatam; capite ſphæram, è cujus cavitate Serpens emergit, geſtat. Quæ omnia ſymbola ſunt virtutis & efficaciæ, quam Mundi Anima, miniſtrorum ſuorum ope, ac mediante ignis elemento, in Mundo exercet.

*ejus ſymbola.*

Ac per Accipitrem nimirum avem igneis oculis, celerem, vivacem, ardui præcelſique volatus, ſingulas ignis tam cœleſtis, quam elementaris proprietates ſymbolicè connotant. Per baculum κουκουφοκέφαλον, tùm Regiam poteſtatem, tùm rerum vi caloris in Mundo productarum varieta-

rietatem, cristâ Vpupæ omnigenâ colorum varietate imbutâ ἱερογλυφικῶς præfiguratam; per ansatam Crucem, quæ è

*Ansata crux sive litera Tautica:*

duobus, Circulo videlicet & Cruce, coalescit, motum Phta, videlicet Animæ Mundi, omnia quæcunque in Mundo sunt artificiosè disponentis, denotant. Per circulum nimirum corporum

*ejus partes.*

cœlestium circularem motum, quo ea quadantenus animat, & ad influendum in inferiora apta reddit: per Crucem verò seu decussatas lineas, motum quem in inferiori Mundo ad generationes & productiones rerum, juxta elementarium corporum conditionem, peragit,

*Motus rerum sublunarium.*

significant. Est enim sublunarium rerum motus juxta rectas lineas, uti in motu gravium & levium, vel mediâ naturâ constantium, apparet; quorum illa partim deorsum, partim sursum πρὸς τὰς ὀρθὰς delata; hæc à gravitate & levitate utrinque ex æquo participantia mediam naturam nacta, & in latera veluti diffusa, appositè decussatas Crucis lineas exprimunt. Igitur hoc unico cha-

*Mysteria Tautici characteris.*

ractere ob dictas rationes totius naturæ processum non inconvenienter connotant; quare illum omnium quotquot sunt hieroglyphicorum symbolorum mysteriosissimum reputabant, eumque vim præ cæteris maximam, cùm ad Genios bonos alliciendos, tùm ad fa-

*ejusdem appellationes.*

scinandos malos, obtinere arbitrabantur: hinc eum salutis symbolum, fascinum maximum, monogramma Phta, aliisque nominibus insignientes, in omnibus Obeliscis, statuis, tabulis, insculptum ponebant. Ad caput verò hu-

*Genii meridionalis Ornamentum in capite:*

jus idoli pergentes circulum offendimus cum angue infra promisso, quod est hieroglyphicum vis divinæ rerum conservatricis, & ubique latentis, seu Spiritus vitali calore intus cuncta alentis, &, ut Poëta habet, magno se corpore miscentis. Sede Genii quadratâ

*Sedes ejus,*

notatur constantia actionum indeficiens in omnibus; basis verò quincuplici

*in sede basis variata figuris.*

crucis ansatæ charactere notata significat quinquevaria effecta Genii solaris, nempe lapides, metalla, plantæ, animalia, rationalia. Hæc sunt symbola Animæ Mundi sive Solaris aut ignei Genii pantomorphi; in cæteris hujus schematismi hierogrammatis primum est figura Sacerdotis Isiaci, lintea veste culti, gestu ejus ad similitudinem precationis composito. Tutulum in capite

*Figura genii minoris, cum symbolis ejus.*

ejus, à serpentibus hinc inde erectis, & sphæra media, flammaque ab utraque parte erumpente, & pennarum fastigio, unico vocabulo dicimus ὀφι-κυκλο-φλογο-πτερόμορφον. Toto hoc hieroglyphico schemate nihil aliud denotatur, nisi ratio sacrificiorum, quæ Hieromantæ ad Solares & igneos, sicut omnes alios, Genios placandos aut alliciendos, in adytis suis variis cæremoniis ritibusque, uti jam sæpius dictum est, peragere solebant. Ac per lineum quidem habitum, summam eorum, qui sacris præesse debebant, puritatem ad

*Amictus sacerdotis symbolicus.*

placationem Deorum requisitam denotant. Per stantis verò & precantis situm, seriam & constantem, devotamque in sacris obeundis voluntatem:

*Gestusque,*

per statuunculam verò homunculi quasi ad adorandum deos compositi, quam

*& oblata genio principali statua.*

manu dextra sacerdos Genio Pantamorpho offerre videtur, nihil aliud indicatur quàm quibus cæremoniis, aut quarum rerum commistione imagines & statuæ τελέσματα, sive in alios usus conducentes, construendæ sint, Genioque præsentandæ, ut spiritu animata divino vim imposterum obtineant contra malorum incursus prophylacticam. Tutulus autem quem capite sustentat, ὀφι-κυκλο-φλογο-πτερόμορφος, indicat proprietates Animæ Mundi, seu virtutes, quas cognitas habere oportet, ut iis rebus ἀναλόγως adaptatis sa-

*Ornamentum in capite sacerdotis.*

crificuli Deos faciliùs alliciant; & ideo capiti Sacerdotum imponitur, ad innuendum sacrificia hujusmodi ratione & intelligentia perficienda; nihil enim Diis magis placere credebant, quàm totius mentis & intellectus ad Deos cognoscendos, honorandos, sibique quovis modo uniendos, seriam & constantem applicationem. Significabat enim circulus immensam divinitatis majestatem; flammæ verò, vim pervadendi subtilem; serpentes fœcunditatem vitalem; pennæ promptitudinem in succurrendo, atque in agendo celeritatem, in dignitate denique supremam excellentiam; hoc enim omne veluti tacita quadam hymnodia his signis suggerebant. Columna denique cupella ignis media inter Osiridem & Sacerdo-

tem

*Columnæ interjectæ significatio.*

tem Isiacum, sacrificia significat igneo Genio fieri solita, sine igne nequaquam perficienda; delectatur enim eo Genius ignis tanquam re consimili, sicuti omnibus aliis rebus ipsi analogis. Est igitur totum hoc schema nihil aliud, nisi sacrorum Solari seu igneo Genio fieri solitorum arcana per hieroglyphica symbola repræsentatio, quod primo loco veluti epigraphen quandam, quâ quid in sequenti hieroglyphicorum Syntagmate contineretur, indicarent, ingeniosè posuerunt. Hactenus de primi lateris schematismo primo: jamque ad principes quosque schematismos in reliquis lateribus gradum faciamus.

*Schematismi primi lat. 1. conclusio.*

*Lateris secundi schematismus princeps.*

*Prima figura.*

Eurina in facie aërio Genio analogâ summus Obeliscus symbola possidet sacrarum cæremoniarum ac rituum, quibus dæmon ille aëris placandus aut alliciendus sit. Alpha illarum figurarum, quam & A literâ notavimus, idolum aërium repræsentat, estque figura humana, nudata, quasi sedentis, pedibus junctis, dextrâ crucem ansatam tenens, sinistrâ thyrsum lini; in capite est tutulus ex circulo & pennis aëriis: & hoc ipso Genii dominium in aërem indicatur, quem circulus fulcire universum significat. Lini thyrsus nihil aliud sibi vult, quàm aërem intendi; scilicet flos lineus cœruleo suo colore aërem refert, teste Plutarcho: de cæteris symbolis in præcedentibus satis indicatum est. Alteram ergo figuram quam litera B notavimus, consideremus, quæ manu sinistra crucem ansatam tenet, ut numen illud inclinatius habeat, dextrâ verò gestat phallum oculatum Osiridis, fascinum scilicet efficacissimum, quod in nullis non sacris adhibebatur, quum eo Osiridem Pantomorphum moveri ac inclinari crederent, ad malorum averruncationem, ac ne à Typhone immissa nocerent aëri. Per mensam denique, sub indice E, ovis & lecythis ramoque oleæ instructam, significant, quod Genio aërio non sacrificandum sit, nisi rebus aëreæ naturæ; illis enim Genium tanquam sibi analogis gaudere. Ovum nimirum, præterquam quod aëriæ substantiæ sit, & semen aëriarum animantium contineat, etiam aëris sphæram imitatur. Oleam quoque aëream esse, notum est: Lecythi verò seu vasa oleo plena adhibebantur in sacris cæremoniis, vel in lampadum accensarum, vel in idolorum perlinendorum usum. Fos verò Loti columnam mensæ ambiens, significat sacrificia ad exemplar naturæ peragenda.

*Lineus thyrsus.*

*Secunda figura, quare crucem ansatam teneat.*

*Mensæ interpositæ explicatio.*

*Ovi symbolica ratio.*

*Oleæque. Lecythique.*

Opposita occidenti pars, humido scilicet ac frigido, ritus, quomodo Lunari genio faciendum sit, exponit. Hîc Alpha geniorum seu primus & insignissimus, faciem ibimorpham (ibis enim avis est Nilotica,) & in capite cornua Lunæ sextilis gerit, quibus dominium in aquam significatur, quod confirmat juncus Niloticus cum rana. Alter verò genius fœmineo habitu est, ac manu dextra vas Niloticum cum malo & velo baridis sive navigii sacri tenet, quibus sibi prosperari volebant aquas, Nilum, ventos, navigationem, similiaque. Mensa verò intermedia Canopis, vasis Niloticis, aliisque Nili symbolis referta monstrat, Genio aquæ sacrificia sine liquore Nili non peragenda; hisce enim eum trahi putabant. Hinc sacram lympham Nili non Canopis tantùm, sed & aliis vasis inclusam singuli domi suæ ad lustrationem expiationemque, teste Plutarcho, tenebant: necnon brachium illud H, cum vase quod manu tenet, Mensæ impositum ad ripas Nili, veluti averruncativum ponebant, Osiridis brachium symbolicè denotantes. Totum igitur schema hoc hieroglyphicum nihil aliud significat, nisi aqueo Genio sacrificandi rationem.

*Lateris tertii summus schematismus.*

*Primaria figura.*

*Secundaque.*

*Malus & velum quid significet.*

*Mensula cum symbolis suis.*

Qua spectat Obeliscus septentrionem, primo schematismo nihil aliud proponitur quàm quibus ritibus, quarumve rerum exhibitione Genius terræ seu isis excolenda sit. Hujus schematismi figura principalis extincta Oedipo restituta est, ex figuræ in Tabula Bembina mediæ exemplo, quæ hoc loco refert Isidem Genium terræ, seu magnam matrem, rerum omnium nutricem, ad quod significandum mammæ dantur turgentes; eique inventio agriculturæ tribuitur, quo referenda sunt calathus cum spicis in capite, tutulusque floreus, & cornua bovina. Secunda figura est sacerdotis fœmineo habitu culti, dextrâ præcipuè monogrammata tenentis Phta & Mꝺϑ, quorum illo significatur Anima mundi, hoc terræ genius sive

*Quarti lateris schematismus primarius.*

*Figura maxima detrita qualis fuerit: ejus symbola.*

*Altera figurarum.*

ſive ipſa terra; referuntur enim actiones Phta in terram. Porrò quid tutulus ille polymorphus, quid crux, ſedesque, & alia ſymbola ſignificent, ſæpe vidimus, hoc unicum benè notantes, quod per habitum ſacerdotum fœmineum ſignificentur elementa fœminina, per maſculinum maſculina: itaque ſacerdotes igneo & aërio, elementorum ſcilicet maſculorum, Geniis ſacrificantes maſculino indumento veſtiuntur, aqueo aut terreſti facientes, fœmineo. Tantum de his quatuor ſchematiſmis primariis: ſequitur de cæteris. Primùm verò de Meridiano latere, quod eſt vitæ, caloris & totius humoris principium, ut ex principi hierogrammatiſmo cognovimus; quem columnæ hujus lateris, quemadmodum & in cæteris, binæ excipiunt.

*Quid cultus maſculinus aut fœmininus in hieroglyphicis notet.*

*Lateris meridionalis, explicatu primi, diſpoſitio.*

Explicantur hac parte ſtationes deorum in bonum agriculturæ influentium juxta phyſicum, myſticum, & anagogicum ſenſum intelligendæ, & quibuſ cæremoniis dii attrahendi, aut placandi, ad utilitatem publicam, nec non quos effectus dii operentur in inferioribus Mundis. Qualibet autem in columna ſex exhibentur Genii, quibus, ut dictum bonum conſequerentur, honorem cultumque ſummo ſtudio & cura habebant, ſcilicet Omphtæ, Iſi, Api, Momphtæ, Nephtæ, & Harpocrati, uti ex interpretatione patebit. In prima itaque columna, è regione C, ſpectantur duæ palæ, agriculturæ inſtrumenta, unà cum figura humana alterâ manu ſtateram, alterâ radium menſorium tenente, quæ Numen Omphta denotat, teſte Plutarcho, beneficum ac quod in hylæis mundis unicuique ſuum juxta juſtitiæ præcepta tribuebat, cujus ſymbola ſunt, ſtatera & radius menſorius: hujus feſtum celebrabant menſe Paophi, * quo ſcilicet poſt inundationem Nili maxima illius Numinis beneficia cognoſcebant, unde non incongruè illud inter duodecim ſignorum Zodiaci Præſides adnumerarunt. * Hic eſt qui damna Typhonia Solis & Lunæ ſuâ virtute ſuperat, quidquid nimio calore exuſtum irrigans, vel quod nimio humore ſuffocatum exſiccans, omniaque ad mediocritatem quandam reducens: quæ apte indicantur per Noctuam & Coturnicem, quarum illa Typhoniam vim aduſtivam & pernicioſam ſiccitatem in Sole; hæc in Luna nimiam humoris affluentiam, ſeu vim quandam ſuffocativam, ſignificat, quam utramque Omphta ſuperat, nimiamque humiditatem calore, uti & nimiam ſiccitatem humore ad mediocritatem reducto temperat, dominio in Solem & Lunam potens, uti bina ſceptra è regione D oſtendunt; quorum prius Luniforme, in Lunam, alterum Accipitriforme in Solem dominium notat, qui ſunt moderatores inferioris Mundi, ut ſegmentum immeditatè ſequens notat. Quia verò tellus horum omnium operationibus ſubjecta eſt, hinc ſtatim ſuppoſuerunt Iſin ſedentem velato vertice conſpicuam; in manu ſiniſtra baculum Cucuphomorphum tenentem, quo indicatur, eam eſſe cooperatricem Momphtæ, & varietatis rerum cauſam in tribus inferioribus Mundis, animali, vegetabili, & minerali, influxuque à Momphta dictos in Mundos juxta juſtitiæ normam diſpoſito, eſſe conſervatricem; quæ aptè per hæc ſymbola △○○○△ è regione Iſis poſita, tres globos & duas figuras πυραμιδοειδεῖς, indicantur. Quia tamen benefica Numina nil efficere putantur niſi perpetuâ cultus religioniſque obſervantiâ ſollicitata; hinc Sacerdotes Iſidis, menſe Paophi in adytis ſemina ſpargentes, fundum paternum ex tribus triadibus compoſitum invocabant, nempe fœcundum providentiæ Numen, totius naturæ ignem, à quo omnia progenita; & ideo ſitum corporis in myſticum numerum Numini competentem componebant, manibus nimirum poſt terga depreſſis, ac in genua adſtantes. De hoc more Damaſcius in ſua Theologia: *Sacerdotes & Myſtæ in adytis menſis Paophi principio ſemina projicientes, fundum paternum, & Ammon totius naturæ ſcilicet fœcunditatis præſidem invocant, innuentes hoc ipſo, ab uno igne omnia progenita eſſe.* Hinc appoſitè addunt è regione E tres figuras quaſi ſpargentes ſemina. Sed cur tres pingunt? videlicet ut arcane ſignificarent tres triades, ex quibus fundum paternum componebatur, teſte Zoroaſtro, quod declarat figura immeditatè Sacerdotibus ſuppoſita, cum ter trinis unitatibus, hoc modo: III. III.

*Eo quid contineatur.*

*Prima columna.* C

*Feſtum Omphta.*

* *hic à die 28 Septembris, ad 28 Octobris excurrit.*

* *De hoc numine videſis apud Kircherium in Aſtrologia.*

*Noctua cum coturnice quid ſignificent.*

*Duo Sceptra.* D

*Segmentum.*

*Iſidis ſimulacrum cum ſymbolis proximis.*

*Figuræ Trium ſacerdotum.* E

*Damaſcius.*

*Figuræ tribus ſacerdotibus ſubjunctæ.*

III. III. paterni fundi, seu ordinum mundi angelici notis: juxta quas phallus oculatus est, Numinis fœcundi & omnia providentis symbolum, ut jam sæpe dictum fuit, dehinc globus, qui binas flammas emittit, & omnia ab uno igne, quem Amun dicebant, progenita esse notat. Sequuntur duo vestigia pedum, quibus suprapositi duo Rhomboides, infrà Serpentes; deinde triangulum rectangulum cum duobus Rhomboidibus, & catenâ, pennaque, & phylacterio vasis Nilotici; quibus indicatur, occulto Deorum memoratorum progressu agrorum influxum promoveri, vitam concedi, & catenam phylacterio Nilotico obtineri. Occultum verò Deorum progressum per humana vestigia signari, Plutarchus docet, qui Isidem nil aliud quàm prudentem naturæ progressum dicit notare, cui & ideo semper duo pedum vestigia, uti ex variis Romanis superstitibus marmoribus clarè patet, addebantur. Agrum autem, seu τὴν ἄρουραν, per quadrangulum signari, docet Horus lib. I. cap. III. Vas verò Niloticum appendiculo ligatum, notat phylacterium Nilotico Numini propitiando aptum; hinc, uti Plutarchus ait, in pompa Isidis, vas aquarium præcedebat, cujus & figuram Sacerdotes manibus, collo, pectori affigebant. Sed hæc, & reliqua symbola passim antè exposita sunt: sequentia igitur sunt iterum Isis velata ac quasi sedentis situ, tum bina sceptra, pala, tres termini cum sceptro incurvo, & Scarabeo; post hunc cycloides, & quadratum, & Serpens, ac pars posterior Leonis; ex hujus regione manus est cum capreolo vitis, tum Serpens, & χιασμὸς sive decussata Crux, nec non Cornucopiæ, Coturnixque inter duas pennas, deinde tres termini cum binis pedibus globum alatum fulcientibus, deinde vasa, segmenta, globi, atque Hydroschema, cum Serpente, manuque extensâ, & pennâ, & capite Hori. quorum symbolorum hæc est interpretatio: Isis duplici dominio potens, frugifera, Mundorum influxum per Solis dominatoris cursum annuum accipiens, beneficum vitalis roboris augmentum in quadrifidam terræ faciem dispertit Cornucopiæ, propulsâ Coturnice infe-

*Globus cum flammis.* F — *Figuræ plantarum.* — *Quadrangulum.* — *Vas Niloticum.* — *Figuræ sub literis,* G



sta Bebonia, & supremi Numinis ductu, per alatum globum pedibus præpositum aptè signati, Mundis hylæis, & receptaculis ejus vitalem humorem confert; cujus beneficio resuscitatur Horus, id est, Mundus Sensibilis. Sequuntur deinde inter literas K & L, stationes Momphtæ, qui Isiaci septi custos, & Apidum Soli & Lunæ consecratorum. Quatuor enim pilas, è regione Momphtæ, thalamum vocabant, qui nihil erat, nisi septum in quo, teste Herodoto in Euterpe, sacri boves alebantur. De Apide Plinius: *Sunt ei delubra gemina, quæ thalamos vocant, auguria populorum: alterum intrasse lætum est, in altero, dira portendit; responsa privatis dat, è manu consulentium cibos capiendo.* Deinceps duo sequuntur boves, quorum prior Solem sive Osirin, alter Lunam seu Isin significat, ex quorum cultu variæ divinationes instituebantur de anni tribus stationibus, uti tres termini notant; his cœlestes influxus, craterisque defluxum concatenari credebant, id quod symbola intermedia sibi volunt, nempe catena per cycloidem ducta, cum vicina crateris figura, quo nimirum influxus septi sacri in humidam substantiam & in quadripartitam Mundi faciem occulto motu dispertiebat præses & dominator catenarum humidæ substantiæ. Mox additur decussis, X, Vniversum seu quatuor mundi partes denotans; tum hominis figura, alterum genu ponentis podice ad calcaneum submisso, toto corporis situ numen Momphta exprimens: huic adpositus pes occultum Numinis motum significat, ac sequens vas Momphtæ humidam substantiam, duæ catenæ humidum superius inferiori connexum; sceptrumque, literam M vehens, Momphtæ sceptrum vocatur; sed horum significatio jam notissima est. Per figuram verò in calcaneo residentis ritus quoque sacerdotalis intelligi potest, quo in adytis Momphtæ Apidum custodes adolebant contra noxiam Typhoniam vim; quæ aptè per Crocodilos, qui inter M & N, spectantur, notata est. Septem enim diebus Sacerdotes Apidis solennitati insistebant, quos Natales Apis vocabant, eâque durante nulla vis Typhonia nocendi locum habebat; scilicet & Cro-

H — I — K — *Stationes Mophtæ & Apidum.* — *Plinius lib. 8, c. 46.* — *Duo boves.* L — *Catena in cycloide.* — *Crater.* — *Decussis.* — *Figura Momphtæ,* — *ejus sceptrum.* — *Sensus symbolicus secundarius.* — M N — *Apidis solemnitas.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

*Crocodili certo tempore innoxii.* codili, Typhonis genuinum ectypon, terrâ marique nocentissimum genus, nullum hoc tempore damnum inferebant mortalibus, sed tanquam mansuefacti, sacras favissas accedebant, uti figura ostendit, inde aquam sorbentes *, quasi diei cultui ultrò subscribentes. Hinc Carystus de Festis Ægyptiorum, *Ferunt*, ait, *in Ægypto Natalitiis diebus Apidis omnes Crocodilos mansuefieri; neque ullus sacram piscinam lingit, nisi hisce diebus.* Scitè itaque stationi Apidis stationem Typhoniam per Crocodilos indicatam hoc loco subjungunt, mysticè & anagogicè innuentes, tantam cultus Numinum, quæ sub figura Boum colebantur, excellentiam esse, tantamque energiam, ut nulla in Mundo violentia adeo truculenta reperiri possit, quam Sacerdotes, cultorum Numinum ope freti, non doment, & perfecto dominio subjugent; quod appictum sceptrum satis ostendit, dominii in eos symbolum. Erat id sceptrum ex arundine, à qua naturali antipathiâ, uti Theophrastus refert, dissident Crocodili, & vel ad eorundem stridorem sistuntur. Dictis itaque diebus Api destinatis non Crocodili tantùm mansuescunt, sed & Cornix Typhonia crocitare desinit, potenti hâc Deorum catenâ & dominio profligata, quæ symbola catenæ, & sceptri, & Cornicis cum penna, è regione N, luculenter ostendunt. Hinc Sacerdotes illis diebus sacra beneficis hisce Numinibus, quæ per duo brachia notantur, in adytis celebrantes, nudi, brachiis in formam Crucis conformatis, ad ansatam Crucem exprimendam, incedunt, uti figura ostendit; his enim ritibus cœlestes catenæ influxus, humoremque vitalem in inferiorem quoque Mundi partem, cui Nephte præest, derivant; hisce dispulsâ Noctuâ ab humore vitali, attrahitur occultus dictorum Numinum per duodecim Mundi portas incessus; quod sibi volunt symbola sub indice P, Noctua cum hydro-ophioschemate, & fune, nec non quadrangulo in duodecim partes diviso, cui bini pedes duplicati subduntur. Cætera, quæ è regione literarum Q R S T interjiciuntur, cùm jam nota, & sæpius exposita sint, non repetimus; ritus verò indicant Sacerdotum, & pro his concessos à numinibus effectus in quadrifido Mundo, aquis, aëre, terra, atque ejus vegetabili natura. E regione V baculus Momphtæ comparet, & ejusdem statua flexo genu nitens & modium in capite gestans, juxta hanc Leonis anterior pars; quibus robur & dominium summum ostenditur, cui & Sacerdotes thyrsis in formam nominis ejus adaptatis, sacra faciunt hâc statione; reliqua symbola effectus quoque ex hoc ritu consequentes demonstrant. Decucurrimus primam columnam, repetemus hoc latere secundam.

** Linguâ nimirum carent.*

M

*Carystus.*

*Quanta deorum opinio cultoribus animum exauxerit.*

*Sceptrum arundineum.*

*Vlteriores effectus concatenatæ stationis deorum.*

N

*Figura hominis nudi, brachia extendentis.*

O

P

*Quid sibi velint symbola infimæ columnæ.*

Q R S T V X

*Altera lateris primi columna.* Exhibentur in hac columna sex tutelarium Geniorum Præsidum sacrificia, & ritus iis placandis necessarii, effectusque inde consequentes. Primus est tutelaris œconomiæ spermaticæ; secundus est Mercurius, naturæ vegetabilis custos; tertius est polymorphus Dæmon; quartus terrestris Elementi custos; quintus Momphto-Ammoniæ œconomiæ servator; sextus Anubici regiminis substitutus; quæ omnia sic se habere, ex interpretatione elucescet. In prima itaque facie columnæ, è regione C, quæ cognosci possunt symbola, sunt hæc: Capreolus vitis cum catena, cui subditur phallus oculatus, & figura quasi in genua adstantis & orantis, quam sequitur mitratus Genius flagello munitus. Quibus symbolis nihil aliud nisi spermaticæ naturæ præsidium, quæ in germinibus maximè elucescit, indicatur. Nam per capreolum vitis cum binis Rhomboidibus novella agrorum germina per oculum & phallum supremi Numinis de successiva rerum fœcunda generatione providentia; per figuram genu nixam, supplicatio Sacerdotum ad eandem prosperandam; per mitratam denique & flagello minitantem statuam Genius totius πολυγονίας præses, indicatur, qui hâc parte sedem stationemque sibi fixit. Sequentia symbola Elementa, quorum fœcunditati præest, indicant: per hydroschema aquam, per duos Scalenos geneticos cum intermedio globo, virtutem geneticam sive spermaticam Mundo insitam; per duas pennas denique aërem notant, quæ omnia quæ in Nilo sunt, in virtute sceptri Momphtæ vitæ largitoris, vique temonis

*Genii in ea propositi.*

*Geniorum primi symbola:* C

*Ejus præsidii subjecta.* D

*Baëth idem est quod accipiter seu Taustus: vide Hor. lib. 1, c. 7.*

nis *Canub*, & pennæ *Baëth*, administrat, quæ totidem quatuor symbolis indicantur. Sacerdotes verò ad dictum Genium devinciendum nudi, expansis brachiis, ut figura è regione E monstrat, Tauticam Crucem effigiando, beneficam duorum recensitorum Numinum vim, ϗ τὴν σεῖραν ἐκείνων, id est, eorundem catenam, ut Psellus docet, sollicitabant; & sic cœlestis Osiris beneficam vim in cœlestem & vitalem humorem, divinique provisione oculi in hylæum cornucopiæ derivabant; quæ pulchrè sanè per symbola è regione F indicantur. Per cycloidem, & hydroschema, nec non Serpentem, cœlestis vitalisque liquor; per oculum cum globo, divina in mundo providentia, per figuram denique cornucopiæ, affluxus rerum elementarium significatur. Ac notandum, triplici modo hoc cornucopiæ Ægyptiis depingi, vel cum quatuor quadratulis illius orificio impositis, uti hoc loco, significatque affluxum rerum elementarium, quem idcirco hylæum vocamus; vel cum septem quadratulis, & denotat affluxum rerum cœlestem per septem planetas causatum; vel denique duodecim numero quadratulis insignitum, quùm influentium totidem Zodiaci signorum signum est. Hinc sequitur, indicibus F & G, serpens & pueri veluti vittati figura, capreolusque & globus superpositus, cum penna. Per serpentem spiritus vitæ intelligitur, & sub specie pueri vittati Horus semper juvenis, globo & capreolo mundus vegetabilium, pennâ motus indicatur, ac si hoc sibi vellent symboia, quod virtute sacerdotum ἐυχηλικῆ Horus, hoc est, sensibilis Mundus generatione vegetabilium perpetuo quasi juvenesceret per vim vitalem Vniversi, serpentibus nimirum & chiasmo id suggerentibus. Mox adduntur duo pedes, & noctua: Hori scilicet per universas mundi semitas procedentis motu noctua Typhonia veluti ad divinitatis præsentiam, per globum indicatæ, dispellitur; & liquor vitalis, quem aquæ & serpentis symbola pariunt, inferioribus mundis ex superno in inferiora influxu, cujus nota Tauticus character est, per Osirin obtinetur; quemque Typhoniæ noctuæ vis penitus extinctum cupit, illum restituit numen supremum, quod est unum rerum omnium principium, indicaturque globo & unitate, attrahendum scilicet ritibus sacerdotum; hæc sibi figura humana, serpensque & manus extensa volunt.

*Ritus sacer huic Genio debitus.* E

*Cornucopia triplici variatione pingendi.*

*Symbola sub signis F & G.*

*Intellectus symbolorum expressior.*

*Duo pedes cum noctua, &c.* H

Succedit statio Genii Mercurialis seu Hermetis in ibidem transformati, cujus ἀνλίτεχνος Typhon est, per noctuam indicatus. Et ibis quidem prothyræo insistit, juxta quod tripus est triangulatus cum cucurbita. Hinc sacerdos & hydroschema, thyrsusque papyri, cum penna accipitris & aure bovina; deinde cycloides & propter K indicem calathus sceptrumque alatum cum tribus terminis proponitur. *Sacerdotes enim in vestibulo Mercurii*, ut est apud Pausaniam, *solennia celebrantes tripodem ponebant, & cucurbitas offerebant*, ut obtestarentur triforme Numen Hemphta, quas adjurationes paulo pòst sequentibus symbolis significarunt. Mercurium enim ibis cirrata, prothyræum seu vestibulum delubri ejus tres trabes indicant. Tripodis figura, ut apparet, erat efformata ex globo, cujus trina sustentacula triangulis effigiabantur, nihil aliud nisi supremum & invisibile triforme Numen, ideis fœtum, significantibus. Nam uti in præcedenti Obelisco Pamphilio persæpe vidimus, erat globus divini numinis & supremæ causæ causarum, in æterna unitatis suæ abysso absconditæ symbolum; triangulum verò divinitatis ad extra se diffundentis, unde & triangula trino ordine in modum radiorum diffusa omnium rerum ad æternum exemplar conformatarum, quæ ex centro globi ac paterno fundo profusæ infinito ambitu finiuntur, hieroglyphicum erant; cujus sicuti in inferiori Mundo cucurbita, in cujus meditullio semina trino ordine distensa cernuntur, index erat, ita sanè aptum ad occulta mysteria significanda hunc tripodem symbolum assumpserunt. Triplici verò connexione triangulorum notant siderei & elementaris mundi connexionem à supremo centro sive deo descendentem, qua unicuique suum fatum destinabatur; ejusque præco & interpres Mercurius habebatur, sicut Mercurii nuncia noctua, qua scilicet non tantum

*Alterum præsidium.* I

*Ejus symbola.* K

*Pausan.*

*Tripus sacer.*

*Cucurbitæ symbolum.*

*Noctua prænuncia fati.*

tum

I tum Adversi numinis impressiones indicabant Ægyptii, sed & Hemphta, id est, universalis providentiæ divinæ præmonitiones de futuro, cui non nisi sapientia occurri posset, noctuâ itidem indicatâ, & sub præsidio Mercurii constitutâ.

*Vestibulum Mercurii.*

In hoc itaque prothyræo Mercuriali, quod ante Mercurii delubra passim spectabatur, mysticè per trium trabium interstitium, & tripode adornatum, Sacerdotes ex Mercurio divinæ voluntatis interprete, varia circa futura divinabant; prout symbola sequentia indicant.

K

*Figura sacerdotis nudi, cum sceptro, penna, undis, auricula bovis &c.*

Sacerdos nudus Deum ad concedendam futurorum præscientiam adjurabat, per baculum Numinis polymorphi, per pennam Accipitris, per fluxum Mophtæ, per aurem Apidis sive Bovis sacri, per cœlestem beneficentiam Osiridis, vegetabilium moderatoris; per sceptrumque ejus alatum; quæ omnia per symbola è regione K posita indicantur.

*Quinque sacerdotum figuræ.*

Deinde tres Sacerdotes, (quorum duo in nomen Hemphta se transformabant, alter in genua ante

L tripodem stabat,) supremum Numen pro calamitatum aversione sollicitabant. Denique unus Noctuam dirorum annunciatricem veluti flagellabat, & alter adjurationem supradictam denuo iterabat.

*Repetita symbola adjurationis.*

Per baculum Genii polymorphi, rerum omnium necessariarum abundantiam; per pennam Accipitris, malorum aversionem; per aurem Bovis sacri, fœcundam rerum generationem, quæ per auditum Tauri contingit; (Taurus enim auditâ voce Vaccæ statim ad fœcundum cum ea congressum sollicitatur, teste Horo lib. I. cap. XLVII.) per cycloidem cum manu extensa, & calatho capreolato, beneficam cœlestis Osiridis vim, potestatem

K in omnia habentis; per alatum sceptrum, & tres terminos, despoticum in tripartitum anni tempus influxum, per motum Solis causatum, indicabant; quæ omnia cùm sine influxu Hemphtæ, in quo omnia dicta continebantur, obtinere non possent, Sacerdotes ad dicti Numinis nomen exprimendum, membrorum totius corporis coaptatione se transformantes, ante tripo-

L dem, ut è regione L patet, sacris operabantur, & Noctuam tripartito diei tempore ad dirorum aversionem flagellabant, sicuti figura ostendit. Vidimus itaque ritus & cæremonias; jam effectus videamus per sequentia symbola denotatos.

*Effectuum sacrorum symbola.*

Primò per funiculum, qui M globum annexum, & infrà craterem positum habet, divini Numinis influxus in craterem Osiridis;

*Funis cum globo.*

per ovum, cui suppositus Capreolus, fœcunda rerum genitura; per craterem, cui perseæ flos supponitur cum figura Zanuti, id est, catenæ, significatur Mercurialis affluxus, quem intendebant, in omnia catenæ suæ subjecta, ut benefica vis, per duo brachia Anubidis, significati per canem jacentem & veluti rebus invigilantem: sic liberalitas in rerum necessariarum suppeditanda copia, per humorem triplicem, duosque thyrsos papyraceos, & hydroschema triplex indicatur; dominium verò & potestas calatho capreolato; ac per temonem directio vegetabilis naturæ in agris; per figuram supplicantem, & oculum cum cycloide, providentia cœlestis in agros; per Chenosirin Anserem denique, vigilantia innuitur.

*Ovum & capreolus, &c.*

*Canis procumbens.*

N

*Anseris figura.*

O Sequitur jam statio polymorphi Dæmonis, per Draconem alatum, & thyrsum papyraceum significati, qui & abundantiæ rerum humano generi necessariarum index est.

*Statio deorum tertia.*

P Cæremonias huic faciendas statuæ binæ denunciant, quibus nimirum anima assurgit ad incognita, septumque sacrum penetratur, catena cœlestium Numinum trahitur, Coturnicis & Accipitris, id est, Lunæ & Solis Typhonia damna arcentur, & Niloticus humor justitiâ cœlestis providentiæ circa agriculturam administratur: quæ omnia per symbola inter P & Q inclusa notantur, quorum significatio jam ex præcedentibus constat.

*Non movetur hoc loco lector lacunam hieroglyphicorum, Oedipo enim præterita est.*

Q Huic è regione Q statio Genii terrestris, proxima est, per Canis anteriorem partem, cum litera *H*, & calatho capitis ornamento indicata. Scilicet hoc pacto Nephten ponebant, quam eandem cum Proserpina esse dicunt Authores, & capite canino. Nam, ut rectè Demophilus Author pervetus, Νέφθυν Αἰγύπτιοι κυνόμορφον ζωογραφοῦσι. *H* terram significat, quasi duabus columnis, aquea & terrea, firmiter compactam, cui Nephte dominatur, & fundatur supra tria fundamenta, quæ per tres terminos situ

*Calathus capreolatus.*

*Nephte Ægyptiorum quænam.*

*Symbolum H.*

suo

ſuo pyramidem figurantes indicantur, & ſunt aqua, terra, & ignis; aqua conſervatur per cultum Nilo exhibitum; mala Typhonia pelluntur pennâ Oſiridis; tres anni partes omnibus vitam
R præbent; hinc altare Genio huic erigebant quadratum cum corona tricuſpide, & piſcina ſacra, quæ ſymbolis è
*Ara coronata.*
S regione R indicantur. In vitam verò animantur omnia occulto Deorum motu, cultu potiſſimùm Hori dominatoris humidi & ſicci, præſidioque Nephtæ, & uſu amuletorum, ſcilicet ſacræ crucis anſatæ, & antennæ Kanub noctuam profligantis. Statio Momphto-
*Periapta crucis & antennæ Kanub.*
T Ammonia è regione T, cujus dominium fertur ſupra calidum & humidum; hoc figurâ illâ ſitulam in capite gerente, illud per Arietis caput indicatur, quorum potentiam in opus deducit Scarabeus Oſiris: his enim omnium rerum generatio perficitur, & omnia ei contraria per cultum illum dictorum Numinum profligantur. Anu-
V bidis ſtatio è regione V oſtenditur per Canis figuram incubantis, & invigilantis rebus ſibi commiſſis, nimirum humori per quadrifidam terræ faciem diffuſo, qui trium Elementorum, ignis, terræ, & aquæ cuſtos eſt, eorundemque per Vniverſi ſemitas traductor, cui in prothyræo Hermetis ideo ſequentes ſtatuæ averruncativæ, Harpocratis, Hermetis Canicipitis tutelaris, & Ammonis, ponebantur, cum attri-
X butis ſymbolis, ut è regione X patet. Atque hic ſymbolorum in primo Obeliſci latere Auſtrali contentorum contextus eſt, qui quidem nihil aliud habet, niſi operationes & præſidia duodecim Geniorum tutelarium huic parti præſidentium, uti indicant duodecim ſtellæ, quæ in vertice Obeliſci ponuntur, & ſymbola ſunt duodecim Geniorum. Nam, ut rectè Horus ait, ſtellam pingentes Ægyptii, nunc Genium denotant, nunc fatum &c. etenim ſex horum Geniorum in prima columna lateris, totidem in ſecunda poni vidimus. Quibus demonſtratis jam alterum latus exponamus.

*Latus ſecundum, quod eſt Orientale.*

Hac verò parte, qua Obeliſcus Orienti obverſus ſtat, duabus in columnis bis ſex Genii, præſides aëreæ naturæ, unà cum operationibus ſuis, & ritibus quoque ſacerdotum ad illos in vota trahendos. Præterito autem primo ſchematiſmo, quem paulò ſupra explicavimus, pergimus ad ſubjunctos. In priori co-
*Columnarum prima;*
lumna ſtella cum columba abſolutum A
aërei Genii ſymbolum eſt. Per ſtellam, ait Horus, vel deum, vel fatum, vel numerum quinarium Ægyptii ſignificabant. Columba verò apud ipſos aëris ſymbolum eſt; rationem idem Horus addit, ſcilicet quod adeò ſyncere & puræ naturæ ſit, ut à nullo contagioſo aëre, qui cætera tamen necat animalia, infici poſſit: proinde optime Columba cum ſtella numen aërium indicat, eſtque hæc prima ſtatio Genii aërii. Statua verò ſubſequens, quæ manus more precantis extendit, geſtus ſacrificantium indicat, ad deos, quos ſacerdos adjurat, commovendos, & malignos, noctua notante, propulſandos: ſupplicare autem videtur pro humore vitali (id quod hydroſchemate indicatur) vegetabili
*Statio primi Genii.*
*Columbæ notatio.*
*Horus lib. 1, cap. 13.*
naturæ concedendo. Temo verò cum B
penna ventum navigationi neceſſarium notat; ſtatua denique precantis in modum altero genu terram tangens, Sacerdotem vel Hierophantem indicat; eademque phœnicopterum manu monſtrat, ſymbolum Hori, quem Plutarchus ſpiritum dicit omnia virtute ſua alentem & conſervantem, eſſeque ipſam
*Phœnicopterus, avis aquatica.*
aëris temperiem virtute Solis calefa- C
ctiva attemperatam. Hinc phœnicopterum, id eſt, Horum, in paludibus nutritum ferunt. Etenim uliginoſa & aquis redundans tellus vapores alit, quibus ariditates & ſiccitates perimuntur. Phœnicopterum ſequitur ſtatua velata ſedentis habitu, cum penna in capite, quę eſt ſtatua τετελεσμένη quâ phœnicopteron ſeu Horum trahi putabant, ob proprietates ſymbolicas eidem quàm maxime congruas. Senſus hucuſque dictorum talis eſt: Genius aërius ut averruncativus ſit malorum à Beboniis ſpiritibus immiſſorum fertilitati terræ, aquæ, limitibus agrorum, navigationi, ſacro ritu è rebus Horo congruis, ſtatua amuletaria, in virtute ſceptri Momphtei, ſceptrique Agathodæmonis cuſtodis limitum, & faviſſæ ſacræ, colendus eſt, ut ſequentia ſymbola monſtrant. D
*Intellectus ſymbolorum conſtructorum.*

Porrò eſt ſtatio trium potentiarum Mercurialium, quæ per tres ibides cir-
*Manſio geniorum ſecunda.*

E ratas indicatur;* per has vitalem liquo-
F rem in piscinas sacras occulto motu &
** De his vide infrà in Obelisco Lateranensi.* sacerdotum cultu derivari putabant, uti symbola E F indicant. Ex his verò in quadrifidam terræ faciem, vitam in camporum bonum & emolumentum
G deduci credebant, uti symbola G H do-
H cent: per cæremonias enim hujusmodi factas cornucopiæ V bonis entium terrestrium abundati, vitalis liquor catenæ Geniorum aëreorum Hori asseclarum
I trahitur, ut è regione I K patet; benefica
K vis ritibus per sacram barram factis, & statuis amuletariis à Sacerdotibus mystico ritu consecratis, & liquor vitalis vim summam obtinet; ac Noctua Bebonia subsistere non potest; quæ omnia
L per symbola inter L & M inclusa notan-
M tur. Quia verò à Sole & Luna subinde
N malignæ quædam qualitates, cujusmo-
O di per Coturnicem & Noctuam indicantur, insensibili motu per pedes indicato, imprimuntur; has oculus cœlestis, insito sibi liquore cœlesti, Osiris Scarabei ope dissipat, beneficentiâ suâ vitam iis ablatam, universali dominio
P restituit (quæ per symbola inter P & Q
Q inclusa aptè indicantur) & per Genium Anubicum, leporinis auribus omnia in lucem tandem apertam deducit. Sic
*Horus.* Horus lib. I. cap. XXVI. Ἄνοιξιν δὲ θέλοντες δηλῶσαι, λαγωὸν ζωογραφοῦσι, διὰ τὸ πάντοτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγότας ἔχειν τοῦτο τὸ ζῶον. *Patulum autem quiddam significare volentes, Leporem pingunt, quòd semper apertos habeat hoc animalis genus oculos.*

*Primæ columnæ secundo latere statio geniorum tertia,* Sequitur modò statio Bebonii Genii per Coturnicem indicati, qui spermaticam naturam in aërio Mundo, per ovum signato, latentem persequitur, quem ideo Sacerdos adjurat è regione R, per sceptrum oculo insignitum omnituentis Osiridis.
R *cum reliquis stationibus.* Huic contraponitur statio Isidis per velatam fœminam, & Osiridis per Scarabeum, & Hori per cycloidem & Capreolum, quod idem significat ac cœleste germen, indicatorum. Post hæc datur statio Agathodæmonis aërii,
T qui per T Columbam indicatur. Vltima Nephtes est, humoris subterranei conservatricis, cujus est, humorem Niloticum conservare, aëriorum Geniorum catenam movere, geneticam vim singulis inferioris Mundi partibus
V inserere, uti symbola inter T & V monstrant. Ad recensitorum verò Numinum catenam sollicitandam sequentia sacrarum tabularum prophylactica præscribuntur *, cum reliquis ritibus in adytis peragi solitis. ** Tabulæ cum reliquis symbolis Lectoris eruditioni meritò relinquuntur.*

Ita fuit prima hujus lateris columna, altera porrò sequitur: in qua primo loco comparet oculus cum statua flagello insignita, tum species nubis, manusque & brachii extensi; quibus symbolis indicatur statio providentiæ Genii tutelaris nubium. *Secunda columna lateris Orientalis.* A *Statio Geniorum prima.* Potestatum enim aëriarum esse credebatur (& has ob id magno cultu prosequebantur Ægyptii) nubes attollere, ac suo tempore in incrementum Nili resolvere, nubes ab omni contagione servare immunes, & malignas qualitates, quas Bebonia vis aëri adversa impresserat, removere. Vim hanc beneficam primò per manum extensam, quâ liberalitas ostenditur, deinde per brachium, quo beneficum subsidium exprimitur, signabant: duæ
pennæ velocitatem; oculus inter duo B
hydroschemata constitutus, effectus in aqua impressi providentiam docet. Aëris dominium Genii hujus sceptrum reflexum cum penna monstrat, qui mox atque per aërem vehiculo, quod temo ostendit, defertur, geneticam suam vim, per triangulum rectangulum indicatam, in aquis latentem, primò communicat aqueæ substantiæ, & Beboniam vim contagiosam profligat, uti
symbola inter B & C notant. Sequitur C
alia providentia averruncativa malorum *Altera*
ab agris, è regione D spectanda: hujus *statio,*
beneficio aëriarum potestatum catena in bonum vegetabilis naturæ per reso-
lutionem vapores in campos exeritur; D
Typhonia vis à genetica virtute in hu- E
midæ substantiæ cisternis latente arce- F
tur; quæ aptè sanè symbolis è regione G
D E F G H, explicantur, quorum non- H
nulla in Obelisco extrita sunt. Succedit *Tertia,*
statio Genii pariter aërii è regione
I & K, sacræ tabulæ fautoris, quo Be- I
bonia vis conteritur; sacra verò tabula K
vim obtinet, liquorem vitalem in aëre condensandi, & geneticam vim sub eo latentem, ex Luna in universam camporum œconomiam per Numinis
beneficentiam traducendi: id quod fit *Quarta.*
per Genium trium fundamentorum, aquæ, terræ, ignis; qui genetica principia

cipia terræ, aquæ, & aëris aptè connectit, & cœlestem catenam aperit. Hic Genius trium fundamentorum accepto ab occulto cœlesti Numine Momphteo, dominio, quod per cycloidem, ex qua duo pedes Leonini sceptrum tenentes prodeunt, notatur, liquorem
M vasis Nilotici ad germina, quæ per
N capreolum, & reliqua symbola M, N,
O O, P, significantur, confert; siquidem
P aërio vehiculo devectus, cujus symbolum baris navigii genus è regione P existit, unà secum cœlestem catenam ad humorem Vniversi beneficâ suâ vi fœcundandum traducit. Hic idem trium
Q fundamentorum Genius, è regione Q,
R Mundorum supernorum ad hylæorum
S mansiones deducit. Quinta verò Statio
*Quinta statio Geniorum.* Genii extrita est, qualis tamen fuerit, symbola è regione T monstrant, cornu,
T pes, stella pentagona, & reliqua satis ex præcedentibus nota: lucis enim suæ abdito motu in quinque inferioris Mundi entia propagatur; favissæ, omni semotâ contagione, humore replentur, & trium fundamentorum portæ per
*Sextaque.* quadrifidam terrestris corporis faciem aperiuntur. Sequitur ultima statio, trium terrestrium potentiarum, quæ aptè per posteriorem trium Leonum partem exprimuntur, quarum cœlestis benefi-
V centia, dominiumque in Typhonem aërium maxime elucet, unde iis Momphteæ statuæ ponuntur, unà cum sequenti sacræ tabulæ amuleto, cujus
X usu cisternæ sacræ è regione X omni
*De lacunis symbolorum in hoc loco, quid fecerit Oedipus.* bonorum copia replentur. Reliqua symbola uti detrita sunt, ita interpretationis filum abruperunt. Et tametsi nullo pene negotio ea suæ sinceritati restitui potuissent, ne tamen cuipiam sua autoritate id præstitisse videretur Oedipus, magis ingenuum ea omittere duxit.
*Lateris secundi conclusio.* Vidimus verò in hac Obelisci parte Orientali duodecim aërias Potestates ab Ægyptiis quàm pulcherrimè exhibitas, unà cum singulorum officiis, operationibus & effectibus, eorumque propitiandorum methodo, & ratione. Quapropter illis memori mente repositis, etiam ad tertii lateris expositionem nos convertemus.

*Ad tertium latus applicatur.* Exhibentur in hoc latere duodecim præsides aqueæ naturæ, nimirum sex in prima columna, ut sunt numen Ibimorphum (cujus cærimonias in primo & generali schematismo, C, D, suprà tetigimus,) & Momphta, & dæmon polymorphus, ejusque assecla tutelaris, nec non fœcundum numen spermaticæ rei præses, cum statione Typhonis. *Columnæ ex hoc latere primæ Genii sex.* Primò igitur proponuntur instrumenta agriculturæ, & manus explicata, cum noctua, tum hydroschema, baculusque papyri, & vas Niloticum, & deinde figura piscinæ magnæ, *Prima statio geniorum.* quorum symbolorum hic sensus est: C
Ibimorphus Dæmon, Agriculturæ be- D
neficus Genius, malorum averrunca- E
tor, aquarum trium inferiorum receptaculorum dominator, magnæ piscinæ, & naturæ humidæ Genius, Niloscopii contra adversam vim conservator, fœcunditatis cœlestis in inferiora propagator, Agathodæmon vigil, cœlestis decussis, id est, influxus universalis provisor, debitis ritibus & cærimoniis colendus. Exhibentur autem hæc omnia symbolis inter C D & E contentis. Per stellam Genius; per hydroschema & Niloscopii figuram, tutelaris humidi contra Typhoniam Bubonem; *Symbolorum in hac statione notatio.* per phallum inter duos globos, fœcunditatis ex supernis in inferiores partes per segmenta indicatas providentia; per *A* Agathodæmon; per Columbam erecto collo, pennamque, vigilans rerum moderatio; per cycloidem & decussim, universalis influxus pervasio; per duas tandem statuas variè transformatas, ritus & cærimoniæ ei exhiberi solitæ significantur. E regione F sequitur F
vas Niloticum, cum Leonis anteriori parte & sceptro litera *M* insignito, *Altera geniorum mansio.* quo Momphtea statio significatur, uti ex symbolis patet, & jam sæpe declaratum est. Per vas humida substantia, per Leonis caput ipse Momphta; sceptrum literâ *M* insignitum, dominium ejus in humidum denotat; *M* enim, uti alibi docuimus, idem est Ægyptiis ac Moi, quod aquam indicat, cujus undas figura ejus exprimit. Hinc Sacerdotes situ corporis in nomen ejus transformato Momphtam tanquam occulto motu omnia moventem, & humoris vitalis largitorem unice venerabantur. *Pedum significatio.* ubi nota, pedes nihil aliud quàm occultum Deorum motum notare, qua de
re passim in præcedentibus eruditi sumus. G

H mus. Poſt detrita ſymbolorum ſequuntur è regione H, capreolus, thyrſus, ac poculum Canopi figurâ efformatum, quod in Accipitris caput terminans aquam evomit. Hanc ob rem notes, Lector, Canopum cum Momphta eundem eſſe; quem ideo nunc Leonino capite, nunc vaſis inſtar ventricoſi exprimebant. Leonina forma capite expreſſa notabat, trinam ejus poteſtatem tùm maxime exeri, quando Nili incrementum inſtat, quod fit Sole Leonem ingrediente: hic verò inſtar poculi ventricoſi eſt, cujus in vertice operculum Accipitrino capite notatur, & eſt ſymbolum aquæ; quo quidem humidi calidi copia, quam Accipitrinus Momphta rebus omnibus juxta entium hylæorum catenam, & vitalem ſuiipſius ſtatuam impertitur, indicatur, uti ſtatua cum Serpente inter H & I notat.

I *Tertia manſio geniorum.* Polymorphi Dæmonis ſtatio per Draconem alatum, è regione I, ſignificatur, cujus officium eſt, formarum varietate & copia, adminiculante Horo, Mundun exornare, vitalem humorem conſervare, occulto vitæ præſidio, quod pedes ſedi admotæ cum Serpente innuunt, Momphtæo dominio portam aperire.

K *Quartaque; Pennæ notatio.* Per tres pennas è regione K, hoc loco ſtatio trium Intelligentiarum indigitatur: penna enim ſubinde ventum, nonnunquam aërem, interdum & vim cohibitivam indicat; pennæ enim Ibiacæ tactu Crocodilus ſideratur; aliquando, uti hic, ſimulacris adjecta Mentem ſeu intelligentiam ſignificat; quia ſicuti, ut S. Dionyſius quoque teſtatur, penna avium corpora in altum tolluntur, & in loca hominibus impervia, ita intelligentiæ circa perpetuam altiſſimarum rerum diviniſſimarumque contemplationem verſantur. *Genii tutelares Lunæ,* Primam itaque Intelligentiam refert Ibis cum ſtatua velata & ſcuticâ inſtructa, id eſt, Genium tutelarem Lunarem: è regione

L verò L ſimulacrum ſcuticâ munitum velatumque throno inſidens Intelligentiam terreſtrem & tutelarem; *Terræ,* penna Intelligentiam, ſedes terreſtre, id eſt, ſtabile & firmum; figura vel Nephten, vel Iſin; ſcutica tutelam indicat rerum ſibi commiſſarum. *ac Solis.* Figura verò ſequens pariter vittata, & novem quadrangulis circumdata, notat intelligentiam Solarem, quam & Plutarchus in libro de Oſiri & Iſi Apopin fratrem Solis vocat: de qua & Phlegon in Zoroaſtrum: *Apopas Dæmon Solaris eſt, à Chaldæis ex tribus triadibus, & totidem dodecadibus compoſitus.* *Phlegon.* Nihil aliud igitur hoc loco Ægyptios adumbrare voluiſſe, ex myſtico figurarum apparatu hauriri poteſt. Figura enim velata (inter L & M) Apopin Dæmonem Solarem notat, *Intelligentiæ ſolaris explicatio.* quem circumdant novem quadrangula, tria infrà, tria in medio, & tria ſuperne, quæ ſunt tres triades ex quibus componi dicitur; exhibent nempe novem Claſſes Geniorum ei ſubditorum; quomodo autem ex tribus dodecadibus componatur, videamus. Singula quadrangula quatuor conſtant lateribus, quæ in IX ducta dant XXXVI numerum, quem Plato tantopere, uti infra in Obeliſco Lateranenſi exponemus, deprædicat; eratque numerus circularis, proprie competens Soli; volunt autem Hieromantæ hoc numero ſignificare & triades, & dodecades totius naturæ, à qua perfectionis ſuæ complementum haurit, ut ſceptrum oculatum cum figura fulminis apertum facit, quo Solis penetrantem virtutem indicant, unde & Sol à Zoroaſtro fons fulmineus recte dicitur.

Hic Genius per figuram è regione M pariter indicatus, tutulò ὀφι-κυκλο-πτερόμορφῳ conſpicuus, ſcuticam in manu tenet, throno inſidens inſenſibili, uti duo pedes throno appoſiti docent, motu occulto Mundum penetrat, cujus globus index eſt, portam humoris aperit, Noctuâ abactâ dominium in quadrifidam Mundi faciem exerens. M

È regione N puer receptaculo impoſitus, proſtratus, & ſtolâ circumdatus cernitur: quæ ſtatio Hori dicitur: recitant enim Ægyptii, Horum juxta Butum inter ſtagnantes Nili lacunas, vaporibus & exhalationibus, Plutarcho teſte, alitum; quo quidem occulte innuunt, Mundum hunc ſenſibilem ſine humentis ſubſtantiæ alimonia conſiſtere minimè poſſe. Idem pingitur puer, quia Mundus humore alitus indies quaſi rejuveneſcit, ac fluxili elemento (quod figura Horum includens fluxumque aquæ veluti exprimens, clare oſtendit) veluti corroboratur; Oſiridis enim quem Accipiter ſequens notat, virtute, benefi- N *Quinta ſtatio Geniorum.*

*Accipiter.* beneficâ, & directione motus sui dominativi humor in sua receptacula virtute radiorum, quam apposita cornua notant, cogitur, ubi Momphtæ industria nova generationis primordia fundat. *Cornua.* O Hinc Sacerdotes Momphtæ ad hunc tam beneficum humorem obtinendum, Horo, id est, sensibili Mundo, sacrificia instituere solent, Plutarcho teste, vasa Nilotica portantes in capitibus, nomenque Dei transformatione corporis exprimentes, funiculos nodis, quos sacros vocant, intricatos solventes, ut figura è regione O & P notat. *Figuræ sacerdotum.* P Eorum mentionem & Iamblichus facit. His enim solutis, Mundum sensibilem, id est, Horum, cujus caput funiculis suprapositum, index est, Typhoniis nodis, quibus intricatur, solutum iri fabulabantur. Q Quibus quidem peractis, vitalis humor per Serpentem & hydroschemata, & geneticus, qui per virgam virilem indicatur, in humentis naturæ receptaculis Hori & Osiris virtute, qui per caput & Scarabeum indicantur, ad rerum omnium generationem actuatur. Reliqua symbola cum sint abrasa, ideo eorundem interpretationem consulto omittendam duxit autor, quamvis facile ex iis, quæ remanserunt, restitui potuissent.

*Altera lateris tertii columna.* In secunda columna est catena hydrotica, qua sex Numinum humenti naturæ contraria testantium præsidium exhibetur. *Prima statio deorum.* B C Ac primò quidem providentiæ statio occurrit, quam indicant oculus, sedes, statua, duoque brachia, quorum prius infra se binas pennas habens, beneficam in aërem, alterum in aquam providentiam per oculum hydroschemati suppositum indicat; hac enim aëreo vehiculo, per temonem & pennam signato, humorem vasis hydrotici in Mundum & cœlestes regiones, quæ D per Scarabæum, teste Horo, & per cycloidem cum binis Rhomboidibus, indicantur, traducit, non obstantibus Noctuæ Typhoniæ machinationibus, E catenæ hydroticæ custos & vigil, ut Leporina figura cum adjectis symbolis docet è regione E.

*Secunda statio.* F Sequitur Harpocrates digito silentium suadens, cum pala, & vase Nilotico, & capreolo. Plutarchus hunc Genium imperfectæ naturæ, & vitio pe-

*De Obeliscis.*

dûm impeditum, claudum pronunciat fuisse, quo indicatur, terram imperfectam adhuc ad germina producenda aptam esse non posse, nisi humoris eidem abundantia superaffusa; quod quidem tunc contingit, cùm Horus occultâ dominii sui propagatione catenam duodecim cœli mansionum è regione G per dodecapyrgon indicatarum movet. *Horus cum Dodecapyrgo.* G Vlteriora symbola cum abrasa sint, filum nostrum non nihil interrumpunt. Comparet tandem posterior pars Leonis, & statua variâ diathesi conspicua, H quam Sole posteriorem Leonis partem subintrante, fabricandam ad effectus promovendos, sibi persuaserant.

Tertia statio est Anubis, humoris & vegetabilium vigilans custos, contra Coturnicem Beboniam influxum geneticum cohibentem, ad quam propitiandam, statua adornanda est ad quaternos Mundi terminos respiciens, universalis influxus attractiva, uti symbola è regione K ostendunt; *Statio deorum tertia.* I K hujus enim potestate & virtute vitalis humor in omnia inferioris Mundi membra derivabitur. Deinde datur statio Leonini Momphtæ, qui domus trium fundamentorum naturæ tutator est, occultoque influxu, per pedem Leoninum cum decussi, indicato, ab ea infaustam Noctuam profligat. *Quarta statio.* L

Porrò aërei Mundi Intelligentia, & seminalis in eo latentis potestatis index est puer vittatus, cum Columba, ovo, & penna è regione M, cujus assecla Momphta, qui vehiculo velato, seu navigio quodam, quod Barin vocant Ægyptii, spermaticam vim in aëre latentem, in humentis naturæ substantiam per triplicem Mundi portam, radiorum & catenæ cœlestis beneficentiâ, vitalem defluxum traducit, infaustaque omnia & adversa piscinæ sacræ ligat, occulto motu cœlestia & terrestria penetrando; quæ omnia symbolis inter M N & O inclusis ostenduntur. *Quinta statio.* M N O Reliqua symbola è regione P, cùm in præcedentibus exposita sint, non attinet repetere. P Simulachra verò è regione Q Sacerdotum membris in Geniorum nomen transformatis pro beneficio cœlesti supplicant, ut humorem ex tribus subterraneis receptaculis in agros, amuleti sacri Nili vi deducant, Q

uti symbola è regione R posita demonstrant. Denique Ibis sceptro teniis exornato insidet, cui apponitur statua velata cum penna in capite, quâ Intelligentia Mercurio-Lunaris indigitatur; teniæ diversi coloris, Lunarium operationum varietatem, cui dominatur, innuunt; quâ nihil ad humorem educendum potentius. Sequentia symbola catenam rerum, ex omnibus naturæ rebus extractarum, quibus dicta hucusque Numina attrahenda, & adversa vel placanda, vel propulsanda sint, ostendunt.

*Septentrionalis lateris interpretatio:* Quartum latus columnis binis exhibet duodecim genios terrestres, cum operationibus & effectibus suis, sub iisdem omnino symbolis, quæ in præcedentibus exposita sunt; quocirca summatim universorum expositionem tangemus. *Columnæ primæ prima statio Geniorum.* Ex prima verò columna stationis Genii terrestris symbola abolita sunt, eratque genius, quantum ex sequentibus signis comperire licuit, ille cui agrorum tutela commissa est, quatenus illi humoris indigi sunt. Ita symbola
D
E
F
G
H
D,E docent, quæ cum sæpius jam exposita sint, meritò præterimus. E regione F per catenam, & Picum, Martiam avem, indicatur statio Genii, cui rerum ad agriculturam pertinentium catena *Altera.* subest, quam symbola inter F G H conclusa significant, quorum notitia ex præcedentibus patet. Sequentis verò Genii rationem corruptio loci nobis invidet; ex subjunctis tamen symbolis, inter I K L M comprehensis patet, fuisse
I
K
L
M
cœlestem Intelligentiam, cui sacrarum piscinarum, & navigationis cura commissa sit; Intelligentiamque eam quæ humorem agris, & vitam aëreo spiritui junctam infert, cui tutela, vicariatusque Osiridis terrestris sit commissus. *Tertia,* N Porrò è regione N symbola primâ fronte occurrentia significant Intelligentiam septorum sacrorum custodem. Figuram septi fusiùs expositam vidimus in Obelisco Pamphilio. Erant autem septa restrictus quidam ex ligneis trabibus compacti, quibus sacra animalia in templis alebantur, & mysticè eam significabant regionem, quam sacra animalia exprimebant; potissimùm autem sacro Bovi seu Apidi consecrabantur, erantque terrestris Genii agriculturæ præsidis symbolum, quorum figuræ è regione N & O spectantur. O

*Genior. quarta statio.* Quarta statio est Sphingis præsidis incrementi Nili, cujus incrementum primò in piscina sacra comparebat, de *Septum sacrorum animalium.* cujus significatione in Obelisco Pamphilio variis in locis tractatur, ejusque operationes ex symbolis inter P & Q partim mutilis & destructis patent. P Q *Statio quinta.* Statio Typhonia è regione R per Crocodilum indicatur, cujus symbola inter R S T comprehensa, jam ex præcedentibus, quippe ubi sæpius exposita sint, constant. R S T *Sexta.* V Vltimam hujus columnæ stationem avis cum ramo florigero serpentem tangente indicat, significans scilicet Genium vitæ vegetabilium terræ; horum verò symbolorum omnium, utpotè quæ ad unum usque nimiùm sepe exposita sunt, Lectorem ipsum suo ductu quàm facillimè interpretem interpretamur.

*Columna secunda quarti lateris.* In posteriori postremi lateris columna, occurrit terrestrium camporum genius, qui mala ab iis avertit, favissæ & piscinæ magnæ, quadrifidæ terrestris *Prima Geniorum statio.* faciei custos, Noctuæ abactor; & juxta cum illo tres asseclæ in benefico influxu adjuvantes. Hæc sequitur Leoninus Momphta vigilax, cujus officium est machinationes Typhonis Cœlis, Aëri, Agrorumque vitæ insidiantis, repellere, & beneficio cœlesti terminos naturæ terrestris conservare. Sequitur
D
E
F
G
H
I
*Secunda statio.* custos septi sacri è cœlestibus terminis influxum præbens quadrifido terrestri Mundo, & vitali humore omnia, ritibus, & sacrificiis, sacrisque amuletis priùs sollicitatus, complens. Occurrit
K
L
M
*III statio.* N è regione O binarum duodecadum custos, & est simulacrum inter duas duodecades, quæ per bis tria quadrangula, indicantur, inclusum; in cujus *IV statio,* O vertice ovum liquorem stillans est, quo innuitur, eum ex ovo Mundano in δωδεκάπυργον, id est, in duodenas naturæ *Ovum liquorem stillans.* superioris & inferioris mansiones, spermaticos influxus deducere, unde ex vegetabilis naturæ penuario magna rerum necessariarum abundantia in quadrifidam terræ faciem, uti & in piscinas & sacra septa, prævio cultu, descendit. Inter P & Q, symbola prima extrita sunt; ulteriora verò Genium Isiacum innuunt beneficum esse in agros
P
Q
& ve-

*Quinta statio.* R S T V

& vegetabilem naturam inde provenientem, qui proinde amuletis, & sacrâ tabulâ colendus sit. Iam sequitur Genius, cujus ope vitalis humor terræ, ad rerum generationem committitur, ejusque præsidio ab aëre, terra, & germinibus Typhonia malignitas abigitur, uti symbola inter S & T inclusa docent. Postremò è regione V statio est

*Sexta statio.*

Mercurii Canino capite conspicui, & Isidis velato vertice, manu pennam portantis; quibus ostenditur, humorem ope eorum omnibus terrenis Mundi receptaculis apte distribui. Hucusque de secunda columna.

*Anacephalæosis obelisci Barberini.*

Quarto igitur cum latere absoluto totum jam perfecimus Obeliscum, in quo & de cœli dispositione antiquorum & de deorum numine, providentia & præsentia, nec non de cultu & veneratione eorum, initialis sapientiæ artem & opiniones dispeximus. Ægyptii nimirum statuebant certas quasdam in firmamento stationes deorum *, universæ naturæ præsidentium, quorum influxus inferioribus in mundo sensibili omnia administraret, adeo ut in his entibus gradus nullus detur, cui non sit in firmamento præses ac dispensator suus. Hoc sibi volunt stellulæ in omnium laterum summitate inscriptæ, eorumque universo ex Obelisco quadraginta octo sunt: tot enim asterismos sive stationes deorum in sidereo mundo posuerant;

** Ægyptii sicut & Cabalici non influxibus astrorum naturalibus sed supernarum intelligentiar. directionib. fata tribuerunt.*

*Quatuor genii præcipui.*

quorum munera & effectus in lateribus & columnis explicantur. Porrò cùm quæcunque in Mundo hylæo sunt, ex quatuor principiis sive elementis constent, [quæ quatuor elementares mundi dicuntur, & sunt cæteris classibus hylæi Mundi, sive quinque mundis mistorum causa & origo] hinc præsides quatuor veluti rerum archontes reliquis geniorum concatenatis ordinibus præposuerant, quos principes caput uniuscujusque lateris proponit, singulisque duodenos subjungunt columnæ binæ genios minores, qui à maximis illis ut mandata directionis in mundo intellectuali, ita sidereo atque hylæo in mundis affluxus munera, & apud cultores illos doctarum fabularum, etiam nomina accipiunt: nimirum ab archonte ignis, quem Ægyptii Chromphta vocabant, ignipotentes genii, quorum

*Quater duodeni subjunctorum geniorum.*

*Præses igneæ naturæ.*

officium est, calorem ab Osiri acceptum inferiori mundo communicare, omnia nativo calore fovere, & igneis meteoris præesse; ita in cæteris. Aërii verò receptaculi dux est Theophta, aquei regina Mophta, Terræ rectrix Hecate. De asterismis illis seu mansionibus deorum auctor noster in Astrologia Ægyptiaca sua dispicit, cujus cum bina hemisphæria ibi proposita cum hoc Obelisco contuleris, mireris consonantiam, & quanquam sub diversis nominibus, alioque situ ac dispositione, rem tamen eandem. Sed quum ea quæcunque interpreti reverendo hactenus prodita sunt, tantummodo juxta physicum sensum fuerint, hoc est, quatenus sensibilis mundi faciem respiciunt, latent tamen sub his & Mundi intellectualis mysteria, quem Archetypum dicimus, nimirum quum universa, quæ in terris sunt, etiam in sydereo Mundo sint cœlesti modo, eademque & omnia cœlestia in Angelico Mundo angelicè, sed in divina tamen mente divinè, quæ in his Mundis non nisi sola mente attingibilia sunt. Itaque per exposita symbola intellectuali seu Angelico in Mundo, distributis officiis unicuique Geniorum choro competentibus, subtiliter significantur effectus quos tum in triplici mundorum serie, tum potissimùm in animarum sphæris edunt. Hinc nimirum ex iconismis Geniorum ascendentibus de uniuscujusque Nati fortuna vel fato infallibilem se conjecturam ducturos superstitiose credebant; quapropter sollicite singulas deorum stationes, mox ubi ab Horizonte emersérant, aut ascensione culmina superiora tenerent, sacrificiis, ac ritibus & cærimoniis placare contendebant: nam sicut ex adverso geniorum ascensu miseriam & calamitatem metuebant, ita sibi ex propitio Agathodæmonum respectu felicitatem pollicebantur. Latent proinde sub hieroglyphicis hisce politici quoque mundi arcana, quæ secundum intentam analogiam ipsius lectoris solertiæ explicanda reliquit Oedipus. Mirum autem, Ægyptios sub iisdem symbolis, analogicæ nimirum considerationis ratione, tam diversa comprehendisse, quibus unus ingenii character varia in philosophia monstratur.

*& Aëris, & Aquarum & Terræ.*

*Varia symbolorum interpretandi ratio.*

*Fatidicorum in astris aut geniis observandis studium perversum.*

# OBELISCVS LATERANENSIS.

*Acus Pharaonici ad S. Iohannem Lateran. appellationes.*

MAximum, nempe à Maximo Circo, nec non quia celſiſſimus & illuſtriſſimus fit Obeliſcorum, vel ab autore primo Rameſſeum, vel à loco, ubi conſtitutus eſt, Lateranenſem dicendum, communi Chriſtiano nomine Noſtrum quoque appellamus. Nam quamvis omnes in Vrbe trabes Pharaonum ex noſtra reſtitutione magnificentiſſima, & quod majus eſt, ob interpretationem penitiſſimam, Chriſtianorum ſint meritò, tamen hic Obeliſcus primùm Principi ſancto tractatus paruit, Principum ſcilicet antè Romanorum belli domique factis præclaris primo, nec ullis deinde Auguſtis ſui nimirum victoriâ ſecundo. Nempe Conſtantinus (qui ob virtutem & gloriam, quâ ſuperiores Imperatores omnes vicit, Magni meruit cognomen) imperatorum Romanorum XLI, Chriſtianus princeps II *, Obeliſcum, quem Thebis in templo ambitioſo fixum, ac deo Soli ſpeciali munere dicatum, cæteroſque inter digitos Solis tanquam medium ac apicem omnium eminentem, Princeps vetus, translatis aliquibus, intactum præterivit, & à quo omnes, quicunque Ægypto dominati fuerant, ſive reverentiâ molis, ſive ob religionem templi, cujus delubra contingi non poterant, manus victrices [nullum ſcilicet præſidium factitiis ſæpe in diis erat] abſtinuerant, ut Cambyſes Perſarum Rex, qui cum aliis deorum donariis non parceret, ab hoc ignem depulit; eandem inquam pyramidem, Orbis dominus, Conſtantinus non contrectare tantum ſed movere auſus, nihil in pietatem erga Deum, verum Solem quia reſpicit omnia ſolus, committere, rectè ac regiè æſtimavit, ſi ablatum uno orbis angulo, aut fano ſacrorum reconditorum, miraculum artis & magnificentiæ humanæ ſacraret Romæ *, communi gentium patriæ, temploque juſtitiæ ac religionis Chriſtianæ, quæ ſcilicet non unius tantum ſunt Mundi. Rectum autem ac ſapientem Chriſtorum ſuorum ſenſum digitus Dei Solis hoc eſt Solis Juſtitiæ, ita extollat ut univerſum amans Religio vera nihil non conciliet ac conſervet, præterea & nullas ſuarum civitatum non videat à Deo ob pietatem omnimodam fundatiſſimas.

**Primum ſcilicet propagatorem fidei dicunt inſcriptiones in palatio Apoſt. Lateranenſi.*

** Romæ novæ, ſeu Conſtantinopoli deſtinatum hæc rectius accepit, manſura mundi ſemper Amor.*

*Quæ cauſa tardatæ traductionis.*

Sed ad Noſtrum revertentes Obeliſcum, illum ſedibus ſuis avulſum diu jacere perpeſſum eſſe Conſtantinum, ex Marcellino diſcimus, nimirum dum tranſlationi pararentur utilia: nam convecto per alveum Nili, projectoque Obeliſco, Alexandriæ, in civitate maritima Ægypti, [quam ab Alexandro Magno conditam, deinde à Romanis ſubmerſam I. Cæſar publicis inſtauravit expenſis] navis amplitudinis ante hac inuſitatæ ædificata eſt, ſub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita proviſis, cum Princeps noſter vita digreſſus eſſet, urgens effectus Obeliſci transferendi * intepuit; qui tandem ſero impoſitus navi, Romam devectus per maria, fluentaque Tibridis, velut paventis, ne quod pæne ignotus miſerat Nilus, ipſe parum ſub emeatus ſui diſcrimine mœnibus alumnis inferret; ut Marcellinus ait. Nempe filius Conſtantini Conſtantius, cui ex diviſione patris tertia pars imperii Aſia cum Thracia ceſſerant, omnem jam terrarum Fratribus ſubjectarum Orbem receperat, poſtquam Conſtantinus, parti Alpium, cum Gallia, Hiſpania, & inſulis, Britannia, Orcadibus, Hibernia, Thyle non contentus Conſtanti, cujus erant Italia, Aphrica cum inſulis, nec non Illyricum, Macedonia, Achaja, Peloponneſus, Græcia, bellum intuliſſet, & ad Aquilejam fraternis copiis victus & confoſſus eſſet, ac ipſe deinde Conſtans (qui poſt victoriam illam, ex Dacia, ubi interea belligeraverat, reverſus Conſtantini ditionem omnem biennio obtinuit) inſidiis Magnentii, (quem milites præmiis allecti ſaluta-

** Conſtantinopolin ſcilicet, in Circum novum.*

*Qui caſus Obeliſcum Romæ dederit.*

*Filiorum Conſtantini imperium diviſum; eorum diſſidium.*

*Caſus Conſtantini filii,*

*& Conſtantis fratris.*


Latus Boreale
Latus Meridionale
Latus Occidentale
Latus Orientale
OBELISCVS, qui olim RAMESSEVS, modo dictus LATERANENSIS:
Scala Palmorum.
AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo IOANNIS BLAEV.

salutaverant imperatorem) periisset, nequissimi hominis, & qui à Constantio in Italiam ac Galliam ob fratris cædem movente revictus, sibi ipse fata accersivit. Igitur Constantius Orientali imperio & Occidentale adjiciens (illam enim distinctionem primus fecerat Magnus Constantinus, pater) Romam, quam nunquam antea viderat, quanto videndi desiderio, tanto & pompæ cultu venit, infinita admiratione prædicans augustam in ædificiis publicis ac privatis magnificentiam, qua ubique locorum suorum de fama orbis omnis, nullam non laudem supergressa, triumphabat Vrbs una ab omni ævo, cui nihil par & nihil secundum. Hinc verò Augustus ut pro magnitudine splendoris imperialis, nec non paterni in eam animi, ornaret magnam matrem, imperii Mundani caput, nempe cœlestis religionis nutricii, cujus ipsa perenniori influxu quasi fons esset Osiridis; igitur victoriæ suæ monumentum non alio voluit in loco, quàm in hoc Orbis lumine superesse. Patris ob hoc cœptum transferendi Obelisci, animo atque effectu recolens, Magni Alexandri *, Magnique Constantini * urbes miraculo hoc vacuas fecit, quo dominæ Romæ decorem auxit. Delata moles primò in vicum Alexandri, tertio lapide ab Vrbe sejunctum, inde carrucis imposita, tractaque lenius per Ostiensem portam, piscinamque publicam, Circo illata est Maximo; ibique in locum Obelisci quem Octavius Augustus in media spina erexerat surrecta, priori trabe tres passus infrà restitutâ, nimirum ut quantum Constantii donum illo excelsius videretur, tantum & magnificentiam hujus quam veteris Principis majorem posteritas interpretaretur. De erectione trabis quæ ab hoc Principe facta est, Ammian. Marcellinus, ad cujus sententiam hactenus respeximus, hæc verba facit: *Vix, illa, aut ne vix quidem sperabatur posse compleri, erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum cœlum densitate nimia subtexentes; quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum inane protentus, diu pensilis, hominum millibus multis tanquam molendarias rotantibus metas, Cavea locatur in media, eique Sphæra superponitur ahenea, aureis laminis nitens: qua confestim vi ignis divini contacta, ideoque sublata, facis imitamentum in figura * æreum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis.* Symmetriam partium, quæ tunc fuerat, Obelisci ex Michaële Mercato qui tempore Sixti V, cum detegeretur, eundem exactè dimensus est, Oedipus his sequentibus refert: nimirum supra pavimentum Circi maximi, fundamento prius jacto, basis sternebatur, & supra hanc abacus ex marmore candido; qui una cum basi decem palmorum à pavimento altitudinem obtinebat; supra quem alius abacus ex pyrite variegato imponebatur, formâ cubi, latior tamen aliquantulum, ad altitudinem comparatus; videlicet altitudinem $13\frac{1}{4}$, 16 verò palmorum latitudinem habebat, ex sex frustis compositus, cùm integrum tantæ magnitudinis frustum non suppeteret; sequebantur supra hanc cubicam basin quatuor sustentacula, quos Astragalos vocant, ex metallo fusa, palmum $1\frac{1}{4}$ alta, in quatuor angulis hinc inde disposita, quibus tota Obelisci moles innitebatur; cujus mensura ea est, quæ sequitur. Nempe Obelisci longitudo exactè dimensa continebat 148 palmos; quibus si astragalos, & abacos, basesque adjiciamus, comperiemus totam structuram à terra usque ad fastigium, tempore Constantii fuisse palmorum circiter $173\frac{3}{4}$, qui resoluti in pedes, dant 132; & tantam quoque totius altitudinem molis fuisse Publ. Victor docet. Pyramidio autem pila aurea imposita * fuisse fertur, quâ fulmine dejectâ, in ejus locum postea à Constantio figura ex metallo inaurato, in formam flammæ versatilis substituta fuit.

In abaco, quo substruebatur moles, Constantius versus hexametros XXIV inscripserat, quos Pontificis M. nuper repositoris Architectus, & Mercatus etiam sequentes fuisse produnt:

*Magnentii casus.*

*Imperatorem Constantium Romam venisse, vidisse, vicisse magnificentiâ Augustali.*

** Alexandriam & Constantinopolim.*

*Ammianus Marcellinus lib. 17.*

** Hoc loco, pro* in figura *verbum finitum requiro, sed Lector ut in cæteris suo judicio utatur.*

*Erectionis Constantii triplex substructio.*

*Mensura Obelisci Ramessei.*

** De hac Sphæra ut & figura flammæ vide Marcellinum hac pagina.*

Scilicet à parte Orientali:

PATRIS OPVS, MVNVSQVE SVVM, TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS TOTO CONSTANTIVS ORBE RECEPTO,
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS, NEC VIDERAT ÆTAS,
CONDIDIT; VT CLARIS EXÆQVET DONA TRIVMPHIS.
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS, CÆSA THEBIS DE RVPE REVELLIT.

Vel oppositâ ad Boream:

SED GRAVIOR DIVVM TANGEBAT CVRA VEHENDI;
QVOD NVLLO INGENIO, NISVQVE, MANVQVE MOVERI
CAVCASEAM MOLEM DISCVRRENS FAMA MONEBAT:
AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS, OMNIA FRETVS
CEDERE VIRTVTI, TERRIS INCEDERE JVSSIT,
HAVD PARTEM EXIGVAM MONTIS, PONTOQVE TVMENTI.

In Occidua verò:

CREDIDIT ET PLACIDO VECTV EST VELOCIVS EVRO,
LITTVS AD HESPERIVM, TYBERI MIRANTE CARINAM.
INTEREA ROMAM TAPORO VASTANTE TYRANNO,
AVGVSTI JACVIT DONVM, STVDIVMQVE LOCANDI
NON FASTV SPRETI; SED QVOD NON CREDERET VLLVS,
TANTÆ MOLIS OPVS SVPERAS CONSVRGERE IN AVRAS.

Aut ad Austrum versus:

NVNC VELVTI RVRSVS RVFFIS AVVLSA METALLIS
EMICVIT, PVLSATQVE POLOS: HÆC GLORIA DVDVM
AVCTORI SERVATA SVO CVM CÆDE TYRANNI
REDDITVR, ATQVE ADITV ROMÆ VIRTVTE REPERTO
VICTOR OVANS, VRBIQVE LOCAT SVBLIME TROPHÆVM
PRINCIPIS, ET MVNVS CONDIGNIS VSQVE TRIVMPHIS.

*Quid his carminibus hodie factum sit.*

Hæc carmina, quanquam rei memoriam optimè comprehendentia, in novo abaco rescribi minus commodè potuerunt; propter angustum spacium, ideoque aliæ inscriptiones adjectæ sunt, de quibus mox deinde videamus: vetus quippe abacus variè confractus nullum sui usum præstabat.

*Obelisci Lateranensis dignitas,*

Nec indignum si ullum monumentum erat ad quod Principes tanti curam animi appellerent: antiquitate enim venerandum est, voto genitorum admirandum, celsitate stupendum, formis inscriptis mysteriosum, infinitis modis suspiciendum. Nimirum circa annum MXCVII post diluvium, ante partum Virginis MCCXCVII, Rameſses filius Sothis, rex Ægypti, quem juxta cum patre nonnullorum Obeliscorum positorem suprà diximus, cum post defunctum parentem regnum solus capesseret, omnium Ægypti Obeliscorum altissimum, nec non mysteriis multis refertissimum edidit, in quo tam excidendo, quàm perfectam ad formam locumque & statum debitum producendo viginti millia hominum occupata fuisse dicuntur, tantâ in erigendo curâ regis autoris, ut proprium filium regni hæredem cacumini alligaret, nimirum ut apud artifices adversus crimen tantum cautiores, salus pueri prodesset & moli, ut perhibet Plinius libro XXXVI, cap VIII. Tantum de prima hujus trabis erectione, & altera quoque anteà narratâ, utpote quæ Romæ prima fuerat: hanc postea prostratio Obelisci excepit, quæ seculis demum seris cum gloriosa restitutione, nempe altera Romana, commutata est. Equidem cuncta in hoc Mundo

*ac primus erector:*

*Positoris in erigendo cura nimis impensa.*

*Obeliscus Romæ ab inhumanis dejicitur.*

*Roma quo fato perierit,*

Mundo mutari mirabili viciſſitudine, videmus, ut alta ſubſidant, depreſſa exaltentur, & prolabantur erecta, lapſaque reſurgant, quæque perierant, vitam ex morte iteratam recipiant, necnon luculenta retrudantur in tenebras, aut recludatur cœlum deperditis. Ideo cùm juſtitia & miſericordia, quæ Deus amat ſola, quæque inſtar ſolis sereniſſimi cœlum terræ alligant, Romana in Vrbe atque Orbe occidiſſent, Barbarorum hoſtium immanitas, quæ omne quod delectabile rerum dominis Romanis erat, violenter invaſit, erudita præſertim monumenta omnia pene delevit; quibus tamen, quum nihil ſit inter mortales clarius, humaniſſimus quiſque nihil æſtimat delectabilius.

*& quot modis.*

Vrbs ergo, ſive Vrbis poſt hæc cadaver, non uno fato peremptæ, at & Marte, haud patre deinceps gentis, & Vulcano, & invidioſiſſimo omnium, Crono everſæ, Obeliſcum hunc à tempeſtate Gothorum, ut creditur, non habuit videndum, quippe intra deſtructi & tantum non aboliti Circi ruinis à paludoſo ſolo ad viginti quatuor palmos altè hauſtum & ſepultum.

*Obeliſco altè demerſo oblivio profundior.*

Sed quamvis & memoria hominum vix quicquam proditum eſſet, præter obſcura quædam conjecturæ indicia, Obeliſcum hoc in loco ſtetiſſe, tamen Sixtus V Pontifex O. M. amplitudine & excelſitate animi, qua ad efficiendas res arduas æſtuabat, cum Romam priſtino ſplendori reſtituere aggrederetur, poſt multa & ſtupenda monumenta intra annos oppidò paucos edita, tandem uti ad Obeliſcorum omnium, ita & ad hujus quoque, quem alicubi in Circo maximo terra obrutum latere ex antiquarum rerum peritis cognoverat, erectionem animum adjecit; itaque ut quæreretur ſine mora, Architectis præcepit.

*Quis ejus reſtaurator ſit.*

*Inveſtigandi ratio.*

Paratum fuit hoc fini primò ferrum longiſſimum, acutiſſimumque ad inſtar prægrandis ſubulæ, quo paludoſo ſolo infixo, ex reniſu ferri de latente Obeliſco judicium formaretur. Tentatum negotium, præter opinionem omnium feliciorem ſucceſſum ſortitum eſt: nam intra pauxillum temporis, ferri ope deprehensus Obeliſcus, mox terrâ erutâ, magnâ hominum multitudine ſe noctu diuque impigrè applicante, detectus eſt, in tria fruſta diffractus: qui tamen ob ſubterranearum aquarum redundantiam, paludoſique ſoli inconſtantiam meritò ſummum Architecto metum rei feliciter gerendæ intulit; ſummâ tamen ejus induſtriâ, & validâ operariorum manu, (quorum pars terrâ eruendâ, pars aquarum diluviis exhauriendis, pars denique Obeliſco per ergatas attollendo continuò occupabatur,) factum eſt, ut Obeliſcus tandem per partes erutus lucem viderit; adeoque eum eruiſſe non minorum, quàm erexiſſe ſumptuum laboriſque opus fuit.

*Obeliſci extrahendi difficultas.*

*Ejuſdem fragmenta.*

Primum fragmentum erat 65½, ſecundum 43½, tertium ſimul cum pyramidio 39 palmorum, quæ addita dant Obeliſci altituditem 148 palmorum. Baſin Obeliſci ſuâ ruinâ detritam, mutilatam & ſummè corruptam, cùm tantæ moli ſuſtinendæ vix ſufficere poſſet, ad quatuor palmorum longitudinem reſecari oportuit, ut moli fulciendæ apta haberetur. Hinc Obeliſcus decurtatus, minorem à priori altitudinem ſortitus eſt, quam & in hunc diem retinet, nempe 144 palmorum.

*Obeliſci proferendi negotium.*

Sed quum Obeliſcus ſumma hac difficultate extractus eſſet, haud minimæ molis erat, tanta fragmenta à Circo Maximo ad campum Lateranenſem mille quinquaginta duas perticas inde diſſitum, devehere, viâ præſertim clivoſâ & variis anfractibus anguſtiiſque impeditâ.

*Loci molitio Pontificia.*

Eſt autem area S. Johannis Lateranenſis ab eodem Pontifice Maximo, remotis veteribus ædificiis ruinoſis, ampliata, atque egeſtâ magna terrarum altitudine plana reddita, ad quinque gradus aſcendentium depreſſior templi ſolo intus, quod anteà æquabat vel ſuperabat: ad idem hoc planum cum principales quoque plateæ à Pontifice illo directæ ſint, ex obſcuro antea ac deformi loco jam tota Vrbe pulcherrimus & ornatiſſimus factus eſt.

*De poſtrema erectione hujus trabis.*

In erigendo ſimilis modus idemque ordo obſervatus fuit, quem in Vaticano Obeliſco, raſo, habitum infrà docebimus, quique in ſuprà enarrato Obeliſco Flaminio, quem Pontifex ſecundo tractavit, fuerat, poſt quos hic Noſter Obeliſcus tertius Vrbi reſtitutus eſt. Caſtellum tamen, quod appellant, longe amplius altiusque conficiendum fuit, præ illo, quod

quod in Obelisci Vaticani translatione adhibitum fuerat, propterea quod hic Obeliscus per tres partes erigendus esset, post alteras elevandas atque invicem aptandas, qua de re videri potest ipsius Architecti nobilissimi, Dominici Fontanæ ratio in scriptis suis hac super re editis. Compositionis artificium tale fuit, nimirum cum fragmenta attollenda funibus essent, suptus impressus est canaliculus, crucis formâ, per quem post commissionem partium funes libere redirent; nempe & in altero fragmento excavatio facta, ut alteri canaliculo responderet, uterque verò tanquam cauda hirundinis erat, hoc est, in initio latior quam in medio; deinde ex eodem lapide confecti cunei masculi, ut apud Italos vocantur, eâdem formâ, qui lateribus quaternis usque ad centrum Obelisci inditi sunt in vacuo, infuso insuper plumbo, unde compositio tantum firmamentum accepit, ut, si fieri posset Obeliscum in vertice supremo arripi atque elevari, omnes sequerentur vim partes, haud aliter ac unicus solidus lapis, qualis & spectatori videtur, mirabundo scilicet si fractum fuisse noverit. Restitutum itaque situ hoc regali, dicatumque Pontificali voto, tandem die decimo Augusti Anni MDLXXXVIII Vrbs magna aspiciens vetus ornamentum suum mirata est. Subjectum autem est novum fundamentum, altum palmis triginta octo, sed sedecim cum dimidio latum: vetus enim basis tam fœde corrupta erat, ut difficillime legi literæ inscriptæ potuerint, nedum ipsa ad fulciendum tantam molem adhiberi. A terræ superficie igitur ad apicem pyramidii Obeliscus altitudinem habet centum octoginta duorum palmorum, altus absque basi ex sese centum quadraginta quatuor palmos, cum solum pyramidion sit quatuordecim palmorum: quatuor autem palmos ademit artifex de basi sive imo Obelisco corrupto, & hinc inutili ut inniteretur cætera moles. Latitudo trabis omni ex parte ita se habet: duo latera basis majora sibi opposita in latitudine possident palmos $13\frac{1}{2}$; duo latera basis minora sibi opposita, in latitudine palm. $12\frac{1}{3}$; duo basis pyramidii latera majora, sibi nimirum opposita, palmos $9\frac{1}{4}$; sed duo basis pyramidii latera minora sibi itidem opposita non nisi $7\frac{3}{4}$ palmi. Totus Obeliscus continet palmos cubicos sive solidos 15129, qui pendent 1301094 libras. Et hoc est pondus molis totius Obelisci. Adde vero etiam ad altitudinem præcedentem, quod crux à Pontifice imposita in supremo vertice elevata sit novem palmos & dimidium. Iam inscriptiones novæ basis considerandæ sunt, quas Pontifex, omissis antiquis spacio longioribus, ab omnibus partibus inscripsit.

*Fragmentorum obelisci coagmentandi modus.*

*Dies restitutionis Obelisci.*

*Altitudo ejus.*

*Quàm latus sit in parte.*

*Gravitas totius obelisci.*

*Crux in summo vertice.*

*Inscriptiones novæ.*

Nimirum in facie australi, quâ spectat Obeliscus ad porticum S. Iohannis:

CONSTANTINVS
PER CRVCEM
VICTOR,
A S. SYLVESTRO HIC
BAPTIZATVS,
CRVCIS GLORIAM
PROPAGAVIT.

In facie Orientali, qua spectat Obeliscus Scalas sanctas.

FL. CONSTANTIVS AVGVST.
CONSTANTINI AVG. FIL.
OBELISCVM A PATRE
LOCO SVO MOTVM,
DIVQVE ALEXANDRIÆ
IACENTEM,
TRECENTORVM REMIGVM
IMPOSITVM NAVI
MIRANDÆ VASTITATIS,
PER MARE, TYBERIMQVE
MAGNIS MOLIBVS
ROMAM CONVECTVM.
IN CIRCO MAX.
PONENDVM
S. P. Q. R. DD.

Qua Boream spectat & in viam versùs ad S. Mariam Majorem:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
SPECIE EXIMIA,
TEMPORVM CALAMITATE
FRACTVM, CIRCI MAX.
RVINIS HVMO LIMOQVE
ALTE DEMERSVM, MVLTO
IMPENSV EXTRAXIT,
HVNC IN LOCVM MAGNO LABORE
TRANSTVLIT,

FOR-

FORMÆQVE PRISTINÆ
RESTITVTVM
CRVCI INVICTISSIMÆ
DICAVIT
A. M. DLXXXVIII. PONT. IV.

In facie obversa ad Occidentem, è regione Hospitalis domus S. Ioannis:

FL. CONSTANTINVS
MAXIMVS AVG.
CHRISTIANÆ FIDEI
VINDEX ET ASSERTOR,
OBELISCVM AB ÆGYPTIO REGE
IMPVRO VOTO
SOLI DEDICATVM,
SEDIBVS AVVLSVM SVIS,
PER NILVM TRANSFERRI
ALEXANDRIAM IVSSIT,
VT NOVAM ROMAM
AB SE TVNC CONDITAM
EO DECORARET
MONVMENTO.

Tantum de Obelisci Nostri historia: ad ipsum deinceps argumentum progredimur.

## ARGVMENTVM HIEROGLYPHICVM.

*Fundamentum legum ad societatem civilem.*

TRismegistus Ægypti Sapiens, Sacerdos & Rex, ibique rei civilis & ecclesiasticæ genitor, regni moderamen apud insuetos jugo populos ac regi nescios aut dolentes, inducturus, & ut gubernaculum inter inquietas plebis undas terramque pro terra vertentes etiam posteris firmaret, rationem sacratissimam regni constituendi indicavit ad exemplar mundi Archetypi: nimirum quòd bene nosset aureus ille deus, si deos inter homines esse vellet, à Diis venire debere. Est enim oraculum potius quàm vaticinium dictum:

*Primos in orbe deos fecit timor*;

quod mysteria magna continet in omni Philosophia morali, si quis altiùs id & quàm vulgus sapientiùs interpretetur. Igitur quum ad felicitatem reipublicæ perpetuam sacrificia, expiationes ac operationes sacræ requirantur, Sacerdotum collegia instituit, à quibus sacra doctrina, religionis (qua in religandis animis nihil firmius, nihil magis adamantinum) thesaurus, custodiretur, & multo rerum * usu præstantissimis gradus tandem ad regium solium sperandus esset: his solis, cum progenie sua, juramento nempe adhibitis ne rem sacram reconditam vulgarent, * tradebatur ejusdem apertæ doctrina mystica, cui in salutem publicam studerent. De reditibus, ut & quinque collegiis eorum non attinet hîc plura repetere, quippe suprà satis explicatis; erat enim primus ordo Cantorum, alter Horoscoporum, tertius Hierogrammatistarum seu sacrorum scribarum, quartus Stolistarum, quintus Prophetarum: hoc potius intendo, partes reipublicæ Ægyptiacæ Sacerdotum optimatibus creditas fuisse, quorum scilicet à nutu & arbitrio sui Monarchæ pendentium officium erat, populum cui præerant cultum deorum docere, nempe ritus sacrificiorum ac cæremonias in placandis Geniis qui Præfecturis tutelares habebantur: nimirum tres partes Ægypti, * superior sive Thebais, media, Memphitica, & inferior quæ Delta dicitur, inter decem Nomos seu Curias mysticè distribuebantur; quæque verò Præfectura deum sive Ephorum suum malorum Averruncum habebat, quos Decanos appellat Trismegistus in republica Deorum, alii Οικοδεσπότας. Sacerdotes verò Reipublicæ præfecti, cum assectis qui ad sacerdotium seligebantur, non tantùm subditorum genus omne dirigere, providere, & Regi quotannis rerum gestarum rationem reddere; sed præcipuè genium cujusque Nomi præsidem, per rerum species ei analogas sacrarumque sculpturarum apparatum arcanis cæremoniis conabantur flectere, nempe ut per singularem Curiarum quarumvis tutelam regnum omne non tam humanâ quàm Deorum immortalium providentiâ gubernatum, felicitate summa frueretur. Hinc non privata tantum singulorum Nomorum templa erant, sed Ægyptus omnis statuas supernarum mentium ubique positas habebat, quibus veluti aris Archetypi & Genialis mundi templum videbatur; sacerdotes verò continuis sacrificiis, hymnis, precibusque pro salute patriæ, & contra calamitates Numina sollicitabant.

*Reipublicæ custodes ac conservatores.*

** Nihil enim & regem absque iis gessisse suprà vidimus.*

** Hinc & Atheniensium & Romanorum tutelares sacerdotibus aliquibus tantum indicabantur: amant quippe tenebræ noctem.*

** De Nomis Ægyptiorum vide apud Ptolemæum, & Oedipum Tom. I.*

*Sacerdotum in republica munus.*

*Ægyptum simulachris impletam fuisse.*

Ex occasione hic interserere de distributione Ægypti hodierna placet; anti-

antiqua enim facies rerum, post varias ac gravissimas tempestates, cum tandem regio omnis in Mahumetanorum potestatem devenisset, tota sublata est. Nam abrogata mox Nomorum divisione provinciam in tres alias partes distribuerunt: quarum primam, quæ est à Cairo ad ostium Canopicum usque (cujus longitudinem brachium Nili occidentale, Agathodæmon antiquitus dictum, latitudinem verò Athribiticum flumen, Niloticum Delta bifariam secans, & latus maris terminant) *Nahar allerif*, vel simpliciter *Erif* appellant. Alteram verò partem quæ à Cairo inter Erythræos ac Lybicos montes continuo tractu ad catadupas usque excurrit, antiquis Thebaidem dictam, modo *Assaid*, hoc est, Tentorium, nominant. Tertiam denique partem, quam brachium Nili Athribiticum, & Arabiæ petreæ, juxta Bubastici fluminis longitudinem determinant, *Allardt Bechria*, hoc est, terram paludosam seu marinam vocant. Prima harum, oriza & omni fructuum genere; altera frumentis, leguminibus, pecoribus, volucribus, & lino; tertia saccari arundinibus, gossipio, mirabalanis, aliisque ignotis apud Europæos frugibus abundat.

*Divisio Ægypti Turcica.*

*Fructus ejus hodierni.*

Mundum verò supramundanum Ægyptii exemplar optimum regiminis humani judicarunt, & ad hujus similitudine scilicet quàm perfectissima comparati, prosperitatem trahi & influere credebant. Supremum enim omnium Numinum Numen, dum Vniversum tantâ legum æquitate gubernat, tantâ providentiâ disponit, tanto amore & benevolentiâ conservat, quid aliud nobis exhibet, nisi Monarchici status absolutissimam quandam rationem? Quid Genialis seu Angelicus Mundus, in tot Classes distributus, in tam varia munia & ministeria distinctus, tam admirabili ordinum dispositione conspicuus, in quo tametsi varii atque disparati dominii & subjectionis gradus sint, omnes tamen hoc unicum satagere videntur, ut simul unâ voluntate & scopo concatenati in Vniversi conservationem conspirent; quid aliud nisi absolutissimum Aristocratici dominii modum, cujus tota felicitas unio est & concordia Optimatum; stabilimentum ejus, boni communis in singulis amor & cura? Quid denique sensibilis hæc Mundi machina ex astrorum orbitis, elementorumque corruptibilium mobili & instabili miscella composita, nisi Democratici status formam exhibet, tanto periculosiorem, quanto factiosorum hominum tumultibus magis expositam videmus? Sed Ægyptii illam rationem imperii absolutissimam & ad perpetuam felicitatem obtinendam felicissimam judicantes, quæ archetypi * Monarchiam imitaretur, quippe mutationibus minus obnoxiam, & in qua Angelicis Spiritibus unius Monarchæ summi rerum moderatoris nutui parentibus, iterum singulæ rerum creatarum in hoc sensibili Mundo classes absoluto & perfecto dominio subjicerentur; summo igitur studio, ut ad hanc Monarchici status normam, veluti exemplar quoddam adornarent Monarchiam suam, incumbebant: in qua Rex Monarcha, Numinis supremi loco, architectonico quodam intellectu omnia moderabatur; Sacerdotes Optimates, sive politici Mundi Cives, qui sunt Cantores, Horoscopi, Hierogrammatistæ, Stolistæ, & Prophetæ, veluti quintuplici ordine distribuebantur; populus verò, tametsi in varia munia distinctus, unius tamen Monarchæ arbitrio relinquebatur. His enim ritè adornatis, Regnum Ægyptiacum in sua pace & inconcussa felicitate perduraturum sibi persuadebant.

*Rempublicam instituendi ratio apud antiquos, nimirum ab Vniversitatis dispensatione.*

** Et microcosmi exemplar huc pertinet, de quo videatur Oedipi Templum Isiacum Synt. 2.*

Mysteria verò politica & universæ philosophiæ in quadraginta duobus libris comprehensa, de quo testatur Clemens Alexandrinus, non tantùm tradere sacerdotibus, sed ut perpetuitate scripturæ posteris sine variatione promittendæ perennia forent, saxis, nempe Obeliscis, insculpenda Ter-magnus ille Hermes curavit; hanc enim dicunt hieroglyphicam scripturam, quâ nimirum exemplum Hermetis secuti reges ac sapientes posteri etiam hunc Nostrum Obeliscum insigniverunt. Ramesses quippe à Patre Sothi Obeliscorum instauratore sacerdotali doctrina instructus, ex libris Mercurialibus (quos apud patrem superstites fuisse Oedipus in Pamphilio Obel. ex Sozomeni, Eusebii, Africani, aliorumque authoritatibus probat) sententias ad politicam spectan-

*Mercurium mysteriorum memoriæ servandæ deum fuisse.*

*Obelisco nostro inscribendorum Ramessen.*

spectantes excerptas maximo huic monumento insculpsit: nimirum quomodo politicus hic mundus ad rationes mundi archetypi & siderei ordinandus sit, ut statum semper felicem accipiat. Nihil aliud enim continetur columnis singulorum laterum ternis, quæ nempe tribus supradictis Mundis respondent, quàm Sacerdotum, quibus ad Regnum spes foret, inaugurandi & consecrandi ritus; deinde influentiæ naturæ pantomorphæ in tres mundos prædictos, quibus inde vita & felicitas omnis resultat.

*Argumenti summa.*

Proponitur hoc quippe tanquam prototypon quoddam legibus regni condendis, & ut intelligerent posteri qua ratione Osiris & Isis Typhoniæ tyrannidi resistant, & Horus Typhonem constringat, Osiris verò occisus ad vitam revocetur. Per Osirin intellectum architectonicum Regis indicant, per Isin prudentiam, per Horum leges salutiferas, per Typhonem importunitatem & quidquid Regnum perturbat intelligunt. Quocirca si Reipublicæ status quandoque à fastigio felicitatis suæ per dissidia, & factiosorum hominum perduelliumque proditiones ceciderit; quibus modis similia boni communis detrimenta præcavere debeant, aut quibus ritibus & cæremoniis præsides locorum Genii contra omnia adversitatum pericula placandi sint, Obeliscus docet. Quemadmodum autem supremum Numen per polymorphum spiritum omnibus sese mundialis machinæ membris insinuat, diffidentia concordat, languidis & ferè desperatis rebus vitam largitur, omnia in omnibus est; ita Rex per præfectorum à se super singulas regni Provincias constitutorum curam & vigilantiam omnibus & singulis per dictamina subditorum Regis intellectui conformia, adesse & inesse debet. Hinc enim & reverentia erga superiores, & adversus subditos amor, omniumq; ordinum concordia ad perduellium machinationes profligandas nascitur, quæ est salus & unicum regni fulcimentum. Fit tamen subinde, ut ob iniquitatem & injustitiam Regis commissam subditorum dictamina sint difformia, unde mox Typhoniæ conspirationes bono communi contrariæ nascuntur, quæ uti paulatim à lege supremi Numinis recedunt, ita ruinæ & exitii Regni proxima quædam veluti proscænia sunt. Præsides enim à suprema Mente constituti Genii si difformitate legis humanæ à divina absterriti sint, mox commissam sibi provinciæ tutelam deserunt; & deleto in Principe divini intellectus & voluntatis charactere, omnia susque deque vertuntur; autoritas Principis erga subditos deperit; quâ pereunte, quid aliud Regno, nisi summa confusio, desolatio, & rerum omnium ἀταξία supererit? Hinc Ægyptii de rebus magni momenti consulturi, sacrificiis priùs purgati, ritibusque ac cæremoniis præviis Deorum Oracula quid agendum sollicitare conabantur. Norant enim leges à Deo hominibus inspirari, quod amplissime in suis dialogis deducit Plato, hæc ipsa ab Ægyptiis doctus; nec non benè ratiocinabantur, Summum illum Naturæ Parentem, à quo ineffabili providentiâ nulla non elementorum, ac plantarum, & animalium universa & singula, eorumque etiam membra necessariis & ad usum spectantibus rebus prædita sint, eundem multo magis prospicientem fore hominibus & eorum societati, cui conservandæ nihil magis necessarium est, quam firmamentum legum præsertim divina autoritate positarum. Sed autoritatem ex institutionis similitudine cum supramundano Mundo prætentam, nec non etiam ex jure naturali * defensam, & quæ præterea prætulit doctrina filiorum alienorum, ut cum Scriptura loquar, Lector ex interpretatione ampliùs videbit.

*Quid fabularis Osiris &c. in mundo politico.*

*Amor & reverentia, duo vincula mundi, unde pendeant.*

*Rectoris rectitudo necessaria.*

*Correctio erratorum.*

*Lumen naturæ in hoc negotio.*

** Nempe & regnum inde descendere argumento esse possunt exempla naturæ.*

Occurrit autem nullâ non ex parte Obelisci, mox in principio tabula sacra, quod genus amuleti plurimum est in omnibus deinde laterum columnis: idcircò, cùm aliquà differat ab illis tabulis quas anteà vidimus, tum ne crebra subinde repetitio ingrata sit, non nihil de illo præmittamus. Est enim sacra tabula figura ovata, quæ certas hieroglyphicas notas complectitur, magnæ efficaciæ credita, nimirum quod ejus usu Numina quàm efficacissimè conciliari putabant; nam frequenter de Obeliscis excerptæ in separatis etiam tabulis ligneis aut lapideis ad usum prophylacticorum incidebantur. Diversi tamen inter

*Tabula sacra quid sit.*

*Tabularum ſacrarum frequentiſſimæ explicatæ:*

inter ſe generis hæ noſtræ videntur. Frequentiſſimæ ſunt in quibus Ibis poſita eſt ſupra gnomonem ſeu normam vel paraſtatam mechanicam, quæ in Alpha formata videtur: adpoſitus eſt baculus reflexus, in nonnullis uncinus, vel etiam pala agricultoria; ſubjungitur verò triplex ramus inverſus, nec non tres termini, quorum loco ſæpe additur figura ſcarabei, quæ ſubinde etiam omittitur, ut in columna prima lateris primi, eo loco quem O & P literæ indicant. Horum quidem intellectus

*illarum ſenſus idealis.*

idealis hic eſt: *Hermes ſeu Mercurius Agathodæmon Literarum, Arithmeticæ, Geometriæ, & Mechanicæ inventor, partitionis anni in duodecim ſigna & menſes autor, primus Ægypti Legiſlator.* Nempe *A* ſignificare Agathodæmonem, ſæpe diximus, eſtque prima

*Alpha ſymbolum.*

literarum, nec non figura Geometrici gnomonis, tum mechanici quoque inſtrumenti, tollenonis, cujus rei omnis Hermes ibiacus autor eſt, ut rectè Plutarchus, nec non Hero Byzantius tradunt. Baculus reflexus verò ex arundine eſt, quam Theophraſtus ait Ægyptios pro baculo habuiſſe, ob levitatem, vel etiam ob concavitatem emedullatam loco litui in ſacris adhibuiſſe; quo ſymbolo nihil ferè frequentius in hieroglyphicis occurrit. Significatur enim dominium abſolutum Numinum in inferiora influentium, & harmonica ſymmetria, quam illa per influxum rebus inducebant. Quoniam verò nihil in humanis rebus rite conſtitui poteſt ſine temporis exacta diſtributione; hinc perſeam ſubjungunt, quæ triplici in ramo folia duodecim habet, & ſignificat duodecim menſes in tribus partibus anni ita apud Ægyptios diviſi: erat enim tribus anni moderatoribus ſacra, Oſiri ſcilicet, & Iſidi & Mercurio: nempe Solis & Lunæ motu per duodecim cœli dominia facto, cuncta conficiuntur ſpacio annuo; Mercurius verò eſt ratio dirigens omnia ad finem ſuum; cujus ſapientiæ in legibus tam naturæ dirigendis, quam in politico mundo ponendis fructus & folia perſeaginea, quippe figuram cordis & linguæ referentia, ſymbolum ſunt. Significatio igitur triplicis rami cum antecedentibus ſymbolis hæc eſt, quod omnes naturalium humanarumque rerum actiones &

*Baculus reflexus arundineus.*

*Perſeæ hieroglyphicum,*

*Tres anni moderatores quinam.*

*Triplex ramus quid indicet.*

operationes tempori ſubſtare, in quo ſub terminis præfixis totius naturæ & politici mundi leges veluti in cardine quodam verſantur. Sequuntur tres termini, quibus primò tripartitum anni tempus, quod à ſupremi mundi legibus conſtituitur, indicatur: ſed in politico mundo hi tres termini indicant leges ad ſuperioris mundi leges conſtitutas. Hinc leges eædem Ægyptiaca voce & leges & termini vocantur; cujus ratio erat, quod Ægyptus tota terminis frequentibus diſtincta erat, ob Nili omnia confundentis inundationem, ſcilicet ne non indiciis infallibilibus confuſio dominiorum oriretur: & termini ob id habebantur ſacri Mercurio, ut vel inde originem Hermarum agnoſcas, quæ erant quadrangulæ ſtatuæ Mercurii, loco terminorum in agris poſitæ. Hemicyclus verò ſemper ſuperioris terræ faciem ſive horizontem notat. Paret ex his, cur tanto in honore hanc ſacram tabulam Hermeticam habuerint Ægyptii, nimirum quòd omnia Hermetis beneficia in genus humanum collata abditiſſimo ſymbolorum contextu ſignificet, & proinde ſummæ virtutis & efficaciæ eſſe putetur ad Numen trahendum aut propitiandum.

*Trium terminorum notatio.*

*Hermæ unde & quid ſint.*

*Hemicycli notatio.*

*Cur tanto in cultu ſacræ tabulæ fuerint.*

Occurrit & alia quædam tabula ſacra in hoc Obeliſco, quæ circulum habet cum figura muri quaternis, vel ſeptenis aut duodenis pinnis inſigniti, quem à numero pinnarum τετράπυργον, ἑβδάπυργον, vel δωδεκάπυργον dicimus. Huic ſupponitur ſubinde figura Scarabei, cui haud rarò & tres termini apponuntur, nec non Nilometrium, vel etiam figura primæ literæ A. Circulus ſeu ſphæra indicat eſſentiam Numinis ſupremi inviſibilis & abſtractiſſimi, ex qua omnia in omnes mundos bona profluunt, tanquam ex centro incomprehenſibili. Δωδεκάπυργον duodecim domus Zodiaci, quæ dicuntur arces ſyderei mundi, ſignificat, quarum cuſtodes ſunt ſinguli Genii à ſupremo Numine deputati, quibus totius anni gubernatio, juxta leges ab Autore Naturæ ipſis præſcriptas, committitur. Hebdapyrgo notatur arx & propugnaculum ſeptem planetarum, inſtructum præſidibus ſuis. Tetrapyrgum indicat regnum quatuor elementorum. Igitur cùm univerſa natura contra

*Alterum genus ſacrarum tabularum.*

*Circuli ſignificatio,*

*nec non murorum pinnis inſignitorum.*

tra potestates noxias defendatur hisce propugnaculis, muri illam πολυπύργυ figurâ sapientes non ineptè expressisse videntur. Nempe quemadmodum Numen supremum primò in duodecim Siderei mundi virtutes & potestates influit, sic & hæ in regnum heptapyrgi, deinde verò in Elementarem quadripartitum mundum descendunt; ex qua unione & perpetua communicatione mutui influxus, universa mundi machina ut conservetur, necesse est. Illas ad leges verò propugnaculorum Siderei & Elementaris mundi, veluti ad exemplar quoddam politicam Ægyptii rationem suam disponebant.

*Murorum significatio politica, ad Rempublicam constituendam.*

Expressuri enim regnum, aut urbem, muri figuram sapientes posuerunt, qualis in hoc Obelisco frequenter occurrit. Et per duodecim pinnas quidem analogia refertur ad dodecapyrgon cœleste cum Idealis mundi, tum Zodiaci in mundo sphærarum sive Sidereo, duodecim mansionibus distincti; hinc per heptapyrgum mansiones septem planetarum, ad quarum ideam Respublica instituenda; tetrapyrgo denique regiones indicantur elementorum, quæ sunt exemplar politiæ gubernandæ. Quemadmodum autem duodecim Zodiaci mansiones variis differentibusque proprietatibus instructas unus Sol perlustrat, & ad unionem in Mundo conservandam animat; ita & Princeps in Regno suo maximâ curâ diversorum populorum ingenia, eorumque diversitate discrepantium animos in unitatem & concordiam animare debet. Haud secùs de heptapyrgo, & tetrapyrgo ratiocinandum est. Audiamus hac de re Platonem, apposite in his Αἰγυπτιάζοντα: *Urbs primùm in medio regionis maximè condatur, delecto in loco, qui cæteras quoque opportunitates complectatur, quas & concipere & designare minimè difficile est; deinde in partes duodecim distributio fiat, ut Vestæ prima Iovique atque Minervæ consecretur, & illa urbis pars Arx nuncupetur, & septo diligenter muniatur. Et ex eo urbem & regionem in duodecim partes distribuant.* Idem paulo post: *Vici præterea in 12 partes erunt distribuendi, sicuti & cæteræ civium facultates; ut ex 12 partium constitutione cursuum lustrationes commodiùs peragi possint. Duodecim quoque partes duodecim Diis erunt deinceps attribuendæ; & unaquæque pars ex ejus Dei nomine, cui illa obtigerit, erit nuncupanda; ut Tribus ipsa sit suo & tutelari Deo cognominis; sed & duodecim urbis membra, sicuti in reliqua regione factum est, singulatim in duas habitationes fuerint dividenda, quarum una circa medium sit, altera circa extremum; & habitationis quidem ordo & ratio hunc in modum conformetur.*

*Quod Sol in æthere hoc Princeps in regno.*

*Plato Dialogo 5 de legib.*

Atque hæc est civitatis & regionis alicujus ad supernas ideas constituendæ ratio, quâ Plato fundandam censuit. Sed cur partibus duodecim? ut intelligas molem tantam, tamque laboriosam Universi ipsius auxilio indigere, quod est in sphæras duodecim distributum, & eodem prorsus modo civitatem aut regnum terrestre ad imaginem Regni cœlestis esse gerendum; cœlestis enim Civitas, inquit Plato, in signa duodecim, quasi in duodecim Tribus est distributa. Nec abs re Græci, sicuti Ægyptii, suum Regnum duodecim Diis suis, qui duodecim signis præessent, consecrarunt, aut potiùs sex Diis, totidemque Deabus, quorum omnium nomina hæc sunt:

*Ratio distributionis Ægyptiæ aut Platonicæ in partes duodenas.*

*Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venusque,*
*Mars, Hermes, Nephtun, Vulcanus, Osiris, Apollo.*

Nam præpone singula singulis, signa quidem membris nostris, Deos præterea signis; & per hæc intelliges, civitatem aut regnum totum non aliter unum ex civibus & incolis, quàm unum corpus ex multis membris esse debere. Sunt autem Numina masculina, vel fœminina; ut cognoscas, quæ signa ad materiam passionesque, & quæ ad formas aut actiones pertineant.

*Sexus differentia deorum quid sibi velit.*

Verùm cur Plato præcipuam urbis arcem Vestæ, Iovi, & Palladi dat? ut intelligas, in divinis tres omnium fontes existere. Vestam quidem essendi fontem, Iovem vivendi, & Palladem intelligendi; atque in his omnibus auxilium à Superis obtinendum. Quæ omnia ex Ægyptiorum disciplina profluxisse, in sequentibus aperietur. Quæ enim Græci per trinam Numinum, Vestæ, Iovis & Palladis assistentiam, ea Ægyptii Isi, Horo & Osiri indigitabant; his enim omnia gubernari docebant. Hinc mysticè tres terminos, tres circulos, tres urnas, tres secures, tres pennas, & simi-

*Divisio Reipubl. Platonicæ in partes tres.*

*Symbolorum hac tabula ternorum notatio.*

lia dedicabant; leges cœlestes & terrestres, per terminos; potestatem trinam divinam in omnia, per tres circulos; per urnas, dominium in humidam substantiam; per pennas, penetrationem per omnia & inomnia significantes. Murum polypyrgum Scarabeus sequitur, symbolum Regis fortitudine mascula inclyti, qualem Osirim fuisse Diodorus scribit. Est itaque sacra hæc tabula nihil aliud, nisi Idæa quædam politiæ cœlestium numinum, juxta quam dicunt inferiorem Mundum dirigendum. Figura quippe orbis, præter divinæ effluentiæ fontem, actum circularem divinæ intelligentiæ significat, quæ ex se ipsa semet respicit, & omnia semper conspicit, ut Timæus Platonis ait, ex antiquorum se monumentis hæc extraxisse confitentis: & à motu illo circulari rectus quoque dependet, rerum à Deo processus, & ejusdem in omnia influxus, *recta definientis & peragentis*, ut idem Plato ait. Igitur determinatio agendorum aut cavendorum animis à Deo facta, rerum omnium lex est penes autorem Deum, eodem actu sancita quo cuncta ab eo intelliguntur & fiunt: rectum verò judicium potenter & discernit observatores aut prævaricatores legum, & decernit cuique debita, cum inevitabili retributione. Sed observatio legum existit in temperanti mensura, omnium optima, ut Pythagoras judicat, quâ simillimus Deo efficitur animus; eatenus enim prosequi vel fugere debemus singula, quatenus divinæ Menti voluntatique congrua, vel dissona censentur: unde divinum illud Platonis, *Sapienti quidem viro Deus lex est, insipienti verò libido.* Proinde sicuti figura circularis Vniversum, ita Ibis gnomoni insistens Architectonicum divinæ mentis intellectum significat, hujus enim dispositione omnia quæ in mundo sunt Symmetriam & proportionem exactissimam acquirunt, & singula consequuntur harmonicam constructionem, per baculum fistularem indicatam. Intellectus verò vitam, mensuram, operationumque efficaciam influxivam largitur polypyrgis cœlestibus, & munimen ac custodiam præsidibus eorum; ad quam inferioris Mundi legislator intellectus, quem Scarabeus & tres termini indicant, in omnibus actionibus respicere debet, ut inde optimis rationibus impletus haud fallax quicquam pareret, aut fallacibus caperetur. Respondet his omnibus doctrina Hermetica necnon Orphaica, ut Oedipus in Sphynge Mystagoga tradit, ex quibus scilicet, ut & aliis antiquorum monumentis Plato philosophiam suam, quam supra tetigimus, hausit.

*Scarabei symbolum.*

*Circulus quomodo legum condendarum significationem habeat.*

*Gnomon ad leges translatus.*

*Baculus reflexus,*

*cum Scarabeo &c.*

Textum deinceps symbolorum explicaturi, ordinem hieroglyphicum universum primo consideremus. Quatuor nimirum latera sunt, juxta quadripartitum Mundum, quæ singula post inscriptionis titulos triplici ordine constant. Inscriptio, quæ omni ex parte similis eademque est, tribus loculamentis distribuitur, quibus literas indices Oedipus adjecit. Principio, nempe sub ipso apice Pyramidii, figura ovata occurrit, in qua Ibis gnomoni in *A* formato insidet, A cui figura muri subjungitur, cùm adposito baculo reflexo, & deinde terminis tribus, ac Scarabeo; quibus symbolis nihil aliud indicatur, nisi Mercurius Agathodæmon potens dominator & politicarum legum conditor, hieroglyphicæ doctrinæ institutor, ex cujus libris columna hæc concinnata fuit. Nempe (ut demonstrationes & autoritates suprà aliquoties visas atque hinc superfluas, vel etiam apud Oedipum explicatiori modo videndas, prætercam) Ibin Agathodæmonem ipse gnomon Alpha referens indicat, qualis Hermes ab Ægyptiis existimabatur: gnomon autem est, ut ostenderetur Mercurium esse autorem omnis justitiæ, qua actiones humanæ unicè diriguntur, & potissimum in politica rerum administratione, quod sibi vult murus cum pinnis. Leges verò, à quibus præsidium speramus, & ipsæ præsidio potentiæ opus habent, atque ob hoc reflexum sceptrum, dominii in inferiora symbolum, adjungitur; infra quæ tres limites cum Scarabeo positi rationem archetypi intellectus significant; nam quemadmodum ille solus tanquam Sol verus in triplicem Mundum, Intellectualem, Sidereum, & Elementarem agit, ita Sol politicus, qui est in archetypo intellectu Legislator, & aptè per Scarabeum, sicut & triplex objectum per terminos trinos expri-

*Divisio obelisci, ad continuationem symbolorum.*

*Inscriptionis quocunque in latere prima pars.*

*Sacra tabula specialiter considerata.*

*Ibis cum Alpha.*

*Murus.*

*Baculus.*

*tres limites cum scarabeo.*

A

exprimitur, in triplicis generis homines, nempe seipsum, & optimates, & plebem, agere debet vi ac virtute sua, qua respublica unicè sustentatur. Nam, ut apud Porphyrium est, *Ægyptii colebant Scarabeum sicut vivam solis imaginem*; sed non tantum Solis hujus sensibilis, at Archetypi quoque, necnon Politici, nempe secundum quandam analogiam. Idem quoque symbolum morali significatione, teste Horo, libro 1, paternum affectum & masculam virtutem indicat, quibus in regno administrando res nulla anteit; idcirco, quum Hermes ab Ægyptiis non tantum pro Legislatore, sed & pro summo tutelæ Numine & Agathodæmone, à cujus veneratione totius Ægypti salus penderet, coleretur, non incongruis symbolis hæc illi inscriptio facta videtur, quibus nempe & divinæ virtutes ejusdem referuntur, & ipse ut præstaret eas Ægypto, quam fidei suæ commissam haberet, sollicitabatur.

*Porphyrius lib. de abstinentia.*

*Scarabei privata significatio.*

*Hermetis virtutes in legibus & tutela.*

Secundum spacium in singulis pyramidii lateribus duorum hominum figuras, mitratas & lineis amiculis indutas, exhibet, qui inter se quasi de magni momenti negotiis tractare videntur. Speciem esse sacerdotum, ex eorum descriptione conjicimus, quæ retrò in præmissis data est ex Apulejo & Plutarcho, * quorum uterque illis mitram seu cidarin dat, quæ erat pileus Sacerdotalis ex bysso, ac symbolum sapientiæ, cui ipsi perpetuò vacare debebant; ideoque vestis habebatur pro signo candoris & eximiæ puritatis, quæ eosdem, utpote perpetuo deorum consortio gaudentes, decebat. Quum igitur non sit dubium, sacerdotum has esse species ac figuras, concludo continuò, Sothin hîc cum Ramesse filio significari, reges & sacerdotes maximos; nimirum, ut Plato ostendit in libro de regno, nullus apud Ægyptios Rex erat, nisi qui & Sacerdos audiret, adeo ut si quis ex alio genere regnum vi usurpasset, eum post regni assumptionem sacris sacerdotalibus initiari oporteret. Pater Σῶθις, Scribæ sacrorum Manetho apud Africanum [in fragmento Bibliothecæ Pereiscianæ [a]] & Eusebium in Sozomenis [ubi pro Σῶφις legi vult Oedipus Σῶθις] Contemplator * deorum, librique, qui

*Inscriptionis laterum singulorum altera pars, bini sacerdotes.*

B

** Vide Apulejum in Metamorphosi sua, & Plutarchum in Isi & Osir.*

*a Vide sis Oedipum in Obel. Pamphilii historia.*

** ὑπερόπτης textus habet, quod alii contemplatorem interpretantur.*

dicitur sacer, autor perhibetur, quem librum, magni apud Ægyptios æstimationis, se ibi nactum esse Manetho gloriatur. Idem de hoc rege Abenephius Arabs refert, quem citat Oedipus in prolegomeno historiæ Obelisci Pamph. & eundem dicit Plinius suprà allegatus in Heliopoli erexisse Obeliscos numero quatuor, longitudine cubitorum quadragenum octonum; Ramessem autem quatuor alios, quadraginta cubitorum, qui digressus inde, ubi regia Mnevidis * est, alium posuerit, hunc nostrum scilicet, quem cùm subrecturus esset rex, vereretúrque ne machinæ ponderi non sufficerent, quo majus periculum curæ artificum denunciaret, filium suum adalligavit cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset lapidi: atque hac admiratione operis effectum est, ut cùm oppidum id expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendio ad crepidines Obelisci, extingui ignem juberet molis reverentiâ, qui urbis nullam habuerat. Hic ille Ramesses, quem Eusebius regno vult præfuisse annos sexaginta sex, ab anno quinto post mortem Aod, quarti à Mose ducis Israëlis, nempe millesimo trecentesimo decimo ante Christi Salvatoris nostri ortum *; ipse verò à Sothi patre suo, Deorum contemplatore, instructus scientia hieroglyphica & politica, illa nimirum insignivit hoc monumentum animi atque imperii sui maximum; & cùm Regium nec non Mercuriale hoc par sapientiam sacram tanto studio ac voto excoluerit, verisimile est, auspicem hujus operis patrisque suique memoriam cum ipsis nimirum geniis sacratam hîc consignare voluisse, ut nunquam non grata mente recolerent Ægyptii, quantum debeant restauratoribus religionis, patribusque patriæ tot ac tantis decoribus illustratæ.

B

*Plinius lib. 36. cap. 1.*

** vel Heliopolin intelligit, vel Thebas, ubi stetit hic Obeliscus, & similiter quàm illic bos colebatur, Mnevis fortè, niger & Soli dicatus.*

** Deinde post 330 annos avulsus sedibus est, & anno 1588 à Sixto V. P. M. restitutus.*

Post hanc epigraphen primo loco in Obelisco occurrit quadratum loculamentum signatum litera C, in quo figura capite mitrato conspicua, & nuda, throno insidens, aliam ante se genibus provolutam extensis brachiis in modum petentis & obsecrantis quidpiam, habet, cui benedictionem impertiri videtur; in muro verò variæ videntur ovatæ figuræ, quas sacras tabulas nuncupamus;

*Schematismi ulteriores.*

C

cupamus; quæ quidem nihil aliud ſunt, quàm ſacra quædam amuleta ad Deos propitiandos conſtituta.

*Primorum ſibi comparatorum ſignificatio.*

Dicimus itaque, hoſce ſchematiſmos ex quatuor Obeliſci faciebus prorſus ſibi ſimiles nihil aliud denotare, niſi primò quidem Mundum Genialem, ejuſque munimen veluti exemplar quoddam politices; ſecundò ipſum adytum Ægyptiorum, in quo Sacerdotes iis, quos vides, ritibus & cæremoniis inaugurabantur, eo quidem modo, quem exponemus.

*Ritus ſacerdotales ad intellectionem harum figurarum.*

Primò Sacerdos ſupremus cidari ſeu tiarâ, ſapientiæ hieroglyphico, conſpicuus, throno inſidebat, poteſtatis ſummæ ſymbolo, ſupremi Numinis Hemphta vices referens; hoc enim Numen in adyto pari ſymbolorum apparatu effigiatum tenebant; quo indicabant, ſupremi hujus Numinis in omnia rerum à ſe productarum genera ſupremum jus, & abſolutum dominium, omniumque ſibi ſubditarum rerum neceſſariam dependentiam, ſine cujus concurſu & benigno influxu nihil ſubſiſtere poſſit: quod ideo nudum exhibetur, quia ab omni rerum materialium contagione longè remotiſſimum, nullius indigum, ſibi ipſum ſufficiens eſt.

*Divinæ majeſtatis in natura æmulatores Ægyptios fuiſſe.*

Mundus verò tam Intellectualis quàm Sidereus, & Politicus, ſicuti bonorum influentias hujus Numinum Numinis, ita in omnibus quoque ejuſdem analogiam & ſimilitudinem quandam habet; quam Sacerdotes quoque in actionibus ſuis intendentes in ſolemnibus ſacrorum & inaugurationum ejus imitatores eſſe voluerunt, quæ nullam efficaciam obtinere ſibi perſuaſerant, niſi analogo ſymbolorum apparatu peracta fuiſſent.

*Vſus ſacrarum tabularum.*

Et ut operationes eorum in ſollicitatione Deorum vim majorem haberent, ſacras quaſdam tabulas iis hieroglyphicis, quæ maximè Numini quod urgebatur congruebant, adornatas, in adytis ponere ſolebant; quas tùm ex abdita ſacramentorum, quæ ibidem peragebantur, virtute, tùm Deorum particulari influxu, magnam vim acquirere putabant ad id, quod à Numine petebatur, impetrandum. Diſpoſitionem autem adytorum in principio tractatus ſatis expoſuimus ex Oedipi tomo primo & locis aliis, nec non Pamphilio Obeliſco: ſupereſt itaque, ut ordinis, quo triplici conſtat latus primum, principium ineamus.

*Lateris primi, quod eſt Boreum, ordo primus, ejus initium.*

Primæ verò columnæ caput aſpidem habet ex globo emergentem, quæ flexu facto ſe cruci anſatæ ſeu Tautico characteri inſinuare videtur: hac ipſa exprimitur mundus Archetypus, è quo Numen ſupremum in univerſas entium claſſes exiens ea animat, vivificat, conſervat.

*Alterius ordinis caput.*

Secundæ principium notatur Accipitre, Syderei mundi ſymbolo, cujus moderator eſt Sol, qui in ſubjectam ſibi Elementaris mundi œconomiam virtutem ad Archetypi numinis ideam exerit.

*Tertiique.*

Tertiæ demum figura principalis ſacerdos eſt, & mundum Politicum indicat, quem Rex ſacerdos ad Archetypas & Sydereas rationes ordinat ac dirigit. Hæ tres figuræ primæ, trium Mundorum, Archetypi, Syderei & Politici, veluti epigraphe quædam in unoquoque latere ſunt. Adjectas verò in margine literas notet lector ſingulis ordinibus diſtinguendis æqualiter reſpondere. D

*Aſpis è globo procedens cum anſata cruce.*

In ſpecie igitur conſideratum ſymbolum Aſpidis hanc ſignificationem includit: evolvitur è globo ſcilicet quia Deus veluti è centro ſphæræ divinæ & interminabilis evolutus primùm Angelico mundo, tum Sydereo (qui Mundus duplex aptè per duos circellos ſphæræ impreſſos indicatur) ſe immittens, deinde in mundum inferiorem Hylæum ſeu Elementarem, qui per crucem anſatam, ſeu Tauticum characterem pulchrè notatur, deſcendit; atque hinc denique ſurſum elatus ſuæ ſphæræ reſtituitur.

*Primi ordinis reliqua.*

*Muſca Ægyptia.*

Poſt Aſpidem ſequitur papilio Dracontomorphus, quo natura ſeu potentia omniformis notatur, in quam proxime & immediate ſupremum numen influit: hanc Platonici vocant animam Mundi, & Ægyptii arcaniores Fundum Paternum, ex tribus triadibus compoſitum, eò quòd per tres Mundorum triades inſinuata omnibus vitam & motum tribuat.

*cum papyro ſua.*

Adjunctum autem papilioni thyrſum papyraceum rerum neceſſariarum ubertatem ſignificare, ex Obeliſcis retrò aliquot, & præſertim Pamphilio vidimus; quam copiam natura pantamorpha ideis referta, in mundi triplicis entia confert. Suprema itaque natura naturans primò ſe naturæ huic pantamorphæ communicat; hæc vim participatam


62
PATRIS OPVS MVSQ SVVM TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS TOTO CŌSTĀTIVS ORBE RECEPTO
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS NEC VIDERAT AETAS
CONDIDIT VT CLARIS EXAEQVET DONA TRIVMFIS
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS CAESA THEBIS DE RVPE REVELLIT
A
B
C
D
E

D

tam transfert in inferiores Mundorum horizontes, quos duo hemicycli infra papilionem poſiti notant; & virtutem pantamorphæ participat Agathodæmon trium ſectionum, ut Ægyptiis vocatur: *A* nempe Agathodæmonem ſignificat, tres ſecures verò, quæ ſubſequuntur, trinam ejus potentiam, quâ quicquid in triplici mundo Typhonium ſeu Bebonium eſt, reſecat & extirpat.

*A Symbolum, cum tribus ſecuribus.*

*Statua Agathodæmonis.*

Hoc enim ſibi vult ſtatua ejus, quæ perquam frequenter inter hieroglyphicos ſchematiſmos occurrit: nimirum figura humana, oblongâ veſte involuta, dextra manu gnomonem, ſiniſtrâ ſecurim tenens; quibus ſymbolis officium illius exprimitur, nimirum injuſta æquare, ἀσύνθετα vel incompoſita ritè componere, & ἄκρατα ad perfectam temperiem redigere. Ideo & Græci, non niſi ab Ægyptiis Ægyptia edocti, ſimulachro Iovis Labradæi, teſte Pauſania, ſecurim dederunt; nempe Lydorum linguâ Labris nihil aliud eſt quàm ſecuris, unde mundi rector Labradæus dictus, ab effectu ſcilicet, quo mundum reſectis ſuperfluis & inutilibus expolit, & exornat.

*Iupiter Labradæus ſecuri inſtructus.*

E

*Genii concordiæ, Momphta & Iſis.*

Agathodæmoni potentis ſectionis junguntur Genii concordiæ, qui aptè, ut Horus teſtatur lib. I, cap. VIII, per duas Cornices exprimuntur, & eorum ope, poſtquam maligna reciſa ſunt, Mundi omnis proſperitas & incolumitas ſubſiſtit, & conſervatur, conceſſâ ſalute ac vitâ; hæc indicant ſymbola, quæ inter E & F continentur.

F

Contrariis verò diis ſemper bella moventibus, ideo Momphtæi numinis ſimulachrum ſacro ritu conſecratum ἀντιτέχνοις illis dæmonibus, quos Noctua ſignificat, opponitur. Eſt autem Momphta idem quod vis efficax, robuſta, vigilans, & prorſus Martia, ſive conſideretur in Archetypo ſive in creatorum aliquo mundo, nempe vel Intellectuali, ubi inter Genios hunc ordinem Zoroaſter vocat Hypozocorum ſive Succinctorum; vel Sydereo in mundo, ubi Momphta Martio ſyderi præſidet; vel denique Elementari, in quo dicitur vis ignipotens ac Orimazæa, Arimaniæ objecta: inimica igitur noxiæ poteſtati defertur per ſemitas Vniverſi, mundum omnem ubique roborans, atque obfirmans, unde proceſſus ejus non ineptè exprimitur per baryn, quam noctuæ ſubjunctam vides, nimirum & ſimulachrum hujus navis Ægyptii quotannis ſub initium increſcentis Nili per fluenta ejus, necnon terrâ in traha per civitates ſuas multis cum cæremoniis ducebant, ac tandem in Iſidis templo juxta ſtatuam ejus reponebant, ut Manetho refert, idque etiam ſibi volunt figuræ barys ac ſacerdotis, cum ſtella, trahaque nec non mulieris nudatæ ſpecie, quæ eſt Iſis throno inſidens, manu baculum cum Cucuphæ capite tenens, ſymbolo ſcilicet varietatis rerum.

*Momphta quid ſit,*

*& Hypozoca,*

*& vis Orimazæa.*

*Barys ſymbolum proceſſus Momphta,*

*aſtipulantibus cæteris ſymbolis.*

G

Sed & ipſa vis Arimania, ſeu Typhonis, mundum omnem penetrat, nuſquam ac nunquam non parcens turbis, ut catenas Geniorum concordiæ, Momphtæ & Iſiaci numinis, rumpat, id quod ſymbola inter H & I continent: hinc itaque ſacra tabula, quod efficaciſſimum amuletum credebant, præſcribebatur, ovata ſcilicet figura, quam notavimus I litera; in qua ſunt ſphæra, murus & ſcarabeus, cum tribus limitibus; circulus, ut ſuprà indicavimus, ſemotum Deitatis receſſum notat, ſcarabeus Oſirin, murus Politicum mundum, termini leges, nempe Monarchicam, Sacerdotalem, Popularem, capita univerſæ fundamentalis poſitionis, quaſque ceu terminos quoſdam humanæ rationis præterire neminem licebat.

H

I

*Tabula ſacra prima.*

*Triplex lex politica.*

I

*Sacræ tabulæ effectus in ſymbolis ſequentibus.*

Sequuntur inter I & L figura muri, baculus reflexus, ſceptrum conicum, cum circulo, ſceptrumque αἰγόμορφον, & mundi quadrifidi ſymbolum, hydroſchema, & ſerpens, ſceptrumque ſimplex, & oculus cum figura muri, & tribus circulis; quæ ſingula effectus indicant tabulæ ſacræ præcedentis, ſcilicet præſidium firmum, divinique regiminis diffuſam in quadripartitum mundum fœcunditatem, humidi vitam, & divini ſeu archetypi intellectus vigilantiam ſupra trium mundorum adminiſtrationem politicam, qua vis Arimania, quam Noctua ſubſequens indicat, exterminatur. Poſt noctuam, L, M, N indicibus, figura ſedis eſt, & hemicyclum, cum quadrangulo & penna, ſignoque mundi quadrifidi, deinde tres termini, binique ſemicycli, tum circulus cum tribus ſecuribus, poſt hæc murus ſeptenis apicibus diſtinctus, hydroſchema,

K

*Vlterior ſchematiſmus.*

L

M

N



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

*Quid in mundo Sydereo significent Figura throni,* schema, penna, binæ favissæ, cycloides, caput Hori, vultur, & oculus, iterumque hydroschema, cum serpente & ansere, nonnisi abdita in Archetypo virtutes significantia. Est enim in illo non secùs ac in reliquis mundis, regia potestas, infima superis conjungens, quam indicat figura throni; est & penna Ibidis, hoc est vis profligativa malorum in ternas quadrifidi mundi leges diffusa, cum trina excisionum potestate. in septem arces superioris & Intellectualis mundi, quæ per murum septem apicibus insignem indicantur; alludunt autem ad hoc, quod sicuti in mundo Sydereo sunt septem planetarum arces, sic & in Archetypo secundum analogiam simile quippiam reperitur; à quo supramundano munimine aqua scaturit Osiridis in piscinas cœlestes, quæ sunt veluti principium quoddam passivum, in utero suo omnium generabilium rerum semina excludens, uti rectè l. 1, c. 11. de Vulture tradidit Horus. Quoniam verò cœlestes piscinæ concipere non valent, nisi oculo cœlestis Osiridis continuò foveantur; hinc oculus positus est,& sub illo hydroschema,serpens, anser, traha, Isisque throno insidens cum sceptro Cucuphomorpho; inde enim humida substantia vitam acquirit, influxusque ejus per cœlestia penetralia derivatus,in Isidem descendit,totius inferioris substantiæ,varietatisq; in ea producibilis matrem: hæc nempe symbolis intra O & P indicantur: humore enim fœcundat Osiris, quod hydroschema cum sceptro testiculis insignito indicat; vitamque præbet, id quod Serpens docet; demum & Anubidis benignus influxus ac vis benefica, per Canem jacentem, & brachium extensum significata, & simul Osiridis vitalis motus per Accipitrem, & Serpentem adjunctum indicatus, in universum Mundum Hori capite significatum, transfunditur; ita divinus Hermes Agathodæmon dominio præpotens, sacrorum, temporum, legumque conditor sapientissimus docuit,quod inter P & S ovatæ figuræ inclusa symbola significant, quæ in sequentibus fusiùs explicabimus, de reliquis etiam, quæ sequuntur, symbolis in fine explicationis hujus Obelisci ampliùs acturi. Vidimus igitur in hac prima columna, quomodo supremum Triforme Numen amore quodam ad extra, & explicandi ideas suas, principalibus se geniis mundorum communicaverit, quibus mundorum curam reliquit: primò nempe influxum suum deducens in pantamorpham Mundi naturam, omnium moderatricem, quæ influxum transfundit in Agathodæmonem virtutis potentissimæ atque aptæ ad profliganda & extirpanda mala, quaque mundorum pax & unanimis conspiratio conciliatur per genios concordiæ; hi in Momphta ad concordiam conservandam transmittunt in Momphtei numinis imperium, cujus officium est, advigilare ad avertendas adversas potestates, quibus officina mali concordiæ effectum distribuere quærit. Typhoniis illis conatibus Nephta, Osiris, Horus, Isis, in propriis singuli mundi partibus, obstant, rerum sibi commissarum curam agentes, unde ex hac Geniorum concatenatorum conspiratione Mundus omnis ab omni turba immunis permanet, quæ unica & perfectissima idea est, ad quam Hermes statum politicum dirigendum præscripsit,ut in tertiæ columnæ explicatione patebit.

*& penna Ibidis, &c.*

*Oculus, cum hydroschemate,&c.*

*Canis procumbens. Brachiumque & accipiter cum serpente.*

*Sacra tabula secunda hujus columnæ.*

*Repetitio primæ columnæ.*

*Latere Boreo columna secunda.*

*Catena numinum Syderei mundi.*

Altero ordine sequitur catena Numinum Siderei mundi: primum nempe Accipiter tutulatus, in hoc sensibili mundo choragus, utpote Solare numen, quem vocant Osirin, de quo sæpe vidimus. Insidet ille quadrangulo parallelogrammo, cui insertus est bos, brachiumque manu porrecta, tum hieralpha, cum adjuncto circulo,sub quo terminus sive quadrangulum oblongum. Septo quadrangulari Mundus Hylæus indicatur, cui dominatur superpositus Osiris cœlestis;bos Apidem sive Osirim terrenum cœlesti illi subdelegatum, cujus benefica vi, per brachium extensum significata & ab Osiri cœlesti participatâ, omnium in inferiori mundo necessariarum rerum ubertas emanat. Hinc ab Ægyptiis non incongruè Agathodæmon inferioris Mundi dicitur, quod *A* cum globo & quadrangulo innuunt. Hic ipse hierogrammatismus aliquoties in superioribus Obeliscis contigit,nempe in Flaminio, Sallustiano, Pamphilio, in quo postremo lineæ illæ pro clausula adjectæ, transversæ aut normales, ad men-

*Linearum in clausula positarum significatio.*

mentem hieromantarum explicatæ ſunt, quarum ſignificatio nihil aliud habet quàm quod figuris antecedentibus proponitur, numerorum quos exprimunt quaſi ideâ repetitum. Poſt hæc aſpis

*Aſpis cum Accipitre.*

eſt cum Accipitre, duo numina quæ in unam ſtatuam conflata in ſolemnitatibus Comaſiorum produci ſolebant, de quo in ſuperioribus vidimus: nimirum

*Euſebius.*

ut Arius apud Euſebium: *Primum, idque diviniſſimum animal eſt Serpens accipitris formam habens, valde gratioſum; id ſi palpebras erigebat, primogenitam omnem ſuam regionem replebat; cum verò clauſos tenebat oculos, tenebræ fundebantur.* Etenim maxima incommoda timebantur ſi inter proceſſum ſacrum oculos non adapertos geſſiſſet; Oſiris enim, cum offenſus iniquitate hominum crederetur, non vigilare ad commiſſas ſuæ fidei res putabatur, & aſpis ſubdelegatus ejus agathodæmon, vitæ mortiſque arbiter, omnia inferiora tunc diſſipare, ut Horus ait, lib. 1, cap. 11, ſcilicet ſolo afflatu cuncta interimens; unde Ægyptii cultu ſingulari tam implacabile Numen mulcere nitebantur. Ideoque arduo ſitu ſquamei pectoris ſummam Oſiridis ſeveritatem ſignificat, quæ tunc conſpiciatur, quando juſtitiæ rigorem terris immiſerit: contracto tamen collo quaſi ad quietem compoſitus accipiter clementiam, & beneficentiam Oſiridis indicat. Poſitâ verò clementiâ, cœlum malignis influxibus occupatur, elementorumque mundus ſummâ rerum calamitate, rempublicam efferunt mala, quæ non ineptè

*Noctua,*

innuit noctua, Typhonis ſymbolum; qui trino ſceptro prævalens craterem

*Accipiter.*

Oſiridis, ſignificante accipitre cum cratere, exſiccare omnibus modis laborat. Vnde imminentibus hujuſmodi calamitatibus Sacerdotes Oſiridis Σεῖραν, id eſt, catenam, quam Sacerdos cum appoſita

*Figura ſacerdotis cum catena, &c.*

figura catenæ exprimit, id eſt, Geniorum juxta ternas triplicis Mundi leges diſpoſitorum ordinem continuis ſacrificiis ſollicitare ſolent: his enim primò polymorpha Mundi natura, per Papilionem alatum δρακοντόμορφον indicatur, attrahitur, & rerum neceſſariarum ubertas, quæ per thyrſum papyraceum notata eſt, expulſis malis, conceditur. Ad

*Sacra tabula prior.*

quod plurimùm ſequens tabulæ ſacræ amuletum ovata figura incluſum confert. Hæc circulum habet, ac murum ſeptem cuſpidibus conſpicuum, cum Scarabeo: per circulum ſuprema divinitas; per murum ſepticuſpidem totidem principalium Mundi Geniorum præſidium, quibus Solare Numen Scarabeo ſignificatum dominatur, exprimitur.

*Symbolorum poſt primam Tabulam poſitorum enarratio:*

Vidimus amuletum, jam effectus quoque ejuſdem examinemus. Sacram tabulam murus excipit duodecim pinnis inſignis, quas arces Ægyptii nominant, Græci πύργους, turres, ut alibi, & potiſſimùm in Obeliſco Pamphilio oſtenſum fuit. Per hoc duodecim Geniorum, qui Zodiaci ſignis præerant, notatur præſidium, quòd hujus amuleti uſu, ſeptem Numinum planetariorum cum hiſce dodecadeſpotis concatenatorum ſeriem trahi putarent. Dehinc eſt penna, cum hydroſchemate duplici, anſere intermedio, & ſceptro teſticulato, quæ ſequitur Serpens, & baculus incurvus, & perſea tribus ramis conſpicua, cum binis hydroſchematis, & Serpente, & Ibide, Noctuaque. His ſymbolis aliud nihil indigitatur, niſi effectus, qui attractum illum conſequitur, humidi ſuperlunaris in Genium Lunarem per Ibin

*Eorum ſignificatio, & effectus ſacræ Tabulæ.*

expreſſum traductus, quo fœcundantur & vivificantur omnia, ac totius anni (cui præeſt, per duodecim menſes diſtributo, triplici ramo indicante) vita omnibus conceditur. Lunaris ſiquidem Genius per Ibidem, Typhoniam Noctuæ vim profligat; & accubans fortis Latrator Anubis quadrifidi Mundi cuſtos, in Typhoniæ Noctuæ machinationes pariter invigilans, catenam canalium Oſiridis, rerum omnium neceſſariarum providi Numinis, uti & Hermanubin ad ſubveniendum movet; quorum duorum Geniorum efficax eſt ſacræ tabulæ ſequentis prophylacticum & periaptum attractivum. Sed

*Amuletum Tabulæ ſequentis.*

ſymbola tabulæ explicemus. Ibis Alphæ in formam normæ adaptatæ inſidens notat Mercurium Agathodæmona, exactum omnium diſpoſitorem; Scarabeus Oſirin, cujus inſtrumentum in palæ figuram eidem ſuperpoſitum agriculturæ index eſt; triplex ramus, XII menſes, quibus uterque & Hermanubis, & Scarabeus Oſiris Mundum peragrantes totius anni decurſu rerum om-

nium ubertatem præſtant. Hujus virtute periammatis derivatur vis dodecadeſpotarum Zodiaci, per murum δωδεκάπυργον indicati, in inferioris Mundi ſacras piſcinas, quæ per circulum, hemicyclum, ac tria trapezia perforata indicantur.

*Sacræ piſcinæ inferioris mundi ſymbola.*

Reliqua ſymbola, Alpha cum duabus pennis, Crux anſata, pyramiſque & urna Nilotica anſata, & penna, de quibus paulo poſt, ſimiliter amuleta ſunt, dictas ad virtutes ſupernas trahendas efficaciſſima.

*Amuleta poſtrema ſecundæ columnæ.*

D

*Tertia primi lateris, Borei, columna.*

Vltimus ordo hujus faciei primò ſacerdotem refert, nempe στολιστὴν, id eſt, ornatorem, de quo ſuprà ex Clem. Alex. Stromatum lib. VI. Hic tenebat παιδευτικά, ſeu quæ ad diſciplinam & inſtitutionem pertinent, nec non μοσχοσφραγιστικά, hoc eſt, quæ ad ritum mactandorum vitulorum ſpectant; ideoque cubitu juſtitiæ, & calice inſtructus erat in proceſſu ſacro, quibus ſignificabatur, onera, officia, ac præmia regni ſummâ æquitate & juſtâ menſurâ diſtribuenda eſſe, cultumq; divinum gnaviter ſervandum, quippe totius felicitatis politicæ ſummam:

*Sacerdotis Stoliſtæ munus, ex Clemente.*

figura autem ſitu ſuo verſus numina, extenſiſque manibus, quaſi ad explorandum eorum voluntatem, hoc ſibi vult, ut promptitudo ſacerdoti eſſet ad omnes juſtitiæ partes complendas, ſtudiumque omnia efficiendi ad normam tum Archetypi tum Syderei mundi:

*Sacerdotalis figuræ ſitus quid ſignificet.*

hanc ob rem norma proximè ſequitur, juſtitiæ & æquitatis ſymbolum; cui apponitur pala, è regione Apidis, quâ innuitur, in rebus publicis rectè adminiſtrandis nihil adeò neceſſarium eſſe, quàm agriculturæ opera, quibus Mundi politici corpus quadantenus ſuſtinetur & conſervatur.

*Norma ſymbolum, ac Palæ.*

Poſt hæc inter duos globos eſt accipiter, ſive Oſiris aut numen Syderei & Elementaris mundi, à quo ſacerdos leges Rerumpubl. benè adminiſtrandarum ſumit, quæ nimirum columnis Hermeticis ſeu Iſiacis inſcribebantur, ut teſtatur Iamblichus, & indicant figuræ ſubjunctæ duarum columnarum quatuor lineis diſtinctarum.

*Accipiter cum globis utrinque.*

E

*Binæ columnæ lineis tranſverſis inſcriptæ.*

*Leges Iſiacæ ex Platone, 4 Dialog.*

Leges juxta antiquorum traditionem Plato recenſet: Prima, providentiam nunquam deeſſe hominibus, modò ſibiipſi non deſint. Secunda, Regibus ſuperbiam & laſciviam, quæ ex ſumma rerum licentia & poteſtate ut plurimum originem ſuam ducunt, ſummopere vitandam eſſe. Tertia, ſicuti beſtiæ non poſſunt à beſtiis abſque homine paſtore, ſic nec homines ab hominibus abſque Deo Duce optimè gubernari; ſine quo omnis vita miſerabilis & laboribus plena efficitur; præ omnibus itaque aliis unicè divinus cultus & religio, tanquam finis ultimus politiæ, amanda & quærenda. Quarta, ipſa Mentis diſtributio eſt lex quædam, cui in omni & privata & publica gubernatione obtemperandum. Quinta, nullæ conſtitutiones appellentur leges, niſi commune bonum procurent. Sexta, qui obſervantiùs parent legibus, his magiſtratus, maximeque divini cultus munera committantur. Septima, interitus Civitati vel Regno paratus eſt, in qua non leges Magiſtratibus, ſed Magiſtratus legibus dominantur. Octava, non niſi prudentiâ conſpicuis & Senibus eſſe committendum Magiſtratum. Hæ ſunt leges in columna Hermetica ſeu Iſiaca inſcriptæ, quas Plato ſuis de legibus Dialogis inſeruit, ut Marſilius Ficinus in præfationibus ſuis fuſe demonſtrat, & Iamblichus lib. de Myſter. Meminit & Herodotus in Clio quatuor legum in columna poni ſolitarum, quas hoc loco in hieroglyphicis apprimè expreſſas Oedipus explicandas duxit.

*Quadruplicem legem Herodoto memoratam, hieroglyphica hic exprimere:*

Scilicet in more poſitum Ægyptiis erat, teſte quem citavimus Herodoto, quadruplicem legem in columna inſcriptam, ad obſervationem ſtudioſam, proponere, quemadmodum monſtratæ columnæ indicant. Harum prima Sydereo, altera Politico mundo convenit, leges ab illo ſuas accipienti. Eſt autem lex quadruplex, Regia, Sacerdotalis, Nilotica, Agricultoria; quibus veluti columnis univerſa regni felicitas ſuſtinetur, & tanquam ſceptris quibuſdam nihil non in regno adminiſtratur; indicanturque ſymbolis ſequentibus:

*Principem.*

Primam, nempe regiam, thyrſus papyraceus denotat, quo ſignificatur, unicam regis curam eſſe debere de rebus Regno conſervando neceſſariis providere; ex hoc enim pax & felicitas regni reſultabat, & ſummus omnium erga Regem providum & benignum affectus.

*Proximam,*

Secunda, lex Sacerdotalis, innuitur per duas pennas Accipitris, quas Sacerdotes ſacris operam

operam dantes, in capite gestare solebant, teste Clemente Alexand. l. 6. Strom. per quas quidem nihil aliud indicabatur, nisi sacræ contemplationis studium, & divini cultus cura, sine qua Regnum diu consistere minimè posse rectè nôrant, sat benè sibi fieri sentientes, si per religiosum cultum honore & reverentiâ Diis exhibitâ eos sibi conciliarent, à quibus totius Reipubl. salus, bonorumque omnium affluxus prorsus dependeret, utpote apud quos omnium esset constitutum arbitrium.

*Tertiamque.* Tertia Nilotica lex ad Prophetas spectabat, quæ apposite sanè per vas Niloticum, cujus figuram collo, aut brachiis, tanquam rem sacerrimam gestare solebant. Hoc vas præ cæteris portabant Prophetæ, quorum officium erat, sacris præesse, librosque quos Sacerdotales vocant,& continent leges ac Deorum cultum, & universalem Sacerdotum doctrinam, custodire, vectigalium quoque distributioni præesse; de quibus Clemens in allegato Stromatum lib. VI. Continebat autem lex Nilotica cultum Nili, Geniorumque præsidum, quem statutis anni diebus populo intimare debebant Prophetæ,& præterea de fertilitatis aut sterilitatis ex incremento Nili provenientis quantitate judicium ferre; quòd si fertilitatem sponderet, debitis sacrorum solemnitatibus Deorum beneficia testari; sin sterilitatem, Deorum iram placare, & aliunde de nova Regno annona providere.

*Postremamque.* Quarta lex erat Agriculturæ, & indicabatur per sequentem traham, instrumentum georgicum,quo unanimis subditorum conspiratio notabatur in iis rebus impigro labore exequendis,à quibus omnium salus & felicitas dependeret, cujusmodi agriculturæ studium erat; *Tria numina Agricultura.* cujus tres potissimùm sunt Præsides: Mendes, qui indicatur per Hircinum caput, & fœcunditati præest; & Momphta, qui indicatur per *M* symbolum κυριολογικὸν, aquæ ac humidæ naturæ præses; F nec non Osiris cœlestis cum brachio extensa manu capreolum vitis tenente, cui subjungitur rastrum, agriculturæ instrumentum ad glebas diffringendas aptum. Nam, Tibullo teste,

*Tibullus.*

*Primus aratra manu solerti fecit Osiris,*
*Et teneram ferro sollicitavit humum.*
*Primus inexpertæ commisit semina terræ,*
*Pomaque non notis legit ab arboribus,*
*Et docuit teneram palis adjungere vitem,*
*Ac teneram durâ cædere falce comam.*

Hinc nimirum beneficam ejus vim indicaturi Ægyptii brachium porrecta manu cum capreolo ponebant. *Novem Termini.* Tria hæc numima verò, potissimum in agriculturæ studio invocata, trinis trium Mundorum legibus præesse dicebantur; significantibus tribus terminorum sub rastro positorum triadibus. G Hi bonum omne à naturæ Pantamorphæ præsidio, quod per papilionem δρακοντόμορφον notatur, hauriebant, cujus periamma erat sequens sacra tabula ovata, *Tabula sacra.* intra quam circulus, murus ἑπτάπυργος, & Scarabeus cum tribus terminis est, quorum interpretationem præcedentia habent. *Figura laquei,* Hinc instar est laquei, quod potentiam Osiriacam indicat,qua subjugatur Typhon, H id quod sibi vult chorda cum brachio & noctua; *cum brachio & noctua.* ejusdemque Osiridis potestas vitalis delata per semitas mundi, varietatem mundo quadrifido confert; *Brachium & symbolorum sequentia:* quæ omnia per brachium extensum,serpentem, temonem, vas Niloticum funiculo suspensum, pennam,& segmentum circuli, sceptrum Vpupæ capite insignitum, I & figuram circularem cruciformem indicantur, & omnia ad politicam traducuntur hoc pacto: *Horum omnium interpretatio.* Tabula sacra cultum divinum indicat, ovata figura Mundi rationem, quam Archetypus Principis intellectus in omnibus imitari debet; quod enim divinus in omnibus intellectus, hoc intellectus Principis in Mundo Politico. Murus quod in Mundo Sensibili per septem planetarum regimen indicat, id in Politico statu per septem diversorum hominum; & ex ordine quidem Sacerdotum erant *Ordines sacerdotum,* Cantores, Horoscopi, sacri Scribæ, Stolistæ, Prophetæ; ex plebæo ordine *Plebisque.* Milites, Agricolæ, & Artifices; quorum officia suprà descripta dedimus, quæ fusiùs videsis in Oedipi Politica Ægyptiorum, Tom.1. His enim universa Regni moles sustinebatur. *Scarabei symbolum politicum.* Per Scarabeum verò Rex masculâ virtute, & summâ fortitudine, & prudentiâ præditus indicabatur, cujus directione tota politici status moles legum veluti præfixis terminis agitabatur; per chordam

verò quæ ovatam figuram ſequitur, leges innuuntur; per brachium extenſum Principis liberalitas & beneficentia, quibus ſolis omnes Typhoniæ conjurationes diſſipantur; beneficentiâ ſiquidem, & legum quadam æquitate & juſtitiâ, vita Mundo Politico inducitur.

K *Duo capita accipitris.* Hæc omnia fuſiùs ſequentibus ſymbolis indicantur: nempe primò duobus capitibus Accipitrinis, de quibus ita *Horus Apollo.* Horus: *Martem verò & Venerem notantes, duos pingunt Accipitres, eorum marem Marti, fœminam Veneri comparantes, in quo non ſecùs ac Sol ter denarium numerum explet in congreſſu Lunæ, ita Accipiter in fœmina, quæ ſi vel tricies in die à mare comprimatur, ab eo digreſſa inclamataque paret iterum.* *Rationibus Regis intimatis nunquam non graveſcere regnum.* Ægyptii itaque hoc ſymbolo ſignificare volunt, Solis actiones in Politico Mundo imitandas eſſe, qui ſicuti in Luna influxibus ſuis gravidanda dies triginta conſumit, ita rex regnum ſuum ſingulis menſibus conſiliorum ſalubrium prægnans facere debet; leges enim & conſilia, quantò crebriùs repetita fuerint, tantò firmiores in ſubditis radices agant. *Periaptum vaſis, cum penna.* Sequuntur deinceps vas Niloticum funiculo appenſum, & penna Accipitris, muro imminentia; quibus leges Niloticæ indicantur politico regimini neceſſariæ, cùm humidum immortalium Numinum donum ſit, quo deſtituta Ægyptus ut interiret neceſſe eſt. *Accipiter & ſtatua Momphta, cum ſeqentibus ſymbolis:* Summo itaque honore Oſiris & Momphta, quos duos Niloticos Genios Accipiter & Leonina ſtatua indicant, colendi ſunt, ob beneficentiam humidi, unde vita rerum redundat; & ob beneficentiam legum, unde vita pariter L Reipub. ſtatui emergit; ſine legibus enim fieri non poteſt, ut conſervaretur; quæ omnia aptè inſinuantur per ſymbola inter K, L, & M contenta, ut Lectori unum cum altero comparanti M patebit. Vlteriora ſymbola ſunt Accipiter, flagellum, hydroſchema, Serpens, duæ Noctuæ, Scarabeus, iterumque Serpens, & Noctua, ſceptrumque teſticulatum, tres limites, & rurſus hydroſchema, cum Ibide. Quæ ſymbola ita interpretor: *eorum ſignificatio.* Oſiris averruncus Genius (hunc enim aptè exprimunt Accipiter cum flagello illi antepoſito) in vitalem humorem tripotens (quæ per hydroſchema, & Serpentem, & ſubjecta tria ſceptra indicantur) Typhoniam vim in Auſtro & Borea ſtabulantem, per duas Noctuas & binos terminos indicatam, unà cum ſubordinato ſibi terreno Oſiri, per Scarabeum indicato, Typhonem ita profligat, ut tamen eum vivere patiatur. Alludunt hoc ipſo ad politicum Regni ſtatum, cui ſubinde bonum eſt, adverſariis premi, cùm adverſitates hujuſmodi Reges vigiles, prudentes & ad omnes adverſariorum machinas penetrandas circumſpectos; ſed contrà diuturna pax, & bonorum omnium abundantia improvidos, languidos, & ſomnolentos reddat: *Politico ſtatui ſubinde prodeſſe concuti rebus trepidis.* idem enim in Politico Mundo Typhonem præſtare nôrant, quod in Sydereo Martem ad Solem & Iovem comparatum, qui tametſi malignus, virulentus & prorſus pernicioſus ſit, tamen in Sydeream œconomiam emolumenta N ſua confert. *Scarabei ſymbolum & ſerpentis, ac Noctuæ cum ſubjecto ſceptro.* Typhon enim non adeo ſterilis eſt, ut non ſuam fœcunditatem habeat; quæ quidem nihil aliud eſt, quàm exactiſſima legum ab Hermete præſcriptarum in ſubditis obſervatio, quâ unâ cum juſtitiæ rigore vigente, dum omnes in commune bonum, & contra Typhonem vigilant, rectam inde rerum adminiſtrationem in Politico Mundo reſultare neceſſe eſt; unde perquàm appoſitè hæc per Scarabeum, & Serpentem, & Sceptrum teſticulatum, quibus Noctua intermedia eſt, uti & per tres limites, ſceptrum Momphteum, hydroſchema, & Ibin expreſſerunt. O Concluditur itaque idealis diſcurſus per ſacræ tabulæ ſchema inter O & P comprehenſum, *Sacra Tabula cum ſuis effectibus.* quod cùm in præcedentibus expoſuerimus, hic eidem diutiùs immorari noluimus. P Ea verò, quæ ſacram tabulam ſequuntur, ſunt murus, Q penna, R Bos, Ibis, Serpens, Alpha cum duabus pennis, & pyramis cum Cruce anſata; quibus ſacræ tabulæ effectus indicantur, qui ſunt attractus Apidis, Hermetici Agathodæmonis, & vitalis Animæ Mundi influxus.

*Meridionalis lateris ſchematiſmo tertio varietas nonnulla.* Alterum latus, quod eſt ad Meridiem verſus, (præter quàm quod Pyramidii ſymbola eadem, quæ antecedens facies habebat, poſſidet, nimirum epigraphen, autorumque figuras ſimiles) in quadrangulo ſummo trabis, indice T, ſchematiſmo tertio, non multùm diſcrepantia à primo latere proponit. T Notandum

igitur

igitur quòd sacerdos, quem figura minor refert, inaugurandus, posito genu supplicans sacerdoti superiori, in throno residenti, & mitrato, supremi numinis scilicet vices gerenti, videatur offerre duo punica mala, aut potiùs capita papaveris: quibus nihil aliud intellexit nisi regnum.

*Mali granati ac papaveris capita quid significent:*

Nam sicut in pomo granato, aut in papavere, in quibus coronam aliquam natura expressit, intus innumera grana ac semina diversis in receptaculis dispertita sunt, quæ pomum veluti muro suo concludit; ita in statu politico sub una corona multi status, hominesque conditionis & officiorum finibus variis distincti continentur, qui cuncti quamdiu sub cortice sarto tecto, hoc est legum observantia inviolata, consistunt, singuli tuti manent, publica re privatam continente; ita Eusebius & Pierius apud Oedipum.

*illis oblatis quid sibi velit sacerdos.*

Petit autem hoc ritu sacerdos curam influxumque supremi Numinis in ea quæ symbolis hisce suggeruntur.

*Latere secundo, meridionali, columna prima, mundum politicum exprimens.*

V

*Sacerdotis sedentis species.*

His tantùm præmissis ad singulos ordines hujus lateris interpretandos progreditur Oedipus. Primo igitur columnæ loco, quem literâ V notavit interpres, sacerdos videtur, mystico habitu indutus, insidens in throno, brachiis versus Accipitrem, alterius columnæ caput, porrectis: indicant autem, hieromantæ, Politici mundi principem rationes legum ab Osiri, hoc est, anima mundi Syderei, accipere, quemadmodum hic à pantamorpho mundi spiritu, omnia pervadente, signatoque per aspidem. In præcedente quidem latere mundus Archetypus principem locum in prima columna obtinet, qui virtutem suam mundo Sydereo secundæ columnæ communicatam, tandem Politico mundo in tertia columna influit, veluti descensu quodam in binas Mundorum series facto: hoc altero latere autem Politicus mundus ascensu facto in Sydereum, & hinc in Archetypum, ex singulis necessarias rationes legesque elicit; id quomodo procedat, aperiendum est.

*Qua fini conditus homo.*

Nimirum à Deo ac natura homo productus agendo est, ut ipse agat, unusquisque suum, atque omnis unum: nam cum suus sit finis in homine singulo, & in sociato proprius, constet in omni esse aliquem; & quoniam in partibus vitæ humanæ nonnullus ordo est, etiam in universa certus erit: directio verò universi hominum generis, per media diversissima ad unum omnium finem properantis, nisi ab uno & per simplicem legem fieri nequit.

*Vnitas, quam secuti sunt Ægyptii, papilione expressa.*

Hinc Ægyptii Monarchicum statum utpote ad Vnius boni Numinis exemplar institutum, præcipuum facientes, in prima statim columna symbolum spiritus pantamorphi, papilionem posuerunt, ut suggererent, regis esse, dictamine suo omnia in omnibus sibi subditis operari. Nam papilio, animal Ægypti papyretis proprium, de quo retrò in Obelisco Pamphilio dictum est, Metamorphosi sua, ex vili verme in bipes, tum quadrupes, denique alis & cornibus auctum, apud Ægyptios significationem omniformis Potentiæ habet, quæ una cuncta animantium genera, bipedum, quadrupedum, aligerum, reptilium, &c. producit. Atque ita principalis monarcha totius naturæ,* unus omnia operans in omnibus, entia innumera gubernat, diversissima congregans & ad felicitatem perducens: hoc itaque primum fuit Ægyptiis propositum politici dictaminis exemplar, quod regem nunquam non ob oculos habere oportebat, ut inde regiminis sui rationes acciperet, & juxta eas operaretur.

** Habet & Angelicus mundus & Sydereus, sive Sol & Luna, & Subterraneus, secundum analogiam solis sapientibus conceptibilem, varietatem formarum congruam.*

Secundùm hoc enim ratio subditorum rationis rectoris uniformitatem recipiebat, sine qua regnum consistere impossibile est, Platone autore, in libro de regno. Tum sicuti ex omniformis potentiæ, quam nonnulli præsidem Hylæi sive materialis mundi dicebant, distributione formarum congruarum & consentanearum, quam singulis rebus facit, summa illa rerum varietas in rerum omnium humano generi necessariarum usum emergat, ita providentiâ Monarchæ singulis subditis prospicitur de singulis rerum usibus, apte id notante thyrso papyri, quem Papilioni opposuerunt.

*Thyrsus papyraceus.*

Deinde cum regni limitibus omnia pericula averti consiliis humanis nequeant, necessarium judicarunt Deorum cultum, ut vel ira eorum leniretur, vel beneplacita excitarentur.

X

*Quatuor segmenta.*

Et limites quidem Regni aptè indicantur per quaterna segmenta, & segmentum medium, ad quatuor Mundi Sensibilis horizontalia segmenta, quibus

bus analoga ſunt,& per ſequentem proximè ſacram tabulam, quam in præcedentibus paſſim explicavimus, diſpoſita. Poſt tabulam ſequitur murus δωδεκάπυργος, Regni Siderei ſymbolum, quod indicat, civile regimen ad ejus exemplar componendum: deinde baculus incurvus dominii à Superis conceſſi ſymbolum; deinde tres pennæ cum figura *A*, quo ſymbolo Agathodæmonis Momphtæi virtutes in Regni negotiis exequendis imitandum eſſe innuitur. Hic enim ſupremi Oſiridis miniſter ſublimitate conditionis ſuæ omnia ſuperemi- net, ſubtilitate omnia penetrat, celeritate motus omnia conficit, quæ ſunt dicti Agathodæmonis proprietates per tres pennas indicatæ. Imitandum & Momphtæum Numen ſtatuâ Leoniformi ſignatum; hæc Agathodæmonem per hieralpha, quod manu geſtat, indicat, qui dominio à Superis ſibi commiſſo, id quod baculus incurvus illi ſuperpoſitus denotat, maximam in humidam Nili ſubſtantiam vim exerit, unde magna Vrbibus atque agriculturæ commoda, uti ſymbola ſub Z innuunt; hinc quotannis, teſte Plutarcho ſuprà citato, ſtatuam ejus Bary per Nilum deducebant, tanquam beneficum Ægyptiæ telluris Numen: hoc Barys expreſſa, & binæ manus extenſæ ſignificant. Per Baryn intelligebant politicum Regnum ſummâ curâ gubernandum, ut inde dicta emolumenta reſultent, ac propterea Vulturis inſtar politico cœlo aſſiduò incubandum eſſe & invigilandum contra Typhonias machinationes, quod ex ſymbolis ſequentibus apertum eſt. Deinceps eſt figura globi, è cujus fundo duo pedes emergunt; quo ſymbolo, uti in Obeliſco Pamphilio oſtenſum fuit, occultus ſupremi Numinis per univerſas Mundi ſemitas motus exprimitur, Regibus unicè imitandus: Regi enim ad intima Regni ſui penetralia ſenſibilis proceſſus minimè neceſſarius eſt; ſed pedes ejus eſſe debent rectæ rationis dictamina, quêis dum ſalubria Regno inſtituta conduntur & promulgantur, Rex meritò totum Regnum pervadere, & præſentiâ ſuâ omnes animare cenſebitur; & hoc eſt, ſupremi Numinis occultum per univerſi Mundi ſemitas motum imitari. Et tametſi hic motus ſupremi Numinis occultus ſit maximè, tamen is, & ſenſibili quâdam ratione eluceſcit in Pantamorpha Mundi natura per varietatem effectuum, quam præſtat, quæ per ſequentem Papilionem indicatur; ad innuendum, Principem in conſtitutionum ſuarum executoribus, Conſiliariis & Præfectis, per effectus, quos juſtitia & legum obſervatio cauſat, potiſſimùm elucere debere. Vnde tabula ſacra præſcribitur dictorum ectypon, & divino Oſiridi Legiſlatori attrahendo potentiſſimum periapton; quod in præcedentibus expoſitum fuit. Ipſam deinde ſequuntur Noctuæ binæ, inter quas poſitus eſt globus cum duobus ſegmentis; quibus indicatur, portantes eam Oſirin Iſinque de periculis diriſque eventibus Regno imminentibus (quæ per Noctuas aptè indicantur,) ut de rebus maturè diſpicere poſſint, monere. Nam, ut Manethon refert, ſi quis Sacerdotum in ſomno Noctuam vidiſſet, id omninò dirum & inauſpicatum habebatur; Regeſque de Typhoniis machinationibus à ſupradictis tutelaribus Numinibus quadantenus edoceri, ut tempeſtive, quibus modis iis reſiſtere poſſent, proſpicerent.

*Murus dodecapyrgos.*

Y

*Momphtæus Agathodæmon rectori exemplum virtute ſua,*

Z

*& effectu magno.*

*Barys navicula.*

A

*Globus ſupra pedes, Motus numinis occultus.*

*Papilio, Motus numinis apertus.*

B

*Tabulæ ſacræ periapton.*

*Binæ noctuæ cum ſymbolis intermediis.*

C

Subjungitur autem ſtatua numinis Momphta Nilotici, capite leonino & flagello conſpicui, quod dira omnia quæ terræ, aquis, civitatibus, aris & focis noctua portendit, avertere & meliora reducere credebatur, ſymbolis ſubnexis id ſignificantibus. Deinde dantur tres portæ cum quinque limitibus; quibus indicant hieromantæ, tribus portis Agathodæmonis Ophionei quinque leges fuiſſe inciſas, quas recitat Ariſtæus Memphita, ut eſt apud Pauſaniam; quarum prima erat: *catenam deorum trahe*; ſecunda, *faſciculum papyraceum cuſtodi*; tertia, *ſupernum infernumque Horum, benefica Numina, liga*; quarta, *Accipitres binos probe imitēre*; quinta, *beneficentiâ Horum ſtringe, quod fiet ſi ad quadrifidam Mundi plagam ſacra ei obtuleris:* quam aptè quinque hæ leges per ſymbola exhibeantur, aperiamus. Nam Cycloides figuræ ſupra E indicem cum quinque terminis poſitæ, indicant tres portas Agathodæmonis Ophionei, qui unus erat è miniſtris Momphta, ut Ariſtæus aſſerit; hiſce à Sacer-

*Statua Momphta Nilotici.*

D

*Tres portæ cum quinque limitibus,*

*Portis Ophioneis inſcriptæ leges quintuplices.*

*Agathodæmon Ophioneus.*

Sacerdotibus incidebantur quinque leges cum primis obſervandæ, quoniam publicæ adminiſtrationis felicitatem reſpiciebant. Prima lex, *Catenam Deorum trahe*, appoſitè exhibetur per figuram illam ad ſimilitudinem catenæ efformatam, quæ deſinebat in ſpeciem ocularem; per hanc enim concatenatio Geniorum Mundi, cujus vertex oculus ſupremæ Mentis archetypus eſt, divina videlicet providentia, indicabatur, quam trahendam lex præſcribit. Deorum autem catenam trahere, nihil aliud eſt, quàm ordinem rerum in Mundo cognoſcere, eundemque aſſiduò contemplari; ex hujus enim contemplatione, veluti attractu quodam, Deorum aſſeclas ſe ſiſtere ad omnia poſtulata ſua credebant, potiſſimùm ſi ſacra illis inſtituiſſent, operationibus Geniorum Mundi analoga, uti paſſim in toto hoc Opere docuimus. Secundam legem, *faſciculum papyraceum cuſtodi*, thyrſus è regione catenæ exprimit: nam ſæpe oſtendimus, thyrſum papyraceum nihil aliud indicare quàm rerum omnium abundantiam; & hoc ideo, quia ex papyro Ægyptii omnia uſibus humanis neceſſaria præparabant, & ſymbolum erat Pantamorphæ naturæ, quam Papilio in Draconis morem tumidus innuebat, cui id ſemper appoſitum invenies. Itaque papyraceum thyrſum cuſtodire, nihil aliud præcipit, quàm ſummo ſtudio incumbendum eſſe primoribus Regni, ut de omnibus rebus vitæ humanæ neceſſariis, ſi ſubditos in pace & tranquillitate conſervare velint, provideant. Tertia lex erat, *Horum ſupernum infernumque benefica Numina liga*; quæ ſanè aptiſſimè indicantur per laqueum capiti Hori adjunctum, cui paulò infrà mediante Serpente aliud caput apponitur cum duabus manibus extenſis. Horus nihil aliud eſt, quàm Senſibilis Mundus, qui, teſte Plutarcho, duplex eſt, ſuperior, id eſt, Sidereus, & inferior, id eſt, Elementaris. Hunc itaque lex ligare præcipit; nempe ordines rerum inferioris Mundi applicare ſuperioris ordinibus per certam quandam analogiam, ac deinde politicum conſtituere ſtatum juxta dictorum analogiam per legum ad amuſſim utriuſque adaptarum diſpoſitionem. Quarta lex eſt, *Accipitres binos imitare*; quæ aptè per binos Accipitres è regione F exprimuntur; bini autem Accipitres, concordiæ ſymbolum erat, quam lex præcipit diſcere ab Accipitrum natura mirabili, de qua vide Horum l. II. c. VIII. Hâc enim Numinum beneficentiâ, uti brachium extenſum ſignificat, Horus ſive Mundus ad neceſſariarum rerum ubertatem concedendam ligatur, quod pulchrè indicant ſymbola inter F & G. Quinta lex, *juxta quadrifidam Mundi plagam ſacra inſtitue*, exprimitur per circulum cruciatum ſub G, cui aræ figura adjungitur cum tribus terminis. Poſt hæc ſerpens ſequitur, cum ſtatua Iſidis averrunca, idcirco nempe flagellum in manibus tenet, cum ſceptro papaveraceo; quibus ſymbolis Iſidis apotropææ cultus potiſſimùm perſuadetur: Iſis enim, teſte Diodoro, legum inventrix eſt, & ideo legifera paſſim vocitatur; ſceptrum verò papaveraceum indicat politicam adminiſtrationem, in qua quod in capite papaveris corona, id in politico ſtatu Rex, aut Princeps; quod ſemina contenta, id ſubditi; quod denique folliculi in eodem diſtincti, id diverſæ juriſdictiones in politico ſtatu. Hujuſmodi leges ſi ſervâris, per ſcalam Hermeticam Accipitrinâ pennâ elatus dominii felicitatem obtinebis, uti per alam, ſcalam, & baculum incurvum exprimitur; ac vitalis humor rerum omnium abundantiam conferet, uti hydroſchema cum Serpente, & thyrſus papyraceus indicant. Poſtremò datur Ibis cum Serpente, & Nilotico vaſe, ſceptro trinodi, & terminis binis; quæ indicant, leges Hermeticas in hac columna deſcriptas vitam præbere, & ſalutem toti dominio Nilotico, qui eſt Ægyptiæ felicitatis finis.

Primam columnam ſecunda deinceps excipit: quæ principi loco Accipitrem habet, ſymbolum animæ mundi ſyderei; inſiſtitque is quadrangulo, ſigno mundi Elementaris, in quo dominatur, ubi inter Genios ſibi ſubordinatos habet Apidem, beneficum Numen, qui Mendeſio ſceptro Typhoniæ ſterilitatis perniciem fœcunditate ſuâ propulſat; hæc ſcilicet per bovem, brachiumque extenſum & Noctuam, nec non Hircini capitis ſceptrum aptè exprimuntur; habetque hic hierogrammatiſmus ſe per modum

*Margin notes:* E — *Primæ legis hieroglyphicum, catena.* — *Quid ſit catenam deorum trahere.* — *Alterius legis ſymbolum, thyrſus papyri:* — *quid ſit papyraceum faſciculum cuſtodire.* — *Tertiæ legis, teſſera laqueus cum capite Hori.* — *Horus duplex.* — *Horum ligare, quid ſignificet.* — *Quartæ legis ſignificatio.* — F — *Duo accipitres.* — G — *Quinta lex denotata. Circulus decuſſatus, &c.* — *Iſis averrunca, ſceptrumque papaveris.* — H — *Penna cum ſcala ac baculo reflexo.* — I — *Alter ordo hieroglyphicus, latere ſecundo, ſive Eurino.* — V — *Accipiter ſupra quadrangulum elementaris mundi.* — X

modum epigraphes, quæ ita legetur: *Siderei Mundi dominatori Osiri, & Elementaris Mundi Genio Apidi benefico & fœcundo, Typhoniæ sterilitatis propulsatori.* Deinceps incipit symbolicæ literaturæ contextus. Osiri scilicet dormiente omnia tristi luctu tabescunt, sicuti vigilante eo cuncta vivifico lucis radio tacta interno quodam gaudio turgida dilatantur: illud indicat Accipiter dormientis specie è regione Y comparens; cujus symbolum in paulò præcedentibus expositum est. Hinc Ophionium Agathodæmona, qui per Aspidem ipsi assidentem exprimitur, precibus & sacrificiis sollicitare, ad Osirin iratum & dormientem à somno avocandum; Deorumque catenam ad consulendum rerum necessariarum defectui trahere solebant, in hujus enim catenæ oculatæ vertice providentia habitat, cujus virtute Osiris excitatur, virtus Ophionia instauratur, & Typhonia vis expellitur: quæ omnia per symbola inter Y & Z posita, nempè catenam oculatam, thyrsum papyraceum, & Noctuam cum amuleto Nilotici vasis ansati, significantur. Finxerant autem Ægyptii in Sydereo Mundo craterem Osiridis beneficum; qui exprimitur per figuram immediatè sub Accipitre è regione Z positam, radiorumque diffusione veluti stillicidiis quibusdam profusis conspicuam, quam liberalem crateris cœlestis diffusionem manus extensa notat: infra illam figura piscinæ cum tribus quadrangulis est, quæ notant in inferiori Mundo juxta tripartiti anni conditionem receptum crateris effluxum; nam quicunque crateris hujus stillicidio particeps fuerit, is sibi Momphta utrumque, duobus Leoninis capitibus notatum, cœlestem & terrenum, craterisque superioris & inferioris custodem, propitium habebit, & Mundi vitam ad rerum abundantiam concedendam attrahet; quæ per Papilionem, & thyrsum papyraceum indicantur, uti jam sæpiùs dictum est. Sed mysterium paulò luculentiùs exponamus. Hic cœlestis crater nihil aliud est, quàm Siderei Mundi receptaculum, omnigenâ influxuum varietate refertum, qui continua in inferioris Mundi receptacula seu cisternas sacras (piscinas seu favissas vocant veteres Hieromantæ) benevolâ Osiridis manu distribuuntur in omnia Mundi membra. Quia tamen nihil tam salubre est, nihil tam benignum, cui Typhoniæ potestates non aliquid malignum & perniciosum inferant, quo benigna crateris ab Osiride communicati munera corrumperentur; ideo contra eas Momphta, id est, Nilotici incrementi atque adeo totius humidæ substantiæ Præses sacrificiis placandus est, & anima Mundi ad copiam rerum expulso Typhone suppeditandam attrahenda; quod fieri posse credebant per subjectas binas sacras tabulas in locis Typhoniis potestatibus infestis expositas, quarum prior circulum, & ἐπίσπονδον, ac Scarabeum, iterumque circulum cum Niloscopio continet: globus divinæ Mentis providentiam notat, cujus fœcunda ubertas in septem cœlestium planetarum arces seu crateres diffunditur; Osiris autem per Scarabeum notatus, eam ex crateribus supernis in infernas Niloticas piscinas & favissas derivat, Politici Mundi exemplar, ad quod Regnum disponi debet. Altera verò tabula, cùm ad idem alludat, eaque jam in præcedentibus sat superque exposita sit, eâ prætermissâ progrediamur ad sequentia.

Harum enim tabularum sacrarum intuitu Mens suprema, Mundi oculus, vitalem humorem, qui per hydroschema & Serpentem innuitur, auget; omnem adustivam & Beboniam Noctuinam vim tollit, præterea perpetuò Zodiacum virtute suâ influit; & hinc in Nilotica fluenta, per tria vasa teste Horo notata, humoris vitalis receptacula, & tandem vitam desideratam per motum influxivum dodecapyrgi in cisternas sive favissas subterraneas, quas tria receptacula sub hemicyclo notant, transmittit. Erant autem favissæ seu cisternæ sacræ in subterraneis adytorum penetralibus quædam receptacula, quæ ex Nilo per occultos meatus originem suam traducebant, quarum aquæ uti Diis immortalibus consecratæ erant, ita præ omnibus Mundi aquis summam energiam habere putabantur. In his ipsis positæ erant columnæ Nilometriæ, ex quarum gradibus tempore incrementi Nilotici, Sacerdotes de futura anni constitutione divinabant. Sed hæc non incongruè per scalam Nilometriam certis gradibus

*Marginalia (left column):* *Intellectus quadranguli elementaris.* — Y *Accipiter dormiens.* — *Ophionius Agathodæmon.* — Z *Accipiter supra craterem.* — *Mundi vitam & abundantiam papilio cum thyrso notant.* — *Crater Osiridis in Mundo Sydereo quid sit.*

*Marginalia (right column):* A — B *Tabularum sacrarum prior.* — C *cum inferiori.* — *Figura oculi & undarum ac serpentis.* — D *Tria vasa Nilotica,* — *Totidemque subterranea.* — E *Favissarum sacrarum descriptio.* — *Scala cum Sacerdote.*

bus distinctam, quam Sacerdos ei assi-
stens contemplari videtur, exprimun-
N tur. Per has itaque Niloticas magni
momenti leges ante omnia Regno ali-
cui rerum necessariarum abundantiam
procurandam esse censebant, quâ du-
rante, Regnum consisteret, & subditi in
pace & tranquillitate viverent, Princi-
pemque ob providentiam erga subditos
debito amore & benevolentia prose-
querentur; his verò deficientibus, ni-
hil aliud, nisi murmura, seditiones, simi-
liaque Reipublicæ nocumenta, Regnum
in ultimam ruinam ducere posse existi-
mabant.

*Vndæ, Serpens, Noctua, &c.*

Sequitur post Nilometriam colum-
nam schema ὑδρόφιον, ex aqua & Serpen-
te conflatum, & est vitalis humor; cui
F cùm vis Noctuæ Typhonia contraria
sit, Porta adyti temone Canub insi-
gnienda, & cœlestibus triplicis Mundi
legibus adornanda, vulturis imagine,
G naturæ principio passivo; ad aram quo-
que cæremoniæ solitæ juxta quadrupli-
cem Mundi plagam peragendæ. Hoc
pacto Typhon à Regno profligabitur.
Quæ omnia iis symbolis, quæ inter F,
H G & H continentur, significantur. Vide-
tur autem sub H veluti coronæ figura,
tribus papaveraceis capitibus, & binis
perseæ foliis intermediis ornata; per
quam ostenditur, Regem semper memo-
rem esse debere suorum subditorum, ut
I eos unione gubernet, sapientia dirigat,
beneficentia conciliet, Niloticas leges
exactè, veluti Regni fulcimentum, ser-
vari curet, sic Typhone fœcunditatis
K Ægyptiæ adversario, providentiâ Re-
gis propulsato, vita rerum per influxum
supernarum potestatum in inferiorem
Mundum hylæum, factum, summo om-
V nium emolumento conceditur.

*Corona ex papavere & perseæ foliis.*

*Tertius Ordo Lateris secundi.*

Apicem postremæ columnæ tenet A-
spis, è circulo emergens, & omnia Mun-
di membra penetrans, symbolumq; ex-
hibet Pantamorphæ naturæ, seu, ut Pla-
tonici volunt, animæ Mundi. Hæc sub
se habet anserem sacræ tabulæ insisten-
tem, quo notabant potentiam animæ
Mundi immediate in Osirin influere;
hic in Mercurialem œconomiam, uti
ovata sacræ tabulæ figura, Ibide gno-
X moni Alphamorpho insidente conspi-
cua, ostendit, & magnæ virtutis peria-
ptum est, uti dictum fuit. Mercurii enim

*Aspis super crucem ansatam.*

*Chenosiris cum sacra tabula.*

supramundani munus est, à Pantamor-
pha natura & Osiri ipsi concessum, om-
nia rationis librâ ponderare, & ad sym-
metriam adaptare, annui temporis emo-
lumenta disponere; id quod in Sydereo
regno idem præstat Mercurius, & in
Politico Mundo Mercurii minister Rex;
adeo ut nihil sit in inferiori Mundo,
quod non eminentiori quodam modo
superioribus Mundis insit, ac proinde
superioris Mundi Ideæ sunt exemplaria
quædam, ad quæ inferiores, atque adeo
politicus Mundus conformari debeant,
sine quibus consistere inferior non pos-
set, ab iis veluti à causis essentialiter, ut
Scholæ loquuntur, dependens. Atque
tale exemplar est hæc tabula sacra, to-
ties in hoc Obelisco proposita, cujus
effectus jam exponamus. Primò felix
præsagium est; secundò necessariarum
rerum suppeditatio; tertiò malorum
fuga. Prius ipsum Nilometrium cum Y
adjunctis signis; secundum Accipiter
cum thyrso papyraceo; tertium No-
ctua explicat. Deinde sacrorum cura
sequitur, per aram & pennam adjun-
ctam signata, ut alibi dictum est; his
enim divina providentia, per oculum
indicata, dum occulto motu, per duos
pedes significato, omnes Mundi semitas
pervadit, humorem vitalem, quem hy- Z
droschema & Serpens notant, fugatâ
Noctuâ Typhoniâ per craterem Men-
desium fœcunditate refertum ex tribus
Mundis, per tres circulos signatis, in
Politicum Mundum derivat, qui per sce-
ptrum, cui caput papaveraceum impo-
situm est & Serpens transversus insistit,
notatur; hâc enim appositè sanè indi-
catur, vitam ex cratere supramundano
in subordinatos sibi Mundos & tan-
dem in politicum statum deduci, cujus A
vita sunt rectum dominium & legum
observatio in subditis, agriculturæ quo-
que studium, cui in regni conservatio-
nem impigrè incumbitur, unde fœcun-
ditas in quadripartitam Mundi faciem
resultat; hæc nempe tres palæ, hircini B
capitis sceptrum & figura cruciata in- C
dicant. Sed Osiris & Horus cœlestis,
vitalis humoris præsides, attrahuntur D
per II tabulas sacras C, D, magnæ vir-
tutis; iisque providentia Pantamorphæ
naturæ conciliatur. Sequuntur sacram
tabulam hydroschema, Serpens, Alpha
Geniale,

*Tabulæ Osiriacæ explicatio:*

*ejus effectus.*

*Cura sacrorum significata; divinæque providentiæ motus.*

*Hieroglyphicum politicum elegans.*

*Intellectus symbolorum sub E & F*

Geniale, cycloides, manus extensa cum pyramide, cui subjungitur lepus dormiens; quæ symbola ita explico: Vitalis humor Nili per Agathodæmonem cœlestem, beneficâ vi influitur in Regem regno suo invigilantem. Ægyptii nimirum, teste Horo, *Patulum aut apertum quid significare volentes, leporem pingunt, quod semper apertos oculos habeat hoc animalis genus.* Vnde, teste Pierio, Regis vigilantia supra suum regnum eo indigitatur. Manus autem Pyramidem tenens beneficum influxum, uti fusè in Obelisco Pamphilio traditum est, indicat. Reliqua symbola, jam in præcedentibus explicata, propterea iteranda non duxit Oedipus, Oedipum non Davum se erudivisse hactenus ducens, qui nempe suo ductu iniquam olim Sphingem nunc victam & solutam facile deturbare queat.

*Horus lib. 1. cap. 26.*

*Leporis symbolum.*

G H I

*Oedipus qualem Lectorem velit.*

*Latus Occidentale, ubi agitur quomodo Typhoniis Reipublicæ tempestatibus occurrendum.*

D

In tertio Latere, quod ad Occidentem spectat, figuræ principales, capita Ordinum, prorsus eædem sunt cum antecedentium laterum primariis, quas ibidem exposuimus; quare in præsens eas supersedendas duxit interpres sacer, ad cæteram columnarum interpretationem se applicans. Mercurius igitur dæmones malos cum bonis Mundo dominantes faciens, eos maximè potentes esse in plaga Occidentali voluit, quippe ubi tenebrarum, quas illi diligunt, confinium sit, ut Theupolus Academ. quæst. ex Mercurio recitat. Hinc noxii Geniorum, & perturbatores politici status in hoc latere positi sunt, indicato, qua ratione propulsandi, meliores verò advocandi sint. Et prima quidem columna principio papilionem possidet, naturæ polymorphæ symbolum, cui subjungitur frequentissimum tabulæ sacræ schema, veluti prophylacticum quoddam contra Typhonias potestates. Sequuntur tres volucres, Passer, & Noctua, & Cornix; simultatis non expiraturæ symbolum. Ideo nempe, ut apud Horum habetur, hominen Ægyptii à petito Patrono oppressum indicaturi Passerem & Noctuam pingunt, siquidem hæc illum ad se confugientem perimere solet: cum Cornice verò usque adeò exercet odium mutuum, ut noctu ova ejus invadat, quod Cornix interdiu simili damno dato rependit, Noctuam enim tum cæcutire novit: inde nec sanguinem utriusque conciliari posse ajunt. Aptissimè verò his symbolis spectatur ad tyrannidem in politico statu: ubi Passer populum simplicem & ad principem impium ac legirupam confugientem denotat; Noctua malam gratiam & arboris non sanæ umbram novercam in rerum trepidarum æstu, exactionibus injustis aucto: hinc demum odium ac bellum internecinum populi & principis. Ipsum quoque principis perfidum animum adhuc aptius exprimit Coturnicis proximè sequens symbolum, cum thyrso papyraceo, jam defectus rerum in regno necessariarum nota. Equidem de Coturnice Horus: ἀκαθαρσίαν δὲ γράφοντες ὄρτυγα ζωογραφοῦσι, porrò impium scelestumque animum notantes, Coturnicem pingunt. Est enim hæc avis Ægyptiis inauspicata, propterea quod præter impuritatem etiam contemptor deorum videtur: nam quotiescunque Luna oritur, quam Ægyptii summo cultu prosequuntur, adversus eam inauspicatos clamores excitat, & signa quasi indignationis, ante omnia terram fodicans, sibique identidem pupillas conscribillans, tanquam aspectu non dignaretur Cynthiam; nec non ad Solis ortum idem agens; ipsa & in solitariis, quibus delectatur, locis limpidæ aquæ fontem, postquam biberit, turbulentam facere gestit, etiam pulvere ingesto: appositè ergo tyranni avaritiam, & pravitatem hoc symbolo docuerunt, qui non bonum populare pro scopo habet, sed commoda aut voluntatem suam ut expleat, sibi intus canens in politica cithara. Coturnix itaque Tyrannum refert, cùm & hic jura Solis & Lunæ despiciat, hoc est dictamini rectæ rationis contrarias leges imponat; necnon & terram fodicet, nempe dum thesauros bono publico debitos in proprios usus absumit: sed estne & hoc aquam limpidam turbare, nempe tranquillitatem publicam oneribus intolerabilibus gravare, aliorumq; bonis invidere? Id quidem symbola per spacia literarum F, G, H, I sequentia docent: oculus videlicet, ac sceptrum tuberosum cum quadrato, binisque segmentis, minori & majori, ac tribus securibus. Regni scilicet providentiâ, quam oculus & sceptrum indicat,

E

*Ordo primus.*

*Papilio, & tabula sacra.*

*Symbola mutui odii.*

*Coturnix iniquitatis in Principe symbolum.*

*Horus lib. 1, cap. 49.*

*Tyrannus comparatus Coturnici.*

*Incommoda Reipublicæ expressa symbolis sub*

indicat, sublatâ, omnia cum omnibus confusa, triplici veluti excisione per tres secures indicata, nullorum non interitum adducunt. Passer enim ad noctuam advolans mox opprimitur, significante id ave cum penna; tum vita G cœlestis Osiridis, regni norma, confunditur, H id quod serpens, cycloides & duo pistilla opposita notant: & tres temones regni ad norman triplicis Mundi constituti, & prosperi conductus symbolum, per transgressionem legum, quæ sunt veluti termini quidam humanis actionibus constituti, contrariæ vitæ I actione, oppositis Serpentibus notatâ, pervertuntur; necnon Osiris intellectus de rerum necessariarum vbertate providens cœlo coërcetur, unde legibus supernis infernisque confusis benefica vis, & ab urbibus, & à vitali humore agriculturæ necessariò desistit: quibus quidem malis nullum aliud remedium superesse videtur, nisi triformis Numinis religiosus cultus, uti tripus, & amuleta vasorum Niloticorum, cum statua mitrata indicant. Tunc enim Statua Hemphta potens in tripartito anni tempore, & Leoniformis Momphta vitalis motus principium & providentia Noctuam Typhoniam, id est, omnia adversa tùm à δωδεκαπύργῳ trium Mundorum Zodiaci cœlestis, tùm ab Elementari inferiori Politicoque Mundo ad ejus exemplar constituto eliminabunt: & vitalis humoris præses Isis rerum necessariarum Agathodæmon, vitam Mundorum contritam tùm munificentiâ, tùm benedictione resuscitabit per providentem naturæ progressum, qui proprius Isidi est, unde nomen habet: hoc pes inter terminos positus significat, nec M non & statua huc pertinet cum thyrso papyraceo & inter binos Serpentes duo pistilla constituta, binaque brachia, quorum prius manum extensam, alterum in modum benedicentis elevatam tenet. Hac enim Typhon & Nephtys, (ut Horus explicat lib. I. cap. VIII) per duos N Accipitres aut Cornices indicati, nuptiali lege conjuncti, è Nilo religiosè O culto rerum necessariarum abundantiam producunt; Nilo ad temperiem, si quando excesserit, ducto, Osiriaca pro- P videntia adustivam Noctuæ vim per Anubidem beneficam, quadruplicis Ni-

*Eorum remedia.* (K: peresse videtur; L: trata indicant)

*De Obeliscis.*

loticæ aquæ præsidem, abigit, unde Q canales Osiris rerum necessariarum pro- R visoris & custodis complebuntur; ad S quod efficax erit prophylacticum, quod sequitur; jam sæpe expositum.

*Occidentali latere columna secunda quidnam contineat.*

Medius hujus lateris ordo mala mundi Syderei, atque remedia habet, quorum imitandi exemplum datur mundo politico. Est enim in Syderea œconomia, ut sentiebant Ægyptii, motui ejus arbitrium nostrum teste Porphyrio supponentes, vis quædam maligna, tùm ex siderum dispositione & irradiatione, tùm ex præsidum Geniorum contrariorum influxu resultans, quâ omnia inferiora subinde horrendum in modum vexantur, fatali, ut ajunt, necessitate. Sed cum hæc non solùm rem privatam alicujus hominis, at publicum totius regni statum spectet, ideò hoc loco præcipuè ostenditur quomodo Reipublicæ status à fato solvi possit. Neque enim putandum est, vinculis necessitatis insolubilibus, quod dicunt fatum, cuncta ligari: siquidem nec Diis propriè, ut Iamblichus ait, fatum convenit, quos scilicet, tanquam à fato solventes in templis sacrisque & statuis venerabantur Ægyptii; sed fatum peragunt naturæ quædam ultimæ à Diis descendentes, ac rerum generationi, Mundiq; corporei miscellæ implicatæ: nempe animæ principum quoque naturâ ac generatione præstantius esse dixerunt, de quo memoratus Iamblichus, ex literis Mercurialibus, hoc est Hieroglyphicis: *Animarum altera** [duas enim homini vult esse] *de mundis in nos descendens Mundorum quoque circuitus sequitur; quæ verò ab intelligibili veniens intelligibiliter adest*, [ab Hemphta supremo omnium intellectu, ipsius Opificis potentiæ particeps, divinorumque speculatrix, in illam quæ de vita cœlestium indita nobis est irrepens] *illa geneticum circuitum supereminet, atque per hanc à fato solvimur & ad intelligibiles Decs ascendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem.* Principio igitur septum quadrangulare, cui insidet Accipiter, sicuti jam sæpe dictum est, Elementarem Mundum indicat, cui Syderei mundi anima, Osiris, dominatur. Possidet septum hoc bovem cum brachio extenso, Noctuamque & sta- E tuam Momphta; quibus quædam anti-

*De Fato sententia Ægyptiorum.*

*Iamblichus, libro de Mysteriis.*

** Animæ intelligit principium.*

*Septum cum Apide & symbolis inter*

pathia ignis & aquæ, quarum si alterutra prævalet, magnas calamitates oriri necesse est, secundum fatalem quem dixmus modum.

*Post quadrangulum symbola proposita, indice* F

Post septum papilio dracontomorphus seu musca Ægyptia occurrit, tum serpens, quem excipit tabula sacra de qua sepe exposuimus. Papilio polymorphum Sensibilis Mundi Dæmonen in vitas rerum dominio potentem, Fati totius dominum significat: nimirum qui omnibus sese involvat & implicet Sensibilis mundi corporibus, influxuque gubernet singula, uti sacra tabula ostendit; per globum quidem Intelligentias præsides, per δωδεκάπυργον Siderei Mundi, globorumque cælestium, potissimum Zodiaci œconomiam, & per Scarabeum Osirin inferiorem denotant.

*Tabula sacra.*

G *Fati efficacia, secundum Ægyptios.*

Fatum autem cùm conversioni & dispositioni siderum sit alligatum, nemo ejus influxus aut flexus secundum opinionem Ægyptiorum juxta præscriptas à necessitate leges effugere potest; est enim polymorphus hic Dæmon solo Intelligibili Mundo inferior: hinc Sacerdotes Ægyptii, totos sese impendentis fati tempore ad intelligibilem Mundum conferebant. Et fatum quidem, teste Horo, exprimebant per figuram Stellæ, Mundum verò Intelligibilem per globum tripodi insistentem, solo triformis Numinis supremi, vitalis & intelligibilis Mundi dominatoris munere gubernatum. Hunc Sacerdotes, quos figura humana extensis brachiis in obsecrantis morem effigiata notat, non sensibilibus ritibus, sed intrinsecis variis intellectualibus operationibus contra fatales Noctuæ Beboniæ machinationes sollicitabant, eidem, uti sequentia symbola, tres termini, ara, penna, quadratum, segmentum, & circulus monstrant, sacra peragentes mystica: per pennam, elevationem mentis; per aram nudam, mentem testabantur ab omni humanæ contagionis labe immunem; per quadratum, solidam mentis in Deum erectæ, ac non quassæ quietem, teste Pierio; per tres terminos cum segmento & globo, legum divinarum seu Mercurialium observationem illibatam. Et per pennam, id est, mentis elevationem, fatalis heptapyrgi influxus superatur; per quadratum & inconcussam constantiam Noctua Bebonia eliminatur; per legum observantiam terminis indicatam, fœcundum quoddam dominium conceditur in Nilotici vitalis humoris œconomiam, quo violentia Noctuæ à dodecapyrgo trium Mundorum prohibetur, in vitæ custodiam catena vitalis Agathodæmonum contra adversarum potestatum catenam trahitur; per legum Isiacarum exactam observantiam in columnis Isiacis descriptarum (his enim vitæ destructrix Noctua cedit) vitalis humor conceditur. Oportet autem Sacerdotes hoc pacto negotium instituere. In adytis compareant toti intellectualibus operationibus dediti; gestus exprimant Hemphta supremum Numen; nudi sint, ut se ab omni terrenæ mistionis involucro immunes, & quàm simillimos Numini constituant, aquis mundissimis loti, uti figura inter N & P notat; portæ adyti duplici Anubidis, id est, Canis imagine insignitæ sint, quo occultè alludebant Sacerdotes, teste Horo l. 1. c. XXXIX, XL, XLI, eos, qui hoc munere fungi voluerint, oportere multa meditari, assidueque omnes Canum more allatrare, nullique gratificari in iis quæ legum strictam observantiam concernunt, & respicere semper Deos in omnibus actionibus suis imitandos: valvæ quoque templi eo sint artificio constructæ, ut seipsas ad voluntatem Sacerdotum in operatione sacra aperiant claudantque, ac nihil adeo fit, quod non ingenium & operationem intellectualem sapiat; prophylacticam potissimùm illam sacram Hermeticam tabulam continuò ob oculos habeant propositam, animo imprimant, & locis publicis insculptam venerentur. Tantum de hac columna & legibus in ea contentis; jamque ad postremum ordinem concedamus.

*ejus symbolum.*

*Mundus intelligibilis.*

*Fati nocituri declinatio.*

H

I

*Pennâ & arâ, & quadrato cùm terminis & segmento & globo quomodo superetur fatum.*

K L M

*Columnæ Isiacæ.*

N O

*Cæterorumque hieroglyphicorum hoc latere explicatio, sub notis literarum.*

P Q R S

Tertiò enim continet hoc latus leges, quibus Numina sollicitantur ad Ægypti salutem: hinc proponitur primò figura sacerdotis, subjuncto polymorpho dæmone, cujus cultum sacra tabula habet, quam sequitur heptapyrgum ac penna, & tum statuæ quatuor Lariumprincipalium. Hæ sunt imagines portatiles, quas vario cultu prosequi solebant Ægyptii, dicebantque Serapes, Chal-

*Vltimâ lateris tertii columna, cum sensu symbolico suo.*

D E

*Theraphim, statuæ deorum.*

*Vide loc. Genes. 31, & de his Oedipum, Tomo 3.* Chaldæi Teraphim, S initiale in T mutato, more suo, & ES finale in IM; sunt autem sine ulla membrorum eminentia, veluti involuta fasciis quibusdam. Præcipitur autem cultus eorum in salutem *Apollo triorcus.* urbium; adjuncto ritu Apollinis τριόρχου, & triformis Numinis. Apollinem Accipiter & tres termini significant, de ** De hoc vide in aliis retrò Obeliscis, præsertim Pamphilio.* quo vide apud Pausaniam: triforme Numen per tripodem & tres terminos indicatur. His verò propitiis, cœlorum fata secunda sperabantur. Præterea Momphta necessariarum rerum abundantiæ præsidem per solitas cæremo- F G nias à Sacerdotibus sæpius adjurandum volunt symbola; hoc enim catenæ beneficorum Numinum attrahuntur, fugatis adversis omnibus, & inauspicatis H Noctuæ moliminibus; providentia suprema per canales occultè influens in opera culturæ Ægypti, per vitalem hu- I morem, & per beneficam vim, Osiris rerum omnium vitæ humanæ necessaria- K rum largitoris. Porrò Noctuâ Principi, ac Reip. & Coturnice liquori vitali insidias tendentibus, sacris dictis invigilandum; per hoc enim vis maligna dis- L sipabitur, Coturnix diris devovebitur, per sacras trium vigiliarum leges, quas in adytis servare oportebat, quod suprà in sacerdotum Ægyptiorum mentione tetigimus. His enim providentia vitalis M hostem vitalis humoris Noctuam Typhoniam à trium Mundorum œconomia exturbabit, unde vita politico Mun- N do; Sacerdotibus quoque Niloticis sacris strenuè incumbentibus vitalis li- O quor primò derivabitur in Osirin cœlestem, & hinc in Horum, & sacrorum vi P peractorum in Momphta Mendemque seu Hircum sacrum, & ab his in quadri- Q partitam Mundi plagam; ad quæ plu- R rimùm conferunt sequentia prophyla- S ctica, quæ omnia symbolis inter literas N, O, P, Q, R, inclusis indicantur; significationibus eorum ex frequenti anteà memoratione Lectori satis parentibus.

*Facies postrema hujus Obelisci quid contineat.* Progressus nostri circulum jam quartum Obelisci latus finiet, quod triplici ordine continet remedia contra Typhonias & Bebonias machinationes; quæ fiunt per religiosum Deorum beneficorum cultum; & per Numinum catenam tractam. Explicatis enim suprà quæ pro titulo sive epigraphe apex possidet, ad X primam mox descendimus columnam. *Columna prima.* Et primò quidem papilio, jam sæpiùs visus, occurrit, cum sacræ tabulæ ecty- Y po: quæ sequitur Accipiter inter tres circulos, totidemque quadranguli, quibus Osiris trium Mundorum superiorum, & inferiorum seu hylæorum moderator indicatur, qui Noctuam Bebo- Z niam Mundorum crateri insidiantem perpetuò insectatur, tanquam jurisdictioni suæ subjectorum injustum invasorem. Nam Osiris hisce dat vitam, statuitque leges; cujus uxor Isis est, Niloticæ substantiæ dominatrix; quorum assecla Anubis vigil rerum custos. Hæc A Numina convenientibus sacris culta, dodecapyrgi defluxum movent, & vi- B talem fœcunditatem spondent. Osiris anni quadripartiti moderator Noctuam C à benefica piscinæ & canalium beneficentia removet; Apotropæum Numen Momphta vitalem humorem Hori re- D gno undique permiscet; Hermanubis invigilat Noctuæ crateri trium Mun- E dorum insidianti, ne canalibus cœlestibus vitalibus noceat, ad bonorum per tres fasciculos notatorum ubertatem procreandam in Mundis inferioribus. Huic similiter Noctuæ invigilat mode- F rator anni Osiris, & Coturnicis Beboniæ malignitatem, canalibus inferiori- G bus insidiantem, sistrorum strepitu pellit. Hinc enim & agricultura, & vita H dodecapyrgo vigebit, expulsis Beboniis malis; occultus divinitatis motus, per *Pedes Cycloidi inserti* pedes cycloidi insertos notatus, pervadens vitalem liquorem canalibus insi- I K tum animabit, Anubidis sacris ritibus L M culti, providentia liquorem vitalem conservabit, vi & efficaciâ sequentis tabulæ sacræ jam sæpius expositæ.

*Columna secunda lateris quarti.* Alter ordinum sub accipitre insistente quadrangulum habet, cum inclusa statua Isidis ac coturnice, atque Alpha, X Y nec non pennis binis: quibus nihil aliud indicatur nisi dominium, quod Osiris accipitrinus obtinet in elementarem Mundum, cujus Isis, id est tellus, principalem sedem tenet, totius naturæ inferioris & hylææ fulcimentum. Qui autem Isidem pro Luna accipiunt, hi per Isidem intelligunt præcipuum in Mundum hylæum, utpote cui confinis est, dominium, activum rerum omnium

Lunæ

Lunæ ſubjectarum principium. Sed in
præcedentibus Oedipus dixit Coturnicem, id eſt, Typhoniam quandam vim
Lunari humiditati contrariam eſſe: idcirco nihil hîc aliud intelligitur, quàm
rerum in ſublunari Mundo pugna maximis quippe ſubjectarum alterationibus nempe qualitatum frigidarum, &
calidarum, aut humentium ac ſiccarum, antipathiæ regni hylæi adeò neceſſariis, ut totum ſine illo conſtare minimè poſſit: ita verò & hoſtes publicos
regno haud rarò eſſe utiles, notatur ex
lumine variorum temporum; omnibus
regni ordinibus majorem in modum ad
officia ſua compulſis ac ad varia eruditis
per periculâ & res dubias. Innuunt hoc
pulchrè, teſte Plutarcho, Ægyptii per
Iſidem & Typhonem: Iſis enim Hori fortitudine captum Typhonem, regno Ægyptiaco ultimum exitium molientem,
tantum abeſt ut occiderit, ut potiùs
tametſi non undequaque liberum dimiſerit, eum tamen, tanquam neceſſarium
curæ & vigilantiæ in regno adminiſtrando incitamentum, ad cautelam detinuerit; quæ omnia hucuſque expri-
Y mit quadrangulum figuris rerum, & numeris linearum eadem repetens.

*Intellectus Symbolorum ſequentium ſub indicibus literis.*

Quæ deinceps ſequentibus ſymbolis
declarantur, hunc ſenſum exprimunt:
ſi Accipitre dormiente, Ophioneus
Princeps ſurrectâ cervice vigilet, Mom-
Z phta Leoniformis dominetur, Aga-
thodæmones commiſſæ ſibi guberna-
A tioni inſiſtant, Oſiris crateri naturæ invigilet, Cœlo dominetur Horus beneficus, polymorphus Dæmon per ſacram
B tabulam, cui inſiſtit, & heptapyrgum,
C & Nili incrementa, & dodecapyrgon
D influxu ſuo fœcundet; tunc Noctua
depulſa ab Vrbibus, & Nili incrementis vita cœleſtis liquoris per providentiam Oſiridis tripartiti anni, & tetra-
E pyrgi, id eſt, quatuor Elementorum
præſidis, quadrifidi influxus beneficen-
F tia obtinebitur, Noctua Bebonia vincietur, Chenoſiris vigil per anſerem vo-
G lantem, & Scarabeum indicatus, motu
omnia penetrans, Coturnicem importunam, ac humidæ ſubſtantiæ inſidiantem continebit, providentiâ ſuâ Mundi
H tripartiti legibus proſpiciet, dodeca-
I pyrgi piſcinis & faviſſis vim noxiam removens, oculo vigili humorem vitalem
conſervabit; ad cujus attractum ſe- K
quens præſcribitur prophylacticum.

*Poſtrema hujus lateris & Obeliſci totius columna.*

Vltimâ poſtremi lateris columnâ exponitur origo malorum: ad quam intelligendam notetur, nullum eſſe malum
in Mundo Archetypo, nec quicquam
defectuum inde procedere ſecundum
modum effectivum; at malum omne

*Mala fatalia unde apportentur.*

operationes Mundi ſenſibilis, cæteroquin bonas, conſequitur, ſicuti ferrum
rubigo, quod ait Plutarchus. Itaque Syderei mundi diſpoſitionem cauſam eſſe
ut fati ita malorum omnium cenſebant
Ægyptii, illiſque non poſſe occurri niſi X
exacto religionis cultu, qui in hac columna ſequitur.

*Symbolorum hoc columna propoſitorum explicatio.*

Primò igitur poſt Aſpidem & Idealis mundi pantamorphi ſpiritus ſymbolum, occurrit baculus reflexus, cum capite hircino, & vaſe Niloti- Y
co, & tribus pennis, quibus ſuccedit Noctua, cui ſubduntur tria brachia, intermediis tribus terminis; per quæ aptè indicatur, eſſe in Mundo ſupremo Pantamorphæ naturæ fœcunditatem quandam Mendeſiam, Nilo ſupramundano
congruam, & à triformis Numinis men- Z
te proficiſcentem, à qua bonorum omnium copia profluit; quæ tamen mox
ac in Senſibilem Mundum propagata
fuerit, neſcio quid malignitatis contrahat, per Noctuam indicatum, & triplici divinæ Mentis beneficentiæ vitali,
uti tria brachia monſtrant, contrarium;
quæ quidem maligna vis in Cœlorum
motibus contrariis agitatorum dominio patet; quâ beneficentia Numinis
in hylæis Mundis quadantenus coërcetur. Vis hæc maligna in δωδεκαπύργου legibus eluceſcit, in quo uti ſigna ſignis,
ita domus domibus, & manſiones manſionibus Deorum contrariæ reperiun- A
tur: horum enim influxu in inferiorem
Politicum Mundum, mala ſubinde, vel-
uti triplici vehiculo invecta multipli- B
cantur, ἀντιτέχνων Numinum potentiâ, quæ
humidæ ſubſtantiæ communicata varias contagionis peſtiferæ ſpecies, per
Scorpionis figuram ſignatas, politico
ſtatui infert. Providentia tamen cœle- C
ſtis virtute ſuâ omnibus medebitur, ſi
catenas Genialium Numinum traxerint,
ſi frequentibus cæremoniis Sacerdotes D
pro anni diſpoſitione, & Regni legibus
dictos Genios ſollicitaverint: his enim
Noctua conteretur; Coturnix impor-
tuna

E tuna Sacerdotum industriâ fugabitur; tres excubitores, Chenosiris, Anubis, & Hermanibis, per tres anseres indicati, unà cum Iside Genio averrunco, vita
F vitalibus influxibus fœta, Noctuam Typhoniam cœlestis vitæ providentiæ
G contrariam dispellent; beneficentia vitali fœcundus Osiris, humorem vitalem inferioris Mundi Osiri conferet; hic in
H auxilium polymorphum Mundi spiri-
I tum sacræ vi tabulæ sequentis, & per legum in columna Isiaca descriptarum
K observationem, attrahet; atque hoc
L modo Noctuâ malorum omnium be-
M boniâ profligatâ, rerum ubertas quadrifido Mundo restituetur.

*Epilogus symbolorum hactenus præceptorum:*

Hactenus vidimus quomodo Obelisci hujus hieroglyphica nihil nisi de regni in religione deorum fundandi constitutione tractent, qua ordienda, qua consummanda ad exemplar divini intellectus, qui cuncta facit intelligendo, & Vniversum dirigit ratione summa, nec non optima & potentissima, quod patet ex commodo & nunquam alicubi interrupto ordine totius; qua singulas quoque partes, ab ipso quippe factas & dependentes, accurat, nempe quum & à providentiâ ejus sint quibus unaquæque ab aliis providentur. Nempe cum hæc providentia circa politicum quoque corpus sit, cujus gratia reliqua omnia constituta sunt; regnum non alio firmiori fundamento niti existimarunt, quàm si analogo quodam ordine ad supremæ Mentis reliquarumque Mentium subordinatarum normam formaretur. Nam sicuti in unico Mundo multi mundi seu globi inter se varii, sed miro modo conjuncti sunt, ita & rationes divinas plures sub summa ratione divina continentur, regentesque partium sub uno totius rectore, qui cùm ordinata quamplurima amet, non paucos quoque ut amet necesse est ordinatores, ipse, ut ita dixerim, immensus ordo. Et hæc Ramesses, filius Sothis, rex magnus, maximo in Obelisco suo, quo præter reges ante se, nec non posteros hactenus omnes excelluit, sapientiâ sacrâ inscripta, ad felicitatem perpetuam posteris prodidit: cum quibus si cuiquam placuerit dicta Platonis, libro x de Legibus, conferre, maximam hoc est unicam antiquitatis consonantiam accipiet, quæ fontes doctrinæ suæ admodùm venerata, rivos inde deductos puros servavit.

*Intellectum supremum cuncta gubernare,*

*etiam politiam humanam;*

*Supremo rectori reges mundorum subesse.*

*Platonis sapientiam initiali autoritati respondere.*

# TRES OBELISCI MINORES,
## SCAVRO-COELIVS, MEDICEVS, MAHVTÆVS.

AB Obelisco Maximo, sed qui multis antea positis longè posterior tempore, ac Romæ quidem inter novissimos aut post omnes ultimò allatus est, pergimus ad minores mole sua, ævo tamen superiores omnium, quippe qui à Misraimo & Mercurio antiquissimis regibus editi putentur. In Vrbem quando vel cujus sint auspicio allati, cum omnibus nos præterit: ex illis autem esse, quos Publius Victor refert post Cajum Caligulam Imperatorem ex Ægypto advectos, numero quadraginta quatuor, inde videtur, quòd plerosque illos fuisse minimos idem velit. Et cùm Oedipus ducat, Imperatores pro magnificentia sua nullas nisi maximæ aut mediæ proceritatis trabes curasse, Senatoribus amplissimis ad exemplum Augustorum transmotas esse cæteras, sicuti & de columnis ex pyrite, necnon idolis, simulachris & aliis ornamentis tam publicis quam privatis ex Ægypto petitis hodieque in Vrbe superstitibus, cum pene innumerabili fragmentorum copia, sentit.

*Obeliscorum distinctiones, & memoria.*

*Publius Victor de regionibus Vrbis.*

De loco ubi surrecti steterint, similiter reticent antiquarii; nisi quod Pomponius Lætus atque alii prodidere, Circos omnes habuisse Obeliscum aliquem, nec non loca alia, etiam privata hac magnificentiâ fuisse instructa: hodie verò à loco ubi extant, nomen unicuique imponimus: nempe Scauro-cœlius, dicitur quòd inter clivum Scauri & Cœlium montem in hortis Mathæiorum erectus spectetur, cujus quidem pars superior hieroglyphicis inscripta est, at inferior caret notis; Mediceus autem ab hortis Mediceorum, sive Magni Ducis Hetruriæ, in quibus erectus est. Sunt horti illi deliciosissimi, in monte Pincio positi, nimirum ubi olim horti Salustii pensiles fuerunt, magnâque hodie frequentia externi illos spectare solent. Tertius nempe Mahutæus Obeliscus, ante ecclesiam S. Mahuti, nationis Bergomatum, è regione novæ Ecclesiæ S. Ignatii, erectus extat.

*Locus eorum in Vrbe,*

*& nomen.*

*Horti Medicei.*

Hos tres autem unà cum illo cujus fragmenta inserta sunt ædibus Collegio Romano vicinis, eodem tempore factos esse putamus, ducti similitudine symbolorum ac doctrinæ, qua insigniti sunt; nempe veluti multiplicata quædam exemplaria doctrinæ Hermeticæ tum temporis institutæ fuisse, verisimile est. Nam stylo longè rudiori quàm in aliis Obeliscis scalptura horum facta est, nec alii minori artificio excisi; sicuti prima rerum principia exiliora & minùs elegantia esse, usus verò tractatione perfectiora fieri solent. Autorem horum Obeliscorum Misraimum cum Mercurio esse censemus, Plinii verbis, libro XXXVI, cap. VIII: *Primus omnium id instituit Mestres* [trabes ex lapide Syenite ut faceret] *qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus.* Mestrem nempe eundem esse quàm Misraimum, in initio operis satis est dictum, eumque consiliarii sui Hermetis ductu Obeliscorum faciendorum primum auspicem fuisse, attamen cum implere institutum nequiret, filium deinde Misramuthisin cœpta patris exegisse; quem æmulatos reges sequentes, certamine quodam trabibus ex pyrrhopœcilo Soli prostituendis incubuisse, ibidem asseruimus. Misraimum verò divino jussu ad

*De antiquitate hor. Obeliscorum quid sentiendum:*

*& de autore.*

*Plinius.*

*Mestres quis sit,*

*& an divina autoritate sit autor Obelisci.*

ad hoc præſtandum fuiſſe incitatum, meram conjecturam dicit Oedipus, figmentumque ab Hiſtorico adjectum, niſi Mercurius, quem ſua ſapientia tunc temporis quaſi Deum inter homines fecerat, hunc inſtinctum regi dediſſe dicendus ſit, quod haud facile abnuet noſter autor; hoc ipſum tamen inſcriptum eſſe in Obeliſco hieroglyphicis, falſum ille dicit; contrarium in interpretatione deinde bonis quibuſque probaturus. Sequitur igitur trium horum Obeliſcorum

*Plinius de cauſa eorum faciendi impugnatus.*

## ARGVMENTVM HIEROGLYPHICVM.

NEmpe cùm prædicti Obeliſci iiſdem ferè, ſi pauca excipias, ſymbolis inſcripti ſint, eodem etiam ſunt argumento. Dicati autem Oſiri ſive Soli archetypo ſunt, ac principio rationem, quâ ille in ſubditos mundos, Genialem, Sidereum, & Elementarem influat oſtendunt; ſecundò quomodo per influxum in humidum & calidum tùm rerum vitæ humanæ neceſſariarum varietas, tùm ubertas emergat. Præterea verò per ſacrarum tabellarum ſchemata ovata vis & efficacia monſtrabatur, ſi publicè illas aut privatim addicto ſuo cultu geſtarent Ægyptii, magni nimirum momenti ſubſidium, ad Oſiridem illum ſupramundanum, Mundique Genialis aſſeclas trahendos, aut ſi irati forent, placandos.

*Quid contineatur his Obeliſcis.*

*Figuræ ovatæ quid ſibi velint.*

Summæ hujus argumenti Oedipus deinceps ſingularum trabium interpretationem per quaterna latera deductam ſubjungit.

OBE-


OBELISCVS MONTICŒLIVS.
Scala Palmorum
S. P. Q. R.
CYRIACO MATTHÆIO
OBELISCV̄ HVNC SVMMO
CŌSENSV DARI DECREVIT
VT HORTORVM EIVS
PVLCHRITVDO PVBLICO
ETIAM ORNAMENTO
AVGERETVR.
AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo IOANNIS BLAEV.

# OBELISCVS MONTI-COELIVS.

*Scauro-Cœlius ſive Monti-Cœlius unde dicatur.*

PRimus Obeliſcus nempe Monticœlius, ita dicitur quod in hortis Matthæiorum monti Cœlio incumbentibus erectus conſpiciatur. Fuit hic primò ſitus in horto Aræ Cœli in monte Capitolino, quem inde Populi Romani licentiâ avulſum in ſua montis Cœlii viridaria juxta clivum Scauri transtulit, ac poſteritati conſecratum erexit Excellentiſſimus Dux Cyriacus Matthæius. Cui ut magnificentior appareret, aliam columnam ex ſimili lapide Memphitico, rubeis maculis variegato ſuppoſuerunt artifices; ita ut Obeliſcus, qui per ſe conſideratus non niſi 10 palmos continebat, jam unà cum columna eidem ſuppoſita XXXVI palmis à ſtylobata uſque ad ultimum faſtigium altus ſit.

*Latera omnia æqualia.*

*Pyramidii ſymbola enarrata,*

*& cæteræ faciei:*

Hujus, ut & alterorum, facies ſingulæ, ubique ferè ſimiles, unico ordine conſtant. Sub apicibus primò figura Scarabei eſt, qui expanſis alis quaſi volare videtur, ſphæram capiti ſuperpoſitam habens. Sequuntur deinde duo ſchemata ovata, quas ſacras tabellas nominamus, intra ſingula pyramidii latera incluſas, jam ſæpe expoſitis ſimulachris inſtructas: tum Accipitris tutulati figura ſub ſigno diſcretivo, inſidens quadrangulo, quod eſt Mundi Hylæi ſignum. Poſt hæc datur muſca dracontomorpha, ſive Papilio ubique ferè in hieroglyphicis propoſitus, unà cum thyrſo papyraceo ſuo, quem deinde excipit ovatum ſchema iiſdem figuris, quibus tertium intra pyramidion ſchema adornatum; cui Anſer ſacer ſuccedit alteri ſchemati ovato inſidens; quod & ipſum ab ſecundo pyramidii ſchemate non variat. Iam quid hæc omnia ſibi velint, exponamus.

*Eorundem explicatio.*

*Scarabeus quid ſignificet,*

Scarabei figura circulo inſignita, quæ in quatuor lateribus immediatè ſub apice Obeliſci ponitur, epigraphes locum obtinet, & nihil aliud indicat, quàm Solem ſupramundanum, Oſiridem Archetypum in divinitatis ſuæ caligine veluti centro delitefcentem. Circulum ſeu ſphæram capiti ſuperpoſitam habet, ad æternitatem, immenſitatem, & omnia ea quæ divinitatis propria ſunt, indicanda.

*& circulus ſupra caput illius.*

*Sacræ tabulæ unde dictæ.*

Poſt Scarabeum duo ſchemata ovata occurrunt, ideo ſub ipſo immediatè ſubjuncta, ut ordo & ſeries influxus divini in Genialem mundum ipſi proximum indicetur. Dicuntur autem ſacræ tabulæ, non tantùm quia ſummorum myſteriorum indices ſunt, ſed & inſuper ſingularem vim & efficaciam ad trahendum aut placandum genios habeant, quorum expoſitionem ſuprà ante Flaminium Obeliſcum præmiſſam paucis hic etiam tangemus.

*Primæ tabulæ, Oſiriacæ, expoſitio.*

*Statua Genii præſidis humido-calido.*

Ponuntur in prima tabularum ſacrarum, quam Oſiriacam appellamus, ſignatam ab interprete numero 3, ſtatuæ duæ, ſedentium habitu, quarum prior apparatu myſtico nihil aliud indicabat, quàm Genium humido-calidi Præſidem: qui nimirum vultu pingitur humano ad intellectualis potentiæ vim notandam, & ad Mundo de neceſſariis proſpiciendum, providentiam; binas alas in capite gerit, ad miram tùm ſuperiori, tùm inferiori Mundo ſe communicandi agilitatem indicandam; ſitu eſt Ypſilomorpho, id eſt, ad formam literæ Y, ad influxus à ſupremo Numine immiſſi receptionem, & in inferiorem Mundum diffuſionem indicandam; manibus ſceptrum tenet Cucuphæ forma, quâ varietatem rerum, quam caloris vi diſperſa Mundo communicat, indicari, frequenter notavimus.

*Statua Genii præſidis calido-ſicco.*

Altera ſtatua ἱερακόμορφος eſt, id eſt, Accipitrinâ facie deformata, eodem quo prior ſitu & habitu, cui globus in vertice imminet, manibus tenenti characterem Tauticum. Per hanc ſtatuam Genium calido-ſicci Præſidem denotabant: ſitus enim Ypſilomorphus idem quod prioris ſtatuæ ſitus ſignat; globus capiti imminens divinitatis participationem notat; character verò Tauticus per omnia Mundi membra influxus participati diſtributionem.

*Symbola deinceps ſub ſtatuis.*

Supponitur iis feretrum, quo dicta Numina ſummo honore colen-

da innuebant. Cur autem tanto illo honore digna existimarent, sequentibus tribus symbolis aptè demonstrant: quæ sunt primò ramus papyraceus, quo
2 rerum omnium humano generi necessariarum abundantiam;
3 secundò lituus arundineus seu baculus fistularis, quo temperiem & harmoniam rebus inducendam notabant; tertiò, ramus perseæ triplex tres anni partes significans, quas dicti Genii administratione suâ foverent, & ad generationes rerum sollicitarent, contra vim omnem adversam defendentes; de quibus omnibus in Obelisco Flaminio anteà cognovimus. Atque hæc est significatio primi schematis ovati.

*Tabula Mompho-Mendesia, cum symbolis suis.* Alterum quod Momphto-Mendesium dicimus, & numero 2 signamus, constituitur simulachro λεοντόμορφω, id est, Leonis figura spectabili; cujus situs cum prioribus idem est, & manu characterem Tauticum tenet; eique apponitur sceptrum ægomorphon, seu capite hircino insignitum.

*Momphta quare leoniformis sit,* Nempe statuâ leoniformi notatur Mophta, id est Humidi Nilotici præses; qui caput est leo, ideo quòd Sole in leonem ingrediente Nili incrementa seu inundationes contingant.

*ejus situs.* Positura refert Y, ob ante dictam rationem,

*Sceptrum ægomorphum.* baculumque hircino capite insignitum sibi adjunctum habet, ad significandam vim harmonicam, qua omnia mundi membra Geniali influxu fœcundat; globus interpositus verò divinitatem notat, utrique, & Momphta & Mendeti, communem.

*Nilometrium.* Hosce genios præsides humidi Nilotici, subsequens figura sacra Nilometrii ampliùs demonstrat, de quo paulo post dicendum erit.

*De frequenti tabularum repetitione,* Notandum autem, in singulis Obelisci lateribus bina hæc schemata identidem repeti, ut virtutis in quadrifidam mundi faciem influxivæ potestas eadem suggeratur: nimirum quod ex intellectualis Nili promptuario nulli non rei de necessariis provideatur, & humores in proficuum temperamentum digerantur juxta trium anni partium naturam.

*deque situ intra pyramidion.* Ponunturque ambæ tabulæ juxta cum Scarabeo intra idem pyramidii trigonum, ut Intellectualis Mundi Genios, omnium supremo Numini Osiridi supramundano proximos, tanquam naturæ ejusdem præ cæteris participes innuerent.

*Scapi reliqui hoc obelisco enarratio.* His expositis sequitur modò in quatuor Obelisci lateribus figura mitrati Accipitris; quo Solaris sive Siderei Mundi præsidem notabant.

*Accipiter, 4 cum quadrangulo, 5, 6, 7.* Insidet is quadrangulo, ut Elementaris Mundi Genii, quibus dominatur, quadrangulo inclusi indicentur. Prima figura quadrangulo inclusa, Bos Apis est, scilicet Osiridis hylæi seu culturæ telluris symbolum. Hoc excipit manus cum Capreolo vitis, beneficentiæ & liberalitatis Apidis symbolum; cui subjicitur *A* litera, deinde statua situ Ypsilomorpho, Momphtæ capite Leonino spectabilis, quâ Nilotici incrementi præsidem Agathodæmona Ægyptii notabant, id enim Alpha litera apposita apertè demonstrat; quem & agriculturæ Præsidem

*Variatio in quadrangulo latere tertio.* Scarabeus in III hujus Obelisci latere adjectus docet. Habemus itaque quomodo Archetypus Osiris, per Scarabeum volantem indicatus, influat in Mundum Genialem, & ex hoc ipso in Sidereum, cujus animam Osirin dicunt, notatum per Accipitrem mitratum; tum quî ille in Mundi Elementaris Genios, Apidem & Momphta, descendat: jam quid per sequentium symbolorum catenam indicent, videamus.

*Progressio ad specialiora mundi Elementaris.* Nempe quoniam Morphei regnum propriè in Elementari Mundo elucet, in quo cùm juxta Ægyptios generationis principium sit aqueum Elementum, per Nilum aptè expressum, in quo calido-humidi fœcundativâ vi rerum generationes perficiuntur; hinc pro hujus Morphei regno post quadruplicis Mundi epigraphen primo loco posuerunt

*9 Musca Ægyptia cum papyro sua.* Papilionem δερκοντόμορφον cum caule papyraceo: & per Papilionem quidem formarum diversitatis præsidem, Genium videlicet πολύμορφον, notabant; per caulem papyraceum rerum omnium humano generi necessariarum copiam. Ac quoniam hæc rerum formarumque diversitas maximè in sublunaris Mundi Elemento aqueo elucet, hinc iterum posuerunt ovatam figuram, in 10

*Mophto-Mendesia sive Ammonia tabula repetita.* quâ Mophta statua cum hircini capitis sceptro est, quibus Mophta & Mendes notantur, quorum hic fœcunditatis, ille Nilotici humidi præses est, ut Nilometrium infrà positum exactè docet, quorum operâ & continuâ providentiâ tùm fœcunda rerum generatio, tùm necessa-

*Quid efficiat hæc tabula.* ceſſariorum copia ſuppeditatur. In formam verò tabulæ ovatæ concinnatus eſt Hierogrammatiſmus Momphtæ & Mendetis, ut oſtenderent, characterem hunc ſymbolicum eam vim & efficaciam obtinere, ut eo inciſo conſtitutoque in locis infeſtis nulla adverſa ἀντιτέχνων Numinum violentia prævalere poſſit, Geniis beneficis in res ſibi commiſſas ſollicitè invigilantibus, per arcanam hanc & myſticam ſymbolorum fabricam, naturæ & proprietati Geniorum analogam attractis. Iterum cùm Solaris Genii aſſecla polymorphus Dæmon Momphtæ & Mendetis viribus formarum diverſitatem ritè quidem
11 peragat, ſine Iſidis tamen ſeu Lunaris Genii ope illam ad perfectionem deſideratam perducere minimè poſſit; igitur Anſerem, quem & Chenoſirin, id eſt, Anſerinum Oſirin vocamus, alteri ovatæ figuræ impoſuerunt, quo aptè Solaris Numinis in Lunarem diſcum influxus & vigilantia notabatur; quam quidem melius efficaciùſque attrahendam non exiſtimarunt, quàm per ſe-
12 quentem ovati ſchematis tabulam ſacram, in qua Comaſia Iſidis ſtatua binis pennis in capite conſpicua, & ſceptro Cucuphomorpho fulcita, promptum, velox,& ſubitaneum in varietate rerum procreanda ſubſidium denotat. Habet hæc ſtatua ſibi oppoſitam aliam Oſiridis Accipitrinam, Tautico charactere inſignitam, ut notetur, influxu Solari in univerſa inferioris Mundi membra facto, poſt debitas honoris cultuſque peractas cœremonias, quæ per feretrum ſignantur, tandem intentam rerum neceſſariarum copiam conſequi, quæ per ramum papyraceum notatur, rerumque temperiem, quam lituus ſignificat, nec non trium anni partium felicem conſtitutionem, per triplicem perſeæ ramum ſignatam. Atque hæc eſt idealis conceptus ſumma, quam per expoſitas in hoc Obeliſco Monticœlio eluceſcentes figuras ſignabant; eandem verò conceptus idealis Lectio jam excipiat, claudatque.

*Alterius principii Numinum ſchema.*

Oſiris ſupramundanus in æternitatis centro deliteſcens, in Genialem Mundum ſibi vicinum, ſimillimum, & immediatè ſubjectum influit. Hic in Oſirin Senſibilis Mundi animam, id eſt, Solem demittitur: ipſe in Elementaris Mundi Oſirin, Apidem, beneficum Agathodæmonem, qui Oſiridis participatam virtutem in omnia Inferioris Mundi membra diſtribuit. Hujus miniſter & fidelis aſſecla polymorphus Dæmon varietate quam efficit, & cui præeſt, omnium rerum neceſſariarum abundantiam & copiam præſtat. Sed quia benefica vis polymorphi Dæmonis variè ab adverſis virtutibus impediri poteſt, hinc tabula ſacra Mophto-Mendeſia geſtari præcipitur,quibus humidum Niloticum acquirit robur & fœcunditatem ad bonorum affluentiam ſine impedimento præſtandam. Tum verò, quoniam polymorphus Dæmon huic negotio prorſus conficiendo inſufficiens eſt, Iſidis concurſus,cujus humiditate Mendetis ſiccitas temperetur, eſt neceſſarius; ad quod obtinendum ſequens tabula ſacra Oſiriaca ordinatur, quâ quid in ſacrificiis agendum ſit, quomodo in Comaſiis ſolennitatibus procedendum, docetur. Per hanc ſiquidem, ejuſque intuitum, Oſiris ſupramundanus inten- 13
tam tandem rerum neceſſariarum copiam præſtat. Hactenus de Obeliſco Monti-Cœlio, ſive Scauro-Cœlio: hinc de alteris ſequitur.

*Lectio idealis omnium hoc Obeliſco ſymbolorum.*

INTER-

# OBELISCVS MEDICEVS,

*olim ab Imp. Claudio in Circo Floræ, deinde à Magno Hetruriæ Duce in Hortis Pincianis erectus.*




AMSTELÆDAMI, IOANNES BLAEV EXCVDEBAT.

# INTERPRETATIO OBELISCI MEDICEI.

*Mediceus Obeliscus unde dictus,*

ALterum aggredimur Obeliscum, nempe Mediceum, ita dictum quod in hortis Magni Ducis Hetruriæ, quos anteà memoravimus, positus sit, eò deductus ex ruderibus Circi Floræ, ubi erectus esse à Claudio Imperatore creditur. Hic in longitudine XXII palmos, ac tres & quartam partem palmi in latitudine possidet. Novem verò primi hierogrammatismi in illo sunt iidem cum hieroglyphicis jam explicatis, itaque contextum cæterorum tantùm symbolorum, quæ præteritis subnectuntur, contemplabimur, quæ nempe in singulis Obelisci lateribus inter se variant. Vidimus verò paulo antè, quomodo Osiris sive Sol supramundanus in œconomias trium sibi subditorum mundorum, Genialis, Syderei, atque Elementaris, influat; nec non contigimus, quemnam tabellæ sacræ usum, vim & efficaciam in Mundorum dictorum geniis attrahendis habeant. Hinc jam reliquo in contextu sequitur, quos dicti Genii analogo priùs cultu attracti effectus præstent, qui in diversis Obelisci lateribus diversi notantur.

*& unde deductus:* *Mensura ejus,* *& consonantia vel discrepantia cum superioribus.* *Differentia in se ipso.*

*Princeps latus explicatum.* A

Primo latere igitur, post sacras tabellas suprà recensitas sequitur [21] statua ἱερακόμορφος, cum [22] ramo papyraceo, quo Sol necessariarum rerum usum præstans notatur; cui Ibis [23] succedit Isidis symbolum, atque hanc [24] traha sacra excipit; quibus indicant Isiacam vim ab Osiride motam, in abdita naturæ penetralia vectam, (cujus signum figura [25] labyrinthi cum [26] cycloide est) propagari, quam Momphta [27] Leoninus [28] hylæo Horo duce acceptam ab Osiride & Iside in subterraneos Mundi sinus dispescit, duplici [30] dominio, veluti sceptro superno infernoque, potens. Ad quod quidem bonum contra adversas potestates faciliùs obtinendum sacra tabula præscribitur, cujus usu cultuque in concedendis [34] Nili sacri donis [32] Mophta & Mendes ægocephalus, unà cum [35] Osiride, debito priùs cultu peracto, veluti potenti incantamento allectantur. Atque hæc est primi lateris expositio.

B *Alterius lateris symbola:*

Secundum latus post visos Hierogrammatismos, & sacrarum tabularum phylacteria, figuras has obtinet: circulum, quadrangulum, & statuam ἱερακόμορφον cum sceptro; post quæ sequuntur duo brachia, hemicycloides cum tribus quadratis, Horus hylæus cum quadrangulo, trabs tricornis, hemicycloides binæ cum binis sceptris, tabula sacra Mophto-Mendesia cum Accipitre duplici sceptro instructo. Quæ singula ita explicemus. Statua Accipitrina cum circulo & quadrangulo indicat Osiris hylæi vim ex Sidereo Mundo in hylæum cultu prævio propagari, hinc duplici beneficio in tres anni stationes diffundi, quam Horus hylæus, id est, Sol elementaris communicans per continuam ab Ortu in Meridem & usque ad Occasum revolutionem in subterraneis Horizontis partibus actuat, haud simplici dominio potens; quod ut quàm optimè fiat, tabula sacra Mophto-Mendesia præscribitur colenda gestandaque, unà cum sacra Osiridis statua.

*eorumque interpretatio.*

C *Tertium latus,*

Tertio latere post novem primos Hierogrammatismos explicatos sequuntur duæ Ibides vase Nilotico diremptæ, cum hydroschemate, quadrangulo, & globo, quæ immediatè sequitur statua Accipitrina, cum quadrangulo, & globo, ac jugo bilancis; cui supponuntur duo brachia cum quadrangulo, segmento, cycloide, & tribus quadrangulis, & sacræ cistæ symbolo; sequitur deinde sacra tabella Comasia, quam excipiunt segmentum, temo, sacra traha, & aliud segmentum, cum feretro. Singulorum explicatio hæc est: Ibis sive Luna Nili Genius, & Ibis aut Isis, mediante Nilo atque aqueo elemento, Osiri, qui virtute ex Sidereo Mundo in Hylæum transfusa superfluitatem omnem temperat, cultu hymnorum assiduo sollicitatus trium anni partium stationes in inferiori Mundo abundantiâ rerum beat; ad quod contra adversas potestates

*cum suo significatu.*

testates obtinendum præscribitur sequens tabella sacra Comasia, cujus usu prophylactico felix rerum omnium processus promittitur. Quem verò cultum adhibere debeant, ultima quatuor symbola apposita, temo, traha sacra, segmentum, feretrum, pulchrè ostendunt: per temonem, vecturam Osiridis per humidum notabant; per traham sacram, opera agriculturam concernentia; per segmentum, subterraneæ sobolis partum; per feretrum denique debitum in singulis cultum innuebant: quasi dicerent, Tunc Osiris & Isis vobis propitiabitur, cùm Niloticas in cultu fluminis cæremonias in terra per Comasiarum solennitates ritu numinibus dictis analogo, & juxta præscriptas leges obieritis.

D *Quarto latere quæ contineantur symbola,*

Quarto latere symbola ulteriora quàm de quibus in superiori cognoveramus incipiunt à figura signata numero 21, quæ est oculus, cui mox subjungitur labyrinthus, cum duobus cycloidibus, quas statua Accipitriformis cum Noctua sequitur; dein Alpha sacrum, cum aliis binis cycloidibus & tribus quadrangulis, Serpente, & quatuor aliis quadrangulis, quos, sicuti in præcedente, idem ovatum tabulæ sacræ schema sequitur, cum traha, temone, segmento & feretro. Quid singula sibi velint, explicemus. Oculus cum labyrinthi figura indicat Osiridem totius naturæ oculum [23] in [24] cœlorum Orbitis omnia disponentem; cujus beneficus intuitus allectari putabatur per sequentem statuam Accipitriformem in Ypsilon compositam & Tautico charactere insignitam, quo symbolo uti magnam vim obtineri judicabant, ita Typhoniam vim & ἀντιτέχνησιν, quæ per Noctuam indicabatur, iis prorsùs profligari existimabant; quâ profligatâ, Agathodæmon sive bonus Genius cœlorum virtutes disponet in hylæis Mundis, vitamque in inferioribus terræ juxta trium anni temporum rationes; ad quod obtinendum multùm proderit tabula sacra Comasia &c. uti in præcedenti latere dictum fuit. Atque hæc est perioche rerum in altero Obelisco, Mediceo, contentarum: promovebimus itaque gradum ad tertiam trabem.

*& quid ea significent.*

INTER-


OBELISCVS MAHVTÆVS
juxta archetypum Athanasii Kircheri S. I.
I. Latus Orientale
II. Latus Septentrionale
III. Latus Occidentale
IV. Latus Meridionale
A B C D E F G H
Scala pedum Romanorum.
Scala palmorum Romanorum.
Positus est hic Obeliscus
ante Ecclesiam S. Bartholomæi Nat. Bergomat.
è regione Ecclesiæ S. Ignatij Loyolæ
Fundatoris Soc. IESV,
et habet longitudinem 27 ½ palm.
basis latitud. 3½ palm.
AMSTELÆDAMI,
IOANNES BLAEV
EXCVDEBAT.

# INTERPRETATIO
# OBELISCI MAHVTÆI.

*Mahutæi Obelisci denominatio,*

TErtio huic Obelisco nomen est à templo S. Mahuti; sic enim Orientales S. Bartholomæum appellant, tametsi non desint, qui à S. Maclovio Britanniæ Episcopo, cujus primùm honori consecratum fuit, sub nomine S. Mahuti, corruptè dictum velint; de quo vide Pancirolum de Vrbis topographia: ad hoc enim templum erectus hodie conspicitur: adeò ut Boreale Obelisci latus dictum S. Bartholomæi Fanum, sed Orientale, novam Basilicam S. Ignatii, Meridionale plateam, quæ Gymnasium Romanum Soc. IESV & Cœnobium Dominicanorum interjacet, Occidentale verò Seminarium Romanum & plateam ad Pantheon ducentem respiciat. Atque hic Obeliscus è fundamentis templi Isiaci erutus, unus putatur fuisse ex XLIV Obeliscis minoribus, de quibus in præcedentibus egimus. Longus est viginti septem palmis, & dimidio; latus in basi tribus & medio. Inscripta verò omnia habet communia cum præcedentibus duobus, exceptis his tantùm figuris, quæ in quatuor lateribus deinceps signantur literis AB, C D, E F, G H.

*ejusque situs.*

*idem unde domo.*

*Mensura Obelisci,*

*ac similitudo aut dissimilitudo cum cæteris.*

*Laterorum primum,*

Primo latere sunt [21] Anser, [22] lancea, [23] hydroschema, [24] statua Leonis, [25] circulus cum termino, [26] canalis Niloticus, [27] Serpens, [28] brachium manu flammam tenens, [29] cycloides, [30] segmenta, [31] sceptra; ad hunc sensum: Chenosiris humidum custodit; Momphta divina Intelligentia per canales Niloticos rebus vitam benefico inducit calore, cœlis, & inferioribus Mundi membris virtute sequentis amuleti.

*cum expresso sensu;*

*Alterum,*

Symbola in secundo latere, spatio C D inclusa, sunt [30] dodecapyrgon, [31] hydroschema, [29] duæ pennæ, cum tribus vasis [28] Niloticis, [27] Crocodilus, [26] tres termini, [25] dodecapyrgon, [24] tria vasa Nilotica, [23] favissa, [22] piscina, [21] segmentum [32] cum tribus terminis, quorum sensus hic est. Ex præcedentium amuletorum vi, docecapyrgon, motu deducitur in Nilum, Typhone profligato dodecapyrgon Nili favissas & piscinas omnes implet, virtute sequentis amuleti, & potentia Osiridis summo semper honore colendi.

*ejusque intellectus;*

*Tertiumque,*

Symbola in tertio latere, spatio E F inclusa, sunt [40] Accipiter cycloidi [39] insistens, [38] valvæ portæ, [37] tres termini, [36] vas ansatum, [35] statua Accipitrina; [33] caput humanum cum [34] ara, [32] traha, [31] segmenta cum tribus terminis. quæ hunc intellectum involvunt: Accipiter cœlestis Osiris portas trium anni partium aperit, Agathodæmon verò Solaris, & Horus ritè culti, humorem inferioribus largiuntur, omnia virtute sequentis amuleti, & Osiridis singulari honore colendi.

*cum lectione ideali;*

*Quartumque referatum.*

Symbola in quarto latere, spatio G H contenta, ordine hæc exprimunt: [22] Humor [24] beneficus [25] Hori, qui [28] plantationis, [27] seminationis, & [26] anni dispositionis autor est, [29] occulto motu inseritur [30] piscinis [31] vitalibus; unde & [32] terrenum & [33] aëreum elementum fœcundo spiritu imbuuntur, virtute sequentis amuleti.

Atque hæc est expositio Obelisci Mahutæi; quæ quidem symbola jam exposita, cùm pleraque in Obelisco Lateranensi contineantur, hic iis explicandis longior esse noluit Oedipus.

*Ab Hieroglyphicis recessio facta.*

Sed quum prata atque arva, quemadmodum avidi avebamus, redundantem Nilum satis jam biberint, recludamus rivos sacros, cum quibus alveo suo contentus fluvius variis ostiis divisus, nullibi totus fluit; nempe quasi discerpta doctrina hieroglyphica recessibus diversis sese condit, Theologicis scilicet aut Philosophicis vel Historicis, vel Symbolicis mysteriosisve variarum literarum, hactenus ut omnem nullus contineat, neque quisquam tamen non partem aliquam [ loquor de veteribus ] servet: ita nempe intellectu alios tantùm contentos notæ sacræ prætereunt, alios autem literarum altitudo sola evehit, nonnullos & admiratio tantæ nimirum antiquitatis atque autoritatis suspen-

ſuſpendit; apud quos ſi veſtigia Oedipi ſecteris, admodum fœcundas origines Nili, quas totus ferè orbis ignotas clamat, certiſſimè inveſtigaveris. Nos igitur cùm tam latas enavigaverimus undas, brachia cœlo tendentes U ſacrum * offerimus, hoc eſt cor Domino ſoli ſapienti apertum, donaque meritò ſuſpendimus in oleam pacalem litoris felicis, nempe rem omnem Euangelio noſtro ſacrantes, cui foliis Typhoni quidem, ſive collis juſtitiæ non ſubmiſſis, valde amaris, nulli tamen non genti ſalutaribus, puriſque animis gratiſſimis, omnigena veritate prælucentiſſimis nunquam viduatæ perpetui ſunt fœtus, non obnoxii tenebris, ſed Deo ſoli vero Soli civitatis æternæ offerendæ primitiæ, quas Fundum dulcidinis omnis Paternum progenuit.

** De hoc ſymbolo hieroglyphico in plurimis retrò locis videſis.*

# OBELISCVS VATICANVS.

*De Obeliscis Rasis in genere.*

A Lucidis, quas vidimus hactenus, pyramidibus transeamus ad luce literarum destitutas haud minus tamen luculentas, solâ nimirum formæ suæ figurâ: quas tenebrarum præsidibus geniis, non claritatis ac bonitatis angelis dicatas duxerit aliquis, sed autor noster tamen, cum Plinio & quibuscunque aliis qui de antiquitate prodiderunt, non minus illas radios Solis luminum principis in effigie haberi & ipsius Numinis Solaris honori prostitutas juxtà cum aliis esse, refert. Et de forma quidem, quam cum illis, quæ formarum hieroglyphicarum notis insignitæ sunt, eandem possident, suprà satis dispeximus, nec attinet ut rei admodùm mysteriosæ narrationem, ideoque longiusculam, repetamus: quocirca rejecto quoad hæc arcana Lectore ad superiora, solam tantum descriptionem historicam dabimus, quæ de autore, locoque & transpositione, etiam proceritatis & erigendi modo tractans cætera præterita pergit. Duo nempe sunt Obelisci Rasi, hoc est, sine notis, in Vrbe hodie conspiciendi; quorum qui primus huc allatus dicitur, nempe post Augusti Cæsaris Obeliscos, Flaminium & qui in Campo Martio fuit, tertiò advectus, secundùm Ramesseum sive Constantini Obeliscum excelsior omnibus est, in Circo Vaticano, auspicio Caji Caligulæ quarti à Cajo Iulio imperatoris, olim statutus, inauratâ pilâ in vertice auctus; quâ nimirum cineres Cæsaris, cui dicatus esset, asservari, creditum hactenus est.

*Quid memoratum fuerit: de quot dicendum, & de quoto.*

*Vaticanum quis transposuerit.*

Princeps ille cùm longè prodigalissimus esset,* & nihil nisi *quid in summa fortuna*, ut Seneca ait, *summa possent vitia ostenderet*, hoc tamen præstitit, ut Vrbis magnificentiam publicam tam insigni mole auxerit, qua majorem & clariorem Ægyptus tunc nullam miserat. Æmulatus enim exemplum avi sui, Octavii, nimirum ut simili magnificentiæ technasmate immortalitatem sibi compararet, post Circos, Portas & alia monumenta structa, Obeliscum quoque mole præcipuum Vrbi destinavit. Nam cùm maximus ille Obeliscus Ramessis, qui tanquam apex erat omnium Pharaonicarum acuum, Thebis in templo ambitioso positus, propter delubri non contingendi religionem præteriretur, præ cæteris electa illa trabs ingens est, quam Momphercur, alias Noncorius rex Ægypti Sesostrides fecerat; atque in hunc finem navis supra modum spectata Alexandriæ constructa est, de qua Plinius: *Abies admirationis præcipuæ in navi, quæ ex Ægypto Caji Principis jussu Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum, adduxit; qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est. Centum viginti millia modiorum lentis pro Saburra ei fuere, longitudo spatium obtinuit magna ex parte Hostiensis portus latere lævo, ibi namque demersa est à Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine, in ea exædificatis. &c.* & idem alio loco de eadem: *Divus Claudius aliquot per annos asservatam, quâ Cajus Cæsar importaverat, omnibus quæ unquam in mari visæ sunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis, perductam Hostiam portus gratiâ mersit.* Quod & Suetonius asserit in eodem Principe: *Portum* [Claudius] *Hostiæ extruxit circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta, quam quo stabiliùs fundaret, navem ante demersit, quâ magnus Obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis suprapousit altissimam turrim in exemplum Alexandrini phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Ad hujus autem ratis exemplum & Constantium Cæsarem navem suam, qua sicuti veteres Principes Obeliscum omnium maximum nobis suprà visum transtulit, quamque Ammianus describit, construxisse verisimile est. Cajus igitur asportatum sibi hunc Obeliscum deinde in Circo suo Vaticano, quem non longè antè cœperat ædificare, anno Salutis XLII, imperii sui tertio, erexit, & honori Augusti avi

** Vide Dion. in lib. 58, Tacit. 6 Annal.*

*Seneca serm. de Consolat. ad Alb.*

*De navi qua Cæsar Obeliscum devexit.*

*Plinius lib. 16, cap. 40.*

*Plin. l. 36. c. 9.*

*Sueton. in Claudio.*

*Quo loco steterit Obeliscus,*

*Quo tempore illatus sit.*

avi sui dedicavit, quod tum facta inscriptio ex duobus Obelisci lateribus testatur:

*Inscriptio antiqua.*

DIVO CÆS. DIVI IVLII. F. AVGVSTO TIB. CÆS. DIVI AVG. F. AVGVS. SACRVM.

*De mensura Obelisci,* Mensuram Obelisci, modumve erigendi veteres nobis non prodidêre, nos igitur quod ejus rei non latuit posteros in molitione recenti infrà in illa mentione meritò tetigerimus. Huic igitur in maxima clade monumentorum Vrbis Romanæ parcitum est ab immanibus & inhumanis hostibus, adeò ut vel *& fortuna in Vrbis excidio.* molis reverentiâ, si qua barbaris esse potuit, vel firmamento structuræ, vel quacumque demum forte solus de omnibus Obeliscis relictus Digitum hactenus præstiterit Solis, hoc est indicium rei veræ, quicquid mens clara hâc parte quæsierit.

*Priscus ejus autor in Ægypto,* Editus autem est Obeliscus hic ductu Momphercur Pharaonis, quem, ut suprà monuimus, Herodotus Feronem, Eusebius Amenophin dicunt, & alii filium Sesostris, Plinius Nunchorium. *quo nomine fuerit,* Sed Momphercur dominatorem Memphis significat, *Amenophis* verò sive *Monuphta* idem est ac Numen Memphis. *Mon* enim, aut *Mef*, & *Monph* lingua Ægyptiaca Memphim interpretatur Oedipus, ac *Hercur* dominatorem. Hinc corruptè hoc nomen *Nephercheres* reddidit Eusebius, quod paucis literis immutatis ad originem suam & genuinum modum reducendo fit *Mephercur*, vel *Monphercur*, quasi dixisses *Mephercheres*. Plinii tamen Nonchorius non ita recedit ab etymo veri nominis ut non ad illud revocari possit, quum *Monphercur* & *Monphcur* ac *Moncur* facile sint affinia, si *quove tempore,* cogites linguarum in vocabulis alterius linguæ corruptionem. Sunt autem inter principium regni Sothis & initium regiminis Momphercur anni CLIIII, à Ramesse gubernaculis succedente usque ad hunc regem nonaginta novem, à Sesostri patre regnante ad filium rerum potientem tres & triginta; quæ tempora in annum ferè MCCXXXVII à diluvio, ac XLV post ἅλωσιν Trojanam incidunt. Primus tamen Nuncorius est, qui sine notis Obebiscum prostituit, *aut cum quâ causâ sine notis edere obeliscum.* cùm quicunque anteipsum reges literis sacris insignitos edidissent, & posteà quoque Senneserteus Obeliscum, quem nos retrò Flaminium diximus, hieroglyphicis undique incisis nobilissimum fecerit, adhuc enim doctrina hieroglyphica quam maximos diuturno flore fructus dabat: quænam igitur causa subsit, ut absque literarum luce, solâ formâ mysticâ dicatus fuerit, sciri exactè nequit.

De hoc Obelisco verbis hisce Plinius: *Plin. lib. 36, c. 11.* *Tertius Romæ in Vaticano Caji & Neronis principum Circo, ex omnibus unus omnino fractus est in molitione, quem fecerat Sesostridis filius Nuncorius.* Hujus loci differentem *De hoc loco Autor noster,* in diversis exemplaribus lectionem, & quintupliciter vel ultrà variatam Oedipus in Pamphilii Obelisci libro primo adducit, ex quibus illa quam descripsimus maximè probatur. *deque fractura Obelisci.* Fractum enim fuisse hunc Obeliscum in superiori sui parte, præter indicia quæ supersunt manifestæ rupturæ ipsa quoque proportio ejus luculenter ostendit; cum longitudo ad basis latus minine decupla reperiatur, quæ observatio quamvis non semper exactissima omnibus in Obeliscis sit, in nullo tamen à ratione adeò divertit, ut ad crassitudinem comparata longitudo deficiat palmis ampliùs duodecim. * ** Tot in scapo, à basi ad basin, desiderantur.* Præter hanc brevitatis inconvenientis rationem conductor novissimus & inde argumentum rupturæ in apice factæ sumit, quod scilicet ipse non eâden sit proportione ad *De ruptura obelisci Dominic. Fontana, Eques, Architectus Pontificis.* corpus suum, quàm cæteri sibi comparati, ut Flaminius Augusti, Lateranensis Constantii, & ille qui ex Circo Caracallæ per mille passus Vrbi nuper illatus, in Circum Agonalem, nobis Pamphilius dictus, juxta cum aliis sunt; ad quorum exemplum, secundùm proportionem suam apex Vaticani duodecim palmis longus esse debuisset, cum non nisi sex altus factus sit, nimirum ne magnitudini amplius decederet. Sed & inde hoc eidem videtur, quod apex non eâdem artificis dextrâ perfectus sit, quâ cæterus truncus elaboratus, ad quem politura pyramidii non nisi rude rusticumque sit opus. At nos non in alia *Quanam in molitione sit ruptus obeliscus.* tamen molitione ruptum esse ducimus Obeliscum, quàm in prima illa Ægypti, cujus

cujus impensam curam Plinius non tantum alligatione regii pueri ad cacumen Ramessei indicat, sed & felicitate exactorum arguit, quam scilicet in ætate illa rudiori, si ita loqui licet, sollicitudo & labor plurimus pepererat, nempe ut non plures quàm hic noster in tantæ molis patratu voto minus responderit. Præterea & aliud mendum in eodem Plinii loco connotat Kircherius, nempe quod ejusdem Nuncorii remanserit alius Obeliscus, centum cubitorum, quem post cœcitatem visu reddito ex oraculo sacraverit Soli: tanta enim proceritas non convenit. Sed & oraculum visumque amissum vel restitutum nihil nisi fabulam esse dicimus, similia enim de regibus Ægypti multa dicuntur per allegoriam. Oedipus nempe visus deficientiam mentis interpretatur cœcitatem, quoniam regia potentia multùm superbiverat, & insolenter egerat; hortulani uxorem Tellurem dicit, quæ fructus non nisi studiosè culta profert; sed urinam denotabant herbæ, ac plantæ, quibus summa cum temperantia Sacerdotes utebantur: ab immodica igitur luxuria ad frugem cùm rediret, paulatim lumen mentis recepit, quo deinde frequentior ac magnificentior Deorum cultor factus est.

*Error in Plinii lib. 36, cap. 11.*

*Allegoria de visu Regi restituto ex loto mulieris.*

Ad Obeliscum nostrum revertimur, quem vidimus ab autore primo ante Virginis partum mille centum & ultra annis editum, post Christum natum circa quadragesimum annum Romam translatum, & inde usque per mille quingentos quadraginta sex annos ad tempora Sixti V superstitem, quanquam ab anno quingentesimo quinquagesimo, cum cæteri Obelisci omnes cum aliis incredibilibus ornamentis Vrbis rerum Dominæ vastati sunt, neglectus, & in loco lutoso, infrequenti ac ab itinere & aspectu hominum remoto, nimirum post veteris templi S. Petri adytum, quod vulgò Sacristia dictum, ubi peregrinis & Romam spectare vel tanto tempore peremptæ Vrbis ruinas & ossa Romam spirantia legere & lustrare volentibus haud possit contingi, nisi si ab comitibus peritis eò ducerentur; cum tamen hoc monumentum ex tot ac tantis ruinis superstes atque integrum, ideo conspici dignissimum, &, si ullum, quàm pretiosissimum sit, quodque cum Obeliscis maximis hodie restitutis inter scintillas pristini splendoris, quas ipsæ ruinæ ubique emittunt, tanquam luculentos *Radios* sui quondam *Solis* Vrbs miratur. Hanc ob causam cùm Pontifices antea multi optassent eximiam hanc molem in locum illustriorem transponi, sed vel ob magnitudinem ejus, vel alia quavis de causa abjecissent propositum, Sixtus Quintus, quamprimum ad culmen illud honoris evectus esset, ad eandem tractandam animum appulit. Erat ipse Pontifex quàm maximo ad res arduas animo, eodemque intensissimo ad omnia quæ ad Vrbis commoditatem vel decorem facere videbantur; quam rationem omnem religionis affectus, quo divino semper ferebatur, consummabat. Adeò, ut cùm quinquennio illo, quo præsidem illum Divinâ voluntate Orbis habebat, cœptis nec non absolutis operibus admirandis multa retrò secula supergressus, ipsum Principem veterem Augustum, Romæ marmoreæ genitorem, tanto antecelleret, quanto nimirum Vrbs destructa cesserat lateritiæ, nulla re tamen major haberetur, quàm religiosâ magnificentiâ, quâ Vrbi atque Orbi illuxit. Eadem quoque, quam nunquam non maximi fecerint magni, crucis super Obeliscos artis ac sapientiæ miraculo restitutos, ac fabricas alias quàm illustrissimas exaltationem genuit, ac primò omnium in meta hac Vaticana. Signum illud Dominicum, Christianæ militiæ spiritualis tesseram, multi Imperatores, Rectores, Duces, in labaris ac vexillis pro auspicio habuere, fundatissimæ quoque familiæ id suum monimentum fecere, optima denunciatione, nihil inter homines esse quod altitudini rei Christianæ compararetur. Nunquam verò hoc signum sacrum tanto trophæo fuit erectum, quàm Ægyptiis in Vrbe domina Obeliscis, symbolo nempe cedentis metus humani omnis, hoc est & potentiæ & religionis gentium subjectæ: siquidem haud populos Romanis latiùs reges, nec Ægyptiis ampliùs sapientes repereris. Merito igitur religio, quam victoria multiplex cœlo æquavit, situ regali pyramidum triumphat.

*Quo ævo Obeliscus excisus, quando Romam translatus sit.*

*Locus statuti.*

*Qua causa Obeliscus denuo transmotus sit.*

*Sixti V Pontificis laus.*

*Insanorum operum finis sanior.*

*Symbolum crucis venerabile.*

Summus verò Pontifex, cùm molem hanc maximam aggrederetur, primò fun-

*De Obeliscis.* Xxx

*Fundamenta hujus molis ubi locata sint.* fundamenta jecit, in area D. Petri, è regione portæ majoris ejusdem templi: orsus autem est fistucatione ob fundi uliginem, extruxitque ad palmos triginta tres, amplitudine sexaginta palmorum. Abdita hoc fundamento & moneta ærea in rei memoriam facta: *In fundamento recondita rei memoria.* erant duæ arculæ ex lapide Tyburtino, & in unaquaque nummi duodecim, in quibus ex altera parte imago Pontificis Sixti quinti, positoris hujus operis expressa, ex altera inscriptiones diversæ videbantur: nonnulli quasi hominis in campo sub arbore ad somnum compositi speciem habebant, circumpositis in margine his verbis, *Perfecta securitas:* aliis exhibebantur tres colles, & in uno eorum, nempe dexteriori, Cornucopia; in altero, versùs sinistram, ramus lauri cernebatur; summus ensem habebat mucrone elato & bilanci examen præstante, cum his verbis, *Fecit in monte convivium pinguium:* in quibusdam erat figura Francisci in genua adstantis ad figuram crucifixi, ubi templum ruinas dare videbatur, eratque inscriptio, *Vade Francisce & repara:* erant & quibus Pius Quintus referebatur, & qui simulacrum Religionis, vel Iustitiæ præbebant.

*Vlterior substructio Obelisci: Primus abacus,* Super hoc fundamentum terræ æquatum, medium, ponebatur abacus primus ex marmore candido, altus quatuor palmos & medium; latus, in lateribus duobus oppositis, duos & viginti cum parte palmi quarta; in alteris partibus non nisi quindecim palmos, & ubi per gradus certos magnitudo restringitur, tredecim latus. *Alter,* Secundus abacus in altitudine tredecim palmos exæquat, in latitudine duodecim & tres quartas partes palmi; Coronis, huic circumposita, alta est quatuor palmorum, lata in parte superiori quindecim, in inferiori tredecim. Tertius abacus altus undecim & parte media palmi, latus duodecim palmis, nec non dimidio: super *cum summo.* hunc impositi sunt quatuor Leones ærei, qui Obeliscum suffulciunt, spatio altitudinis quatuor palmorum & partis quartæ. Tota hæc abacorum structura à pavimento usque ad basin Obelisci, est palmorum octo & triginta, cum parte secunda. Super hæc fundatur Obeliscus, longitudine scapi à basi ad basin sive pyramidion, ut antea diximus, centum & septem palmos cum dimidio exæquans: *Obelisci mensura.* latitudo infrà non æqua est laterum; nempe versùs Meridiem palmos duodecim explet, totidemque ad Orientem, Boreo latere tredecim, Occidentali dimidium palmum plus. Pyramidii altitudo, quod suprà observavimus, sex palmorum est. Basis pyramidii ex omni ferè parte est lata palmis octo. Apex igitur Obelisci elatus hodie à pavimento est centum quinquaginta duobus palmis & dimidio: *Tota structura quàm alta sit.* cui si annumeres crucem, quæ ex ære inaurato est, x palmorum, at cum stella & montibus viginti sex altam, (cujus latitudo brachiorum octo palmos habet,) *Crux quanta.* jam structura universa, à pavimento ad ultimum usque punctum palmo dimidio excedit numerum centum septuaginta octo palmorum. Aucta molitio est recentibus his inscriptionibus in abaco medio factis, quæ partim positorem Pontificem maximum, partim ornamenta Obelisci respiciunt.

*Inscriptiones obelisci Pontificales.*

A parte Orientis:

ECCE CRVX DOMINI,
FVGITE PARTES
ADVERSÆ,
VICIT LEO
DE TRIBV IVDA.

Ad Meridiem versùs:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM VATICANVM DIIS GENTIVM
IMPIO CVLTV DICATVM
AD APOSTOLORVM LIMINA
OPEROSO LABORE TRANSTVLIT
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

Occi-

Occidentali deinde latere:

CHRISTVS VINCIT.
CHRISTVS REGNAT.
CHRISTVS IMPERAT.
CHRISTVS AB OMNI MALO
PLEBEM SVAM DEFENDAT.

Boreo verò sequitur:

SIXTVS V. PONT. MAX.
CRVCI INVICTAE
OBELISCVM VATICANVM
AB IMPIA SVPERSTITIONE
EXPIATVM IVSTIVS,
ET FELICIVS CONSECRAVIT
AN. M. D. L. XXXVI. PONT. II.

Hæ ſunt inſcriptiones in abaco ſupter Obeliſco, cum quibus præcipuâ cauſâ tibi ſit annotata & illa quæ in ſuprema parte Obeliſci, ſub baſi pyramidii, facta eſt, ubi ſpectat ad baſilicam D. Petri, hoc eſt ad Solem occidentem verſùs; illa hoc modo ſe habet:

*Inſcriptio adverſùs Div. Petrum in ſummo Obeliſco.*

SANCTISSIMAE CRVCI
SIXTVS V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT
E PRIORE SEDE AVVLSVM
ET CAESS. AVG. AC TIB.
I. L. ABLATVM M. D. LXXXVI.

*Diſpoſitio ſequentium.*

Hactenus quod ad Obeliſcum hunc attinet, omne ediſſerui, ut nihil ſuperſit niſi de tranſlatione ejuſdem operoſa, quam ipſe molitor ac effector, Dominicus Fontana, memoriæ prodidit; ſed quum ipſa ab Obeliſci deſcriptione diverſa ſit, ſeparatam, mox poſt alterius qui reſtat de Raſis Obeliſcis narrationem brevem, Lectoris cupiditati depromam, ex memoratis nempe ipſius Magiſtri ſcriptis. De hac meta, quæ fuit initium operum publicorum Pontificis noſtri, hoc extat ingenii alicujus pium monumentum:

*Ponderibus librata ſuis ſtat Pyramis alta,*
*Ut Sixti in Populos ſtat Pietatis Amor.*

*Monumenta aliqua ingeniorum de Sixto.*

De cæteris ejus in Optima Maxima poteſtate molitionibus hoc loquitur:

*Pro grege Sixte tibi quæ curæ? Paſcua, Lympha,*
*Pyramis, Æs, Pacis commoda, Honorque Crucis.*

Inſignia, modis ſacris ſummum Pontificis ſummi animum denunciantia, inſigniter notat hoc poſtremum:

*Sunt alti Montes, altus Leo, Sydus & altum,*
*Corde tamen Sixti Mons, Leo, Stella minor.*


66
Scala de Palmi n.º 25
Disegno dell'istessa Guglia ristorata
La Guglia, che mostra le roture, c'haueua
CHRISTVS PER INVICTAM CRVCEM POPVLO PACEM PRAEBEAT QVI AVGVSTI PACE IN PRAESEPE NASCI VOLVIT
Faccia uerso S. Maria Maggiore

RELIGIO
MAGNIFICENTIA
SIXTO. V. PONT. OPT. MAX.
Quod singulari pietate, & magnificentia, Obeliscum miradę magnitudinis ex Ægypto olim ab Octauiano Aug. in Vrbe aduectum, & in Circo dein Vaticano Collocatum, ac progressu temporum ruderibus semisepultū, ex neglecto, & infrequēti, illustriorem in locum ante limina Basilicæ S. Petri, quo cunctis patere, adeoq. ingens moles conspicua esse posset, transferendum, erigendum, in eiusdemq. sumitate salutare Christi crucem affigendam decreuerit, ut qui Tiberio imp. quondam dicatus gentilium superstitioni inseruierat: diuino nunc cultui addicendus, Christi de utroq. Cæsare, Augusto, sub quo natus est, ac Tiberio, sub quo passus, atq. adeo inuictæ crucis de Omni Idololatria clarissimam uictoriam loco celeberrimo demonstret. Ob rem igit. preclarissime tentatam, felicemq. propediem exitum sortituram, tot sumptus erogari, tot difficultates superari cœptas, Vrbs uotis cōceptis publica acclamatione Magnificētissimū pricipē prosecuta lubēs gratulatur.
NATALIS BONIFATIVS SEBENICENSIS IN ÆRE INCIDEBAT
DOMENICO FONTANA DA MILÌ DIOCESI DI COMO INVENTORE ET CONDVTTORE
CVM PRIVILEGIO

BIBLIOTECA [illegible]

# OBELISCVS EXQVILINVS.

*Obelisci hujus denominatio.* ALter, quem rasum Vrbs hodie conspicit, erectus est similiter ab illo magno, quanquam nimis brevi regimine, Genitore, Sixto V, in Exquilini collis ornamentum, ante Basilicam S. Mariæ Majoris, unde Exquilinum diximus, vel etiam Claudianum, à Claudio imperatore, qui hunc unà cum alio huic compare transtulisse & in Mausolæo Augusti posuisse putatur, anno post Christi nativitatem LXII. *Quis illum Romam transtulerit.* Ita enim Ammianus Marcellinus: *secutæque* [post Octavianum Augustum] *ætates alios transtulerunt, quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt.* Et tametsi ille non adjiciat de positoribus, neque apud Historicos de hoc Claudii molimine reperiatur quicquam, ita tamen videtur Rev. Kircherio, cùm de Nerone quippe aliis intento hæc fieri haud potuerint, & Plinius tamen his temporibus proximus eorum jam tum meminerit, his verbis: *sunt & alii duo, unus à Simarre positus, alter ab Eraphio* (veriùs Vaphrio) *sine notis, XLVIII cubitorum.* *Mausolæi Augusti locus.* Mausolæum autem Augusti erectum erat in Campo Martio prope ripam Tiberis, juxta viam Flaminiam, eo in loco ubi nunc S. Rochi templum illustre prope rudera ejusdem extructum spectatur: habuitque Obeliscus uterque sine fulcris, abacis, aut Pyramidio quod sex palmorum longum erat, sexaginta palmos in longitudine; cum fulcris verò & abacis, à plano horizontali ad Pyramidium nonaginta sex. *Obelisci olim longitudo.*

*Autores primi,* Primos in Ægypto autores horum Obeliscorum modò ex Plinio didicisti; ac eorum gubernamina, quantum ex intricatissima illa Historicorum narratione concludere possis, incidunt in tempora Davidis & Salomonis regum Israëlis, annis ante Christi nativitatem mille ac triginta. *quando vixerint:* Sunt autem Obelisci, sine notis facti, vel quia reges autores aut morte præventi, aut alia causa impediti fuerunt, quominus symbola sacra inscribi curarint, vel quod hieroglyptæ qui id præstarent seculo illi defuerunt; vel denique quia ipsam figuram Obeliscorum mysteriosam sufficientem putabant ad arcana sub iis latentia peritis sacerdotibus suggerenda. *quare sine notis sint expositi Obelisci.*

Extiterunt hi Obelisci in monumento Imperatorio usque ad communem omnium in Vrbe stragem à Gothis illatam, quâ dejecti sub ruinis latuerunt ambo, donec Sixtus V è terrâ & ruderibus extractum alterum, fractumque tribus partibus, restituit in loco suprà nominato, nempe Colli Exquilino, antè Basilicam Liberianam, sive S. Mariæ Majoris, è regione hortorum Montaltorum. *Quo tempore in urbe prostrati, aut restituti sint;* Alterum verò ruinæ in terra hactenus obruunt. Restaurati verò symmetria & proportio hæc est: basis, supra quam Obeliscus requiescit, à terra usque ad pedem Obelisci, exurgit palmis triginta sex & duabus duodecimis partibus. *Hodierna Obelisci mensura.* Ab ima basi usque ad pyramidium, quod ei deest, Obeliscus ipse in longitudine scapum habet sexaginta sex: ejus singulorum laterum latitudo inferior est lata palmorum sex, superior quatuor & dimidii. Tota structura, à terra usque ad ornamenta, nempe montes, stellam, crucem, elata centum duobus palmis est. Inscriptiones ab antiquo nullas habet, in stylobata tamen sequentes inscripsit Sixtus V; nempe in latere meridionali, quod Basilicam Liberianam & sacellum S. Præsepii versus est, legitur: *Inscriptiones Obelisci.*

CHRISTVS
PER
CRVCEM
POPVLO PACEM
PRÆBVIT
QVI
AVGVSTI PACE
IN PRÆSEPI NASCI
VOLVIT.

*De Obeliscis.* Yyy Versus

Versus Orientem hæc est:

CHRISTI. DEI
IN ÆTERNVM VIVENTIS
CVNABVLA
LÆTISSIME COLO,
QVI MORTVI
SEPVLCHRO AVGVSTI
TRISTIS
SERVIEBAM.

Ad Boream verò:

CHRISTVM DOMINVM
QVEM AVGVSTVS
DE VIRGINE
NASCITVRVM
VIVENS ADORAVIT,
SEQVE DEINCEPS
DOMINVM
DICI VETVIT,
ADORO.

Ex parte Occidentali:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM ÆGYPTO ADVECTVM, AVGVSTO
IN EIVS MAVSOLÆO DICATVM, EVERSVM DEINDE,
ET IN PLVRES CONFRACTVM PARTES, IN VIA
AD S. ROCHVM INVENTVM, IN PRISTINAM
FACIEM RESTITVTVM SALVTIFERÆ CRVCI
FELICIVS
HIC ERIGI IVSSIT,
ANNO M. D. LXXXII. PONT. III.

OBE-

# OBELISCVS VATICANVS,

## AVSPICIIS SIXTI V, PONT. MAX.

## INDVSTRIA DOMINICI FONTANA TRANSLATVS.

*TRactationis tantarum molium, quales hactenus varia magnitudine descripsimus, machinis atque ingenio humano perfectæ, exemplum luculentum visuri, nec illustrius nec majus reperiamus quam in Vaticano Obelisco Architecti Dominici Fontana, qui prægrandem illam molem deposuit integram transmotamque deinde iterum erexit, tutissima provisione periculorum, felicissima exactione negotiorum, cum nullum haberet ante exemplum, quo modo vel in Ægypto vel in Vrbe manu Pharaonum aut Augustorum res tanto ausu cœpta aut absoluta esset. Nempe post abjecta variorum Pontificum Maximorum cœpta & consilia super eadem re, nihil dubitans Sixtus V, fore ut quantumvis ardua res cederet virtuti, solo hoc argumento institit, animosque & hinc ingenium fecit ac artem generosis & virtutis consciis viris, nihil scilicet tam alte proposuisse manum veterum quo nostri temporis ingenium eniti non possit; nec superesse quidquam eorum operum, aut fuisse apud ipsos, quod nobis, si sumptui non parcamus, efficere nostra ars non possit. De Octaviani molitione Obelisci videas nonnihil ex hoc qualicunque loco Ammiani:* Defertur [*Obeliscus*] in vicum Alexandri, tertio lapide ab Vrbe sejunctum, unde carrucis impositus tractusque lenius per Ostiensem Portam, Piscinamque publicam, Circo illatus est Maximo. Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri, erectisque usque ad periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes, & longi ad speciem multiplicium liciorum, cœlum densitate nimia subtexentes, quibus colligatis mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum inane protentus diuque pensilis, hominum millibus multis tanquam molendarias rotantibus metas, cavea locatur in media, *&c. Hæc Ammianus; ex sequentibus autem deinde videbimus nonnulla de modis ac rationibus quibus antiquos usos fuisse judicamus in hisce molitionibus suis omnibus, quos ubi cum hodiernorum instituto contulerimus, de utrorumque præstantia cognoscere haud difficile erit. Neque adeo miraberis tot Regum, qui apud Ægyptios longævi referuntur, opera insana, ad numerum autorum non multa, & ut à tam variis artificibus memoratis non maxima, si nempe consideres unius auspicis ac genitoris Sixti Quinti Pontificis tam brevi tempore tam multa tamque maxima monumenta perfecta, ultra triginta numero, cœpta præterea quinque præcipua, nulla non usum religiosum, aut quovis modo prædicabilem, vel popularem, cum insigni magnificentia conjunctum habentia; quæ cuncta præstitit Pontifici Optimo Maximo unus ille laudatus supra Architectus, multo plura editurus, nisi abstulisset Pontificis præsidentis brevitas destinata, peremissetve jam cœpta.*

*Eorum autem omnium, meo quidem judicio, facile obscurat dignitatem hujus Obelisci translatio, si enim ejus molem immensam, & incredibile in tanta mole tractanda & transferenda celeberrimi Fontanæ artificium spectes, maxima consternaberis admiratione,* non

*non minori afficieris voluptate; ut igitur utrique Lector benevole consulerem, ipsius Dominici Fontanæ descriptionem ex Italico in Latinum translatam tibi exhibere, Operique nostro de Antiquitatibus Romanis adjungere visum fuit. Sic fere post Præfationem breviusculam orditur Artifex.*

SIXTUS Papa V. D. N. postquam animo concepisset Crucem maximæ excellentissimæque, quæ unquam fuisset confecta, Basi imponere, & vestigia memoriamque superstitionis antiquæ tollere; Aream que & stupendam D. Petri Fabricam quam maxime adornare constituisset, die 24 Augusti anni à nativitate D. Nostri Jesu Christi 1585, Prælatorum prudentissimorumque Magnatum instituit Concilium: Iis demandans ut re exacte perscrutata locum in prædicta Area designarent, quem dignum, ubi Obeliscus erigeretur judicarent; modum præterea in transportatione tanti saxi minimo obnoxium periculo, Artificemque ingenio præstantem, usu exercitatum, tantoque oneri parem, ducem & autorem ejus, maturo judicio eligerent. Re vero considerata tanti conatus perfectio communiter ab omnibus & singulis difficultatibus quam maximis existimabatur intricatissima; idque non sine ratione saxi pondus immensum, & corpus vastissimum indicare videbatur; cui adjungebatur metus, ne motionibus, quas in translatione ejus adhiberi necesse erat, disrumperetur Saxum æstimatissimum, Monile pretiosissimum, unicum, quod è tantis Vrbis Romanæ ruinis solidum integrumque restaret, antiqui splendoris & magnificentiæ Romanorum vestigium. Augebant hasce difficultates Architectorum & Ingeniariorum præteritis temporibus rationes, quæ ejus fuerant momenti ut Pontifices hujusce Obelisci translationem molientes ab incipiendo conatu deterruerint; infinita præter hæc in medium adferebantur dubia ex impedimentis tantorum conatuum exoriri solita; neminem enim, litteris vel monumentis, modum quo veteres in simili opera usi fuissent reliquisse existimabant, unde norma nullis oppositionibus obnoxia, & indubitata erui quiret. Non minimam quoque discrimina, quæ præter expectationem omnem sors vel casus in rebus tanti momenti quandoque adferre solet, adferebant difficultatem.

Concilio huic seu Congregationi præerat beatæ memoriæ D. Petrus Donatus Cardinalis Cæsius, in cujus ædibus conveniebant. *Capita hujus Congregationis.*

Secundum obtinebat locum B. M. D. Philippus Cardinalis Guastavillanus S. R. Ecclesiæ Camerarius.

Tertius Illustrissimus & Reverendissimus D. Ferdinandus Cardinalis Medicæus, post Etruriæ Magnus Dux.

Quartus erat Illustrissimus & Reverendissimus D. Franciscus Cardinalis Sforza.

Præterea huic Congregationi interveniebant Illustrissimi Prælati subscripti. *& qui interveneriint.*

D. Benedictus Iustinianus, Thesaurarius Generalis, post S. Rom. Eccl. Cardinalis.

D. Innocentius Malvagia Clericus cameræ, & Viarum Præses.

D. Bernardinus Piscina, Commissarius Generalis.

D. Iohannes Pelicanus, Senator Romanus.

Et illustrissimi Conservatores { Dominicus Giacobaccius. Hortensius Celsus. Iulius Pamphilius.

Dominus Casparus Sanguigna, Prior Præfectorum Regionum Vrbis, sive Caporionum.

Et porrò Magnifici Domini, Iohannes Petrus Mutius & Horatius Statius, vicorum Magistri.

Magnificus Dominus Hieronymus Altierius, Populi Romani Deputatus.

Magnificus Dominus Fabius Amodeus, Commissarius Fontis aquæ Triviæ.

Magnificus Dominus.... Petruccius, Fiscalis Populi Romani.

In primo Congregationis hujus conventu Domini prædicti, ut negotium tanti ponderis rite examinari & exacte intelligi, & reliquia tanti æstimata sarta tecta in translatione conservari posset, post varios discursus concluserunt; omnes litteris imbutos, Matheseos peritos, *Prima Congregationis conclusio.*

ritos, Architectos, Ingeniarios, & cæteros viros scientia vel experientia pollentes Romam esse advocandos; ut unusquisque eorum in executione operis tanti mentem suam expromeret, sententiamque diceret; nam cum fusius de modis, quos observari posse judicarant, sermonibus disputassent, nullum sese plane pleneque, supradictis difficultatibus expensis, tanto conatui parem invenisse existimabant. Hanc ob causam secundum Congregationis conventum iisdem in ædibus viginti quinque solum post dies constituerunt; idque ut tempus itineri accommodatum præclarissimis exterarum regionum viris superesset, qui ingenii ac scientiæ in re à Sixto V, & universo quasi mundo tantopere expetita ostentandæ gratia Vrbem petere desiderarent. Et jam pridem fama tanti operis ab ipsa jam declaratione voluntatis Pontificiæ Romam plurimos accierat, ita ut in Congregationis conventu altero 18 Septembris, quingenti supra laudatarum professionum sese obtulerint homines, variis è regionibus, Mediolano, Venetiis, Florentia, Luca, Novocomo, ex Sicilia, Rhodo, & Græcia denique ipsa huc appulsi; nec Monachi deerant, qui omnes & singuli fere inventionem suam adumbratione modulove, vel scripto adferebant expressam, quam nonnulli viva quoque exprimebant voce; in eo autem conveniebant fere omnes, Obeliscum erectum transportari necessitatem exigere, ejus in terram demissionem, & reiteratam elevationem difficultatibus maximis implicitam existimantes, moti & perculsi, meo judicio, enormitate molis & immenso pondere; judicantes quoque eum majori facilitate & securitate erectum motu mediocri, quam tribus demissione, provolutione, & elevatione translatum iri motionibus. Alii Obeliscum non tantum erectum, verum etiam cum eo & Stereobatam, & Basim simul transportari volebant. Nonnulli 45 gradus Horizontem versus inclinatum (Itali *a mezz'aria* dicunt) non erectum, non terræ incumbentem, seu demissum desiderabant. Alii modum ad stateræ similitudinem effictum & Obeliscum unico vecte ostendebant sublevan-

*Variæ variorum de transferendo Obelisco opiniones.*

dum, alii cochleas, alii rotas admoveri malebant. Ego vero meæ inventionis modulum è ligno confectum, Obeliscumque in eo è plumbo conflatum funibus, trochleis, & instrumentis minutissimis ejusdem moduli, qui Obeliscum sublevaret, proportionaliter adaptatum proposui; & præsentibus omnibus Congregationis membris, nec non artificibus prædictis, Obeliscum plumbeum sustuli, & demisi ordine servato, singularum rerum rationes & fundamenta motionum demonstrans.

*Quibus omnibus mea prælata est inventio.*

Expensis dein, consideratis, ac ad trutinam examinatis uniuscujusque nostrum sermonibus, delineationibus, & modulis, post longam disceptationem, meam inventionem cæteris omnibus ob facilitatem & securitatem, quam in executione tanti ausus felicem exitum consequuturam confidebant, esse anteferendam pariter judicatum est. Et communibus totius Congregationis suffragiis cæterorum inventionibus rejectis, meus, qui in transportatione Obelisci adhiberetur, dignus existimatus & approbatus est modus. Inficias tamen non eo ætatem meam (quadraginta duos enim non excedebam annos) prædictos Dominos ardenti desiderio conatum talem ad felicem eventum producendi flagrantes, movisse eo usque, ut me juvenem tanto negotio fortè imparem, idque seniori & rerum usu in arte onera gravia movendi exercitato demandandum judicarent, ac proin conclusum ab iis fuisse, ut ea Bartholomeo Ammanati Florentino homini quinque ultra sexaginta annos nato committeretur provincia, ei in auxilium Iacobum della Porta adjungentes, ut Obeliscum meam sequentes inventionem communibus viribus, ut desiderabatur, transportari curarent. In eo mihi non immerito gratulabar, quod meam tot doctissimorum hominum inventis, delineationibus & modulis antepofuissent elegissent & approbassent inventionem; eamque expertissimis duobus Architectis, in opere tanti momenti, ad finem perducendam commisissent. Ab omni me liberarant sollicitudine, cui non sine ratione executio tanti conatus, quæque à nullo nostrorum temporum tentata fuisset, subjecta est.

*Executio autem ejus duobus peritissimis Architectis demandata.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Hisce peractis septem, antequam Pontificem adirem, ab eoque conspicerer, sivi abire dies, expectans donec prædicti ad opus sese accingerent Artifices; Postmodum cum de negotiis quibusdam cum Pontifice mihi agendum esset, memet ad Palatium Quirinale contuli, cumque inter loquendum de Obelisco ortus esset sermo, meque de eventu opinionem rogasset S. sua; respondi me quam optima sustentari spe, optimeque judicare, nisi quod, quam maxime ut inventio mea bonum sortiretur effectum desiderans, dubitarem ne (si alio inventionis meæ effectum moderante sinistri quid fortuna dante eveniret) crederent minus justi rerum æstimatores culpæ vel defectui moduli mei id imputandum esse, eamque ob causam graviter me cruciari, atque qualicunque videri affectum injuria; cum illud pro certo compertum mihi habere existimarem, neminem adeo exacte alienos intelligere sensus, ut ea qua inventor ipse, inventionem perficeret vel diligentia vel facilitate. Extemplo Pontifex me solum opus ordiri, & inventionis meæ executorem solum esse voluit; inde nulla interposita mora me ad locum destinatum contuli, quinquaginta comitatus viris, qui scrobem, in quo in Area D. Petri fundamenta jacerentur, effoderent eo ipso in loco, quem Ammanatius & Iacobus della Porta trabe erecta designaverant; locus autem è regione Portæ præcipuæ Basilicæ D. Petri erat constitutus; dies vero, quo ad tantum me accinxi opus, Mercurii, vigesimus quintus numerabatur Septembris; dies non immerito notandus, cum in toto Sixti V. vitæ decursu, felici augurio semper honorum, actionum memorabilium ejus extiterit testis. Eo enim Episcopi est nactus dignitatem, eodem in Purpuratorum Patrum assumtus est numerum; denique eodem, summus creatus Pontifex, Pontificiam capiti suo vidit impositam Thyaram. Certe jure haud minimo diem hunc memorandum dixeris, in quo tot tantaque, serie haud interrupta, Sixto V. evenere.

*Pontifex vero me solum opus aggredi jubet.*

*Cui obediens opus aggredior,*

Post fossionem incœptam, fundamentum quadratum 60 palmorum in fronte, profundum palmos triginta tres effici curavi, & cum fundum lutosum, cretaceum, aquisque intermixtum, minimeque bonum invenirem; palos, (è quercu & castaneis cortice nudatis, qui incorrupti perpetuo sub terra servari solent) longitudinis 25 palmorum, diametri unius palmi, festuca in fundum adigi volui maxima diligentia. Fundamenti autem ipsius materiem è glebis silicis in minutias dissectæ, & è laterum particulis adjecta calce è Puteolano confecta pulvere, quæ tenacissime adhærere solet, fieri curavi. In fundamentum autem nummi in perpetuam memoriam injecti sunt ænei; binæ præterea immissæ sunt cistulæ ex lapide Tyburtino confectæ, singula duodecim continens nummos, ab una parte Pontificis ferentes imaginem, ab altera varias ostendentes inscriptiones. Quidam enim hominem sub arboris tegmine referebant ruri dormientem, cum hisce verbis, PERFECTA SECVRITAS. Alii tres monticulos, & à parte dextra Copiæ Cornu impositum, à parte sinistra Lauri ramum, & in ipsa summitate Ensem mucrone Cœlum versus erecto, stateræ sparti vel lingulæ inservientem loco, hisce adscriptis verbis: FECIT IN MONTE CONVIVIVM PINGVIVM. Alii S. Franciscum ante Crucifixum in genua procumbentem, & Ecclesiam ostentabant corruentem, hoc adscripto: VADE FRANCISCE ET REPARA. Cæteri Pii V. Pontificis Max. ab una parte effigiem, ab altera Religionem vel Iustitiam referebant. Hocce in gratiam eorum adjunxi, qui exacte omnem rei desiderant cognoscere exitum.

*& Fundamentum fieri curo firmissimum.*

*In quod ad rei memoriam injecti nummi ænei.*

Verum enimvero, cum ad elevationem tantæ molis extruenda esset machina, quam Castellum nominavi, & fabrica tanti operis trabes crassissimas longissimasque, ferramenta quoque diversa extra modum fabricata (quæ Romæ nullibi invenirem) exigeret, ut hocce tanto facilius & promptius expediretur negotium, Pontifici visum fuit, autoritatem plenissimam & Privilegium per universum Statum Ecclesiasticum emendi, vendendi & quævis negotia ad hanc rem spectantia expediendi, concedere; ut ex subsequentibus apparet:

*Pontifex ad faciliorem expeditionem Privilegium mihi concedit.*

NOS SIXTUS V. *facultatem & auctoritatem plenissimam concedimus Dominico Fontanæ Sacri Palatii Apostolici Architecto*

*Summa Privilegii.*

*(quo*

*(quo facilius & breviori tempore Obeliscum Vaticanum in aream D. Petri transferre possit) operariis cujusvis sortis & rebus eorum cujuscunque generis toto hoc translationis tempore utendi; sin autem eos renitentes inveniat, cogendi eos vel ad operam locandam, vel res vendendas, debita tamen soluta mercede.*

*Vt quoque asseribus, trabibus, sublicis & tignis cujusvis generis, ad quemvis possessorem pertinentibus, & in quovis loco commodo sitis uti possit, debito tamen soluto pretio ab Arbitris utriusque partis æstimando; liceatque ei vel suis ligna quælibet Ecclesiæ D. Petri, vel Capituli, Canonicorumve ejus propria, speciatim in fundo* Campomorto *dicto; vel etiam ea quæ ad S. Spiritus Hospitale, Cameramve pertinent Apostolicam, possit exscindere nullumque pro iis teneatur solvere pretium; præterea ut ea jam excisa per quævis transiens possit advehere loca, pascens in iis animalia impune; damnum vero secundum peritorum in hunc finem electorum judicium resarcire teneatur.*

*Vt emere & auferre prædicta & quævis ad executionem necessaria, à cujusvis generis personis possit absque ulla onerum sive vectigalium solutione.*

*Vt Romæ vicinisque in urbibus vel locis quamvis annonam iu usum sui proprium, ministrorum, animaliumque sine ulla permissione expressa sumere ei liceat.*

*Facultatem quoque concedimus ei ergatas, funes, trochleas, quamvis fractas ubicunque reperiendas auferendi, ea tamen conditione ut reparationem, restitutionem, & debiti pretii seu mercedis solutionem promittat: ut quoque omnibus ad fabricam D. Petri pertinentibus licitum sit ei uti rebus & instrumentis: Agentibus, Ministris, Officialibusque prædictæ D. Petri fabricæ præcipiat, ut Aream Obeliscum circa debito temporis spatio expeditam liberamque reddant: utque ea, quæ operi necessaria existimabit, libere adduci & accommodari curare possit.*

*Vt ei liceat (si id exigat necessitas) domos Obelisco vicinas diruere, postquam de resarciendo cum possessoribus vel quorum interest damno convenerit. Vltimo & summarie concedimus prædicto Dominico Fontanæ, ut omnia faciat, & exequatur, quæ judicabit necessaria; potestatem quoque & ipsi & ministris, domesticisque ejus, arma, exceptis iis quæ per leges prohibentur, quovis tempore nullo non in loco portandi, damus; præcipimus denique totius Status Ecclesiastici Magistratibus, Præfectis, Officialibusque ut prædictis in rebus dicto Dominico Fontanæ adsint & faveant: Reliquis autem Sedi Apostolicæ quocunque modo subditis cujusvis & status & generis injungimus, ne ipsi Dominico seu delegatis ejus operariisve, sub favoris & gratiæ Nostræ perditione, & quingentorum ducatorum Cameralium mulcta aliisque pœnis pro arbitrio Nostro, impedimento ullo sint, vel quovis modo molestiam inferant: potius omni rejecta mora, & excusationibus rejectis Dominico Fontanæ adjumento sint, obediant, faveant, & adsistant, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, die 5 Octobris, 1585.*

*Plurimos ad res necessarias conquirendas in varias mitto regiones.*

Itaque ut desiderium Dom. nostri explerem, homines in diversa loca vicina expresse cum supramemorata expedii auctoritate, injuncto iis mandato, ut singuli ea quæ designaveram conquirerent, Romamque advehi curarent; & primo quidem Fulgineum Vrbem canabo copiosam, ut filamina ad rudentes Romæ faciendos procurarent.

Romæ rudentes necessarii crassitudine conspicui quadraginta conficiebantur quatuor, cannas centum in longitudinem extensi, omnes fere pro diametro tertiam palmi habentes partem; ex hisce tres singuli ducentarum cannarum longitudine erant præditi, qui trochleis duplicatis adaptarentur, idque duodecupla glomeratione, quarum quævis trochlea, ut suo demonstrabo loco, duabus respondebat ergatis. Præter hosce rudentes magna funium mediocrium copia in vincula, retinacula aliosque conficiebatur usus. Præterea pluribus fabris ferrariis sequentia fabricandi injunctum est onus: laminas ferreas quibus Castelli armarentur antennæ, vel quæ trochleas majores, minoresque quas Poleas vocant Itali, ambirent: Clavos prælongos, qui ab uno latere ad oppositum transeuntes, trabes inter se connecterent: Circulos ferreos mediocres, qui oram in terminis Cylindrorum munirent: majores Circulos, qui ergatarum, ne disrumperentur, circumdarent fusos: Axes pro orbiculis rotulisve qui majores minoresque pro cujuscunque generis è metallo fundebantur trochleis: Postremo clavos, eosdemque umbellatos, secures, ascias, malleos, clavas, palos ferreos

ferreos omnis generis, cum maxima eorum omnium desideraretur copia. Præterea omnes è quercu, castanea, & ulmo trabes, quæ in publicis reperiebantur promptuariis sunt coëmptæ, ut ex iis Castelli fabricaretur armamentum.

Roncilioni demandatum est ut virgæ conflarentur è ferro queis armaretur Obeliscus crassissimæ, & longissimæ, aliaque pro capsis trochlearum ferra.

In Castello Subiaco, triginta milliaribus Roma supra Tybur dissito, similia quoque pro Trochlearum, Polearumque, ut vocant, capsulis confecta sunt ferramenta.

In Sylvam Reverendissimorum Canonicorum D. Petri, in Campo mortuo versus Neptunii portum sitam, plurimi, qui trabes longissimas easdemque crassissimas querceas pararent, expediti sunt homines; Trabes autem Romam curribus duabus rotis maximis munitis impositas advehebant, singulisque ob enormitatem septem bufalorum necesse erat adhiberi paria. Terracinæ magna maximarum ex ulmo tabularum conquirebatur copia, queis Obeliscus muniretur, fieretque super trabibus lectus in quo dictus protraheretur Obeliscus.

Prope S. Severam, in locis ad R. Cameram Apostolicam pertinentibus ex ilice excisi sunt ergatarum fusi; ex ulmo perticæ nec non tabulæ. Ita ut maxima qua potuit diligentia omnibus prædictis in locis uno fere ac eodem die hæcce prædicta præparare inceptum fuerit.

Sed priusquam ulterius pergere insistam, non parum me profuturum judicavi iis, qui præsentes non adfuere, si locum ubi Obeliscus fuit ipsamque una Obelisci figuram demonstrarem delineatione adumbratam. Obelisci partem terra longo temporis tractu eo congesta tegebat; locus ipse limo & sordibus dehonestatus ab omni quasi hominum frequentia remotus, eum in modum, ut exteri Romam vel devotionis vel curiositatis gratia adventantes, admodum difficiliter, nisi à locotum gnaro duce ducti, eum invenirent, vel etiam antiquitatis vestigio adeo conspicuo non viso domum sese reciperent. Itaque in sequenti eademque prima figura id quod dixi apparet, absonum autem & ab instituto meo minime alienum duxi modulos octo meliores, meo judicio, optimisque rationibus innixos in prædicta Congregatione propositos circa Obeliscum adjungere; inficias quidem non nego quod folii angustia me eos minores in formas redigere coegit; nihilominus tamen, ut cupidorum Lectorum consulerem curiositati, varios à variis Ingeniariis eidem effectui inservientes inventos modos illis ob oculos ponere visum fuit. *Obelisci locus antiquus.*

A. Primus modulus, ille qui acceptus & executioni mandatus fuit, quemque hoc ipso declaramus libro.
B. Secundus, quo portaretur Obeliscus solus vectibus in apice positis.
C. Tertius, quo libraretur Obeliscus media rota.
D. Quartus, quo solis levaretur cuneis.
E. Quintus, quo cochleis demitteretur, & pendulus, à *mezz'aria*, ut dicunt Itali, portaretur.
F. Sextus, quo levaretur, & rursum demitteretur unico tantum vecte in modum stateræ.
G. Septimus, quo sustolleretur rota dimidiata super qua per dentes, quasi rotæ molendinariæ, devolveretur.
H. Octavus, quo elevaretur, demitteretur, proveheretur que, cochlearum vi.

8
A
SAGRISTIA DI S.
B
C
D
E
G
H
PARTE DELLA FABRICA
DIVO CÆS. DIVI.
IVLII. F. AVGVSTO
TI. CÆS. DIVI AVGV.
F. AVGVS. SACRVM

## REGULA

*Ad commenſurandos Obeliſcos quadratos, cognoſcendumque eorundem pondus.*

PRiuſquam operi ipſi me accingerem exacte Obeliſci pondus cognoſcere deſiderans palmum quadratum cubi in modum efformatum conſimili è ſaxo maxima confici curavi diligentia; ejuſque cubi jam efformati & politi pondus octoginta ſex inveni librarum; dein ut inveſtigarem quot palmi cubici corpus Obeliſci conſtituerent, altitudinem à ſummo cœpi quadrato, ipſoque à cacumine Obeliſci uſque ad baſim,miniſtro perpendiculo plumbeo, eamque palmorum eſſe centum & ſeptem cum dimidio adinveni. Hoc inveſtigato pedis craſſitiem inquiſivi,quæ palmorum duodecim, & quinque minutorum eſt. Sub ipſo autem apice in quadrato ſuperiori Obeliſci craſſitiem palmorum octo, minutorum duodecim reperi. Huic quadrato quaſi baſi impoſitus apex, quaſi alter minorique forma Obeliſcus mutatis angulis & verticis forma, ad ſex palmos recta in altum inſurgit. Adnotatis hiſce menſuris quadratum baſi Obeliſci perſimile formari (figuram videas litteris a. b. c. d. notatam) cujus quodcunque latus: erat palmorum duodecim & minutorum quinque. Huic quadrato incluſum aliud, minus concentricum e. f. g. h. deſcripſi; cujus latera ſingula quadrato ſuperiori Obeliſci conſimilia palmos attingunt octo unamque duodecimam palmi partem.




Nunc Corpus ipſum menſurare deſiderans, primo aream, ſeu, ſi mavis, ſuperficiem quadrati minoris e. f. g. h. adinveni, quæ in ipſo Obeliſci medio priſma à vertice ad baſin efficit; quod, Regulæ vigore multiplicatis inter ſe quadrati lateribus, eſt palmorum ſexaginta quinque; & quadraginta novem partibus palmi centeſimis quadraginta quartis; quæ omnia, ſi cum ipſa Obeliſci multiplices altitudine, quæ palmorum centum ſeptem & dimidii eſt, palmos cubicos ſeptem mille & viginti quatuor, parteſque palmi viginti tres ducenteſimas vigeſimas octavas, quæ duodecimam ferè palmi partem conſtituunt; ſed ut tanto accuratius hancce demonſtrem rationem, minutias retinere mihi viſum eſt.

Deinceps cum inſtitutum haberem dimetiri acclivitates, ſeu craſſities pendulas in quatuor Obeliſci partibus ſeu lateribus,quæ in hac figura litteris e.i.k.f.& f. l. h. m. & h. n. g. o. & g. q. p. e. quæque in quadrato baſis principiantia, in quadrato minoris & ſuperioris quadrati finiunt. Videlicet declivitas ſolidi, cujus baſis eſt ſignata literis e. i. k. f. principium ducit in latere a. b. quadrati baſeos in punctis i. & k. finitur autem in angulis quadrati minoris in punctis e. & f. illud vero quod Parallelogrammo f. l. h. m. ſuperimpoſitum eſt,incipit in latere b. d. dicti baſeos quadrati in punctis l. & m. & finitur in angulis dicti quadrati minoris in punctis f. & h. illud quod litteris f. l. h. m. deſignatur, incipit in latere b. d. dicti quadrati baſeos in punctis l. & m. finitur vero in angulis dicti quadrati minoris f. & h. Illud quod litteris h. n. g. o. notatum eſt,incipit in lateris c. d. punctis n. & o. finitur in angulis g. & h. Quartum & ultimum g. q. p. e. incipit in lateris a. c. punctis p. & q. & terminatur in angulis e. & g. Certiſſimum vero eſſe manifeſte apparet, illas craſſities pendulas ſive acclivitates ſingulas priſmatis ſui erecti conſtituere ſemiſſem, inde ſi duas ex iis ſumſeris, eaſque inter ſeſe eo junxeris modo, ut acclivitates ſibi ſint oppoſitæ, priſma erectum effeceris; cujus latitudo octo attinget palmos, & duodecimam palmi partem, craſſities vero erit palmorum duorum: area ſive ſuperficies quadrati baſeos erit palmorum ſexdecim, & ſextæ palmi partis. Hocce areæ contentum ſi cum altitudine

dine (quæ palmorum centum & ſeptem dimidiique eſt) multiplicaveris, palmos cubicos mille ſeptingentos triginta ſeptem, & undecim duodecimas palmi partes invenies: & quoniam craſſities hæ quatuor ſunt numero, duoque priſmata efficiant erecta, ſummam ſi duplicaveris, invenies palmos cubicos ter mille quadringentos ſeptuaginta quinque, & quinque ſextas palmi partes. Iam autem adhuc quatuor ſuperſunt quadrata minora ad quatuor angulos ſita, inter duo majus & minus quadrata. Scilicet quadratum a. i. p. e. cujus latera inclinata a. i. & a. p. una cum linea diagonali è puncto a. principiante conveniunt in puncto e. ſuperioris quadrati angulo; in quo puncto perpendicularis, quæ cum angulo priſmatis medii communis eſt, terminatur. Eodem modo cum cæteris comparatum eſt. Quadrati enim k. f. b. l. latera inclinata k. b. & b. l. una cum linea diagonali, quæ in angulo b. principium ducit, in puncto f. terminantur. Quadrati tertii h. m. n. d. latera inclinata m. d. & d. n. una cum linea diagonali, quæ à puncto d. proficiſcitur, coëunt in puncto h. Vltimi quadrati q. c. & c. o. latera pendula o. c. & c. q. cum diagonali, quæ à puncto c. proficiſcitur, in puncto g. conveniunt. efformant hæc quadrata ſimul ſumta pyramidem quadratam, cujus baſis quaquaverſum eſt palmorum quatuor, area vero palmorum ſedecim; ſin autem ſedecim hoſce palmos cum centum ſeptem palmis & dimidio, quos altitudo continet: multiplicaveris, palmi cubici mille ſeptingenti & viginti provenient, & cum quæcunque pyramis tertiam columnæ ſeu priſmatis ſui conſtituat partem, tertia pars prædictorum mille ſeptingentorum viginti palmorum, ſunt palmi quingenti ſeptuaginta tres, & tertia palmi pars. Supereſt Obeliſci apex, cujus inferior pars quaquaverſum lata eſt palmos octo, cum duodecima palmi parte (area hinc provenit ut ſupra notavi, palmorum $65\frac{45}{144}$) altus eſt autem apex palmos ſex. Si igitur areæ contentum per altitudinem multiplicaveris & tertiam contenti partem ſumſeris, palmos eſſe cubicos centum triginta & $\frac{49}{72}$ reperies, hæc ut tanto melius oculis Lectoris ſubjicerem, indicem ſupradictarum menſurarum hic adjicere mihi viſum fuit.

*Index menſurarum totius Obeliſci.*

| | | |
|---|---|---|
| Priſma medium eſt | palm. | $7024\frac{23}{288}$ |
| Quatuor craſſities inclinatæ ſeu pendulæ, quæ duo priſmata erecta efformant | palm. | $3475\frac{5}{6}$ |
| Quatuor illa Quadrata minora ſub angulis poſita, quæque Pyramidem, ut dixi, efformant | palm. | $573\frac{1}{3}$ |
| Summa | palm. | $11073\frac{71}{288}$ |

Eo ut totum Obeliſci corpus apice excepto, ut ex ſupra dictis apparet, eſt palmorum undecim mille & ſeptuaginta trium, cum ſeptuaginta una ducenteſimis octogeſimis octavis.

| | | |
|---|---|---|
| Hiſce ſi apicem adjungas, qui eſt | palm. | $130\frac{49}{72}$ |
| Summam totalem invenies palmorum cubicorum | | $11203\frac{89}{96}$. |

Fere ſummam palmorum undecim mille ducentorum quatuor attingunt, niſi quod ad explendam ſummam hanc deſit decima ſexta unius palmi pars. Conficiunt autem, ſi more Romanorum hodierno triginta palmos cubicos oneri plauſtri unici exiſtimes proportionatos, *Carrettatas* (ſic vocant hancce menſuram) trecentas ſeptuaginta tres, palmosque reliquos fere quatuordecim. Poſt modum iniens calculum prædictorum palmorum, unumquemque eorum ponderi octoginta ſex palmorum ratione experientiæ indubitatæ, æqualem ſupputans inveni pondus exactiſſimum totius Obeliſci eſſe librarum $963537\frac{35}{48}$. Quod autem in primo libello, qui de hoc negotio tractans lucem aſpexit, contentum Obeliſci eſſe palmorum undecim, mille centum & decem octo, dixerim, id ex eo ortum eſt, quod tunc temporis majori diſtractus cura ſcilicet tranſportationis Obeliſci ſarti tecti, cogitanſque in tam enormi pondere decem mille librarum pondus plus vel minus nullam confuſionem adferre poſſe, mihi tantæ non fuit curæ menſuram Obeliſci adeo exacte inquirere, quemadmodum hic indico, verum ſemperque in menſura ſaxi ſimilis obſervandum certiſſimumque proponens modum.

*Ejusdem pondus exactiſſimum.*

*Cui attollendo 40 ergatas idoneas reperi.*

Cum igitur considerarem quamvis ergatarum rudentibus probe trochleisque instructam ponderi circiter viginti mille librarum attollendo parem fore, adinveni quadraginta ergatas attollendis octingentis mille libris fore idoneas; sustollendo vero residuo ponderi quinque vectes è crassissimis trabibus fabricatos applicare constitui. Horum autem vectium quisque longitudinem exæquabat palmorum septuaginta, ita ut non solum ei elevando ponderi, sed etiam multo majoris gravitatis mihi vires abunde sufficerent; præterea si forte vires tanto oneri sufficere aliquis dubitasset, omni tempore instrumenta in modulo meo adjungere potuissem.

*Difficultates mota contra ergatas.*

Hacce mea inventione omnibus publicata, fere omnes viri præclari dubitare videbantur vererique, ut nullo unquam tempore ergatæ tot tantoque numero eum in modum applicari & conjungi possent, ut conjunctis & adunatis viribus pondus tanta gravitate præditum attollerent, hanc adferentes rationem; quod, cum longus rerum usus & experientia nos doceat, ergatas tot conjunctim & æqualiter attrahere nequire, ex eo simul liquido constaret eas omnes vires adunare æqualiterque conjungere non posse: quodque pondus maximum ei, quæ magis reliquis attraxisset, incumbens ergatæ, eam necessario disrumperet, ex eoque perturbationem confusionemque fore totius orituram machinæ.

*Rationes mea in contrarium.*

Ego nihilominus, quamvis mihi nunquam nec oculis adspicere, nec in opus deducere tot tantasque vires easque conjunctas contigisset, nulliusque relationibus lumen vel aliquod tantum illucere quiret, semper me illud efficere posse mihi quam certissime in animum induxi, hac persuasus ratione: sciebam quatuor equos unum è supradictis, quos crassissimos maximosque effici curaveram, rudentibus attrahentes, eum nullo modo disrumpere posse; & ex eo consequitur, nimium pondus alicui ergatarum incumbens, impediturum fore, ne ulterius ergata circumvolvi posset, neque ideo rudentem disruptum iri, quod experientia id mihi constaret, si igitur ergatæ hæ nimio onere pressæ circumvolvi amplius nequirent, necessario consequeretur, reliquas magis expeditas in tantum circumrotaturas, donec & eæ ponderis ejus fierent participes; jam igitur cum unicuique ergatarum sua ponderis incubuisset pars, illa prior nimio onere gravata, jam à reliquis à nimia ponderis parte liberata circumgyrari posse inciperet, ita ut sua sponte vires æqualiter jungerent. Præterea instituеram ut post ternas, quaternasve ergata quævis paulులum contineretur circumvolutiones, quoniam si hoc ordine servato, funes tractans reperiret aliquem eorum plus justo tensum, facili eum parumper remitteret negotio; quia si caput seu terminum ergatæ junctum, utpote illud quod cæteris majori gravatur pondere, cum cætera omnia attrahat, remittas; pars illa ponderis quasi trochleæ affigetur, & in cæteros funes æqualiter distribuetur. Illud autem iis, qui caput seu terminum prædictum (*la Candela* vulgari vocabulo vocant) detinebant, injunxi, ut quamprimum caput illud nimium attrahi sentirent, illud illico remitterent in ipso laboris fervore. Omnia autem prædicta præcepta, adjutante usu & experientia longissima optima compereram, iisque mediantibus, quibuscunque, quæ accidere possent, obviabam periculis; præsertim cum eodem usu indicante certo mihi persuadebam nullum funium ruptioni esse obnoxium.

*Complanatur area.*

Cum igitur oporteret ut Machina seu castellum fabricaretur ligneum, & area fieret, ubi ergatas quadraginta supra memoratas locarem, locusque reperiretur angustior, necessitas exegit, ut aliquæ destruerentur domus, atque complanaretur area, quæ longitudine latitudineque esset sufficiens, quemadmodum cujusvis subjacet oculis in scala, quam in adumbratione Ichnographiæ, in qua ergatæ quoque cernuntur ordine dispositæ, poni curavi. Ne autem terra pondere tam immenso pressa fatisceret, deprimereturve ad basin, Obelisco lectus è duplicatis trabibus, sese invicem contingentibus stratus est: lectus vero ipse crucis fere referebat figuram, cujus rami singuli ab uno laterum Obelisci ducebat principium, extensi in quinquaginta palmorum longitudinem, finientes in latitudine palmorum

*Lectus Obelisco substernendus conficitur.*

morum triginta; huic cruci secundus tignorum ordo erat impositus, contraria quam priores dispositione, qui tanta inter sese disjungebantur distantia, quantam columnæ, fulcrorumque pedes, quibus prædicti Castelli columnas portare injunctum, exigebant. Fulcra vero hæc adeo prædictis, aliisque plurimis constricta erant trabibus, ut nullam versus partem iis pateret effugium.

## DESCRIPTIO MACHINÆ

*seu Castelli, ad Obelisci erectionem fabricati.*

VT prædictum fabricarem, formaremque Castellum, plantari jussi columnas, antennasve (nihil refert quo appellaveris modo) octo, quarum quatuor ab una, totidem ab altera Obelisci constituti sunt facie; distabant vero quinque palmorum, à se invicem, intervallo, efformatæ singulæ è trabibus quatuor, eisque palmorum binorum & quadrantis attingentibus crassitiem, ita ut cujusvis diameter columnæ, palmorum duorum esset & dimidii, circumferentia vero palmorum octodecim. Trabes vero hæ, majoris firmitatis gratia, ita conjunctæ fuerunt, ut una alterâ esset brevior, ne scilicet juncturæ sibi invicem nocerent, præterea variis in locis, singulis in lateribus, ab una in oppositam perforatæ fuerunt partem, in foramina autem ipsa clavi ferrei ambas transeuntes trabes immissi sunt, hique ea qua prominebant parte cuneolis itidem ferreis firmati, trabes conjungebant unitas quam maxime poterat, sine aliorum clavorum adjumento; idque, ut tanto minori temporis jactura erigeretur, dissolvereturve machina seu castellum, absque ullo trabium periculo. Clavi autem prædicti eo, ut in figura apparebit, fabrefacti fuerunt modo. Ordines foraminum duodecim inter sese palmorum relinquebant distantiam, in qua singula disposui Circulos ferreos, ut in figura quoque oculis exhibitum est, quatuor trabes omnes simul complectentes & constringentes, & ut tanto arctiori eas stringerem vinculo, variis in locis ubi exigebat necessitas, trabes inter & circulos prædictos, cuneos è ligno vi malleorum adigi curavi: nec non aliis in locis ad id opportunis, funes complures circumcirca contorti erant circumvoluti & circumligati, intrusis eodem modo, quo dixi, & hic cuneis; distabant autem & hæc ligamenta duodecim palmorum inter sese spatio. Hoc ordine observato dictæ erectæ fuere columnæ seu antennæ Obelisco ipso decem altiores palmis, trabibus diversis, alia super aliam, eo ut dixi modo conjunctis (nam tantæ altitudini minime unius sufficiebat trabis proceritas;) ita ut hæ columnæ, à fundamentis usque ad summitatem, altæ essent palmos centum viginti tres. Columnis autem impositæ erant contignationes octo, è trabibus crassissimis fabricatæ, eo modo, ut in delineatione videre est, cum arrectariis & transversariis intra Machinam ipsam, ei fulciendæ gratia, dispositis, quæque, eadem opera, summitates dictarum columnarum detinerent, ne versus interiorem machinæ inclinarent partem. Circum hasce columnas fulcra quadraginta octo hoc modo erant disposita; ad distantiam palmorum quinque à columnæ cujusque pede fulcrum consistebat brevius, ad tertiam partem altitudinis columnæ ascendens, constituensque simul cum ea triangulum rectangulum, cujus basis (adnumerata scilicet trabis crassitie, quæ palmorum duorum erat & dimidii) erat lata palmos septem cum dimidio: hæc fulcra breviora ex unica fabricata fuere trabe; singula autem columna unicum ex iis habebat, exceptis iis columnis, quæ in angulis consistebant machinæ, earum enim quæque duo habebat hujusmodi fulcra; nempe duarum priorum singula unum orientem versus dispositum; dextra alium Meridiem; sinistra alium Septentrionem versus: duæ vero columnæ posteriores similiter, unaquæque unum Occidentem versus, Sacristiæ muro innixum; dextra vero alterum Meridiem, sinistra alterum Septentrionem versus habebant; ita ut primum ordinem duodecim constituerent æqualis magnitudinis fulcra. Totidem autem, palmis quinque à pedibus priorum quaquaversum distantia, disposita erant fulcra, mediam attingentia Machinæ altitudinem, formantiaque triangulum

priori dicto consimile, cujus basis erat palmorum quindecim, comprehendens intra se prioris fulcri triangulum, ita ut iisdem utrumque includeretur planis. Ab horum pede quoque distantia erant fulcra itidem duodecim numero, quæ ad duarum tertiarum altitudinis pertingebant altitudinem; hæc vero, cum trabes tantæ longitudinis, quæ sufficerent, haud invenirentur, fuerunt fabricata eo quo columnæ Castelli modo, circulis, clavis, & ligamentis mediantibus; formabantque simile, sed majus prioribus triangulum, basim habens palmorum 22 & dimidii, continensque in se priora triangula iisdemque planis includens. Rursus ab horum pedibus distantia duodecim disposui fulcra, quæ fere culmen ipsum Castelli attingebant, simili ut priora fabricata modo; ita ut triangulum majus à maximis fulcris constitutum basin haberet palmorum triginta, Hypothemusam vero seu Diagonalem longam palmos centum viginti sex, tantaque hujus ultimi fulcri erat longitudo. Ne autem columnæ, quacunque violentia & vi quamvis gravissimi ponderis pressæ, vel foras vel ad latera inclinare possent, omnia prædicta fulcra firmissima, & transversim transtris traversariisque probe fuerunt munita. Ne vero interiorem versus partem incurvarentur columnæ, eo loco ubi finiebantur capita supradictorum fulcrorum, in interiore machinæ parte, trabes transversim ad omnes quatuor columnas erant dispositæ, clavis, ligamentisque unicuique earum affixæ; postmodum in eo loco seu vacuo, quod primas postremasque intererat antennas, quæ aliquanto magis extrorsum, quam ipsum Obelisci saxum consistebant, dispositæ fuerunt trabes, quæ, ut sublicæ, ex una & altera parte innitebantur iis trabibus, quæ transversim sitæ erant è regione fulcrorum; hoc modo securitati quoque provisum fuit, ne scilicet columnarum præcipuæ, quantumvis maximo & incredibili pondere pressæ, unquam ad interiorem inclinare possent partem. Hæc Machina, hoc fabricata & corroborata modo, tanta talique excellebat fortitudine, ut quamvis ei quantumvis maxima imposita fuisset fabrica, non magis quam maximæ rupis saxum quoddam, murusve quam firmissime extructus, ponderi cessisset. Præterea in ipsa culminis summitate octo disposita fuerunt retinacula, quæ à trochleis ad quatuor capita, quæ majoris firmitudinis ergo rudentibus crassissimis erant munitæ, attrahebantur. Contignationibus vero impositæ fuerunt trabes grandissimæ, longæ unaquæque palmos triginta, crassæ ab omni latere palmos tres, quibus in vano inter ligna connectentia adjunctæ fuerunt trochleæ illæ quadraginta, ergatis totidem numero respondentes. Trochleæ autem, ad majorem securitatem, non in ipso vano alligatæ fuere, sed ipsi columnarum solido, lignisque adhærebant connectentibus, ita ut, cum prædictum spatium vacuum palmorum solummodo esset trium, non posset quodvis cujuscunque gravitatis pondus prædictis trabibus tantillo spatio disjunctis, remoto omni etiam minimo ruptionis periculo, non sustineri; quemadmodum in sequenti apparet figura, in qua Machinæ illud oculis tuis subjicitur latus, quod Meridiem spectabat, cui illud quod Septentrionem versus erat, prorsus erat consimile.

A. Quatuor præcipuæ unius lateris columnæ, arrectaria, seu ligna connectentia hujus faciei sustinentes.

B. Cnodaces ferrei, crassitie per diametrum unciarum duarum, longitudine palmorum quinque cum dimidio, habentes è parte capitis foramen, cui immittebantur paxilli, sive cuneoli ferrei, postquam per foramina trabium Machinæ ab una parte ad alteram transierant, cuneoli dicti longiores ipsa cnodacum crassitie eosdem, ne foras elaberentur, detinebant.

C. Laminæ & compedes ex ferro, quæ columnas circumdabant stringebantque.

D. Ligamenta ex funibus.

E. Cunei lignei quos circulos & ligamenta inter adigebant.

F. Cruces,

12
FIRMITAS
P. n° 50

F. Cruces, seu ligna transversa ad armandam muniendamque Machinam disposita, quæ inter se connitentes & convenientes, columnas & fulcra continebant, ne sese invicem stringere, locove cedere possent.

G. Trochleæ duplicatæ omnes ferreæ, sex rotulis æneis instructæ, longæ palmos quinque, quarum quævis ergatis respondebat duabus.

H. Trochleæ ferreæ minoribus manganis seu capsulis præditæ, longæ unaquæque palmos duos cum dimidio, cum duabus rotis æqualis magnitudinis.

I. Trochleæ capsis seu manganis ligneis, ferreis tamen compedibus constrictis, longitudine palmorum quinque, sex, vel etiam septem; duabus rotis, inferiori & superiori, instructæ, quarum superior aliquanto major conflata erat, ne funes inter utrasque circumvoluti sese invicem implicare possent.

L. Minores hæ trochleæ, artemones, Italis *Polee* dicuntur, ferreæ sunt, rotula vero ænea præditæ.

M. Artemones seu poleæ cum capsis ligneis, compedibus ferreis & rotulis æneis.

N. Rotulæ diversorum generum pro trochleis & artemonibus.

O. Quinque vectes pedi Obelisci suppositi, tres ex parte Sacrarii Orientem, duo ex opposita parte Occidentem versus.

P. Pons eorum commoditati constructus, qui è Sacrario in Castellum seu Machinam transirent.

*Obeliscus ne lædatur involvitur storeis,*

Posthac ne Obeliscus cicatricibus deformaretur, totus storeis duplicibus fuit tectus, hisce autem storeis impositæ fuere, pro tegumento, tabulæ ligneæ quartam palmi partem crassæ. Hisce rursum impositæ sunt virgæ seu perticæ ferreæ dimidium palmi latæ, & quartam palmi partem crassæ. Harum tres singulis in lateribus fuere constitutæ, Pedem Obelisci, inter talos ejusdem æneos, amplectentes, & recta in quavis Obelisci facie sursum tendentes, cum nodis instar fibularum commissis ad unam alteri suprajungendam. Constringebantur autem perticæ hæ quam firmissime circulis ferreis novem, ut in sequenti apparet figura. Ferrum autem omne quod involucro huic inserviebat, pondus quadraginta millium librarum adæquabat, asseres vero seu tabulæ, trochleæ, & rudentes alia quadraginta librarum constituebant millia, eo ut Obeliscus hoc modo involutus, pondus unius millionis, & quadraginta trium millium, quingentarum triginta septem librarum attingeret.

*iis imponuntur virgæ ferreæ,*

*quæ constringuntur circulis ferreis:*

*Obelisci ita armati pondus lib. 143537.*

*Omnia interim ad exordium operis præparantur.*

Eodem fere tempore circa Obeliscum complanabatur area, & sensim ergatæ, jam de novo confectæ & perfectæ, suo quæque disponebantur ordine, ut in figura conspicies. Funibus quoque sensim trajiciebantur trochleæ, applicatis funium capitibus, suis quæque ergatis destinatis: ut autem illi, quibus Machinæ injuncta erat cura, unico temporis momento animadvertere possent, quæ ergatarum nimis attractæ, vel remissæ singulis essent motionibus, ergatas omnes ordine, poleasque singulas ergatis suis, trochleisque peculiaribus respondentes, numeris notari curavi. Ita ut quovis ingruente casu, è culmine Castelli facili negotio commonefieri possent ii, qui ergatis præfecti erant, quænam necessario remitti, attrahive deberet, ut qui dicti præfecti, curæ cujusque ergatæ specialiter deputati, momenti spatio respondere, idque exequi quod specialiter iis injungeretur, absque omni quamvis minima possent confusione: Areæ vero angustia me tres ergatas in ipso Sacrario collocare coëgit, variisque in locis rudentium semitas, dispositis diversis poleis, ut in sequenti apparet figura, excavare. Post dispositas jam ac notatas ergatas, applicatosque funes, prir um unam, post aliam ergatarum paulatim ministerio trium quatuorve eorum attrahi jussi, ut vires conjungerentur, atque coadunarentur, sigillatim tribus quatuorve vicibus eas eousque examinando, donec æqualiter omnes quotquot erant, essent tensæ, & hucusque perventum est vigesima octava Aprilis, 1585. Cumque frequentissima ac infinita prope huc,

operis

*Viæ omnes, confusionis arcendæ gratia, obsepiuntur;*

operis tam memorandi videndi curiositate excitata confluerет undique turba, ut confusioni, quæ è tanta populi frequentia oriri posse videbatur, remedium esset, viæ omnes ad prædictam aream ducentes obseptæ fuerunt, peculiarique edicto promulgato cautum, ne cuiquam, die erectioni Obelisci præscripta, cancellos intrare fas esset, nisi solis operariis, pœnaque capitis in cancellorum violatores constituta: nec non pœnæ minime contemnendæ iis, qui quocunque modo aliquod operariis inferrent impedimentum, vociferarentur, screarent, strepitumve quovis modo excitarent, idque ne prædictis modis impedirentur mandata, à me ministris data; utque edicti parata esset executio, Lictor (*Barigello* vulgo vocant) cum universa apparitorum turba Circum intravit; ita ut rei novitas, metusque pœnarum constitutarum effecerit, quod maximum in tanto populi concursu observatum fuerit silentium. Aliquot antequam coopertus esset Obeliscus diebus, sublatus fuit globus ornamenti gratia apici superimpositus; cumque viri haud pauci, ea ratione adducti, quod Obeliscus Cæsari dicatus & sacer esset, existimarent cineres ejus in eodem servari globo, eundem maxima consideravi diligentia, cumque animadverterem eum integrum absque commissura quacunque fuisse fusum, ex eo conclusi in illo aliquod reconditum fuisse haud convenire cum rei ipsius veritate; illud verum esse fateor, eum quibusdam in locis, Vrbe capta, sclopetis à militibus petitum, perforatumque fuisse, eique insedisse pulveris nonnihil, quod ventorum vi per foramina ea sclopetis facta conjectum fuisse existimo, idque complures docui; sed ut unde digressi sumus revertamur; utque Deus Optimus Maximus, in cujus gloriam sempiternam & honorem, & sanctissimæ Crucis exaltationem, tantus ausus & conatus in effectum deducebatur, faveret intentioni bonæ, prosperumque largiretur eventum, celebratæ fuere die trigesima Aprilis, Mercurii, duabus ante solis ortum horis, Missæ binæ Spiritus Sancti, & ut Divina sua Majestas tanto magis preces nostras exaudire dignaretur, postquam jam tempore matutino diei, me jubente, præterita sese confessione purgassent, quotquot erant Officiales, Operarii, Præfecti operarum, & aurigæ, quique tanto conatui vel adesse, vel interesse tenebantur, Sacræ Communionis facti sunt participes, Deum operis recognoscentes summum adjutorem & moderatorem, ad cujus honorem & gloriam solam D. N. Sixti Quinti collimabat intentio, quem finem & intentionem omnibus in exhortatiuncula paullo post à me recitata indicavi. Die autem præterita Dom. Noster Pontifex me sua bearat benedictione, suisque mandatis honoraverat.

*& pœnæ in violatores cancelli, & perturbatores operis constitutæ.*

*Globus ex Obelisci apice levatur;*

*in quo cineres Cæsaris, ut quidam credebant, non sunt asservati.*

*25 Aprilis antequam opus aggrederentur omnes sacris operati sunt.*

*Sacris peractis Circum intrant opus exorsuri.*

Itaque sacra celebrata communione, precibusque rite peractis, ante Auroræ adventum omnes, nosmet ipsos operi accingentes, Circum intravimus: Operarii autem statim quique suis applicati sunt locis; & ergatæ cuivis duos præposui operarum Præfectos (vulgo *Capimastri* dicuntur) qui curam gererent, operamque omnem intenderent, ut secundum ordinem quem iis præscripseram laborarent. Ordo vero in hoc consistebat, ut quoties clangor tubæ (tubicinem enim in loco eminenti, omnibusque constitueram conspicuo) eos admoneret, quisque suam ergatam circumrotari curarent, diligentissime observantes ut omnia rite fierent; & cum campanæ, quam in Castelli summitate collocari curaveram, postmodum audirent sonum, omnes extemplo sese sisterent & continerent.

*Ordo operis præscriptus.*

Ad areæ extremitatem intra Cancellorum spatium Præfecto aurigarum constitutus erat locus, in quo sese cum viginti grandioribus contineret equis, à viginti hominibus gubernandis, quosque accersiveram, ut, quemadmodum necessitas exigeret, refici mutarive possent equi: præterea octo decemve constitueram hinc inde per aream viros peritos, qui sese quocunque conferentes prospicerent quaquaversum, dum opus ferveret, ne qua oriretur confusio. Porro viginti virorum constitui cohortem iisque injunxi apportarent auferrentve pro rei necessitate hinc inde utensilia ob ruptionem alium ve respectum requisita, funes, tro-

chleas, rotulas, aliaque ejus generis. Hi nullam nisi hanc gerebant curam, ideoque sese prope portam domus, in qua asservabantur prædicta, in loco eminentiori constituerant, ut quamvis minimo admoniti nutu id quod iis injungeretur diligentissime exequerentur, idque præceptum fuit omnibus ne ii, qui ergatæ cujusdam curæ essent deputati, locum deserere cogerentur, exoriretur-ve aliqua confusio. Vnicuique ergatæ viros equis adjunxi intermixtos, idque ut homines meliori ergatam regerent ratione, secundum ordinem à Præfectis dandum, quod ita non successisset equis solis adhibitis, cum hi nunquam fere, vel subsistunt, vel sese proripiunt eo ipso quo desideratur tempore. Sub ipso Castello vero disposui duodecim fabros lignarios, qui continuato opere continue cuneos ligneos, ferreosque in eum usum peculiariter præparatos sub Obelisco adigerent; quod gemino inserviret effectui, primo scilicet ut sublationi ejus in altum subvenirent, cum unicuique cuneorum notæ sunt vires, secundo ut Obeliscum sustentarent, ne idem super solis funibus in aëre quiesceret, fabri autem hi singuli caput habebant galea ferrea munitum, quæ à cuneis ligneis, aliisve rebus è Machina decidentibus defenderet. Curæ custodiæque Castelli sive Machinæ triginta viros præposui, qui ei insistentes ejus, simul & trochlearum ligamentorumque haberent curam, & si necessitas exigeret, admonerent: vectibus Occidentem versus dispositis tribus numero, adjunxi viros triginta quinque, qui eos regerent; anterioribus vero duobus viros octodecim, ut & ergatam minorem ab hominibus solis vertendam. Interea dum hæc eo modo distribuerentur officia, dies exortus erat serenus pulcherrimusque, ac si bono augurio indicaret, Deum operi huic desideratissimo favore suo adfuturum fore. Curiositate operis videndi jam tota fere huc confluxerat Roma, inter quos conspicui aderant, Illustrissimus & Reverendissimus D. Cardinalis Montaltus, Nepos Pontificius, majori Purpuratorum Patrum stipatus numero; Illustrissimus & Excellentissimus Dom. Michaël Perettus, Burgi Gubernator, Pontificis nepos; Illustrissima & Excellentissima D. Camilla, Domini Nostri Sixti V. soror, cum Illustrissimis cognatis D. D. Flavia, & Vrsina, illa Bracciani, desponsata D. Virginio Vrsino; hac Palliani Duce Marco Antonio Columnæ, in Regno Neapolitano, Hispaniarum regis Magno Comestabili. Hasce comitabantur reliquæ fere omnes Romanorum Matronæ. Præterea Legati omnes Principum, virique conspicui Romæ tum temporis commorantes, nec non incredibilis exterorum numerus, qui ex omnibus Italiæ partibus, rem adeo novam ac admirandam spectandi causa concurrerant. Fenestras omnes aream spectantes, vidisses hominibus repletas, tecta domuum vicinarum & Templorum sub pondere hominum gementia, ipsam D. Petri fabricam mirum in modum mortalibus obsitam. Viæ autem omnes tanta scatebant multitudine, ut necessarium fuerit cancellis Helvetiorum, Equitumque levis armaturæ apponere custodias, ne in tanta hominum frequentia aut tumultus oriretur aut confusio. Omnes jam arrectos & attentos exhortabar; singuli illud, quod sibi injunctum erat, ad signum tubæ exequerentur; operarios quoque ministros & circumstantium rogavi turbam, quoniam incœptum nostrum in gloriam Dei Omnipotentis tendebat, mecum genubus flexis preces brevibus verbis conciperent, quo Divina majestas operi tam sancto & honorabili incœpto, favore suo assisteret, judicantes vires nostras, nisi manifesta & specialis ejus appareret gratia, operi tanto inferiores fore. Hoc modo, recitata oratione Dominica & Ave Maria, signum tuba dari jussi; quo exaudito incœptum est, laborantibus quinque prædictis vectibus, quadraginta ergatis, nongentis & septem hominibus, & septuaginta equis. In hoc primo motu terra tremere visa, Castellum ingentem strepitum edere auditum est, lignis omnibus propter immanem ponderis molem sese constringentibus; Obeliscus vero qui duos palmos versus Borealem partem chori Basilicæ Divi Petri, ubi nunc sacra celebrari solent propendebat (quod per-

*Magnates opus videndi causa adveniunt,*

*ut & incredibilis populi caterva.*

*Artifex operarios exhortatur,*

*Hisce factis, & signo dato opus aggrediuntur:*

*Omnes Dei implorent auxilium.*

perpendiculo examinantes animadverteramus) sese ad perpendiculum erexit. Exaudito strepitu adeo grandi, nec tamen ullibi cedente machina, cum comperiretur nulli sinistri aliquid accidisse, unusquisque extitit animosior. Et postquam omnes campanæ sono admoniti restiterant, primum circulum ferreum, ex iis, qui virgas ferreas circa Obeliscum applicatas circumdabant, supremum ordine inveni disruptum, huic defectui provisum fuit quatuor trochlearum paribus, ab utroque latere applicatis, in dicto loco, funium contortorum involutione; capita autem funium sub Obelisco fuere transmissa, & rursus in locum circuli alterius lateris religata, idque repetitum est sæpius, donec omnibus rursus probe firmatis, ulterius laborare incepimus. Hoc modo duodecim motionibus ad altitudinem palmorum duorum & $\frac{3}{4}$, quantum ad supponendam traham, levandosque talos æneos sufficeret, erectus, & cuneis ligneis ferreisque nec non truncis ligneis crassissimis fultus fuit; hæcque omnia peracta fuere hora circiter vigesima secunda ejusdem diei, signoque mortariis aliquibus præsidio arcis dato, omnia maximo sonitu, in signum lætitiæ, explosa fuerunt tormenta: id vero ante opus incœptum, cautum fuit nequis loco suo excedere necesse haberet, ut edulia singulas ad ergatas singulis apportarentur canistris.

*Et obeliscum ad 2 & $\frac{3}{4}$ palmorum altitudinem erigunt.*

*Tormenta Arcis in lætitiæ signum explodunt.*

Effectus nos docuit, funes circulis ferreis multo esse tutiores, eamque ob rationem cum ferro soli non fiderem, jam à principio cinctus fuerat Obeliscus pluribus funium crassissimarum involutionibus, circumcirca, variis in locis, iis autem involutionibus, ne sursum effugerent, involuti erant funes complures, qui deorsum tensi, sub pede Obelisci transeuntes, & ab opposito latere rursum in altum protracti, involvebantur denuo circulis istis è funibus confectis, idque sæpius, & eo modo probe firmati ab universis quatuor lateribus circumvolutiones funium firmissime stringebant, neque in altum tenderent cohibebant. Circulorum vero ferreorum plurimi, aut disrupti, aut contorti, aut loco moti ab immani pondere fuere, quidam expulerant capita quædam ferrea, in virgis seu perticis ferreis, data opera, confecta, quæ obviam habuerant, ita ut cultello viderentur abscissa, si ferrum, ut reliqua molliora, secari posset.

Effectum hunc horribilem tam immanis quis non exhorrescat ponderis? Dum Obeliscus paulatim in altum tolleretur, fabri lignarii in ipso Castello ad Obelisci pedem dispositi secundum ordinem supradictum, continuo sub eo malleis ferreis grandioribus cuneos è ligno, ferroque ad id præparatos adigebant, qui cunei non solum in elevatione non minimo fuere adjumento, sed etiam, id quod jam lucrati essent secure asserebant, cum nunquam eum in aëre solis sustentari funibus sinerent, sed solidæ baseos ei præstarent usum: hisce peractis, universus quam maximo gaudio affectus est populus. Postmodum talis æneis levandis, quorum duo superficiei ipsius stylobatæ erant impositi, operam impendi, eorumque unum eopse momento ad Pontificem deferri jussi, qui hanc ob causam non minima affici lætitia visus est. Duo reliqui ad latus Boreale dispositi, plumbo erant ipsi saxo infixi, ad profunditatem sesqui palmi. Omnia vero supradicta in hac sequenti conspicias figura.

*Talos æneos levant.*

A. Ichno-

A. Ichnographia Sacrarii, in quo laborabant ergatæ tres.
B. Aperturæ geminæ in muro ſacrarii factæ, per quas tranſirent funes intraretque pede ſuo cum dimitteretur Obeliſcus.
C. Figura tecti Caſtelli ſeu Machinæ, monſtrans locos, ubi alligatæ fuerunt trochleæ, quarum tres fuerunt duplicatæ, biniſque numeris ſignatæ, quo ſignificabatur ſingulam earum duabus reſpondiſſe ergatis.
D. Locus extra cancellorum ambitum, trahæ quæ Obeliſco ſuppoſita fuit, cum in altum tollebatur, deſtinatus.
E. Prima & Borealis Obeliſci facies, ad commonſtrandas trochleas locis ſuis affixas.
F. Secundum & Orientale latus.
G. Tertium idque Occidentale latus.
H. Quartum & Meridionale latus.

Litterarum H. & C. una cum numeris in circulis ergatarum poſitis prima homines, poſterior equos denotat, in quavis adhibitos & laborantes, eo modo, ut in inferiori hujus figuræ parte videre licet.

I. Circuli ferrei qui virgas ferreas Obeliſcum munientes quam firmiſſime conſtringebant, & inſerebantur nodis in dictis virgis data opera confectis, ne ſurſum iis pateret effugium, nonnulli vero inſerebantur fibularum nodis.
K. Virgæ ferreæ Pedem inferius amplectentes & per quatuor latera Obeliſci ſurſum tendentes.
L. Nodi virgas fibularum modo conjungentes.
M. Ichnographiæ Fabricæ novæ D. Petri pars.
N. Pars Ichnographiæ Baſilicæ veteris.
O. Introitus porticus D. Petri.
P. Pars Ichnographiæ domuum aliquarum Campi ſancti.
Q. Figura tali ænei ſtylo carentis, qui Obeliſco erat ſuppoſitus ponderis ſexcentarum librarum.
R. Talus, cum ſtylo ſuo, in univerſum ponderis octingentarum librarum, cum ſtylo una eademque opera fuſus.

DIS-


15
CONCORDIA
Scala di palmi 30. serue per il tetto
Scala di palmi . 40 . serue per le quattro facie .
Scala di palmi 30 . serue per la piaz.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R

## DISSERTATIO

### *De modo ab antiquis in erectione Obeliſci obſervato, & de Obeliſci ruptura.*

TAli prædicti cum ſtylo, quos infuſo plumbo ſaxo dixi infixos, adeo tenaciter eidem adhærebant, ut quatuor continui dies & noctes ad eos eximendos impenſi fuerint, & tandem adhiberentur latomi, qui ſaxum circumcirca eos exſcinderent, priuſquam eximi potuerint. Ex eo autem conjecturam, quam & veram eſſe mihi perſuadeo, duxi, veteres ſcilicet, talos hoſce adeo firmiter affixiſſe, ut Obeliſci pes iis inniteretur, quem poſtmodum ſublatum apice attrahentes, ſuper ſtylobata circumverterent. Quod etiam apparere mihi videtur ex eo, quod dicti tali in margine incavati ſint ab ea parte, cui Obeliſcus in erectione inniti deberet; ex hiſce ſignis autem neceſſario concludi videtur, veteres in eo erigendo plus & laboris & ſumptuum impendiſſe, quam hiſce noſtris temporibus factum fuerit. Plus laboris ajo, hac inductus ratione, quod attrahendo Obeliſcum è regione talorum, ad quos pedem ejus firmatum dixi, vires inter ſeſe connitebantur, pugnabantque, ego autem, ut ſuo apparebit loco, eo modo artem adaptaveram, ut mihi attrahenti pes in erectione apicis adjumento fuerit non minimo: plus ſumtuum, quoniam neceſſe fuit antiquos Obeliſcum rurſus in pedem erigere volentes, machinam ſeu Caſtellum fabricare tanta longitudine, quanta eſſet Obeliſcus in terram demiſſus.

*Conjectura circa modum erectionis.*

*In quo Veteres plus laboris & ſumptuum impenderunt.*

*Obeliſcus diu jacuit ante erectionem;*

Præterea, Obeliſcum hunc longo temporis tractu, antequam in opus deductus ſit, in terra extenſum jacuiſſe exiſtimo; pes enim diuturnitate temporis videbatur corroſus, cum iis in lateribus, quæ terram verſus converſa fuere, politiſſimus ſit, tanquam ſi nuper elaboratus fuiſſet, quod & hodie apparet. Dein aſperitas ejus à tempore inducta, tubercula plurima ſeu cicatrices talo æneo ſibi ſuppoſito impreſſit, quas non impreſſiſſet ſi artificis manu paulo ante, quam ei imponeretur, fuiſſet expolitus; rubigo autem nec pulvis inter ſaxum æſque injectum iis cicatricibus dedere cauſam, nulla enim inter utrumque, cum Obeliſcus ſublatus fuit, apparuit ſpurcities. Neceſſe igitur fuit Obeliſci pedem à temporis diuturnitate, ventique marini malignitate, ad quem converſus jacuit, paullatim adeo fuiſſe corruptum. Iſque effectus hodie & in ipſis apparet Obeliſci lateribus, quorum id quod meridiem ſpectat, aſperum & exeſum eſt, id vero quod Septentrionem, abſque ullo nocumento expolitum reſtat.

*Vnde paullatim corruptus,*

Nec Plinium à veritate aberraſſe exiſtimo, cum dixit, Obeliſcum hunc in erectione diſruptum fuiſſe, idque his tribus inductus rationibus aſſero. Primo, quod apex non eadem ut in aliis factus ſit proportione, ut videre licet in illo D. Auguſti, nunc penes S. Mariam populi erecto, nec non in illo Conſtantii, qui hodie S. Iohannis Lateranenſis ornat aream, in Circo maximo repertis; ut & in illo, in Caracallæ Circo ad S. Sebaſtianum, in illo Campi Martii, in illo hortorum Salluſtii, & minori illo ad S. Mahutum; horum enim apices ſinguli, unius & medii ſunt capitis; itaque eadem proportione obſervata, hujuſce noſtri apex altitudinem palmorum duodecim attingere debuiſſet, cum vix ſex palmorum ſit. Facile itaque inducor ut credam, veteres poſtquam diruptus eſſet Obeliſcus apicem majorem efficere noluiſſe, næ ſaxi totius magnitudini decederet aliquid. Secundo quod apex videatur alterius artificis elaboratus manu, nam ſi ejuſdem eſſet opus, eodem elaboratus ut reliquus Obeliſcus foret modo, cum nunc adeo non ſit politus, operis vero ruſtici potius videatur. Huc etiam accedit quod Obeliſcus hic ſi proportionem conſideres, minor ſit aliis illis ſupra memoratis, quorum alii novem & dimidii, nonnulli decem capitum altitudine uſque ad apicis gaudent principium, hic vero qui ad S. Petri conſpicitur, nequidem novem capitum attingat altitudinem.

*& in erectione diſruptus.*

*Quod tribus rationibus aſſeritur. Prima ratio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

Interea temporis dum prædicti eximebantur tali, lectus ſternebatur, trahaque cylindris volubilibus ſuperimponebatur. Traha vero minoris, quam ipſe Pes Obeliſci, confecta erat latitudinis;

*Lectus Obeliſci.*

nis; ut sub eodem in vacuum, quod inter binos angulos, in quibus cuneis truncisque, ut supra dixi, innitebatur ligneis, supererat, posset immitti.

Restabat nunc sola Obelisci demissio; opus sane majoris difficultatis & periculi, quam prius illud, idque ob motus magnitudinem & saxi proceritatem; itaque in hunc effectum, trochleas, rudentesque mutari necesse fuit, applicarique variis in locis à tribus solummodo lateribus, latere Orientali relicto ab omnibus impedimentis expedito, quod dum demitteretur, trahæ incumbens, quiescere oportebat. Mutatæ non minus fuerunt ergatæ, quas alio modo, ut demonstrabo, in demittendo Obelisco adhibere necesse fuit. Cumque præviderem necessarium fore laborem quandoque sisti & inhiberi, dum Obeliscus in aëre sustineretur inclinatus & pendulus, ut trochleæ funes aliaque necessaria interea possent refici; ne Obeliscus solis inniteretur funibus, sed continuo sustineretur fulcris, trabes quatuor sexaginta palmorum longitudinis ei effectui destinavi: in summitate autem horum trabium nodos ferreos quosdam crassissimos fibularum modo confici curavi, qui quodammodo sese aperiebant fere ad ipsum Obeliscum circa virgam ferream crassissimam, cujus diameter erat dimidii palmi, ei lateri Obelisci, quod in terram demitteretur, applicatam. Continebatur vero virga prædicta in extremitatibus Circulo quodam crassissimo, qui reliqua tria Obelisci latera complectens, eam in certis foraminibus immissam hinc inde fortiter constringebat.

*Mutatio trochlearum, & rudentum.*

*Trabes 4. aptatæ ad sustentandum in aëre Obeliscum,*

Trabes autem eæ erant impositæ cylindro cuidam, qui instar succulæ minoris comprehendebatur circulis ferro munitis ad dictarum trabium pedes inclavatis, aperiri autem circini forma poterant, quando necessitas exigeret. Cum vero eousque aperirentur, ut obtusi anguli, quem constituerent respectu, sustentaculorum sustinere amplius non possent vices: quatuor consimiles sed breviores trabes confici jussi, quæ in priorum illarum succederent locum, eidemque inservirent effectui, donec in traham demittetur Obeliscus: & quandocunque opus quievisset, Obeliscus omni tempore hisce inniteretur trabibus, continendo cylindrum prædictum subpositum fune capitibus cylindri circumvoluto, & columnis Machinæ seu Castelli commisso vel etiam trabe ferrea, certis foraminibus in cylindro fabrefactis immisso, qui in terram demissus circumvolutionem ejus reprimeret ac contineret. Ergatæ mutatæ jam & locis convenientibus dispositæ, eodem modo, quo in Obelisci sublatione usi fueramus, attrahi cœperunt, donec funibus jam unitis & concordantibus, inhiberentur, eo, ut non possent circumvolvi, modo. Hisce autem omnibus præparandis octo impensi fuere dies. Mercurii itaque die 7 Maji, 1586, summo mane omnia suo ordine fuere disposita. Pedi Obelisci quatuor trochlearum alligata fuere paria, quatuor ergatis versus Occidentem retro Sacrarium dispositis respondentia; hæ summo mane circumvolvi cœpere, reliquæ vero omnes antea inhibitæ paulatim secundum mandata mea præfectis earum data, funes remittebant, eodem ut in sublatione observato ordine, scilicet ut ad tubæ signum quatuor ergatæ pedi Obelisci alligatæ attraherent, reliquæ in contrarium remitterent; audito vero campanæ sonitu, omnes sese inhiberent: ut vero apex inclinaret terram versus, à parte posteriori duabus trabibus ad extremas Castelli columnas seu antennas firmatis minoribus sustentabatur: & cum attraheretur pes, apex, sustentaculis vim facere nequiens, maxima terram versus inclinabatur facilitate. Ne vero inclinando subitanea concussione nutaret, quinque fuerunt armatæ trochleæ, Hemisphærio Sacrarii affixæ, aliis quinque ad Obelisci apicem religatis respondentes, qui descensum ejus adeo, quasi freno adhibito, temperarunt, ut nulla vel minima concussione contremuerit. Cumque mediam attigisset descensus viam, pondusque eam ob causam omne pedi insisteret, sponte sua super cylindris volubilibus retrovehi incepit, tantumque abfuit ut attrahi pes necesse fuerit, ut motum hunc nimium alacrem, trochleâ pedi Obelisci alligatâ, refrænare, & secundum

*eæque cylindro impositæ.*

*Quatuor item aliæ breviores.*

*Ergatarum mutatio.*

*Trochleæ pedi obelisci alligatæ, ad attrahendum, & remittendum.*

*Quinque aliæ trochleæ in modum freni aptatæ.*

dum beneplacitum directoris regere necesse fuerit. Denique hora vigesima secunda trahæ, quam sibi, ut dixi, sua sponte substraverat, salvus & extensus incubuit, sine ulla cujusvis offensione. Maximo animi gaudio Pontifex id intellexit, & universa populi multitudo incredibili affecta fuit lætitia, cujus testandæ gratia, Architectus magno tympanorum tubarumque strepitu domum fuit deductus.

*Suæ sedi tandem incumbit Obeliscus.*

Præsens figura, Lector benevole, Obeliscum in Machina seu Castello, eo quo terram versus descendens constitutus erat modo, tibi exhibet.

A. Obeliscus in Castello pendulus, paulatim terram versus descendens.

B. Scalæ in Castello fabricatæ ascensui & descensui, si opus id exigeret, inservientes.

C. Trabes quatuor pro sustentaculis Obelisco descendenti præparatæ.

D. Traha longa palmos octoginta, lata palmos novem, secundum longitudinem composita è quatuor trabibus, cum tigillis transversis probe incisis, crassitie palmorum duorum & unius quartæ. huic trahæ demissus incubuit Obeliscus; pedi Obelisci vero traha hæc funibus fuit alligata, dumque ipse retrocederet sibi ipsi eandem continuo attrahendo substernebat.

E. Ergatæ conjunctim Obelisco demittendo inservientes.

F. Cylindri volubiles sexaginta numero, diametri unius palmi, trahæ substrati, ac ad capita ferro muniti; quorum aliqui enormitate ponderis incumbentis fuere contriti, alii vero trabibus lecti vi fuere impressi.

G. Traha minor longa palmos triginta, cui in principio insistebat Obelisci pes, quæque eo demisso & distenso, ab omni liberata pondere extitit.

H. Scala Cannarum duarum, mensurandæ huic delineationi composita.






BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

In hac figura ſequenti Obeliſcus apice demonſtratur jam trahæ incumbens & demiſſus, una cum omnibus funibus, quæ eundem ſuſtinebant in Caſtello à Septentrione & Auſtro retinaculis firmato.

A. Caſtellum omnibus numeris abſolutum in proſpectu.
B. Apex Obeliſci in dicto Caſtello.
C. Rudentes & funes, qui eum ſuſtinuerant.
D. Traha.
E. Lectus trahæ ſubſtratus.
F. Retinacula quæ trahebantur trochleis ad quatuor capita armatis.
G. Cylindri volubiles.
H. Trochleæ adaptatæ arrectariis, ſive lignis connectentibus.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Sequens figura Ichnographiam, atque dispositionem ergatarum omnium, omniaque cætera ad demittendum Obeliscum, ut supra dictum est, præparata fideliter oculis subjicit.

A. Sacrarii Ichnographia.
B. Obeliscus jam demissus, trahæque impositus, qui dum demitteretur, ad sexaginta circiter palmos Sacrarium intraverat.
C. Forma Trahæ cui incumbebat Obeliscus.
D. Trochleæ & ergatæ, quæ pedem Obelisci retro attraxerant, ut apex ejus tanto commodius demitteretur.
E. Quinque Trochleæ apici Obelisci alligatæ, ad retinendum eum, ne in principio demissionis vehementiori concussione forte impelleretur.
F. Hemisphærium Sacrarii, cui connexæ erant dictæ Trochleæ.
G. Apex Obelisci inclinati, cui alligatæ erant quinque Trochleæ, dictis Hæmisphærio Sacrarii annexis respondentes.
H. Tectum Castelli tribus Obelisci lateribus respondens.
I. Superius Obelisci latus cum Trochleis annexis, dum inclinaretur Obeliscus tecto Castelli obversum, antea Orientem respiciens.
K. Latus Obelisci Meridionale cum Trochleis alligatis.
L. Latus Septentrionale itidem Trochleis provisum.
M. Latus Orientale absque Trochleis, cum hæc Trahæ imponi deberet.
N. Pars Ichnographiæ novæ Basilicæ D. Petri.
O. Pars Ichnographiæ antiqui Templi ejusdem.
P. Introitus Porticus ejusdem Templi.
Q. Ichnographia ædificiorum Campi sancti.
R. Cochlea qua Sacrarium ascenditur.

*Obeliscus in terram depositus.* Postquam Obeliscum salvum in terram trahamque deposuimus, die insequenti trochleas omnes, nec non ergatas disarmari curavi, cui labori quatuor impendimus dies; Obeliscum dein ipsum quatuor ergatis trochleisque eousque protraximus, donec totus è Castello exiisset, ne, dum dissolveretur Machina, aliqua trabium in Obeliscum cadendo eum læderet. *Totus è castello protractus.* Deinceps auferendo cuneos, funes, gimphos, circulosque, Castellum dissolvere incœpimus, omnia singulari mandantes custodiæ, ut rursus, cum secundo in area ipsa erigeretur Castellum, essent usui: Eo dissoluto, terram circumcirca stylobatam, ut eam erueremus, excavare orsi sumus, cum terrâ usque ad quadriginta palmorum altitudinem esset tecta, ut in ipso commemoravi principio; eodem autem tempore ex hoc loco ad aream Divi Petri transferebantur lignea quæcunque, cumque mediam stylobatam detexissemus, primam invenimus stylobatæ (cui tali qui Obeliscum sustinuerant, fuerant impositi) partem, altam palmos undecim, cum dimidio; latam à parte Orientali palmos duodecim & quartam palmi partem, ab Occidente palmos tredecim, à Septentrione & Meridie palmos tredecim & unam quartam; quos si ad palmos cubicos reducas, invenies palmos mille nongentos vigintiquatuor, qui *carrettatas* sive onera efficiunt plaustrorum sexaginta quatuor una cum quatuor palmis. Pondus vero (ratione superioris supputationis) exæquabat sexaginta quinque millium, & quadringentarum sexaginta quatuor librarum: extrahebatur autem ea stylobatæ pars super cylindris volubilibus aream versus: Sub hac prima parte invenimus cymatium è solido & unico lapide altum palmos quatuor, latum

*Terra excavata.*

*Prima stylobatæ pars inventa:*

*Ejus pondus.*



I
K
L
M
F F
E
G
C
D
A
B
N
O
P
Q
R
H

latum in parte superiori quindecim, inferiori vero tredecim palmos; qui palmos cubicos efficiunt septingentos octoginta quinque; quos justo carrettatis viginti sex palmisque residuis quinque exæquare potes; pondus vero hujus cymatii erat librarum sexaginta septem millium, & quingentarum decem; quod cymatium, ut prima pars extrahebatur, & in aream eodem mittebatur modo. Sub dicto cymatio aliud stylobatæ inventum est solidum, altum palmos tredecim, latum Orientem versus palmos undecim & tres quartas, ab Occidente, Septentrione, & Meridie palmos tredecim, qui sunt palmi cubici duo mille nonaginta unus; carrettatæ sexaginta novem palmique residui viginti unus; ponderis erat librarum centum septuaginta novem millium octingentarum viginti sex. Sub hoc solido rursus erat Basis alta palmos quatuor unamque quartam, lata superius tredecim, inferius quindecim & dimidium palmos, huic basi subjectum erat scamillum gemina præditum projecturâ, una Orientem, altera Occidentem versus, latis palmum unum cum dimidio, altis palmos duos cum una quarta: qui in universum conficiunt palmos cubicos mille ducentos octoginta octo; carrettatæ quadraginta duæ, palmique residui viginti octo; pondus vero librarum efficiebant centum decem millium, septingentarum septuaginta octo. Cum ergo animadvertissem priorem stylobatæ partem majoris latitudinis, minoris vero, quam illud inferius esse altitudinis, meque Architecturæ docuissent dogmata latius in inferiori, strictius in superiori collocandum esse parte; credere incœpi illam superius locatam stylobatæ partem, reliquum quid vetustioris esse fabricæ, tantoque magis mihi id persuasi, cum animadverterem Basin superius memoratam egregio & longe meliori, quam Cymatium, confectam opere, atque ex hac operis diversitate alium basin, alium cymatium confecisse architectum, conjectura assecutus sum. At si in erectione nostra stylobatæ hujus latius illud, quod superiori fuerat, inferiori voluissem statuere loco, minus decorè basi cymatium fuisset impositum, quod minori ipsa Basis esset latitudine; basi vero de novo conficiendæ, Romæ saxum tantæ molis non exstabat: hâc igitur difficultate, ut & brevitate temporis impulsus, fragmenta hæc eodem, quo Veteres, necesse habui disponere modo.

Sub prædicta basi inveni scamillum è candido marmore, altum palmos quatuor & dimidium; longum ab Oriente & Occidente palmos viginti duos cum dimidio; latum à Septentrione & Meridie palmos quindecim. Scamillus è tribus constabat frustis, quæ ansis ferreis plumbo tectis inter se erant conjuncta, & quamvis aquæ, quæ ex terræ scaturiebat venis, esset immersus; ansæ nihilominus tanto temporis intervallo à rubigine aliove corruptionis modo erant illæsæ, quod plumbi adscripsi virtuti, cum experientiâ infallibili talium magistra, ferrum in plumbo diutissime conservari edoctus essem, nam cum ansas hasce exscinderem, in ipso plumbo scalpri apicem adinveni ruptum & contectum, in circumfusione plumbi (ut existimo) casu illapsum pulcherrime conservatum, ac si eodem fractus fuisset die. Saxum hoc marmoreum maximâ cum difficultate fuit evulsum, stylis enim diversis in locis tenacissime adhærebat, ita ut cuneos ferreos vi maximorum malleorum ejus eradicandi gratia circumcirca incutere necesse fuerit. Effossâ stylobatâ ordinem duplicem lapidum Tyburtinorum invenimus, & sub eodem fundamentum ex frustis silicis constans; lapides vero omnes effodere non potuimus, ob sumtuum minime necessariam impensionem, quadraginta enim sub terra conditi erant palmis, perpetuæque scaturiebant ibidem aquæ.

Sed

Sed cum Obeliſcus ex hoc loco in D. Petri Aream, per centum & quindecim cannarum ſpatium eſſet devehendus, ibidemque erigendus; area ad amuſſim fuit examinata, inventaque quadraginta circiter palmis humilioreo, quo tum eveheretur loco, altior vero ſtylobatâ tribus fere palmis; aggerem itaque è dicto loco in aream excitari, complanarique, ſumtâ è monte Vaticano poſt fabricam Baſilicæ D. Petri materie, viſum fuit; cujus latitudo juxta pedem palmos æquavit centum, altitudo triginta ſex; ipſe apex arginis palmos quinquaginta erat latus; circa Caſtellum vero dilatandus erat in fundo uſque ad centum vigintiquinque palmos, in ſummitate ad nonaginta quinque; ne autem uſquam hiſceret, plurimis in locis trabibus replebatur; latera autem trabibus quoque, aſſeribus atque fulcris ſingularem in modum muniebantur, ne immenſo & immani ponderi cedere poſſet; quemadmodum figura præſens fideliter exhibet.

A. Latus munitum Aggeris Meridiei obversum.
B. Obeliscus in aggere eo, quo propellebatur modo.
C. Trabium trunci trahæ impositi & sub Obelisco strati, eundem sublimem retinentes, ut erigendus rursum ligari præpararique posset.
D. Traha cylindris volubilibus imposita.
E. Fulcra omni ex parte Aggerem fulcientia.
F. Trabes in directum positæ, quæ totam armamentorum sustinebant molem, à fulcris innitentibus sustentatæ.
G. Tigna aggerem circumcirca constringentia, asseresque ad continendam terram dispositos continentia.
H. Asseres strictissimè ad eundem finem à tigno ad tignum conjuncti.
I. Trabes per Aggeris latitudinem ab uno latere ad oppositum transeuntes, illigatæ, clavisque conjunctæ, undiquaque armamenta eum in modum concatenabant, ut nullo ponderi agger cedere posset.

Dum vero hæc conficerentur, fundamentis in Areâ ad sustinendum Obeliscum jactis, planum è lapide Tyburtino quadraginta undique palmos latum fuit impositum, cum tribus ex eodem lapide gradibus circumpositis, quorum singulorum latitudo duorum palmorum erat & dimidii; in ipso autem plano Septentrionem & Meridiem versus relicta fuere octo foramina formâ quadratâ, quinque palmos quovis latere lata, quibus inniterentur Castelli rursus erigendæ Columnæ sive antennæ. In medio foraminum, quod exactum plani è lapide Tiburtino fundamentis, ut monui, superstructi, erat centrum, primum Plinthus è candido marmore ansis ferreis, ut ante, probe munitus; sub eo autem mittebantur nummi plurimi, iis qui in fundamentis dispersi fuerant plane similes, inter eos duo aurei, quibus jussu Pontificis, effigies Pii V impressa, in aversa facie vero Religio & Iustitia. Plinthi autem partes tres tertia palmi parte fuerunt sejunctæ, ut à lateribus proëminentiam quandam constituerent, quæ hac proportione decoris nonnihil adderet: inter duas vero hasce partes tabula marmorea posita linguâ Latinâ insculptum referebat nomen Pontificis Maximi, modum in opere conficiendo observatum, succinctè descriptum, nomen porro, cognomen, patriamque artificis, atque tempus; in perpetuam rei præclarissimæ memoriam. Inter Plinthum basinque rursus nummi alii Sixti V referentes effigiem fuere dispersi. Basi vero solidum stylobatæ, deinceps cymatium; postremo ultimum solidum, eodem quo primum fuerat modo, fuere imposita; nisi quod ultimo solido necesse fuerit quartam palmi partem demere, ut noviter loca juste imponendis talorum stylis exscinderentur, cum in excavandis talis fossulæ justo largiores devenissent; tum vero tali locis suis immissi plumbo circumfuso rursus fuere consolidati. Interim dum hisce incumbunt artifices, alii circumcirca terram aggerebant, & octo castelli construendi antennas iisdem quibus ante circulis gimphisque munitas erigebant, atque foraminibus in eum finem in plano prædicto relictis imponebant; adeo ut eodem tempore quo basis erecta, talique plumbo adunati fuerint, mons circa fuerit aggestus, altitudinem ipsius stylobatæ æquans; columnæ quoque principes interim in altum excrescebant; ipsumque castellum nudum trabibus, fulcris munitum priori ex amussi simile erectum conspiciebatur, ut in sequenti figura exhibetur.

A Mons

[library stamp]

A. Mons munitus circa Castellum, quod ei ad elevandum Obeliscum erat impositum.

B. Latus Castelli Austro obversum.

C. Fulcra columnas præcipuas sustinentia, quæ superficiei terrei montis erant imposita; in ipso vero monte sub quovis horum trabes stabant erectæ ejusdem cum monte altitudinis, repletæ tignis plurimis transversis, invicemque clavis junctæ & munitæ, ne loco cederent, hocque factum, cum terræ congestæ haud crederetur, ut fulcra solido corpori inniterentur.

D. Trabes in formam crucis dispositæ castelli muniendi gratia.

E. Scala dimensioni hujus figuræ inserviens.

Sequens


24

Fabricato jam & finito Castello, Obeliscus retro eum in modum ei fuit substratus, ut apex ab altera foras prodiret parte: post eum duobus, tribusve in locis armare & constringere, trochleasque tribus lateribus detectis alligare incœpimus, quemadmodum in sequenti apparet figura; in qua tres erecti tibi ob oculos ponuntur Obelisci, ut uno intuitu trochlearum omnes alligationes tribus in lateribus supradictis videre possis.

A. Obelisci latus, quod tectum Castelli versus spectabat, una cum trochleis quindecim, eo quo apparet modo, alligatis: quarum una duplicata duodecupla circumvolutione duabus inserviebat ergatis.

B. Latus Septentrionem versus, cum duodecim trochleis, quarum ut in priori, una erat duplex.

C. Latus versus Meridiem, cum quatuordecim trochleis, quarum una quoque, ut in prædictis, erat duplex.

D. Castelli tectum, in quo omnium trochlearum monstrantur alligationes, trochleis trium laterum respondentes.

E. Fundamentum in montis superficie, ubi requiescebant fulcra.

F. Trochleæ quatuor trabi ante Castellum sitæ affixæ, totidem aliis trochleis angulis Obelisci notatis littera G alligatis respondentes; quibus pedem, dum erigeretur Obeliscus, retrotraherent.

G. Aliæ quatuor trochleæ quatuor ergatis respondentes ad retrotrahendum pedem ut supra.

H. Poleæ sive trochleæ minores, per quas transibant capita funium ad ergatas tendentium, ergatarum autem quævis poleas habebat tres, unam ad Castelli pedem, alteram ad montis marginem, tertiam ad radices ejusdem in area notatas numeris 1. 2. & 3. ut melius in proxima ab hac apparebit figura.

I. Spondæ montis hoc modo munitæ.

K. Aperturæ fictitiæ in monte, ad monstrandas poleas in plano areæ.

Se-




*De Obeliscis.* **Hhhh**

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Sequens figura exhibet Caſtelli faciem apertam, cum Obeliſci interius attracti apice, rudentibuſque eum ſuſtinentibus.

A. Caſtellum apertum, in quo columnarum atque fulcrorum Orthographia ob oculos ponitur.
B. Fulcra ex unica trabe fabricata.
C. Fulcra è pluribus trabibus inter ſe connexis.
D. Remoræ, quæ Caſtellum, ne interius inclinaretur, retinebant, ordineque ſenſim eximebantur, atque reponebantur, prout Obeliſcus erigebatur.
E. Forma columnæ ex quatuor trabibus ſimul compactis & craſſitiem conſtituentibus conſtantis, quæ uſque ad fundamentum montis in areâ poſiti pertingebat, cum addita in apice medietate arrectariorum, ſive tignorum connectentium.
F. Fulcrum è pluribus trabibus fabricatum.
G. Apex Obeliſci ſub Caſtello attracti.
H. Traha Obeliſco ſubſtrata.
I. Retinacula caſtellum tenentia.
K. Funes Trochleis ad erigendum Obeliſcum immiſſi.
L. Caput rudentis ad ergatam tendens, per tres poleas trajectum.
M. Loca Polearum conſtitutarum.
N. Trabes montem quaſi concatenatum interius conſtringentes, ne ponderi cedens hiſceret.
O. Suſtentacula, quæ lignorum connectentium funes fulciebant.
P. Arrectaria, ſive Tigna connectentia machinam cum Tholo medio, quibus impoſitæ trabes, ad quas alligatæ hærebant trochleæ.
Q. Capita dictarum trabium.

Poſt


P Q P Q
Q Q
O O
I I
I I
A A
F
D
D
E
C C
K
C C
K
D
K
B B
B
B
G
L M
N
N N
L
M

Post munitas trochleas, in ipsa area dispositæ fuerunt ergatæ, quemadmodum ex præcedenti apparet Ichnographia.

A. Ichnographia Cancellorum aream ambientium, repellendæ turbæ gratia, ne operi esset impedimento.
B. Ergatæ in area ad tollendum Obeliscum dispositæ quadraginta quatuor numero, iis scilicet comprehensis, quæ pedem Obelisci retrotrahebant.
C. Ergatæ quatuor indicatæ.
D. Montis circa Castellum fabricati, super quo Obeliscus trahebatur, Ichnographia.
E. Ichnographia castelli in medio montis erecti.
F. Ascensus montis.
G. Locus elevatus Architecto erectus è quo operi prospiceret.
H. Funium capita Poleas in radice montis dispositas ingredientia.
I. Montis armamenta.
K. Succulæ, super quibus procedebant ergatarum funes, ne terram attingerent.

## OBELISCI ERECTIO, ET PERFECTIO.

Decima Septembris, die Mercurii, anni 1586, cum omnia rite jam essent parata, summo mane ante Solis exortum in Palatio Prioris Equitum Melitensium Romani in capite areæ versus Occidentem sito binæ Spiritus sancti Missæ fuerunt celebratæ. Die autem præcedenti omnes in erigendo Obelisco operam præstituri, sacræ Communionis participes facti, quemadmodum & in priori elevatione fuerat observatum, precibusque fusis Deum Opt. Max. operi propitium eventum ad nominis Divini honorem & gloriam exoraverant; sacris peractis quique suo fuere distributi loco, atque omnia albescente aurora prompta & ad laborem parata. Tum signo tubâ & campanâ dato, eo quo ante modo quadraginta ergatis, centum quadraginta equis, & octingentis hominibus labor inchoatus est; dumque Obelisci apex paulatim attolleretur, quatuor ergatæ è regione positæ sensim attrahebant pedem, adeo ut funes Obeliscum in altum trahentes, ad perpendiculum fere tenderentur semper, nec necesse esset ut retro Obeliscum traherentur, pedive ejus firmato reniterentur; quemadmodum veteres, ut ante monui, facere coacti fuerant; verum quanto magis apex attollebatur, tantum pondus ipsius imminuebatur, pedique accedebat, qui paulatim ut ipsi subjiceretur, attrahebatur majori cum erigendi facilitate. Cumque jam medius fere esset elevatus, sustentaculis suppositis fulciebatur, cessatumque ab opere est, donec omnes qui operi fuerant intenti, prandio animos viresque refecissent. Quo finito reversisque ad laborem, operis labor maxima cum diligentia continuatus est. Interim circa vigesimam primam diei horam Orator Regis Galliæ nomine obedientiam Pontifici oblaturus, Portam Angelicam Burgi ingressus, areamque præteriens, dum bini tractus peragerentur constitit. Tandem post quinquaginta duos tractus erectus est, egregio sane varias ob causas spectaculo, ad quod infinitus pene confluxerat hominum numerus, quorum plurimi ne locum spectandi commodum amitterent, à Matutino tempore usque ad Vesperam jejuni consistere maluerunt, alii loca in Amphitheatri formam construxerant spectatoribus, è quibus lucrum iis haud contemnendum profluxit. Dum autem Sol jam ad occasum vergeret, Obeliscus erectus stylobatæ institit, at traham dum attolleretur secum attraxerat, eratque ei eadem subjecta; posthæc peracta & signa mortariis arci data, tormenta majora magno cum fragore explosa, operis absolutionem indicantia, almam Vrbem lætitia quam maxima affecere; tubicines, tympanistæque ad domum artificis confluxerant,

magno

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DI [illegible]

DIVO CAES. DIVI
IVLII F. AVGVSTO
TI·CAES. DIVI AVG.
F. AVGVS·SACRVM.
ECCE CRVX DOMINI
FVGITE PARTES
ADVERSÆ
VINCIT LEO
DE TRIBV IVDA






[library stamp]

magno cum applausu accinentes. Pontifex Maximus interea è monte Quirinali ad D. Petri rediens, ut Consistorio publico, quod recipiendi Oratoris Gallici causa celebraretur, interesset, in vico qui vulgo *i Banchi* dicitur, Obeliscum salvum incolumemque erectum intelligens, maxima lætitiæ signa prodere dignatus est. Septem dies insequentes in restaurandis ergatis, alligandisque ad quatuor Obelisci latera trochleis fuere insumpti, quatuor vero vectes è trabibus crassissimis, septuaginta palmos longis fuere adjuncti; cumque Traha esset extrahenda, ergatæ intendi, vectesque impelli cœperunt, ut Obeliscus sensim elevaretur; & confestim tum à fabris lignariis, aliisque operi huic destinatis impellebantur cunei, fulciebaturque à binis lateribus Obeliscus, pes enim Obelisci trahâ aliquantum erat latior. Atque eo modo ab omni latere paululum elevato, & firmato Obelisco, traha extracta est, atque Obeliscus cuneis innixus restitit; ossa interea ænea Obeliscum sustentatura accommodata sunt, plumboque infuso affixa ea, quibus styli erant; quibus peractis eadem die rursum ergatæ tensæ, vectesque fuere impulsi, atque ordine cunei exemti, & Obeliscus sensim demissus, donec eâdem vesperâ ossibus æneis insisteret; tumque ob vergentem ad noctem diem ab opere cessatum est. Sed die insequenti accurate & ad perpendiculum fuit dispositus eo modo, qui ob armamenta Obelisci, videbatur expeditior. Compertum mihi erat Obeliscum à quovis latere acclivitatem habere duorum palmorum, itaque applicari jussi lignum duos palmos longum medietati cujusvis lateris sub ipso apice, illincque perpendiculum demitti in medietatem pedis, quem vix attingeret; atque hoc modo accurate Obeliscum disposui; sed cum ossa ænea cui incumberet, haud essent æqualia, necesse fuit nonnullis laminas aliquot æneas addere. Dein omni opera Obeliscum detegi, nudarique curavi, ergatasque adimi; atque tandem nudus solusque constitit vigesima septima ejusdem mensis die; quâ Pontifex solemnem supplicationem instituit, ad crucem deauratam in apice Obelisci ponendam consecrandam, atque purgandum & benedicendum Obeliscum, quo sequitur ordine & modo.

*Modus Supplicationis celebratæ, ad purgandum Obeliscum, & consecrandam Crucem.*

MAtutino tempore circa horam decimamquintam Episcopus Ferratinius solemnem & votivam Crucis celebravit Missam, qua finita impluvia indutus rubra, præeunte Capituli D. Petri labaro, cum cruce & candelabris more solito: Supplicatio interim ordine per aream sese extendebat, montem è terra aggestum omnes usque ad Aram, quæ lateri Obelisci Basilicam D.Petri respicienti erat affixa, ascendentes, cantantes interim Psalmos sequentes cum Antiphonis. Antiphona. *O Crucis victoria, &c.* Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, &c.* Psalm. 3. *Domine quid multiplicati sunt, &c.* Psalm. 95. *Cantate Domino Canticum*, j. *&c.* Psalm. 96. *Dominus regnavit, &c.* Psalm. 97. *Cantate Domino Canticum*, ij. *&c.* Dein denuo Antiphona prædicta juxta Aram Obelisci recitata est, Cruxque benedicta eo modo, qui in libris Pontificiis describitur, & à Clero ordine exosculata. His peractis Episcopus lustrali aqua Obeliscum aspergens, eundem purgavit sequenti modo. Primo recitabatur Antiphona. *Signum salutis, &c.* Psalm. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici, &c.* Psalmo verò & Antiphona absolutis, Episcopus stans, mitra ornatus, manu versus Obeliscum extensa dixit: *Exorcizo te, &c.* tum deposita mitra infit: ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Domine Iesu Christe, &c.* Tum recepto è manu Diaconi sequentis, & limbum pallii sacri attollentis aspersorio, sequente acolytho cum vasculo aquæ lustralis, eadem Obeliscum ter circumiens aspersit, primo scilicet supremam, dein mediam, tertio infimam ejus partem. Præterea cultello crucem quatuor ejus lateribus insculpsit, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Oremus. *Singulare illud propitiatorium, &c.* Tumque Episcopus Diacono crucem tradidit, qui eam Clericorum auxi-

auxilio sustulit; dumque ad apicem Obelisci attraheretur, cantatus est Hymnus: *Vexilla Regis prodeunt, &c.* usque ad Versiculum: *O Crux ave, spes unica In hoc solemni tempore, &c.* Cumque Crux, cujus pedem tenebat Diaconus, dum eam fulcirent artifices, apici Obelisci imponeretur, omnes in area stantes in genua procubuerunt, Cantores vero finientes Hymnum cecinerunt: *O Crux ave spes unica In hoc solemni tempore, &c.* Postquam vero tubæ, tympanaque lætitiæ dedissent signa, sequentes Versus & Orationes recitatæ fuerunt: ℣. *Hoc signum Crucis erit in cœlo.* ℟. *Cum Dominus ad judicandum venerit.* ℣. *Dicite in nationibus.* ℟. *Quia Dominus regnavit à ligno.* ℣. *Venient ad te qui detrahebant tibi.* ℟. *Et adorabunt vestigia pedum tuorum.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Deus, qui Unigeniti, &c. Adesto nobis, &c. Omnipotens sempiterne, &c.* Precibus dictis, postquam Episcopus Cruci, apici Obelisci impositæ, thura adolevisset; Diaconus vero quindecim annorum indulgentiam præsentibus promulgasset, Episcopus Hymnum *Te Deum* exorsus est, quem Cantores, dum Supplicatio versus Divi Petri reverteretur, finierunt; eodem vero momento Helvetii prætoriani milites explosis sclopetis, mortariis atque tormentis majoribus, in area dispositis, publicæ lætitiæ dedere signa, quemadmodum & ii qui in Arce S. Angeli erant, maximo cum strepitu responderunt.

Cum vero Supplicatio, in Basilica D. Petri ad aram, cui impositum existebat sanctissimum Sacramentum venisset, preces recitatæ fuere: *Omnipotens sempiterne, &c. Deus omnium &c. Ecclesiæ tuæ, &c.* ℣. *Exaudiat nos Dominus.* ℟. *Et custodiat nos semper.* Atque post benedictionem ab Episcopo omnibus datam, egressi sunt.

Consecratio autem hæc die Veneris peracta est; Aræ vero Obelisco junctæ veneranda Crux erat imposita; ara ipsa Cruce alia, sexque candelabris ex argento confectis, cereos accensos habentibus ornata: cadurcum aram à cœli injuria defendens erat è damasceno rubro; ad sinistrum aræ latus positum erat tablinum cum hysopo, aqua lustrali, & thuribulo aliisque necessariis; dextrum latus Clerus occupabat; omnia Helvetii undiquaque dispositi à nimia plebis affluentis pressione defendebant. Episcopo celebranti assistebant Illustrissimus D. D. Scipio Gonzaga, Patriarcha Constantinopolitanus, & Reverendissimus D. Episcopus Taurinensis; qui postmodum ambo ad Sacræ Purpuræ honorem fuere evecti. Supplicationi interfuere subscripti ordine sequenti:

*Mansionarii.*

D. Iohannes Franciscus Leoni.
D. Thomas Oldovino, Præfectus Sacrarii.
D. Petrus Ugonucci.
D. Bernardus Orso, Subpræfectus Sacrarii.

*Dein sex Capellani.*

*Quos sequebantur subscripti Reverendi D. Clerici Beneficiati.*

D. Iohannes Thomas Vertua.
D. Paulus Ciato.
D. Iohannes Guidetti.
D. Pompejus Ugonio.
D. Albertus Magno.
D. Iohannes Antonius de Statis.
D. Iohannes Thomas Buldrino.
D. Antonius Acciajoli.
D. Iohannes Franciscus Christianus.
D. Iohannes Paulus Antonaccio.
D. Guido Ascanius Provosto.
D. Fabritius Decius.
D. Thomas Caputo.
D. Matthæus Argenti.
D. Ægidius Zaccarella.
D. Michaël Veggio.
D. Michaël Iacomelli.
D. Iohannes Amicus.

*Dein*

*Dein sequebantur Domini Beneficiati hi.*

D. Fabius Gianuzzi.
D. Michaël Angelus Bonfante.
D. Iacobus Oldrado.
D. Nicolaus Amatus.
D. Bartholomæus Alberti.
D. Franciſcus Drudo.
D. Dominicus Iacomelli ceremoniarum Magiſter.
D. Octavius Ferro.
D. Stephanus Taſinoro.
D. Iohannes Baptiſta Tegerone.
D. Iohannes Baptiſta Argenti.
D. Pandolphus Pucci.
D. Horatius Montano.
D. Lepidus Carus.
D. Horatius Malvicino.
D. Iulius ab Alexandris.
D. Onuphrius Nucanino.
D. Marius Altieri.
D. Angelus Mendoſio.
D. Appius Croci.
D. Fabritius Vanucci.
D. Camillus Gualtieri.
D. Innocentius Cibo.
D. Laurentius Quarto.
D. Vincentius Bolognetti.
D. Fabrinus Maltacheti.
D. Lælius Boccapadule.

*Hoſce ſequebatur D. Iohannes Petrus Preneſtini cum octodecim Cantoribus: illos autem Reverendiſſimi Domini Canonici.*

D. Curtius Franchi.
D. Arnolphus Rinalducci.
D. Theodoſius Fiorenzi.
D. Alexander Creſcenzi.
D. Antonius Boccapadule.
D. Iohannes Baptiſta Perozzi.
D. Hannibal de Pauoli.
D. Philippus Coccovagino.
D. Mutius Cevoli.
D. Octavius Cittadini.
D. Horatius Capozucca.
D. Aurelius Savignani.
D. Iohannes Morone.
D. Antonius Vittorii.
D. Ludovicus de Bar.
D. Antonius Maria Gallus, dein S.R.E. Cardinalis.
D. Paulus Capranica.
D. Cæſar de Graſſi.

*Hos ſubſequebatur Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Ferratini.*

Crux ex ære deaurata una cum ornamentis ſupra Obeliſci apicem alta eſt palmos viginti ſex; Crux demtis ornamentis ſola alta eſt palmos decem, lata in brachiis palmos octo, lata autem per ſe duas tertias palmi partes.

Præterea Pontifex Maximus in perpetuum decem annorum, totidemque quadrageſimarum indulgentias (ut vocant) iis conceſſit, qui rite confeſſis peccatis, corde contrito Orationem Dominicam,atque Salutationem Angelicam recitantes, Crucem Obeliſco impoſitam flectendo genu venerati, Deum Opt. Maximum pro felici S. R. Eccleſiæ Statu & Pontifice Maximo precarentur.

Obeliſcus, computatis omnibus ornamentis, altus eſt palmos centum quinquaginta, & tres quartas. Computata vero altitudine plateæ palmorum duorum & unius quartæ, atque intervallo, ubi tali ænei ſunt diſpoſiti, quibus incumbit Obeliſcus, palmi unius, & quartæ, & altitudine Crucis; elevatur Obeliſcus ab areæ planitie uſque ad dictæ Crucis cacumen palmos centum & octoginta, & unam quartam.

Cæterum Obeliſcus in area D. Petri conſiſtit quemadmodum in hac apparet figura.

A. Obeliſcus adornatus centrum fere Areæ occupans.
B. S. Petri Baſilica.
C. Corona noviter adjuncta venuſtatis gratia.
D. Quatuor Leones ænei deaurati, Obeliſcum portare monſtrantes.

Pon-




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Pontifex lateri Occidentali S. Petri versus vertici Obelisci, ubi apex incipit, in fine quadrati superioris subscripta verba incîdi jussit, charactere antiquo & majore, quæ facile à prætereuntibus legi possunt:

SANCTISSIMAE CRVCI
SIXTVS V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT.
E PRIORE SEDE AVVLSVM
ET CAESS. AVG. AC TIB.
I. L. ABLATVM. M. D. LXXXVI.

Denique Stylobatæ sub Cymatio subscriptas inscriptiones incîdi curavit.
Lateri Occidentali versus S. Petri Basilicam:

CHRISTVS VINCIT.
CHRISTVS REGNAT.
CHRISTVS IMPERAT.
CHRISTVS AB OMNI MALO
PLEBEM SVAM DEFENDAT.

Latus Meridionale hæc ornat inscriptio:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM VATICANVM DIIS GENTIVM
IMPIO CVLTV DICATVM
AD APOSTOLORVM LIMINA
OPEROSO LABORE TRANSTVLIT
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

A latere Orientali est inscriptio sequens:

ECCE CRVX DOMINI
FVGITE PARTES
ADVERSAE.
VINCIT LEO
DE TRIBV IVDA.

In latere Septentrionali sequens legitur inscriptio:

SIXTVS V. PONT. MAX.
CRVCI INVICTAE
OBELISCVM VATICANVM
AB IMPIA SVPERSTITIONE
EXPIATVM IVSTIVS,
ET FELICIVS CONSECRAVIT
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

In-

Inscriptio antiqua duobus Obelisci lateribus Orientali & Occidentali incisa est, paullo supra leones, in hunc modum:

DIVO CAES. DIVI
IVLII F. AVGVSTO
TI. CAES. DIVI AVG.
F. AVGVS. SACRVM.

Finito opere, perfecto calculo sumptuum, in sublatione, demissione, transportatione erectione, & adornatione Obelisci impensorum, eos ascendisse inventum ad summam triginta septem millium nongentorum septuaginta quinque scutatorum, excepto ære Crucis & ejus ornamentorum, atque leonum, quod Rev. Cameræ Apostolicæ erat, ligna tamen, Funes, Ergatæ, Trochleæ, Poleæ, ferramenta aliaque utensilia remanent. In perficiendo autem toto opere annus integer consumptus est. Deo Opt. Max. honor sit & gloria.

FINIS.

DE

# AMPHITHEATRIS, THEATRIS, EORUMQUE SPECTACULIS.

E Circo in Caveam progredimur, alteram Spectaculorum sedem, sed haud unam omni tempore: Scenâ enim alia Arenæ est; hanc Amphitheatrum, aut Theatrum dicunt Venatorium; sævitque ac nunquam non sanguinem ebullit: illa siccâ re, lascivâque gaudet, & Theatrum simpliciter appellatur. Caveam ergo utramque daturi, Amphitheatralem primo aggredimur; quæ vero scenam habet, quamvis ortu tum suo tum Ludorum prior sit, ad postremum consulto differimus, ne Lectorem diverso rerum genere differamus; sed Ferinam illam Ferinæ continuemus, scilicet de non humaniori loco digressi. Facit & celebritas major Arenæ, ejusque spectaculorum, in quibus, crudis ac cruentis, prona adhæsit plebs semper quam aliis. Enimvero si ædificii aut operis publici genus ullum in Italia & provinciis crebrum fuit, illud fuisse reperies, quod ad Ludos spectat; sed enim, si quod Ludicræ rei multum in locis, hoc fuit, quod apparamus; oculis, si non libris, id ingerentibus, ex reliquiis ac ruinis quæ fere ubique insignium locorum occurrunt. Lapsis adeo Romanorum moribus in luxum, crudelitatem, & quæ rebus secundis sunt vitia solennia, victis ea quoque gentibus intulere, præsertim quæ blandiebantur & admissionem sibi postulabant amœnæ voluptatis specie, quam omni studio ac artificio condiverat ingeniosus error. Victus enim ipse victor populus mollitie, captus errore, ductus cupiditate, tum demum crebro consessu vinciri, spectaculis insanis constringi, turbâ & angustiis contemptibilibus impediri potuit. Et mirandum omnino, auctâ aut societate aut subjunctione omnium terrarum Romanorum potentiâ, rebusque in infinitum exaggeratis, auctoritatem deniq; legum ac morum contractam ac depressam esse: ita enim Cavea, quæ sæpius cauta, semper temporanea fuerat, permansura & pro lignea exurrexit marmorea. Multum in ea sanguinis effusum Christiani, hominumque innoxiorum; ut merito vastata, non solum Magnificentiæ veterum, sed immisericordiæ & pœnæ quoque datæ monumentum relictum sit, eorum, qui pugna cum Domino congressi, aut de exorpto damnatorum cruore impie læti, in æternum tandem sunt extirpati. De Amphiteatro I. Lipsius, qui cum Architectura ritus quoque Munerales conjungit, operum Formam & imaginem omnem expressit, more ac modo suo, hoc est, alte, & luculente, addo etiam fide. Quocirca, quamvis non serio se tractasse Ludicram rem, nec eâ curâ quâ ex suis alia, fateatur ipse ac profiteatur; ejus tamen prosequi negligentiam quam aliorum obscuram proponere nobis diligentiam, elegimus: ducimusque tibi lineas, Lector, magni illius scriptoris; & nostro deducimus modo, hoc est, uno ac perpetuo; qui ipsi multus est, & ut inter colloquentes. Remissis igitur quæ aliena aut ex occasione filo ipse immiserat, simplicem habes Caveæ descriptionem, quæ tibi faciem habitumque totum explicat; de alieno, verò, nihil additum est, quum scilicet non committendum duximus ut amœnis purisque rivis ea confunderemus, quibus illi dilui aut temperari nolunt. More nostro tamen, ab ipsis Ludorum specta-

*Cavea non unius modi.*

*Crebra passim Amphitheatra.*

*Vitia Victorem & Victum vanitate conjungunt.*

*Scriptor capitalis, Iustus Lipsius; cujus deinceps penicillum hic admiraberis.*

spectaculis insignissimis, de quibus orta sunt opera hæc eximia, narrationis quoque exordium nasci volumus, quo claritas Lectoris, illis fundata, hæc facilius pernoscat.

*Munera Arenarum.* Sunt autem Arenæ spectacula officia funebria defunctis facta; unde Munera dicuntur: quoniam officium etiam muneris nomen est. Originem sane trahunt ab antiquo: nam & Achillem ad Patrocli rogum instituisse ludos & ferias mactasse; & Ænean ad bustum Pallantis; & passim, legimus, amicos in suorum exequiis captivos ex hostibus, aut mercatos malo ingenio servos immolasse: creditum enim erat, defunctorum animas sanguine humano propitiari. Ab his denique mos barbarus ad gentem descendit Togatam, ubi paulatim provectus ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem. *Gentes mortem homicidio consolantur.* Placuit autem, humaniori atrocitate officium temperare, & adumbrare impietatem voluptate. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Unde Bustuarii dicti Gladiatores, qui imperatam sibi mortem invicem offerebant. Certaminis initium rudibus faciebant, postea ferro nudi transfigebant. Fessis aut victis aliud par succedebat. Descendentes in pompam funebrem pinnis pavonum ornabantur; unde Licinius, de victoriis abundante:

*Cum septem incolumis pinnis redit, & recipit se.*

Cadebant alii, virtute alii superarant; qui post multas operas arenæ elocatas, populo petente, rude & libertate donabantur, unde Rudiarii dicti sunt. *Commercia Libitinæ.* Lanistæ appellabantur qui in Catasta emptos servos edocebant artes cruentas, ut precio elocarent edituris munera. Auctoratos vero vocabant, qui se ipsi accepta pecunia distrahi patiebantur. Romæ primum dederant Marcus & Decimus filii Bruti, App. Claudio, Quinto Fulvio Coss. Claudius princeps ex arbitrariis statos voluit, quos Ædiles ederent ex pecunia publica de Quæstoribus: idem postea sustulit; nisi privatis, sed ex S. C. iis tantum, qui quadraginta millia in censu habebant. Nero CCCC senatores, IↃC equites; Domitianus etiam fœminas, noctuque in hanc operam coëgit. Tandem Theodoricus Gothor. rex impiam rationem sustulit. Hæc de gladiatoribus. Sed ferrum ferale non satisfaciebat feræ voluptati, nisi feris quoque captivi subjicerentur: hinc tristes morsus Ursorum, laniatus Leonum, mactatus Africanarum & variarum impetus bestiarum; dente derosa, ungue dissipata corpora humana, Cavea habet, *Bestiarii.* tanto horrore, ut ab eo matronæ publico edicto summotæ fuerint: de hoc autem spectaculo supra in Venatione Circi vidimus, & deinceps commodis locis videbimus.

*Caveæ descriptio.* AMPHITHEATRUM itaque, Spectaculis & voluptati ludicræ dicatus locus; quem sæpe Caveam, sæpe Arenam prisci appellarunt. *Trina ejus nomina: 1, Amphitheatrum,* Tria hæc nomina reperimus. Amphitheatrum Græcâ voce ideò, quia gradus circum undique, & sedilia continenter disposita ambibant in orbem. Dio Cassius: Θέατρον κυνηγετικόν, ὃ καὶ Ἀμφιθέατρον ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη: *Theatrum venatorium, quod & Amphitheatrum dictum est, ex eo, quod sedes undique in orbem habeat, sine ulla scena.* *2, Cavea,* At Cavea Latinis; ab interiore hac parte quæ concava, ut vides, & capaci quodam profundo. Quod nomen quidem apud antiquos (libera repub. dico) in Theatris fere hæsit: sed sub Principibus, cum gratia & usus Amphitheatrorum increbuisset, bono jure migravit ad ista. Ammianus libro XXIX: *Alter in Amphitheatrali cavea, cum adfuturus spectaculis introiret.* Tertullianus contra Marcionem: *Quid? non in omnem libidinem ebullis? non frequentas solemnes voluptates Circi furentis, & Caveæ sævientis, & Scenæ lascivientis?* Ubi cum sævitiam Caveæ adtribuat, clarum est intelligi de Amphitheatro. Salvianus pariter: *Quidquid immoderationis in Circo, quidquid furoris in Caveis.* Iulius Firmicus: *Nati sub sidere Caniculæ, erunt venatores, arenarii, parabolarii, & qui sub conspectu populi, in Caveis, cum feris pugnent.* Prudentius:

*Quid pulvis Caveæ semper funebris, & illa*
*Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?*

Idem iterum de Virgine Vestæ quæ it ad Gladiatores spectandos:

*Inde ad consessum Caveæ pudor almus, & expers*
*Sanguinis it pietas.*

Appu-

Appulejus item aperte: *Dies ecce muneri destinatus aderat, & ad conseptum Caveæ, prosequente populo, pompatico favore deducor.* Tertullianus (si recta lectio est) Caulam etiam in libello De Spectaculis dixit, nove magis quam improprie: *Cæterum qualia illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit? credo Circo, & utràque Caulâ, & omni Stadio gratiora.* Vbi ea voce includit etiam Theatrum, nisi si legendum *Cavea.*

3, Arena; Sed & Arenam dixere vulgo, scilicet quia is locus desabulari solet, & arena sterni in usum pugnæ. Nam si lapide aut ruderato: in tam crebra effusione sanguinis, lubrico statim pavimento, quæ ratio standi aut certandi? Arenam injecere igitur, quæ bibula: & quam ipsam renovare & velut inarare etiam soliti per intervalla ludorum. Martialis ostendit, de Leone subito efferato:

*Caussæ, ejus insternendæ.*

*Nam duo de tenera juvenilia corpora turba,*
*Sanguineam rastris quæ renovabat humum,*
*Sævus & infelix furiali dente peremit.*
*Martia non vidit majus Arena nefas.*

*Arena qualis.*

Et credo quidem vulgariam arenam insterni solitam: nisi quod quidam rasuram lapidis albi destinarunt etiam huic rei, quæsita gratia candoris. Plinius libro XXVI. *Invenere & alium usum ejus lapidis, in ramentis quoque, Circum maximum sternendi, ut sit in commendatione & candor.* Nec scio an ad hunc morem, mentem & calamun Ovidius flexerit, cum de Gladiatorum spectaculo scribit:

*Altera tresque super rasa celebrantur arena.*

Rasam enim arenam ingerunt hic consensu fidi & prisci libri, nec caussam adjectionis aliam facile invenio ab ista. Nisi si rasa ideo, quia superficies illa æquabilis, tersa vento & velut rasa. Sed inde vox Arenæ passim pro certamine Amphitheatrali, proque ipso loco. Tacitus: *Spectacula gladiatorum idem ille annus habuit, pari magnificentia ac priora: sed fœminarum Senatorumque illustrium plures per Arenam fœdati sunt.* Iuvenalis:

——— *& municipalis Arenæ*
*Perpetui comites.*

Suetonius: *Equestrem ordinem ut Scenæ Arenæque devotum adsidue proscidit.* Horatius:

*Ne populum extrema toties exoret Arena.*

Capitolinus: *Multos qui secum in Arena pugnassent, se Prætores videre.* In edicto Ædilium: *Quive in Arenam, depugnandi caussa, ad bestias intromissus fuerit.* Et Imperator in L. VIII. C. de repudiis: *Nec ullo modo uxorem expellet, nisi adulteram, vel Circensibus, vel Theatralibus, vel * Arenarum spectaculis se prohibente gaudentem.* In quo usum quemdam sermonis obtinuisse potius, quam rationem non infitebor. Ab hac stirpe Arenarii, qui in arena depugnant. Symmachus: *Dies muneris nostri tempori admovetur: cui largitas candidati sola non sufficit, si lautioribus Arenariis deseratur.* Arcadius Iurisconsultus: *Si ea rei conditio sit, ubi Arenarium testem, vel similem, admitterre cogimur.* id est, Arena alterutra pollutum: ideoque infamem. Tertullianus: *Scenicos, Xysticos, Arenarios illos amentissimos, quibus * viri * animas, fœminæ autem illis etiam corpora sua substernunt.* Ita scribendus indubie is locus: & significat pius & severus noster Censor, insaniisse in hoc genus hominum non unam Faustinam. Nimirum, ut poëta ait,

*Arenarii qui dicti.*

** Vulgo scribunt, Viris animas, fœminis aut illis.*

——— *ferrum est quod amant:*

imo telum. Nec alia, quod sciam, loci hujus nomina.

Idem quoque Tertullianus, libello de Spect. cap. XII, *Asperioribus*, dicit, *nominibus* (lego, numinibus) *Amphitheatrum consecratum, quam Capitolium..* Quod ut liqueat omnibus, non defugiam breviter ea commemorare, quoniam id quoque ad lucem hujus rei facit. Dedicabant inprimis locum & ludum hunc Dianæ. Tertullianus: *Martem & Dianam utriusque ludi* (Gladiatorium & Venatorium designat) *præsidem novimus.* Cassiodorus, magis distincte, sacra Dianæ Tauricæ. *Spectaculum*, inquit, *tantum fabricis clarum, sed actione teterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Nec ab alia caussa, Dianam pro ipsa Venatione amphitheatrali Martialis posuit:

*De Diis, quibus Amphith. sacratur.*

*Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ.*

*Dianæ pro ipsa Venatione Amphitheatrica.*

Sed & Iovi sacrabant, sive Latiari, sive Stygio. De illo, Tertullianus Apologetico: *Ecce in illa religiosissima Æneadarum urbe est Iupiter quidam, quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiariorum, inquitis. Opinor hoc minus, quam hominum.* Idem scriptor alibi, aliique hunc ponunt authores. Stygium sive infernalem interpre-

pretari eum videtur Pudentius:

*Quid pulvis Caveæ semper funebris? & illa*
*Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?*
*Hæ sunt deliciæ* IOVIS INFERNALIS, *in istis*
*Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.*

Et aram imo Ditis in Amphitheatro positam agnoscere, quæ sanguine hoc perfusa.

*Ita distinguo & capio, non ut munus Latiare appellet: sed ut Iovi Latiari fusum sanguinem in munere velit.*

*Funditur humanus* * *Latiari, in munere sanguis;*
*Consessusque ille spectantem soluit ad* ARAM
PLVTONIS *fera vota sui. quid sanctius* ARA,
*Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?*

Quinimo ex Minutio colligas, solemne quoddam ibi hominis sacrificium fuisse, velut ad committendos ludos. Ait: *Hodieque à Romanis Latiaris Jupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum est, mali & noxii hominis sanguine saginatur.* Mali, inquit, & noxii hominis. id est, Bestiarii. Itaque labor ut in Tertulliani loco, quem primitus adtuli, cum melioribus libris legam: *Sed bestiarii, inquitis. Opinor, hoc minus, quam hominis.* Sed præter hos deos, Saturnus etiam in partem venit hujus tutelæ. Lactantius ita adserit, ex sententia Sinnii Capitonis: *Venationes & quæ vocantur Munera, Saturno adtributa sunt: ludi Scenici, Libero: Circenses, Neptuno.*

*Mactatio horrenda, nec Romanorum cultu digna.*

De impia vanitate satis: ad Amphitheatrorum descriptionem redimus; quorum primus ortus liquidus non est, sed apud authores quæsitus frustrà. Non enim magis clarum, quando hæc instituta, quam quando Venatio ipsa: attamen hanc posteriorem Gladiatoribus esse, & in Circi sede diu hæsisse, non vanæ sunt conjecturæ. Nata vero Amphitheatra, nisi multa nos fallunt, haud diu ante tempora reip. desidentis; & quidem temporanea primum, & è ligno. Ita Curionem (illum Tribunicium dico, qui tuba belli civilis) ligneam molem extruxisse, quæ diducta, duo Theatra redderet; iterumque Amphitheatrum unum, conducta, Plinius refert libro XXXVI. Et in Dione legitur, Theatrum quoddam è ligno exstructum, corruisse cum multorum clade. Et sane valde recepta & crebra Spectacula hæc lignea. quod Vitruvius etiam suggerit, libro V: *Dicet aliquis, forte multa theatra Romæ facta quotannis, nec ullam rationem harum rerum in his fuisse. sed errabit in eo, quod omnia Publica Lignea theatra tabulationes habent complures, quas necesse est sonare.* Et Cæsar ipse Iulius, jam Dictator, Amphitheatrum ligneum exstruxit in campo Martio; quod Dio Cassius adsignificare videtur fuisse inventi novi; enim ita libro XLIII: *Multa & varia spectacula edidit, venatorio quodam theatro è lignis structo, quod & Amphitheatrum (ex eo, quod undique sedilia in orbem habeat, sine scena) appellatum est.* Dixi ligneum, quia Dio verbo utitur ἰκριώσας: & quia postea memoria ejus nulla.

*Ortus Amphitheatrorum non liquidus.*

*Curionis versatilis moles.*

*Lignea Theatra & Amphitheatra crebra.*

At sub Augusto, & Venatio valde jam increbuit, & increvit ejus dignitas. Sive unà cum opibus augescente luxu: sive potius, quia ipse ille Princeps valde in hunc ludum pronus. Victor de eo: *Quodque est læti vel amœni animi, oblectabatur omni genere spectaculorum,* PRÆCIPVE FERARVM *incognita specie & infinito numero.* Et ipse Augustus in lapide Ancyrano fatetur, Venationes se dedisse, QVIBVS. CONFECTA. SVNT. BESTIARVM. CIRCITER. TRIVM. MILIVM. ET. QVINGENTA. Itaque statim Venationi tunc reperta propria & mansura domus; Amphitheatrum exstructum è lapide, Augusti suasu, Statilii Tauri opibus & sumtu, in campo Martio. Verum hoc jam præterimus, & ad alterum commodioremque infra locum remittimus, quamvis id solum primumque Romæ lapideum fuit; ad tempora usque Vespasiani. Nam quod Caligula struere cœperat apud Septa, Claudius omitti voluit, Suetonio narrante in Calig. cap. XXI. Et quod Nero postea magnificum in campo Martio erexit, fuit saltem è ligno. De quo Tacitus libro XIII. Annal. & Suetonius in Ner. cap. XII. Fateor & Castrense quoddam Amphitheatrum fuisse, Regione Esquiliis *: quod P. Victor commemorat: sed cujus structor mihi irrepertus. nisi si is Tiberius Imp. fuit, qui idem struxit & Castra. Pompeji Amphitheatrum nullum: nec Plinius tibi imponat libro XXXVI. cap. XV. ubi, *Pompeji Amphitheatri*, aperto librariorum errore legas, pro, *Pompejani theatri*. Quod non monerem, nisi præteritum etiam Hermolao.

*Augustus fautor Venationi cruentæ.*

*Anno Vrbis DCCXXV, Tauri lapideum Amphitheatrum.*

*Caligulæ imperfectum spectaculum.*

*Neronis item non diuturnum.*

** Castrense Amphitheatrum cujus ruinæ, hodie Romæ, nobis deinde apponentur.*

DE

# AMPHITHEATRVM TITIANVM,

vulgo

# IL COLISEO.

STatilii Amphitheatrum quod in multa fama fuit & usu, ambustum est sub Nerone; & ideo occasio data Vespasiano & cupiditas struendi novi. Struxit, & quidem, ut Suetonius ait, in media Vrbe, hoc quod Colisæum hodie dicunt; ideo quia Neronis cum capite Colossus in vicinia. Sed hoc illud in Vrbe media, si ejus ambitum oculis aut pertica metiaris, nequaquam hodie existit; à latere propius aberit, quam ab umbilico: Pomœrium enim novæ Vrbis, quod ab Aureliano & post illum est, decipiat ignaros; at veterem finitionem & limitem si inspicis, prope verum est Suetonii nota. Cujus ipsa verba referre nobis pretium, ut ea emendata habeamus. In Vespasiano, cap. IX: *Fecit Amphitheatrum Vrbe media, uti destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines & exhaustos cæde varia & contaminatos veteri negligentia, purgavit supplevitque.* Scribimus & interpungimus: *amplissimum. Ordines.* Amphitheatro data laus & titulus, Amplissimi; non Ordinibus: è quibus soli Senatui convenire eum, scimus, nec tributum Equiti unquam. Etsi de justa medietate tamen haud affirmo: satis est, circa fuisse. Struxit autem Vespasianus in consulatu suo octavo: id est, vix biennio, ante vitæ finem. Induco à Nummo, cujus inscriptio: *Imp. Cæsar. Vespasian. Aug. Cos.* VIII. *P. P.* & parte altera, expressa figura Amphitheatri. Itaque cœpit opus ipse, non absolvit; struxit, non exstruxit. At Titus filius summam manum imposuit, idemque dedicavit. Duorum ergo principum opus; ideoque non male Sext. Rufus, qui ambigue inscri-

*Amphitheatrum.*

*Occasio novi Amphitheatri.*

*Quod Vrbe media cœptum.*

*Labes elota in Suetonii verbis.*

*Opus hoc cœptum Vespasiano,*

*Absolutum Tito.*

psit, *Flavii Amphitheatrum.* etsi fama & vulgus Tito magis adjudicarit: sive favore quodam in illum, sive potius ex Romano ritu, quo receptum, opera censeri à dedicante. Atque hi duo soli Principes fecere; alii refecere, cum casu aliquo læsum aut igne fuit. Inter eos M. Antoninus Pius, ut refert Capitolinus: *Opera ejus*, inquit, *Romæ hæc exstant. Templum Hadriani, Græcostasium post incendium restitutum, instauratum Amphitheatrum.* Item Eligabalus, Lampridii testimonio: *Amphitheatrum ab eo instauratum post exustionem.* Denique Senatus ipse eam tuitionem suscepit, sub Gordianis. Capitolinus: *Quid enim opus est de restitutione templorum, de thermis Titianis, de ædificatione Amphitheatri agere?* Ita multorum cura, & Genio quodam Perennitatis, pervenire tanta machina potuit ad hoc ævi.

*Multi refecerunt Amphitheatrum.*

Certe si ullum opus dignum memoria & notitia nostra est, videtur & istud. Quod, quamquam semirutum, & quamvis invitos spectantium trahat & velut fascinet oculos eximia sua specie. Veterem, germanamque faciem explicare apprime periti viri sit; nos tamen, quoniam id avide aves, lineas ejus operis videmur posse ducere & deformare id in parte. Itaque, ut Aristophanes,

* Ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλὴν σοι πάντ᾽ ἐρῶ·

Ita nos, quod sciverimus quidem; ac poterimus. Nam quædam etiam, in quibus hærebimus & caligabimus, erunt.

*Amphitheatri species eximia.*

* A capite adusque calcem cuncta edisseram.

Vastum verò est; & cum intraveris, confusam loci faciem videbis, & formam verè informem. Lacera omnia & dirupta, nec aliud quam egregii operis umbra & cadaver. Ipse, ut vidi, cum suspirio, Heu quæ ista res, inquam, & quis mihi eruet verum vultum? Manu enim omnia diruta, aut ævo collapsa; sine articulis ullis prisci corporis, sine membris.

*& facies confusa.*

A. *Interior Amphitheatri murus.*
B. *Sedilia.*
C. *Atrium.*
D. *Carceres ferarum.*

AMPHITHEATRUM VESPASIANI, *nunc vulgo* IL COLISEO.

E. *Summitas quæ pluvio tempore cooperiebatur.*
F. *Exterior murus seu rotunditas.*

*Forma communis. Altitudo.*

Altitudo eximiæ & verè grandis molis, nunc quoque miranda est: etsi multum à vertice ejus corruit; multum à pedibus subsedit. Nam mole & ævo, magna hæc pondera clarè desident, terrâ cedente. Adde aggestum ruinarum: quantum periit? Alta igitur; & Ammianus de eâ: *Amphitheatri moles solidata lapidis Tyburtini compage*, AD CVIVS SVMMITATEM ÆGRE VISIO HVMANA CONSCENDIT. Orbis quoque capacissimus, & qui fidem vix reperit.

*Capacitas caveæ gradilis.*

P. Victor, *Amphitheatrum*, inquit, *quod capit loca* LXXXVII. ∞. Et de gradibus tantùm intellegit, credo: in quorum pulvillis sedisse commodè vult octoginta septem millia hominum. At in ambitu illo superiore & circumjectis porticuum Aulis, non minùs item spectarunt quàm dena aut vicena potiùs millia: sive stantes, sive in allatis cathedris sedentes. Iure ergo molem hanc admiratus Cassiodorus, in hoc eulogium erupit: *Hoc Titi potentia Principalis, divitiarum profuso flumine, cogitavit ædificium fieri, unde* CAPVT VRBIVM *potuisset.* Et Martialis ante opera omnia orbis ponit, historica, non poëtica fide:

*Ambitiosa satis laus, à Cassiodoro, à Martiali item.*

*Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:*
*Vnum præ cunctis fama loquatur opus.*

Intellegit enim hoc Titianum: nec ad Domitianum illa, aut de Domitiano, ut alucinatur interpretum vulgus. Doctorum Curia nobiscum scit, non ista solùm, sed totum Epigrammatum primum libellum in Titum maximè convenire & ejus ludos: quos in dedicatione hujus Amphitheatri exhibuit per dies pænè * centum. Idem poëta, venerabilem molem appellat:

** Xiphilinus auctor.*

*Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri*
*Erigitur moles, stagna Neronis erant.*

& simul locum præit, in quo hoc opus destitutum. qui pars fuit Neronianæ domus.

*Particularis Amphitheatri descriptio.*

Describamus jam omnem interiorem hanc molem, imô depingamus; & quidem, quò magis capiatur, per partes. Bene enim olim Corynna ad Pindarum:

*Manu serendum esse, non sacco toto.*

*Ratio ejus fabricandi.*

Arenæ primum, sive Caveæ totius forma, non rotunda & orbicularis prorsum est, sed porrecta magis paullùm & oblonga. Dimensio id adprobat: ratio ipsa operis: quia Amphitheatrum junctum & factum ex duobus Theatris, rejectâ scenâ. At Theatrum non justi hemicycli formâ, sed amplius diametri quartâ parte fuit: uti etiam nunc ostendit figura reliqua Theatri Marcellæi. Ad quam compositionem & figuram Cassiodorus prælucet: *Cum Theatrum*, inquit, *quod est hemisphærium, Græcè dicatur: Amphitheatrum quasi in unum juncta duo Visoria, rectè constat esse nominatum.* Item Isidorus: *Amphitheatrum dictum, quòd ex duobus Theatris sit factum. Nam Amphitheatrum rotundum est*, (non id quidem planè verum) *Theatrum verò ex medio Amphitheatro est, semicirculi figuram habens.* Ovidius clarissime:

*Theatri ipsius quæ forma.*

*——structoque utrimque theatro,*
*Vt matutina cervus periturus arena.*

*Ovi formâ hæc loca.*

Ovo aptissime comparat idem Cassiodorus: *Ovi speciem*, inquit, *ejus arena concludens, ut concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent: dum quædam* PROLIXA ROTVNDITAS *universa colligeret.* Itemque Calpurnius in Bucolico, de Venatione Carini:

*Et geminis medium se molibus alligat ovum.*

Nam geminas moles, duo theatra intellegit: eaque alligari vult in ovum. Qui aliter explicant, circumludunt, sententiam poëtæ non tangunt. Idem cum valle comparat, quæ cincta undique supino monte:

*Valli cinctæ in orbem montibus comparata.*

*Qualiter hæc patulum vallis contendit in orbem,*
*Et sinuata latus, resupinis undique silvis,*
*Inter continuos curvatur concava montes:*
*Sic tibi planiciem curvæ sinus ambit Arenæ.*

Nec versibus iis alia luce opus, nisi si apud elucum. Dio Cassius idem voluit, cum montem quemdam cum Amphitheatro componit: Ὥστε, inquit, Κυνηγετικῷ θεάτρῳ τὸ ὄρος σύμπαν, ὡς μικρὰ μεγάλοις εἰκάσαι, ἐοικέναι. Habes universi hujus cavi formam; nunc aream vide.

*Arenæ area tota libera.*

Ordiar enim cum architectis ab imo solo. Ea pura, sine substructionibus aut ædificiis, libera tota ad cursum ferarum & ad pugnam. Excipio quod in ea alibi (partem enim non designo) Ara fuit è lapide: illa dico cruda Ara, quæ sacra Iovi Latiari. Prudentius id nos docuit supra, Iovem Infernalem interpretans.

*Nisi quod ara in eâ Iovi.*

*Cloacæ subterraneæ.*

Iam sub ipsa area cloacæ. Ita credere me jubet Andreas Fulvius: qui magnam etiam partem ædificii tolerari ab

iis

*Lib. I. de Mirabi- lib. Vrbis.*

iis vult & sustineri. An ipse, an alius viderit, nescio: si vera traditio; ambigam, fuerintne reipsa cloacæ ad exsugendum educendumque humorem illum * stagnorum, provide structæ; an potius cameræ quædam & specus subterranei, ad custodiam & receptum ferarum. quas tamen illi indiligenter cloacas censuerunt: sive etiam ad usum aquarum, quas in arenam occulte & subito inducebant atque educebant, ad Naumachias. Certe cum ferina magna vis cottidie in Amphitheatrum induceretur: quæri dignum est, quo loco eæ habitæ aut servatæ. Non enim omnes simul emissæ. Si in ipsa area uspiam: artarint locum. si extra: quomodo eæ statim perductæ, aut qui ad manum? Mea quidem opinio sit, partim subterraneos cavos fuisse, in quis reconderentur sub ipsos ludos: partim depositas eas in caveis sub interiore ista porticu, è qua portulæ & aditus plures pertinent in Arenam. Non tam clare eas portulas videre erat, omnia enim hæc ruinis aggesta & obruta; at Veronæ clarissime: ubi utrimque * octo, nisi fallor, sub ipso Podii muro. At non eæ certe ad spectantium usum: quia in arenam tantum conducunt, non ad subsellia aut gradus.

*Ad quem usum Cloacæ fuerint.*

* Nam in stagnis Neronis structum Amphitheatrum.

*Portulæ in imo muro.*

* Duæ enim aliæ adversæ inter se, sed grandiores & veræ portæ.

Et de Specubus quidem, sive cryptis, valde sententiam meam juvat Cyriacus Anconitanus, qui majorum ævo Itinerarium scripsit. In quo de Amphitheatro Veronensi, sic tradit: *Et nunc conspicitur locus rotundus Arenæ, per totum magnis saxis undique structus, & ut ita dicam perfilatus. cum intus* CVBATIS *&* ANTRIS *multiformiter redimitus sit.* Sicut de Caveis, Livius libro XII, loco prorsus quidem fracto & mutilo, sed ex quo tamen non obscure elicio quod facit istuc. Ait de Censoribus, locasse eos faciendos *carceres in Circo, & ova ad notas curriculis numerandas, & * dam, & metas trans * &* CAVEAS FERREAS *pe * intromitterentur.* In Circo, ut scimus, olim Venatio exhibita, ante Amphitheatra. itaque huic fini, ait Livius, caveas ferreas exstructas, per quas bestiæ (ita enim sententiam fuisse suspicor, si non verba) intromitterentur in Arenam. Nec de aliis caveis Statius II Silv. in Leone mansueto:

*De Specubus subterraneis amplius.*

*Caveæ in Amphitheatris.*

*Primæ è ferro quando.*

*Livii fracta verba ad eam rem.*

*—— stat cardine aperto*
*Infelix Cavea, & clausis circum undique portis*
*Hoc licuisse nefas pavidi timuere Leones.*

Vbi nota mihi & Portas. quæ vel cavearum sunt: vel potius istæ Amphitheatrales, de quibus dissero. Certe apud Plautum etiam Portæ in Circo ad bestias emittendas, in Persa:

*Statius explicatus.*

*Portæ in Caveis.*

*Vbi quid credideris, citius extemplo à foro*
*Fugiunt, quam ex porta ludis cum emissu'st lepus.*

Quem locum totum silentio premit uber alioqui interpres: qui (fatendum est) non lucem, sed umbram sæpe facit nostro Vmbro. Nescio an Ammianus de istis, libro XXVIII: *Maximinus effudit genuinam ferociam: sicut sæpe faciunt Amphitheatrales feræ, diffractis tandem solutæ posticis.* An *portulis* ibi aliquis legat? sed audax sit, non muto. Ostia videtur Varro adpellasse, De Re rust. *Ostium habere debet humile & angustum, & potissimum ejus generis quod cochleam appellant. ut solet esse in cavea, in qua* (verius fortasse, *è qua*: non enim certe in ipsa cavea pugnabant; nisi si Caveam capit, pro toto Amphitheatro) *tauri pugnare solent.* Atque ex his caveis cum impetu quodam emittebantur in Arenam. Vopiscus in Probo: *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse caveis egredientibus solet.* ita enim vere & acute emendavit olim laudatissimus ille Faber. Capitolinus in Gallienis: *Cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset uxori ejus, surripi quasi ad leonem venditorem jussit. deinde cavea caponem emitti.* Emittebantur ergo caveis, iterumque in eas immittebantur post pugnam. Seneca de Ira: *Curriculi rotarumque versata facies leonem redigit in caveam.* Sed & Portulas easdem ad hunc usum accommodare Vopiscus videtur, qui Aditus adpellat. In Probo: *Immissi deinde per omnes Aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri.* Ista tamen etiam de caveis itinerariis accipi possent, in quibus feræ clausæ & transvectæ. Has pulchre describit Claudianus, XXX de laudib. Stilic.

*Plautus explicatus.*

*Leviter Varro correctus.*

*Emittere feras:*

*item immittere.*

*Hæc laqueis innexa gemunt, hæc clausa feruntur*
ILIGNIS DOMIBVS. *fabri nec tigna polire*
*Sufficiunt: rudibus fagis texuntur & ornis*
*Frondentes* CAVEAE. *ratibus pars ibat onustis*
*Per freta vel fluvios. exsanguis dextera torpet*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

AMPHITHEATRI
RELIQVIÆ.

*Remigis, & propriam metuebat navita mercem.*

*Per terram pars ducta ratis.*

Itaque potuere in specubus illis aut fornicibus, deponi in hisce caveis: quæ ex argento & auro, per splendoris speciem, sæpe factæ erant. Sed pergamus in ipso loco nostro describendo.

*Ambitiosa Editorum inventa.*

ATQVE hæc solens & vulgata arenæ facies: cui non nego comptum aliquem novitium sæpe additum, & colorum quosdam fucos. Varia enim cottidie ab ambitiosis Editoribus excogitabantur, ut studia spectantium allicerent lenocinio quodam novitatis. Ita fuere, qui arboribus hoc planum consererent, & arenam totam verterent in silvam. scilicet ut vivam imaginem exhiberent veræ germanæque Venationis. Audax inventum. & quod non melius tibi expresserim, quam ipsis Vopisci verbis, in Probo: *Venationem amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis longe lateque trabibus adfixæ sunt. terra deinde superjecta: totusque Circus ad silvæ consitus speciem, gratiam nobis viroris obtulit.* In qua extrema clausula censeo legas, *gratiam novi viroris.* Quomodo enim, *nobis?* nec Vopiscus ipse certe inter spectatores fuisse significat: quod abnuit ætas. Neque tamen gratia aut laus hujus inventi penes Probum: reperio Gordianum jam ante factitasse idem etiam privatum. Capitolinum non aliter accipio, ubi de magnificis ejus muneribus in Quæstura: *Feras Libycas uno die centum exhibuit, ursos uno die mille. Exstat silva ejus memorabilis, quæ * picta est in domo rostrata Cn. Pompeji, quæ ipsius & patris ejus & proavi fuit.* Sed & in Titi spectaculis tale aliquid indicat Martialis:

*Arbores in Arenam illatæ.*

*Vopisci correctio.*

*Capitolinus explicatus.*

* Munera enim pingi solere, docet lib. II. Lipsii de Saturnal.

*Quidquid in Orphæo Rhodope spectasse Theatro*
*Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.*
*Repserunt scopuli, mirandaque silva cucurrit,*
*Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.*

*Apulejus correctus.*

Imo æmulabantur id jam in provinciis: atque Apulejus in muneris Corinthiaci apparatu describit. *Erat*, inquit, *mons ligneus ad instar inclyti montis illius quem vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus tabula* [rectius, *instructus fabrica*,] *consitus viretis & VIVIS ARBORIBVS, summo cacumine de manibus fabri fonte manante fluviales aquas eliquans.* Nec in solo solum hæc variatio, sed in Caveis ipsis. quarum loco invenerunt antra quædam coëuntia & deëuntia, quæ velut è terra emitterent subito feras. Calpurnius hoc voluit, cum in Carini Venatione timide miratur:

*Ah miseri, quotiens nos descendentis arenæ*
*Vidimus in partes? ruptaque voragine terræ*
*Emersisse feras? & iisdem sæpe latebris*
*Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.*

*Calpurnii emendatio.*

Et si legi ibi malim, *discedentis arenæ.* uti & in Plinii de Curionis Amphitheatro, *discedentibus tabulis.* Intelligit enim, arte quadam & machinis, antra illa, velut hiatu terræ, & aperta celeriter & operta: iterumque arbutis & virgultis tamquam crescentibus inducta. Quæ ipsa decora fuisse fatendum est, & blandientia sensibus imitatione quadam naturæ. At illud jam improbi acuminis, & nescias an exemplo quodam à sacra Noachi Arca. quod Navim ædificare grandem aliquam solent in ipsa Arena, quæ solutilis esset, & subito luxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magistri temperantis. Dio id scribit & narrat ubertim in Nerone: vult etiam exemplum oblatum scelestæ illius navis qua matrem necaret, ab hac Amphitheatrali. Verba ejus hoc sonant: *Et quoniam eam cædem palam non audebant, nec venenis clam patrare facile id possent: navim quampiam in Amphitheatro conspicientes ita factam ut sponte solveretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur & rediret in priorem statum, visum iis huic similem ædificare.* Nec minus clare in Severo: *Receptaculum autem omnium ferarum in Amphitheatro exstructum erat instar navis, quæ capere simul & emittere posset ad feras quadringentas. Ea autem de subito occulte soluta, exsiliebant ursi, leæ, pantheræ, leones, struthiones, onagri, bissontes: ita ut septingentas feras aut pecudes simul & currere liceret cernere, & occidi.* Nec naves solum ejusmodi induxere in Theatra, sed, quod magis admirere, quodammodo mare ipsum. Reperti enim qui hoc omne rotundum, per occultos quosdam ductus & meatus, subito aqua replerent: & pro terrestribus feris, monstra maris ostenderent, & classes, & navalem pugnam. Ei aquarum inductioni, fortasse

*Navis, ad usum Caveæ.*

*Neronis parricidium quo exemplo cœptum.*

*Mare, sive aquæ in Amphitheatris.*

*Natantia in iis marina monstra.* tasse non aberret, qui subterraneos illos canales attribuat, de quibus supra. Carini Principis ludis id factum, visumque à se Calpurnius memorat:

> *Nec solum nobis silvestria cernere monstra*
> *Contigit, æquoreos ego cum certantibus ursis*
> *Spectavi vitulos, * & equorum nomine dignum*
> *Sed deforme pecus.*

** Hippotamos intellegit.*

Et diu ante illum Nero id usurparat, Dione sic narrante: *Aliquando*, inquit, *belluis interfectis & Venatione exhibita, subito aquam in Amphitheatrum induxit, & navale certamen ostendit. rursumque ea educta, Gladiatores in loco præbuit. denique inducta iterum, magni sumptus publicum epulum.* Nec aliter Domitianus, qui ut Suetonius ait, *Prælium equestre ac pedestre commisit: & in Amphitheatro, navale quoque.* Noster Seneca ingenia istorum hominum miratur magis quam laudat in epistola XCI: *Qui euripos subito aquarum impetu implent aut siccant.* Et ostendit inter novas inventiones esse.

Sed nonne extra limitem imus, quod dicitur, extraque oleas? Nam cum propositum nobis, saltem nativam genuinamque Amphitheatri faciem ostendere, addimus etiam colorum fucos & pigmenta. Itaque arena excedimus, & ad Podium transimus. Nam post Arenam murus occurrit, qui Podium sustinet, quique claudit & ambit infimum solum. Podium enim appello projecturam illam quæ in summo muro, quæ paullum provehitur & propendet instar pedis. Vnde & nomen. Mænianorum ea quædam species est: facta in Theatris, templis, ædibus, ad circumeundum, innitendum, spectandum. Mediolani inscriptio vetus est:

*Quid Podium.*

DOMITIANVS. PODIVM. CVM. LORICA.
ET. ADITVS. VIVVS. FECIT.

Salerni, alia:

T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS.
* HS. L. M. N. LEGAVIT
AD. EXORNANDAM. ÆDEM. POMONIS
EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM.
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA.
MARMOREA.

** Id est, Sestertium quinquaginta millia nummûm.*

Et de his ipsis theatralibus, alia:

THEATRVM. STRAVIT. PAVIMENTO.
PODIO. * CIRCVMSCRIPSIT.

** Bene, Circumscripsit: quia in orbem circuibat & in ambitum.*

Itaque ut clare capias, non aliud Podium hoc nostrum, quam muri pars projectior & prominentior, ante imum spectaculorum gradum: cui columnæ impositæ cum epistyliis ad ornatum, sive (cum liberet) ad innixum. Vitruvius describit non obscure, magnitudine etiam expressa, si attendis, libro V. cap. VII, ubi de Theatris: *Podii*, inquit, *altitudo, ab libramento pulpiti cum corona & Lysi, duodecimo Orchestræ diametri. Supra Podium, columnæ cum capitulis & spiris, altæ quarta parte ejusdem diametri.* Cujus mens, ut, si Orchestra tota, in qua Senatores, (pone eam esse graduum quattuor aut quinque) alta pedes XII. tum ipsum Podium unius sit; columnæ ejus, trium. Et addo, victoriolas etiam reponi solere in Podiis istis. Spartianus suadet in Severo, ubi de Circi ludis: *Victoria*, inquit, *vento icta de Podio stans decidit.* Et Dio Cassius agnoscit in Theatri scenis, libro L, cum refert inter prodigia, ventum tam grandem fuisse, ὥστε καὶ Νίκης ἄγαλμα ἀπὸ τῆς τοῦ θεάτρου σκηνῆς πεσεῖν: *ut & Victoriæ simulacrum à scena Theatri caderet.* Ad hoc Podium, spectare soliti primi è Senatu. Nam cum Orchestra plurium graduum esset, dignissimus habitus ille imus qui Podio proximus & Arenæ. quippe ex quo facillima spectatio. Iuvenalis:

*Magnitudo & ornatus Podii.*

*Vitruvius explicatus.*

*Primi Senatores ad Podium.*

> ——— *generosior & Marcellis*
> *Et Catulis, Paulique minoribus, & Fabiis, &*
> *Omnibus ad Podium spectantibus.*

Suetonius Aug. cap. XLIIII. *Factum decretum patrum, ut quoties quid usquam publice spectandum proponeretur, primus subselliorum ordo Senatoribus vacaret.* Primus, sive Imus. Ac nescio an inter ipsum Podium & Gradus spatii aliquid vacuum fuit latioris, in quo spectare soliti honorati. idque proprie, Ad podium spectare. Suadeor, quod sellis curulibus spectasse quosdam reperio. ut Suetonius narrat de Augusto: *Commissione ludorum quibus Theatrum Marcelli dedicabat, evenit ut laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus.* Item, quod sellas easdem honoris caussa positas * absentibus, sive etiam

*Spatii aliquid inter Podium & Gradus.*

*Sellis curulibus spectabant.*

* Docet abunde Lipsius ad lib. II Annal. Taciti.

etiam mortuis. At sellæ eæ non est ut commode positæ in Gradibus ipsis fuerint, commodissime in hoc plano. Credamque Consules, Prætores, aliosque quibus id jus, in curulibus suis ad Podium sic sedisse, cum lictoribus, viatoribus, & magistratus sui pompa. Tacitus hoc postremum ingerit libro XVI Annal. cum præmia describit accusatorum: *Liberto & accusatori præmium operæ, locus in Theatro inter viatores Tribunicios datur.* ex quo necessum, fuisse eos bono honestoque loco, & juxta Tribunos ipsos. Nec immerito, ut quisque magistratibus suis appareret. Nec magistratus solum ad hoc Podium dissignator ego colloco, sed & Principem ipsum. cui tamen eminentior quidam Suggestus exstructus, & velut sua domus. Origo rei à Iulio Cæsare. quem Suetonius, inter alios honores quos nimios recepit, admisisse ait *statuam inter reges*, SVGGESTVM *in Orchestra.* Secutique Principes id tenuere, ut clarum ex ejusdem Suetonii Ner. cap. XII: *Icarus*, ait, *primo statim conatu juxta* CVBICVLVM *ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro præsidere: ceterum accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueverat.* Ex quo facile colligis Suggestum illum tectum & inædificatum fuisse, ad modici cubiculi formam. cui proprium etiam suum Podium (de eo enim, non de grandi illo Amphitheatrali necessario Tranquillum capis) quod ostiis quibusdam sive fenestris, Arenam versus aperiretur. Plinius hunc morem satis illustrat, laudatione ad Trajanum: quem commendat, quia civiliter sustulit. *Digna*, inquit, *victore populo sedes* (de Circo sermo est) *visenda cum cetera specie, tum quod æquatus plebis ac Principis locus. Siquidem per omne spatium una facies, nec magis proprius spectandi Cæsaris* SVGGESTVS, *quam propria quæ spectet. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri, dabitur non* CVBICVLVM *principis, sed ipsum cernere, in publico, in populo sedentem.* Sed præter hunc Suggestum, ad Podium etiam Tribunal Editoris. Cum enim aliis honoribus, ut lictoribus & veste prætexta, insignes voluerint eos esse qui ludos exhiberent; tum etiam altiori hac sede, in qua præsiderent. Suspicor ex Suetonii Augusto: qui *virginibus Vestalibus*, inquit, *locum in Theatro separatim, & contra Prætoris* TRIBVNAL *dedit.* Nam quod Prætorem nominat, eo est, quod plerumque ludos ii exhibebant. At quin aliis etiam Editoribus is honos & is locus, non ambigo. Ad hoc Tribunal refero, quod Vitruvius in *omni pusillo & magno Theatro* fieri vult *itinera, ascensus, pulpita*, TRIBVNALIA. lib. V. cap. VII. Quod vero ad Podium ea sedes, cum ratio evincit, tum Suetonius qui ex adversum collocat Vestales. Eæ autem ad Podium. Prudentius:

*Apparitores apud Magistratus suos.*

*Suggestus in Podio,*

*Cubiculi formâ & nomine.*

*Suetonius explicatus aliter atque vulgus.*

*Tribunal in Podio.*

*Vestales quo loco.*

> *An quoniam Podii meliore in parte sedentes*
> *Spectant, æratam faciem quam crebra tridente*
> *Impacto quatiant hastilia.*

Murus autem Podii, qui Arenam divide, altior fuit non paullo quam pro aspectu hodie. Ipse enim in parte corruit, & subsedit, & rudera aream allevarunt. Non minus certe olim altitudinis habuit, cum ipso Podio, duodenos, quindenosve pedes. Quæ fera illum transiliverit? Et tamen contra inopinatos quoque casus, scito à catis illis provide provisum. Nam primum retia valida, nodosa, in orbem undique Podium cingebant. Plinius ea intelligit libro XXXVII, de Neronis quodam munere: *Tanta*, inquit, *copia succini invecta, ut* RETIA ARCENDIS FERIS PODIVM PROTEGENTIA *succino nodarentur.* Et Calpurnius, qui retia illa in Carini Venatione format & torquet ex auro:

*Murus dii olim satis altus.*

*Retia ante podium, rara scilicet ob aspectum,*

*per luxum inaurata.*

> ——— *auro quoque torta refulgent*
> *Retia, quæ totis in Arenam dentibus exstant.*

Nec retia solum, sed versatiles quidam trunci adpositi muro & Podio, contra scansionem omnem ferarum & insultum. Quæ ligna quidem manifesto in ipsis caveis Ammianus agnoscit, libro XIX: *Vt dentatæ in caveis bestiæ, tetro pædore efferatæ, evadendi spe*, REPAGVLIS VERSATILIBVS *illiduntur*: in caveis inquam, sed in ipso etiam Podio aut circa, videtur Calpurnius locare, etsi verbis parum claris aut certis:

*Ligna rotantia.*

> ——— *nec non ubi finis Arenæ*
> *Proxima marmoreo peragit spectacula muro,*
> *Sternitur adjunctis ebur (admirabile) truncis.*
> **Et coït in rutilum, tereti qua lubricus axem*
> *Impo-*

Fortasse legendum: *Et coït in rotulam teretem, quo lubricus axis.*

*Impositos subita vertigine falleret ungues*
*Excuteretque feras.*

Versus enim dubiæ & intricatæ scriptionis. Legerem, *Et coït in rutilam*, sive, *rotulam.* ut velit truncos eos eburatos utrimque in rotulam coisse, atque ita insilientis feræ impetum fregisse, & vertendo excussisse. Nescio etiam an, *in ruplum.* Nam Ruplus in Glossis, στροφεὺς γαλεάγρας, καὶ ἀποψήκλιον, *cardo & vertebra caveæ.* Sed mentem facilius versuum horum adfirmarim, quam verba. vult omnino transversa quædam ligna versatilia objecta muro, quæ feras fallerent dum enituntur. Injicias hic Lector, anceps fuisse præsidium; & quomodo hoc firment versus tam infirmi? Scilicet in summa Cavea spectare magis eligas, nec invideas Senatui Orcheatram? Quid enim contra elephantes, ais, & immanes illas feras? Sed parata arma. Nam aut clathris ferreis Arenam totam circumdabant: aut, quod certius, Euripis. Valde enim id genus metuens aquæ. Plinius libro VIII: *Universi* (de elephantis loquitur) *eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de caussa C. Cæsar Dictator postea simile spectaculum editurus, Euripis arenam circumdedit. quos Nero Cæsar sustulit, equiti loca addens.* Sed jam tibi liceat esse securo, ac absque nota tua lachrymis matris prospectum est.

*Contra grandiores belluas quid præsidii?*

Et de Podio quidem hactenus: gradum igitur jam promoveo ad Gradus, & ad illos Subselliorum, ut ita dicam, colles. Non male, colles. quia revera per declive jacentium ea forma. Itaque Calpurnius apte descripsit:

*Clivosi gradus.*

*Immensosque gradus, & clivos lene jacentes.*

Male enim aliquot libri, *divos.* nec quidquam hic sane de pulvinari. Sed ut totam hanc sedendi spectandique rationem subtili quadam Minerva intellegant studiosi, non crassa: opus, ut hoc omne spatium distinguamus per partes. Quæ erunt istæ: Gradus; Præcinctiones; Aditus; Viæ; Cunei; Cathedræ; Porticus.

*Distinctio graduum.*

GRADVS appellamus ea ipsa loca in quis sedebant. Sic dicti in Amphitheatris, quia ad formam scalarium graduum, alii alios consequuntur. Eorum dimensio Vitruvio expressa: *Gradus*, inquit, *ubi subsellia componantur, ne minus alti sint palmo pede, & digitis sex. Latitudines eorum, ne plus pedes duo semis, ne minus pedes duo constituantur.* Palmopede, id est, pede & palmo: sive palmis quinque. Palmus enim quatuor digitos continet: Pes quatuor palmos. Sed hæc tamen Vitruviana altitudo non convenit gradibus Amphitheatri Veronensis. qui, Torello dimetiente, alti dumtaxat pedem & duas uncias. id est, pedem & duos digitos semis, & paullum quod excurrit. Sed cur tam lati? parum enim ex symmetria & bono loci videtur, duos pedes & semis latos eos facere. Quod verum est: sed latitudinem eam exigit, in contextu illo Graduum, ratio sedendi. Pedes enim eorum qui in superiore gradu spectant, innixi inferiori gradui proximo. qui ne læderent sedentes alios, neve ipsi læderentur; opus habuere aliqua laxitate. Fortasse etiam ad pone transeundum, siqui surgerent, aut sedentibus jam aliis intrarent. Gradus autem isti è lapide. Vnde scitum illud Aristippi, *Cui bono eruditio? Huic saltem*, inquit, *ne in Theatro lapis sedeat super lapidem.* Quamquam & sæpe è ligno. Sero repertum, ut pulvilli insternerentur Senatui: idque primus Caligula instituit. Dio Cassius: Τά τε προσκεφάλαια τοῖς βουλευταῖς, ὅπως μὴ ἐπὶ γυμνῶν τῶν σανίδων καθίζωσι, πρῶτον τότε ὑπετέθη, καὶ πίλοις σφίσι τὸν Θετταλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ ἡλιώσει ταλαιπωρῶσιν, ἐπετράπη. *Pulvilli tunc primum Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, subjecti, & pileos Thessalicos in Theatra iis inferre concessum, ne insolatione torquerentur.* Ait clare, Senatui tantum: postea tamen id etiam Equiti concessum, ex Iuvenali:

*Quid hic gradus.*

*Graduum dimensio.*

*Cur latiores facti.*

*E lapide fuisse plurimum.*

*Pulvilli iis impositi,*

——— *exeat, inquit,*
*Si pudor est, & de* PVLVINO *surgat* EQVESTRI
*Cujus res legi non sufficit.*

PRÆCINCTIONES sequuntur. quas, si bene capio, non aliud censeam quam Graduum intervalla & divisiones quasdam in orbem. Vitruvius aliquoties nominat: sed, ut in re tunc clara, describit nobis parum clare. *Præcinctiones* *, inquit, *ad altitudines Theatrorum pro rata parte faciendæ videntur: neque* * *altiores quam quanta Præcinctionis Itineris sit latitudo.* Iterum: *Gradationes scalarum contra quadratorum*

*Quid præcinctiones.*

*Cap. III. lib. V.

* i. e. Cingulum non altius sit quam latum est illud ipsum subcingulare iter. de quo mox.

*torum angulos dirigantur ad primam Præcinctionem.* Videntur autem sive ad Vomitoria & ipsos Aditus, sive in discriminibus Orchestræ, Equestrium, Popularium, Gradus quosdam latiores altioresque struxisse, qui reliquos minores velut præcingerent & complecterentur. Vnde & nomen. Torellus certe observat in illo Veronensi,* Gradum esse circa medium, qui duos pedes & uncias sex altus: cum reliqui tantum, pedem & uncias duas. Atque ea profecto Præcinctio. etsi Vitruvius & res ipsa, plures suadent una. Baltheus id alio nomine vocatur, à pari caussa, quia velut cingulum quoddam latum fuit. Calpurnius in Amphitheatro Carini:

* Et apparent clarissime Præcinctiones in Theatris.

*Balthei.*

*Baltheus en gemmis, en illita porticus auro.*

Tertullianus de spectaculis: *Vias enim vocant cardines Baltheorum per ambitum.* Ex quo disce, ad Cingula etiam ista fuisse Vias. Diazomata item, Græcanica voce, commode adpellat Vitruvius cap. VII: *Gradus, diazomata, pluteos.*

*Diazomata.*

*Aditus quid appellemus;*

ADITVS deinde. qui in ipsa gradatione portæ quædam sive ostia, per quæ ab exterioribus porticibus venitur & descenditur in ipsas sedes. De his Architectus: *Aditus complures & spatiosos oportet disponere, nec conjunctos superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetuos & directos, sine inversuris faciendos: uti cum populus dimittitur de spectaculis, ne comprimatur, sed habeat ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione.* Vomitoria appellat Macrobius, voce vulgi: libro VI. Saturnal. cap. IV: Ad illud Virgilii --*totis vomit ædibus undam. Pulchrè & antique. Vnde & nunc Vomitoria* (alii libri, *Vomitaria*) *in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundunt.* Atque hæc foramina perspicua in his ipsis Graduum reliquiis, itemque in illo Veronensi.

*Vomitoria dicti.*

*Viæ inter gradus duûm generum.*

Ad VIAS venio. quæ, auctore Tertulliano, hîc duplices. *Vias enim vocant, cardines Baltheorum per ambitum & discrimina Popularium per proclivum.* Optime eruditus scriptor. Vult enim Vias alias esse, quæ ad * cardines sive limites Baltheorum, in circuitu: alias, quæ à Vomitoriis illis, in descensu. Itaque ait, per proclivum. Sed cur Popularium tantum meminit? eaque discriminari, & in cuneos suos tribui, Viis illis secantibus, vult? adhæresco. Excludere enim aperte Equestria & Orchestram videtur: aliter quam * Suetonius, qui cuneos in his agnoscit: ergo & Vias. Sed Popularia large fortasse acceperit scriptor Afer, pro omni populi consessu. Vias has modo Itinera, modo Scalaria Vitruvius appellat. sed Scalaria tamen proprie, Vias quæ inter Cuneos ad ascensum aut descensum. In his Viis qui locum non habebant, quique, ut suo verbo dicam, excuneati erant, spectabant stantes. Tertullianus: *Nam apud spectacula & in Via statur.* Martialis facete de falso quodam equite, lib. V:

* Has vias vocat Itinera Præcinctionum Vitruv. cap. III.

* Vide jam nunc in Cuneis.

*Discrimen aliquod inter Itinera & Scalaria.*

*Exclusi in viis spectabant.*

*Sedere primo solitus in gradu semper,*
*Tunc cum licebat occupare, Mannejus,*
*Bis excitatus, terque, transtulit castra,*
*Et inter ipsas panè tertius sellas*
*Post Cajumque Luciumque consedit.*
*Illinc cucullo prospicit caput tectus,*
*Oculoque ludos spectat indecens uno.*
*Et hinc miser dejectus in* VIAM *transit,*
*Subsellioque semifultus extremo,*
*Et male receptus altero genu, jactat*
*Equiti sedere, Lectioque se* STARE.

Cujus Epigrammatis sententia ista. Mannejum solitum ante Domitiani edictum sedere inter equites, & quidem in Equestrium primo gradu, qui ad Orchestram. Sed agnitum & pulsum aliquoties à dissignatore Lectio, transisse tandem ad summam caveam, & spectasse inter plebem & pullatos: tantum non inter cathedras muliebres. Sed illinc quoque dejectum, spectasse in Via semi-stantem. Atque hujus sententiæ etiam illud Taciti est, lib. XVI, de militibus, qui à Nerone dispositi *Per cuneos* STABANT, *nequod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret.* Nam stetisse eos sentio, in his utrisque Viis. Latitudo Itineris ad Baltheum, mihi ignota. censeo non minus, trium quatuorve pedum. Si enim vulgarium Graduum, Vitruvio definiente, duo pedes & semis: quidni duplum istis? At Scalarium sive Ascensuum altitudo, in Veronensi apparet semipedis & unciæ: latitudo, pedum binûm. Humiliores ergo aliis sedentariis Gradibus, parte dimidia. Addo, Canaliculas quasdam, & derivationes aquarum ad oram extremam Graduum fuisse, qua Scalaria incipiebant. Apparent in fragmentis

*Martiali lux data.*

*Dimensio viarum.*

*Canaliculæ in gradibus.*



tis lapidum. & usum, credo, habuerunt sive aquæ cælestis derivandæ, sive potius humanæ. Nam cum dies totos in spectaculis persederent, quin urina reddenda fuerit, non ambigimus: eique usui tribuimus hos incisos canales. Nam ad pluviam, scire te volo, pendulos leviter & proclives omnes gradus fuisse.

*Cunei spectaculorum.* At CVNEI jam (Alexis κερκίδας dixit) inter has Vias medii. Quidquid enim sedilium dividitur Præcinctionum itineribus, & secatur lateralibus Viis, in hoc nomen id venit. Nomen datum à forma. quia reipsa Scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum: redderetque cunei formam. *Directio Scalarium alterna.* Sed hoc mihi nota, Vias istas Scalares non ab imo ad summum recta & sine intercisione isse. Contrà est. dirigebantur saltem ab imâ Orchestrâ ad primam Præcinctionem. Ibi desinebant. & alternis aliæ incipiebant, cum Cuneorum novâ variatione. Ita si triplex Præcinctio (& id ex Vitruvio suspicamur:) triplex etiam ordo & discrimen Cuneorum. Nec absurde fortasse senserim, si cuneos & Præcinctiones finiam ac discriminem limitibus Orchestræ, Equestrium, Popularium. Architectus noster Augustalis, meo animo, describit non obscurè: *Cunei,* inquit, *spectaculorum in Theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circa curvaturam circinationis, dirigant ascensus scalasque inter Cuneos, ad primam Præcinctionem. Supra autem alternis Itineribus superiores Cunei medii dirigantur.* Et adde quæ scribit cap. VIII. *Gradationes scalarum inter Cuneos & sedes dirigantur ad primam Præcinctionem. ab eâ Præcinctione inter eas iterum mediæ dirigantur.* Et sanè hæc præscriptio in parte apparet in Theatro Veronensi ad Athesim: quod deformavit (etsi παχύτερον) Torellus. Atque hi Cunei Theatrorum, qui in scriptoribus occurrunt crebri. *Exempla & loca de Cuneis.* Iuvenalis:

——*Cuneis an habent spectacula totis*
*Quod securus ames?*

Martialis:

*Æra sed à Cuneis ulteriora petis.*

Inde Theatrum Cuneatum Virgilio aut Severo:

—— *Cuneati læta Theatri*
*Seditio.*

Et Ausonio:

*Cuneata crevit hæc Theatri immanitas.*

Inde excuneandi verbum, id est ejiciendi & velut extra Cuneum excludendi, usurpatum Apulejo. Hi Cunei, certi certis adsignati. *Cunei certi certis adtributi.* Suetonius in Aug. cap. XLIV. *Militem secrevit à populo. Maritis è plebe proprios ordines* (id interpretor, vel ordines aliquot subselliorum, vel etiam Cuneos) *adsignavit. Prætextatis* CVNEVM *suum; & proximum, pædagogis.* *Obscura Tertulliani dictio explicata.* Ad discrimina hæc Cuneorum quique in iis sedebant, allusisse mihi Tertullianus videtur De Resurrectione carnis: *Igitur quantum ad hæreticos, demonstravimus quo cuneo decurrendum sit à nobis.* Sed clariùs, & ad Suetonii data verba, Martialis, lib. V.

*Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,*
*Videbo Dindyme. haud licet* MARITORVM.

*Cunei etiam Senatorum & Equitum.* Cuneos autem etiam Equitum & Senatorum fuisse, clarè docet Suetonius Domit. cap. IV. *Die proximo omne genus rerum missilia sparsit. & quia major pars intrà Popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos Cuneos Equestris ac Senatorii ordinis pronuntiavit.* Et Virgilius, plebis item ac patrum agnoscit:

—— *hunc plausus hiantem*
*Per Cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque*
*Corripuit.*

Ad CATHEDRAM jam pervênimus. quam solus Tertullianus mihi in Amphitheatris *De Amphitheatris.*

*Quid Cathedra incerte dictum.* tris ſuggerit: *Cathedra*, inquit, *vocatur, ipſe in amfractu ad conſeſſum ſitus.* Et intellegitne amfractum in ſingulis gradibus? an potiùs ſuperum locum, ubi clivi ſubſelliorum deſinunt, & murus incipit qui porticum facit, clivoſque illos velut frangit? Nam plani aliquid ſpatii ibi fuiſſe videatur, unde Cathedris poſitis ſpectarent. Poſſis Calpurnium ad hanc ſententiam flectere:

*Venimus ad ſedes, ubi pullâ ſordida veſte*
*Inter fæmineas ſpectabat turba Cathedras.*

*Cathedræ fœmineæ.* Nam fæminæ & pullati *non niſi ex ſuperiore loco ſpectabant*, ex Auguſti decreto, quod Suetonius memorat cap. XLIV. Sellas etiam Martialis nominat, neſcio an pro cathedris, an pro ſubſelliis graduum ipſorum. Nam tenebræ mihi adhuc in iſto ejus verſu: *Retractatus Martialis verſus.*

*Et inter ipſas pænè tertius ſellas*
*Poſt Caiumque Luciumque conſedit.*

Rettuli quidem ſuprà ad fæmineas ſellas: ſed repugnante, ut vereor, poëtâ, qui non vult Equeſtria eum egreſſum, ſed in aliquâ ſemper eorum lineâ hæſiſſe. An ſellæ etiam virorum? easque in gradibus ipſis collocabant? Ita prona quidem faciliſque ſententia ſit, ut dicat miſellum hunc irrepſiſſe inter Caji Luciique ſellas, & pænè tertium ſediſſe cum duobus. ſed ex illis quoque latebris protractum. Et ſanè de ſellis allatis & illatis, quidam mihi ſuadent. *De ſellis dubitatio noſtra.* Suetonius Nerone, cap. XXVI. *Interdiu quoque clàm geſtatoriâ ſellâ delatus in Theatrum, ſeditionibus Pantomimorum ex parte Proſcenii ſuperiore ſignifer ſimul ac ſpectator aderat.* Iuvenalis, in ſuo illo non invidendo voto:

——— *Et duo fortes*
*De grege Mœſorum, qui me cervice locatâ*
*Securum jubeant clamoſo inſiſtere Circo.*

Nam vult & optat Sellâ ſe deferri in Circum. Vitruvii etiam ambigua verba: *Gradus, ubi ſubſellia componantur.* Tamen magis eſt ut aliter fuerit, ex iis quæ ſuprà dixi. Et Suetonii Iuvenaliſque loci, evincunt non niſi de ſupero loco. quod fatemur ultrò. An ergo in Martiali ſcribendum, *tertias ſellas?* capimuſque pulſum eum à primo ſubſellio ad tertium? *Tentatus Martialis.* Sed quam ſententiam aut acumen tum habebit, τὸ *pænè?* Iterum dico. parum mihi in hoc verſu lucet aut liquet.

At de PORTICIBVS ſuperioribus, è quîs tenuiores ſpectabant, ſatis certum. *Porticus quid.* Calpurnius tangit.

——— *En illita porticus auro*
*Certatim radiat.*

Hanc ſupremam partem Dio ἀψῖδα θεάτρου dixit in Nerone: Καὶ ἐλέφας ἀνήχθη, inquit, ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψῖδα: *Elephas ſublatus eſt in ſummum fornicem ſive arcum Theatri.* Nec malè. quia porticus illæ, ut videtur, arcuato opere tectæ. Certè tectæ. Vitruvius: *Tectum porticus*, inquit, *quod futurum eſt in ſummâ gradatione.* Ideoque non vanè ſuſpicer, à Tertulliano *Cameras* vocatas, De Spectac. *Easdem videri cum cameris.* *Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet.* Vbi de Apuliis, digitum tollo: & fateor me non poſſe hiſcere probum de iis aut probabile verbum.

*De ordine & locis in ſedendo.* Locum & ejus membra ſatis deſcripſimus. ad cujus tamen lucem non nihil etiam faciet ſi ordinem Ordinum in conſeſſu notaverimus & diſcrimen. Populi enim Romani, ut ſcis, priſca diviſio, in Senatum, Equitem, Plebem. His diſcreta in Spectaculis ſua loca, & Gradus. In Theatris quidem jam olim lege Roſciâ, at non ita diu in Circo & Amphitheatris. Promiſcuè enim ibi ſpectabant & quovis loco libere, quamdiu libertas Romæ. *Poſt longam confuſionem, diſcrimen,* Plutarchus indicat in Sullâ: Ἦν μὲν, inquiens, θέα μονομάχων. οὔπω δὲ τῶν τόπων διακεκριμένων, ἀλλ' ἔτι τοῦ θεάτρου συμμιγοῦς ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ὄντος, ἔτυχε πλησίον τοῦ Σύλλα καθεζομένη γυνὴ τὴν ὄψιν ἐμπρεπὴς καὶ γένους λαμπροῦ: *Spectaculum quidem gladiatorum erat. Locis autem ad ſpectandum nondum tunc diſcretis, ſed mixtim ſedentibus viris fæminiſque: accidit, ut propter Sullam mulier quæpiam ſederet, facie & genere honeſta.* At id mutatum ſub Principibus: & diſcrimina dignitatum facta, bono jure. *quando id factum.* Nec ſubtiliter hîc tempora exſequar. * quid opus? Hoc ſcito, Senatui in Amphitheatris quoque ſuam ſedem fuiſſe, ſuam Equiti, ſuam Plebi. Illam, Orcheſtram dixêre: alteram, Equeſtria: tertiam, Popularia. De Orcheſtrâ ubique obvium. quæ vox nata in ſcena & pulpito, tranſiit communi abuſu quodam ad alios etiam ludos. *Orcheſtra, vox Græco ortu.* Sedes illi, ut Vitruvius ait, *inter gradus imos.* Is enim locus quia Scenæ & Arenæ proximus, ideoque oculis auribuſque expoſitus: optimus habitus ſpectioni, ſive auditioni. Cicero de

* Accurate Lipſius in Comment. ad lib. XIV Taciti.

de Senectute: *ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in primâ cavea spectat, quam qui in ultimâ.* Horatius:

*Vt propiùs spectes lachrymosa poëmata Puppi.*

Magnitudo ejus, ut conjicio, in gradibus quattuor aut quinque, aut fortasse pluribus; ut etiam Sacerdotibus ibi locum demus, & sociarum gentium legatis. Equestria autem, Senecæ nominata, VII De Benef. *Equestria omnium equitum Romanorum sunt. in illis tamen, locus meus fit proprius, quem occupavi.* Item Suetonio, in Calig. *Decimas maturiùs dabat, ut Equestria ab infimo quoque occuparentur.* Et allusit argutatrix illa apud Petronium: *Ego etiamsi ancilla sum, numquam tamen nisi in Equestribus sedeo.* Ea Equestria lege veteri Quattuordecim gradus tenuêre. itaque passim legas, sedere in Quattuordecim: & pro ipsâ Equestri dignitate in Senecâ: *At mehercule multis Quattuordecim Gradus sunt clausi: non omnes Curia admittit.* Lege, dico, veteri. nam ut idem numerus sub Principibus fuerit, aucto immaniter numero equitum, non herclè inducor ad credendum. Et impellit me in alia omnia Calpurnius, qui ostendit totam mediam superioremque caveam occupatam ab Equite, ludis illis celebribus Carini:

*Equestria,* *quàm ampla fuerint;* *aucta videri sub Principibus;* *& Tribunos quosdam novos fuisse inter equites.*

*Venimus ad sedes ubi pullâ sordida veste*
*Inter fœmineas spectabat turba cathedras.*
*Nam quæcumque patent sub aperto libera cœlo,*
*Aut eques, aut nivei loca complevere Tribuni.*

Ostendit se in porticu summâ spectasse inter fæminas, quoniam Gradus omnes qui sub dio, occupati ab Equite aut Tribunis. Nam hos quoque addit. nec intellegit illos notos Plebejos (cave erres:) sed Militares inprimis: fortasse & alios, qui vario agnomine sub Principibus sunt nati. De quo copiose dicendi non hic locus. Ovidius aptè ad hanc rem in Fastis libro IV, ubi quemdam militiâ functum in Equestribus sibi adsidentem loqui facit:

*Dux mihi Cæsar erat, sub quo meruisse Tribunus*
*Glorior, officio præfuit ille meo.*
*Hanc ego militiâ sedem, tu pace parasti:*
*Inter bis quinos usus honore viros.*

Et eodem illo Tribunicio jure spectasse se in Equite Martialis ait:

*—— Vidit me Roma Tribunum,*
*Et sedeo quà te suscitat Oceanus.*

Nam quod de ære magno hujus poëtæ suspicere, aut censu fuisse Equitem: errabis. tenue semper & exsuccum hoc genus. Ipse id renuit, loco alio, & paupertatem clarè præfert:

*Martialis quomodo eques.*

*Sum, fateor, semperq; fui, Callistrate, pauper,*
*Sed non obscurus nec male notus eques.*

Inter Equites igitur, quia adnexum hoc Tribuniciæ illi dignitati. Et quidem hi Tribuni in Gradibus primis spectabant, ex Horatiano vetere interprete: qui ad locum illum Epodôn, in Mænam: *Sedilibusque magnus inprimis Eques*: commodè notat, *Otho*, inquit, *quattuordecim Gradus in Theatro equiti separarat, ex quibus primi Tribuniciis potestatibus vacarent.* Popularia sunt loco tertio: & nomen ea notione reperies in Suetonii Claudio, c. XXV. *Germanorum legatis in Orchestrâ sedere permisit, simplicitate & fiduciâ eorum motus, quòd in Popularia deducti, cùm animadvertissent Parthos & Armenios in Senatu sedentes, ad eadem loca sponte transierant.* Et in Domitiano, verbis, quæ retuli suprà. Vlpianus etiam *Milites stationarios* disponi à Præfecto urbis vult, *ad tuendam Popularium quietem.* Callistratus, in spectaculis *Iuvenes quosdam accommodare se turbulentibus adclamationibus Popularium* scribit. Et scio utrumque intellegere hunc plebis consessum. Plebis: nam etsi populi voce utuntur, quæ communis tribus ordinibus: tamen hîc pro unâ ejus & uberiori parte. Vti & apud Iuvenalem:

*Popularia.* *Populi vox pro solâ plebe interdum.*

*Æquales illic habitus, similemque videbis*
*Orchestram & populum.*

Intellegit enim, in hac ipsâ Spectaculorum re, plebem. Popularibus autem adtributi reliqui omnes Gradus. id est Cavea media, & Summa: nam Ima Senatui & Equiti vacabant. Itaque propter granditatem, discrimen aliquod in ipsis popularibus: & pro variâ conditione plebis, varii adsessus. Quosdam, imò plerosque Suetonius expressit Augusto: *Militem secrevit à populo. maritis è plebe proprios ordines adsignavit. prætextatis Cuneum suum. & proximum pædagogis. sanxitque nequis pullatorum mediâ caveâ sederet. Fæminis ne gladiatores quidem, quos * promiscuè spectari solemne erat, nisi ex loco superiore spectare concessit.* Vbi de Pullatis quod ait, illustrant Calpurnii versus:

*Popularia ipsa divisa.*

* Suprà ex Plutarcho.

*O utinam nobis non rustica vestis adesset!*

*Vidis-*

*Pullati ad superos relegati.*

*Vidissem propiùs mea numina. sed mihi sordes*
PVLLAQVE *paupertas & adunco fibula morsu*
*Obstiterunt.*

Ostendit enim se rusticum & pullatum spectasse in caveâ summâ, procul à Podio ubi Princeps. Ideò apud Senecam De Tranquillitate, *Verba ad summam Caveam spectantia*, sunt vilia & ad gustum minutæ plebis. At quod Fæminæ in summo: etiam Propertius ostendit, ubi præcepta æmulantis Cynthiæ:

*Propertii alia distinctio & intellectus.*

*Tu neque Pompejâ spatiabere cultus in umbrâ,*
*Et cùm lascivum sternet arena forum,*
*Colla cave inflectas ad* SVMMVM *obliqua theatrum.*

Ita legendi & jungendi ii versus. & mens est: Cùm Gladiatores in foro: cave oculos adjicias, tu qui in equite spectas, ad loca summa, ubi mulieres.

*Confusa aliquando locorum series:*

Et hi quidem limites, hic ordo. quem tamen migrabat & miscebat sæpe Quiritium turbida plebs. Avidi enim multi ludorum, & exclusionis metuentes, loca de multa nocte occupabant, & inhærebant ut suis. Lampridius in Eliogabalo: *Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subitò ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse.* Benè dixi, occupabant. eo enim verbo id vulgò notabant. Martialis:

*Eam occupare, proprie dictum.*

*Tunc cùm licebat occupare, Mannejus.*

Spartianus in Iuliano: *Ad Circense spectaculum itum est: sed occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminavit convicia in Iulianum.* Tangit & Tertullianus eam confusionem: *Libertinos in Equestribus, subverbustos in Liberalibus sedere.* Vbi Liberalia equidem non aliud, quam liberi populi locum ceperim, quem turpe occupari à subverbustis & servis stigmatiis. Addatur Suetonius Calig. cap. XXVI. *Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de mediâ nocte occupantium, omnes fustibus abegit.* Ait autem Tranquillus, *gratuita loca.* Ergòne aliquid aliàs pendendum? Apparet: & quidem prisco etiam ævo. Certè Plautinus Prologus, (etsi non Plauti) id indicat receptum in servis:

*Loca pretio aliquo distributa.*

*Plauti antelogio lux;*

*Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,*
*Vel æs pro capite dent: si id facere non queunt;*
*Domum abeant.*

Græci hæc Ὀπτήια appellasse videntur: quæ explicant in Callimacho Scholiastæ, *τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα, munera quæ spectandi caussâ dantur.* Nec in servis hoc tantum, sed receptum etiam in aliis è plebe opinor, qui Locariis nescio quid pro sedibus pendebant. Ita enim appellat Martialis, qui loca dissignabant. In Hermetis gladiatoris laudibus:

*& Martiali.*

*Hermes suppositicius sibi ipsi:*
*Hermes divitiæ Locariorum:*
*Hermes cura laborque Ludiorum.*

Nam Locarii, meo animo, non aliud hìc quàm Dissignatores. Quos Tertullianus in ludis agnoscit, libello De Spectaculis: *A templis & aris inter tribus & tibias, duobus inquinatissimis arbitris funerum & sacrorum, Dissignatore & Aruspice.* Plautinus idem ille Prologus agnoscit in scena:

*Locarii, qui homines locant, disponuntque.*

*Neu dissignator præter os obambulet.*

Quin etiam lictores illis attribuit:

*Dissignatores cum lictoribus:*

——*Neu lictor verbum aut virgæ mutiant.*

Qui enim hoc refert ad lictores magistratuum: errat. Nullæ in hac Histrica provincia eorum partes. Sed ut Dissignatores in funere publico lictores comitabantur, severioris imperii caussa & ordinis servandi: sic in Theatris. De funebri Dissignatore, Horatii illud nosti:

—— *Dum ficus prima calorque*
*Dissignatorem decorat lictoribus atris.*

Non quia proprii Dissignatorem ulli apparitores (viles enim ipsi olim, & fortasse inter libertinos:) sed accipiebant à * Domino funeris & Editore ludorum. Ex hoc genere, Lectius ille & Oceanus apud Epigrammatarium: nec magistri illi aut Præfecti ludorum (nugæ isthæc interpretum;) sed meri Dissignatores. Quorum tamen dignitas sub Principibus aucta. Vlpianus bene monet lib. IV. de his qui not. infamia: *Dissignatores, inquit, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celsus probat: quia ministerium non artem exerceant. Et sanè locus iste hodie à Principe non pro modico beneficio datur.* Horum munus, ordinibus sua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Facetè sæpe meminit acutus & capitalis ille Hispanus, per occasionem edicti Domitiani, quo *licentiam in Equite promiscuè spectandi*, (quæ contra leges eruperat) *cohibuit.* Et id dicebant theatrali verbo, Excitare aut Suscitare.

* Lipsius in Saturnalibus lib. I.

*Crevit eorum dignitas.*

*Pellere loco non dignos,*

*id hic est Excitare.*

Bis

*Bis excitatus, terque, transtulit castra.*
Alibi:

*Et sedeo qua te suscitat Oceanus.*

Suetonius Augusto, cap. XIV. *Cùm spectaculo ludorum gregarium militem in Quattuordecim sedentem excitari per apparitorem jussisset.* De qua eadem re Appianus: Καὶ ὁ Καῖσαρ τὸν στρατιώτην ἀνέστησε. *Et Cæsar militem jussit surgere.* Pulchriùs in eodem planè verbo Græcè lusit Diogenes Cynicus (in Diogene Laërtio:) Τὸν κιθαρῳδὸν ἀεὶ καταλειπόμενον ὑπὸ τῶν ἀκροατῶν ἠσπάσατο, Χαῖρε ἀλέκτωρ. τοῦ δ᾽ εἰπόντος, Διὰ τί; Ὅτι, ἔφη, ᾄδων πάντας ἐγείρεις: *Citharœdum quendam, quo cantante omnes discedebant eumquè relinquebant, salutavit, Salve galle. Illo quærente, Quid ita? Quia*, inquit, *cantans omnes* EXCITAS. Ipso illo verbo argutissime lusit. Sed addo etiam, labente ævo, præter Dissignatores, videri fuisse digniore quodam nomine Tribunos: qui electi ad moderandas & temperandas ludicras populi voluptates. Ii dicti, Tribuni vuluptatum. Quorum formula & munus, apud Cassiodorum libro VII Variar. Epist. x.

*Tribuni voluptatum.*

VIDEOR de loco omnia dixisse: certè ea quæ conspiciuntur in aperto. Nam quin lateant etiamnunc quædam, non nego: quæ tamen, lucis tuæ caussa, protraham in claram lucem. In eo genere tubi sunt sive fistulæ: quæ in imo & summo Amphitheatro dispositæ, ea arte & fine, ut odoratum quemdam humorem ejacularentur leviter, & inspergerent in sedentes. Is humor, è croco plerumque. Seneca epist. XCI. *Vtrum tandem sapientiorem putas, qui invênit quemadmodum in* IMMENSAM ALTITVDINEM CROCVM LATENTIBVS FISTVLIS *exprimat?* Idem libro II. Quæst. Natural. *Numquid dubitas quin* SPARSIO *illa, quæ ex fundamentis* MEDIÆ ARENÆ *crescens, in* SVMMAM ALTITVDINEM AMPHITHEATRI *pervenit, cum intentione aquæ fiat?* Apulejus lib. x. *Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus* (ita emendo ex vet. codice nostri Giselini) *diluta, sparsimque defluens pascentes circa capellas odorato perpluit imbre.* Benè Apulejus, *odorato imbre.* quia è fistulis illis, per minuta quædam foramina stillabat is liquor in modum imbris. Et signatè locutus est Antonius Musa apud Senecam patrem, qui *Sparsiones, odoratos imbres* dixit. Vbi magnus ille Turnebus à se & à vero abit, dum tentat sufficere *adoratos imbres*: & perperam ad missilia refert. Nam rorem illum ingeniosum, Sparsiones vocabant aptè. Glossæ priscæ: *Sparsio*, κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Et Martialis spargendi verbo in eo vsus:

*Fistulæ amphitheatrales.*

*† Spargebant crocum ex imâ Arcâ.*

*Apuleji correctio.*

*Sparsiones propriè.*

*Hoc rogo non meliùs, quàm rubro pulpita nimbo*
SPARGERE, *& effuso permaduisse croco?*

Et nimbum item aliquoties appellat: ut libro I.

*Eæ cum imbre aut nimbo comparantur.*

*Et Cilices nimbis hîc maduere suis.*

Libro IX.

*Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo.*

Nec è fistulis solùm hic imber, sed scito magis invento è statuis expressus, velut humanus quidam sudor. Lucanus clare indicat:

*E statuis etiam fusa.*

*Vtque solet pariter* TOTIS *se effundere* SIGNIS
*Corycij* PRESSVRA CROCI: *sic omnia membra*
*Emisere simul rutilum pro sanguine virus.*

Et ex Theatri Marcelli configuratione conspicuum, in media & summa Præcinctione statuas plures fuisse; partim ad ornatum, partim ad hunc usum. Eas autem scire licet concavas fuisse: & per immissas * fistulas ferreas sive æneas, minutis foraminibus, velut per poros & membra expressum hunc humorem. non sine præsenti quidem auxilio & manu administrorum, qui in parte inferna stabant. Crocus vero, ut Apulejus nobis prævivit, vino diluta fuit. Mixtum videlicet, tritumque florem eum herbæ fuisse cum vino: quod vinum colorem deinde adsumeret & odorem. Plinius aperit: *Crocum*, inquit, *vino mire congruit; præcipuè dulci tritum ad Theatra replenda.* Itaque liquidum crocum Ovidius dixit:

* Quas grandes fuisse suspicamur; & alias minores, quæ ab illis diffusæ per membra.

*Crocus non ipse; sed vinum eo tinctum ad sparsiones.*

*Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.*

Et fluxisse eum per gradus, Spartianus in Hadriano: *In honorem Trajani balsama & crocum per Gradus Theatri fluere jussit.* Vbi de Balsamo item notabis, etsi minus id crebrum. At de Croco, in omnibus spectaculis protritum: etiam Scenicis. ideoque solemnes crocos Propertius agnominavit:

*Per gradus fluebat.*

*Etiam balsamum.*

*Pulpita solemnes non oluere crocos.*

Adeo ut etiam supinorum hominum deliciis è Theatris in convivia sparsiones migrarint, & eadem illa arte unguen-

*Sparsiones unguentorum in conviviis, ab hoc invento.*

unguentis perfusi convivæ. Plutarchus de Othone narrat, disposuisse eum in triclinio varijs locis ἀργυροῦς ϗ χρυσοῦς σωλῆνας, ὥσπερ ὕδωρ τὸ μύρον ἐκχέοντας: *argenteos atque aureos canales, instar aquæ, unguenta fundentes.* Quod item in Neronis nepotinis sumptibus Tranquillus recensuit, cap. XXXI. *Cœnationes ejus laqueatæ tabulis versatilibus eburneis, ut flores: & fistulis, ut unguenta desuper spargerentur.* Ita enim eum locum legamus: quoniam duo ibi versatilia, & Tabulæ ad flores, & Fistulæ ad unguenta.

*Suetonius rescriptus.*

*Velorum in Theat. & Amphith. quo repertore & quando usus cœperit.*

Tegmen etiam Amphitheatri latet: quod superduci solet, arcendo æstui ac soli. Tegmen hoc è velis. Primus inventor rei Q. Catulus: aut certe jam inventæ, primus Romæ imitator. Valerius Maximus: *Religionem ludorum, crescentibus opibus, mox secuta lautitia est. Ejus instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit.* Ammianus de eadem re libro XIV. *Ex turba vero minimæ sortis & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctant atris, nonnulli velabris umbraculorum Theatralium latent. quæ Campanam imitatus lasciviam Catulus in Ædilitate sua suspendit omnium primus.* Plinius libro XIX de velis: *Postea in Theatris tantum umbram fecere. quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum * Capitolium dedicaret.* Ejus ritus vestigia in ipsis Amphitheatris, ubi foramina in summis lapidibus ad funes velorum illigandos. ut in Nemausensi illo clare: & in summo hoc Romano quædam grandiora, per quæ conjicimus trajici & in altum dirigi antennas solitas, velorum funes sustinentes. At ipsæ deinde antennæ sive mali, per foramina ea immissæ & demissæ mutulis quibusdam excipiebantur, firmitatis causa. Ad antennas autem subrectas, funes transversim ligati & extensi; super quos ducta vela. Testimonia etiam sparsa in veterum scriptis. Propertius:

* At Ædilitati ejus id tribuit Ammianus.

*Et modo tam pleno fluitantia vela Theatro.*

Suetonius in Cajo: *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quemquam vetabat.* Martialis:

*Quamvis non modico caleant spectacula sole,*
*Vela reducuntur cum venit Hermogenes.*

Vitruvius præfatione lib. x. *In muneribus quæ à magistratibus, Foro gladiatorum Scenisque ludorum, quædam dantur, quibus nec exspectatio nec mora conceditur: ut sunt sedes spectaculorum, VELORVMQVE INDVCTIONES.* Lampridius in Commodo: *Cum illi sæpe pugnanti ut deo populus favisset; irrisum se credens, populum Romanum à militibus classiariis, qui vela ducebant, in Amphitheatro interimi præcepit.* In quo mihi nota milites è classe præpositos huic muneri: scilicet quia maritimi illi, jure periti tractandorum velorum. petunt etiam quidam, apud Plutarchum in Romulo, Velabri etymon ab hoc ritu; acute sed non vere. Ἔνιοι λέγουσιν, inquit, τὴν εἰς τὸν ἱππόδρομον φέρουσαν ἐξ ἀγορᾶς πάροδον, ἱστίοις καταπεταννύναι τοῖς τὴν θέαν παρέχοντας, ἐντεῦθεν ἀρχομένοις. Ῥωμαϊστὶ δὴ τὸ ἱστίον Βῆλον ὀνομάζουσι: *Quidam ajunt viam quæ à foro ad Circum fert ab editoribus ludorum velis solere integi, initio à Velabris facto. Romani autem Velum appellant, quod nos Histium.* Non vere dico: quia Velabri vocem diu notam & natam ante hunc ritum (qui Catuli ævo inductus) satis clarum. Colorata varie vela ista fuisse, ad ornatum, Lucretius ostendit versibus sane ad hanc rem luculentis:

*Ducere vela & reducere.*

*Velabri vanum etymon.*

*Variegata ea vela coloribus:*

*Et vulgo faciunt id lutea, rufaque vela,*
*Et ferrugina. cum magnis intenta Theatris*
*Per * malos vulgata trabesque trementia pendent.*
*Namque ibi consessum caveai subter, & omnem*
*Scenai speciem patrum matrumque; deorumque*
*Inficiunt, coguntque suo fluitare colore.*

* Nota firmari, quod suprà monitus es de Antennis.

Et Carbasina vela Plinius libro XIX. nominat, cum auctore: **Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Cæsar dictator totum forum Romanum intexit, viamque sacram ab domo sua usque ad clivum Capitolinum. quod munere ipso gladiatorio mirabilius visum tradunt.* Miratur & stupet in Cæsariano facto Plinius, vel quia tantum spatij inductum: vel quia velis tam pretiosis. Nam serica ea fuisse, Dio tradidit, etsi parum adfirmate, lib. XLIII. Καὶ ἵνα μηδένα τῶν θεωμένων ὁ ἥλιος λυπήσῃ, παραπετάσματα ὑπὲρ αὐτῶν σηρικὰ, ὥς γέ τινες φασιν, ὑπερεπέτασε. *Neve quis spectantium à sole infestaretur, vela super eos Serica, ut quidam tradunt, extendit.* Nec scio sane an Plinii libris non exciderit ea Sericorum vox. Iam Nero purpurea etiam vela suspen-

*Intellegit candicantia, & è tenuissimo lino: Q. Catuli enim è vulgari & rudi.

*Aliquando serica,*

*aliquando & purpurea, auro distincta.*

suspendit, stellis aureis varie interstincta. Xiphilinus: Τά γε μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα, ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκει, ἁλουργὰ ἦν, καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο. ἀστέρες δὲ χρυσοῖ πέριξ ἐπέλαμπον: *Vela etiam quæ per aërem expansa ad arcendum solem, purpurea erant. inque iis mediis Nero acu pictus, currum agitans,* (videlicet instar Phœbi) *circum vero undique stellæ.* Hæc ipsa Vela, nisi fallor, Iuvenalis Velaria dixit, illo versu:

*Velaria.*

*—— Pugnas Cilicis laudabat & ictus,*
*Et pegma, & pueros inde ad Velaria raptos.*

Nec enim interpretes hîc audio, qui Velaria locum esse adserunt ubi vela reconduntur. Imo aliam ego lucem Iuvenali do, & ita capio: quasi laudarit & stupuerit adulator ille, quod ludis gladiatoriis, pueri è pegmate subitò in altum occulta quadam machina rapti sint, & ad Vela ipsa. Sane recepti in Amphitheatris tales lusus, talesque raptus. Quales etiam ille Martiali expressus, de Tauro cum Alcide in æthera rapto, populo spectante & adstupente:

*Iuvenalis explicatus.*

*Raptus artificiosi & sublationes in pegmatis.*

*Raptus abit* MEDIA *quod ad æthera Taurus* ARENA,
*Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.*

Lego etiam in veteri inscriptione, PRAEPOSITVS. VELARIORVM. DOMVS. AVGVSTAE. sed alio sensu: quia Velarios ibi accipio, qui præpositi velis in aula ducendis. Ita in aliis lapidibus: VELARII. DE. DOMV. AVGVSTI. & alibi: VELARII. DOMVS. AVGVSTANÆ. Sed redeo ad Theatrica nostra Vela, quæ moneo non semper extensa: quia sæpe id impediebat ventus. Nec mirum in tam laxo & capaci circo. Hispanus poëta:

*Velarii, pro hominibus.*

*Vela ventus sæpe negabat;*

*Aut Pompejano vela negata, Noto.*

Quid tum igitur? inquies. spectabantne indefensi à Sole? Non prorsus. duplex iis etiam tegmen, sive Pillei, sive Vmbellæ. Pillei quidem Thessalici, ut supra ex Dione rettuli. quem eumdem cum Petaso aliquis fecerit. & notavit eruditus noster Iunius in libro II Animadversorum cap. VI. Vsi & *Gausapis*, an *Causia*, loco illius Pillei. Nam varia hæc in Martiale lectio: atque alii libri aliud Lemma illud præscribunt his versibus Apophoretorum:

*Tunc Vmbella succedebat, aut Pilleus.*

*Martialis illustratus, & correctus.*

*In Pompejano tectus spectabo Theatro:*
*Nam populo ventus vela negare solet.*

Significat diserte, usurum se tegmine Causiæ contra solem, si ventus invidisset vela. Ad eumdem usum refero Pilleos in Theatris ab Editoribus interdum datos, sive birros. Vopiscus in Carino, ubi Iunium Messallam ejusque effusionem in ludis acerbe taxat: *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini.* At de Vmbella, Martialis idem:

*Pillei quo fine dati.*

*Vmbella.*

*Accipe quæ nimios vincant vmbracula soles.*
*Sit licet & ventus, te tua vela tegent.*

Quam à facienda umbra dictam scito, nec aliud tegmen quam quo hodie in Italia passim supra caput suspenso utuntur, per viam & in æstu. E linteo formant, instar obtusæ & brevioris metæ, quod orbiculata virga extensum, baculo sustinent supra caput erectum. Iuvenalis de eadem:

*Earum forma.*

*En cui tu * viridem umbellam, cui succina mittas.*

* Colorabant enim, ut puto, pro favore cujusque in hanc illamve Circi factionem.

Et Vmbellati clavi apud priscos Architectos, qui capite paulatim instar turbinis latiore: itemque Vmbellati flores Fœniculi, Anisi, Sambuci apud hortenses scriptores. Denique umbella, quod σκιάδιον Græcis.

Spoliarium juxta Amphitheatra, non in ipsis fuit; & censeo ad illam portam fuisse, quæ, nisi fallor, Libitinensis dicta. Nam Spoliarium, quod receptaculum mortuorum aut graviter in Arena læsorum, jure constituam juxta mortualem istam portam. Enimvero solent gladiatores occisi turpiter unco per Arenam trahi in Spoliarium. Docent adclamationes illæ Senatus, quæ apud Lampridium in Commodo: *Gladiatoris cadaver unco trahatur: gladiatoris cadaver in spoliario ponatur.* Et hoc idem censeo Victorem significare, in Domitiano, cum scribit: *At senatus gladiatoris more funus ferri, radendumque nomen decrevit.*

*Spoliarii ubi locus fuerit.*

*Quid sit Funus gladiatorium.*

*Victor illustratus.*

In porticibus vero Gradus sunt interiores diversi, per quos ad spectacula adscensus datur: si ascenderis unos, videbis alios, ita flexos & dispositos apte, ut quantumvis conferta multitudo statim egredi & ingredi ordinate & sine conflictu potuerit. Ordines hi graduum sive scalarum miro artificio pene invicem decussantur: & ad ostiola sua sive Vomitoria singuli ducunt. jam columnæ istæ, jam coronæ, epistylia, zophori; &, uno verbo, omnia exteriora hujus

*De gradibus qui intra porticus.*

*Exteriora opera venerabilis molis non imitabilia.*

hujus operis; admiranda nostro seculo, non imitanda. Sed hæc videlicet potentia Romana, hæ olim opes: quas etiam docti plerique capiunt dumtaxat & vident per nubem.

Emensi jam sumus Arenam; sed egressis subiit pegmata hic quærere; hærent enim versus illi nobis Poëtæ, quos supra adduximus:

*Hic ubi sydereus propius videt astra colossus,*
*Et crescunt media Pegmata celsa via.*

*Pegma quid, & unde dictum.*

Pegmata autem antiqui appellarunt machinas quasdam è ligno, quibus usus in Theatris aut Arenis. vox Græca origine est, ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, quod est Figo, Gelo, Compingo. Itaque Glossæ priscæ πῆγμα interpretantur *Confixum.* & docte Apulejus *confixilem machinam* dixit, adlusione ad vim ipsam verbi. De Pegmatis enim ego interpretor, quæ lib. IV. scribit in apparatu muneris: *Confixilis machinæ sublicæ: turres tabularum nexibus, instar circumferaneæ domus,* * *floridæ picturæ: decora futuræ venationis receptacula.* Pegma paullo aliter, pro loculamentis pluteisque librariis, Cicero dixisse videtur lib. IV ad Att. Epistolâ VIII. *Nihil venustius quam illa tua pegmata. postquam misisti, libros illustrarunt valde.* At nostrum istud, non aliud quam grandis quædam & ingeniosa contabulatio, quæ sponte & occulte statim subsideret statim cresceret. ideoque compacta raris quibusdam tabulis & sublicis. Prudentius:

* Picta enim Pegmata, infrà ex Claudiano.

*Tabulis superne strata texunt pulpita*
*Rimosa, rari pegmatis compagibus.*

*Argento tecta.*

Quæ ornatus causa, tecta sæpe argento vel auro, sed tenui. Martialis:

*Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum*

*Ad pegmata allusio non dubia.*

Etsi Cajus Princeps, ut Plinii verba sunt, *in Circum* (ita lego) *pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quattuor.* In his Pegmatis varia inventa & stupendi lusus ingeniorum. de quibus Augustinum loqui sentio libro XXIV. De civit. cap. XXIV. *Ad quam stupenda opera industria humana pervenit? quæ in Theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita est?* Nam ait, in Theatris. Seneca pleraque ea omnia conatus est exprimere, Epistolâ XCI. *His licet annumeres,* inquit, *machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata, tacitè in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates: aut dehiscentibus, quæ cohærebant; aut quæ distabant, sua sponte cohærentibus: aut iis quæ eminebant, paulatim in se residentibus.* Crescebant, ait, in sublime. Ideo Martialis:

*Graphica eorum deformatio.*

*Surgebant subitò.*

*Et crescunt media pegmata celsa via.*

*Desidebant.*

Subsidebant eadem: & recte Claudianus:

*Absorbebat ruina.*

*Mobile ponderibus descendit pegma reductis.* Sive quis legere mavult, *desedit.* Quin interdum chasmate & ruina subita dehiscebant: sive tota pegmata, sive homines qui impositi. De machina ipsa, Apulejus indicat lib. X. *Iamque tota suave fragrante cavea, montem illum ligneum terræ vorago decerpit.* sive, ut liber scriptus, * *decepit*: bene & proprie. De hominibus, Petronius: *Non taces,* inquit, *gladiator obscœne, quem de* RUINA *Arena dimisit? Non taces nocturne percussor, qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti?* Significat enim aperte, fugitivum illum in Arenam damnatum & cum fœda muliere aliqua (non dissimili schemate, quo Asinus Apulejus) commissum; ruina Pegmatis præter spem evasisse. Et clare iterum: *Ergo me non* RUINA *terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi judicium, Arenæ imposui, hospitem occidi, ut inter audaciæ nomina, mendicus exsul in diversorio Græcæ urbis jacerem.* Et solent interdum ita componere pegma & hanc ruinam; ut ii qui impositi, præcipites ruerent in caveas ferarum: ibique discerperentur. Strabo eleganter de Siculo quodam latrone, qui Ætnæ filius audiebat: Τοῦτον, inquit, ἐν τῇ ἀγορᾷ, μονομάχων ἀγῶνος συνεστῶτος, εἴδομεν διασπασθέντα ὑπὸ θηρίων. ἐπὶ πήγματος γάρ τινος ὑψηλοῦ τεθεὶς ὡς ἂν ἐπὶ τῆς Αἴτνης, διαλυθέντος αἰφνιδίως καὶ συμπεσόντος, κατηνέχθη καὶ αὐτὸς εἰς γαλεάγρας θηρίων εὐδιαλύτους ἐπίτηδες παρεσκευασμένας ὑπὸ τῷ πήγματι: *Eum nos in foro, per ludos gladiatorios, discerpi à feris vidimus. In sublime enim tabulato, tamquam in* * *Ætna, positus, eoque compagibus solutis subito concidente, ipse quoque cecidit in caveas ferarum quæ facile exsolverentur, infra tabulatum de industria dispositas.* Sed & flammarum quidam lusus & imago in hoc Pegmate: sine ulla ejus plerumque noxa. Claudianus:

*Apulejus correctus.*

* Nisi mavis *recepit.*

*Petronio lux data.*

*Homines in subjectas feras præcipitat.*

* Forma scilicet montis lignei, ut in Apulejo.

*Flammarum lusus in pegmate.*

*Mobile ponderibus descendat pegma reductis.*
*Inque chori speciem spargentes ardua flammas*

Scena

** Adde Apuleji locum suprà : Floridæ picturæ. Pingi enim hæc pegmata solent.*

*Scena rotet. Varios effingat Mulciber orbes*
*Per tabulas impune vagus:* pictæque citato*
*Ludant igne trabes: & non permissa morari*
*Fida per innocuas errent incendia * turres.*

** Etiam Apulejus suprà nominat.*

Vopiscus in Carino : *Pegma præterea, cujus flammis scena conflagravit : quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.* Duces etiam captivos & opida in Pegmatis solere ostendi, Iosephus adnotat libro VII. Iudaici excidii, sed non hæc Theatrica intelligens, verum Fercula quæ portari solita per triumphum. Verba ejus ita interpretamur : Θαῦμα δὲ ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν, ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. καὶ γὰρ διὰ μέγεθος ἦν δεῖσαι τῷ βεβαίῳ τῆς φορᾶς ἅπαν ἀπιστήσαντα. τριώροφα γὰρ αὐτῶν καὶ τετρώροφα πολλὰ πεποίητο: *Maximam autem admirationem præbuit apparatus Pegmatum, quæ ferebantur. Nam ob magnitudinem eorum, jure metuere licebat, & diffidere omnino viribus portantium. quippe quædam triplici tabulato adsurgebant, quædam & quadruplici.* Statimque addit : Τέτακτο δὲ ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν πηγμάτων, ὁ τῆς ἁλισκομένης πόλεως στρατηγός, ὃν τρόπον ἐλήφθη : *Collocatus autem in quoque pegmate erat captæ civitatis dux, eo modo quo captus.*

*Captivi duces in pegmatis; Quæ tamen diversa paullò ab istis.*

Magis proprie ad hæc nostra pertinent Suetonii * loci duo, alter in Cajo, cap. XXVI. Claudio alter, cap. XXXIV. quos vide. Ambigo & Aristoteles ad Alexandrum, ad has machinas non adspexerit: Ὥσπερ δρῶσιν οἱ μηχανότεχνοι, διὰ μιᾶς ὀργάνου χαστηρίας πολλὰς καὶ ποικίλας ἐνεργείας ἀποτελοῦντες. Certe * Apulejus, dum verba ea vertit : *Machinatores fabricarum, astutia unius conversionis, multa & varia pariter administrant.* Parapegmata etiam nominata Vitruvio invenies, pro instrumentis Astrologorum : & in Laërtio scriptum, Democritum scripsisse Astronomica parapegmata.

* De quibus scribit Lipsius II Saturnal. cap. XLV.

* Qui aureum illum libellum vertit verbatim pænè.

*Parapegmata.*

*Epilogus scriptionis.*

Hactenus de Amphitheatro, quod omnium Amphitheatrorum excellentissimum est, Colissæo illo, justa accuratione scriptorem, hoc est, Lipsium, vidisti Lector; & præter habitum faciemque omnem ejus loci, varios ad res varias advocatos & cum luce dimissos scriptores. Porrò quum nihil hac parte sit addendum, quoniam nec Architecturam omnem scire est, nec si daretur, nimis quærere, aut multum laudandis fundamentis, ac lapidibus quibus molem Amphitheatri Cæsar extruxit, volumina libet implere, ideo egrediamur Arena, & postquam de paucis, quæ notare in præcipuo hoc ædificio nostra refert, tum quæ Sixtus Quintus Pontifex ad hanc molem incepit, quæque suprà promisimus de Tauri Amphitheatro, nec non ruinis illius cui appellatio fuit Castrensi, viderimus, relictâ hac Caveâ tendemus ad aliam.

# ICHNOGRAPHIA COLISSÆI.

*Digressio ad architecturæ rationes singulares.* POst orthographiam Colissæi, quam & ex operis maximi miraculo & scriptoris optimi ingenio ac calamo venerabilem vidisti, dabimus Tibi, Lector benigne, loci hujusce ichnographiam quàm accuratissimam. Aptissimè autem *Quotuplicia sint fundamenta:* fundamenta ad eorum vestigia designanda quatuor modis dividuntur; nempe quum structura ipsa quatuor ordinibus constet, prout ex illis quæ supersunt partibus apparet. *Primum,* Primo igitur fundamento mensura partium exteriorum hæc est: *cum fabrica suâ.* columnæ sive muri, quæ vocantur pilastra, introitus ubique præbentia, ab anteriori parte palmos decem Romanos antiquos cum sex minutis lata sunt; in crassitie verò columnæ ipsæ structiles, quæ in his muris extant, palmos quatuor possident, ut ipsa utrinque pilastra tres palmos cum duabus minutis. *Quatuor præcipuæ portæ.* Patent ea palmis decem, at in quatuor portis magnis viginti duobus. Pilastra suis ex lateribus palmis duodecim lata sunt. Porticus princeps laxitudinis palmos duos & viginti habet; hinc altera duobus angustior viginti tantùm; utræque fornice integuntur: exinde interiorum porticuum, quæ versùs Arenam & centrum suum productæ magis ac magis arctantur, dimensionem referre non refert, cum omnium proportio ad duas priores comparata præsumi facile queat. *Secundum fundamentum;* Alterius fundamenti pars anterior ad æqualitatem primi est, sed cum ambulacris tamen latioribus, quoniam muri sive pilastra non tam crassa sunt, quam quæ infra posita. Interius ambulacrum testudine sive arcubus sese decussantibus tectum spiracula nonnulla habet, *Tertium;* fortè ut lumen inde hauriretur. Et tertium fundamentum ei adæquatum est, ex parte exteriori; at ambulacra tanto ampliora quanto muri minus laxi, primumque arcubus in modum crucis sese intersecantibus, secundum fornicatione rotundâ est. *Quartum:* Et quarto fundamento mensuram trium priorum vides, nullam tamen fornicem, sed columnas planas, cum intermediis fenestris, quomodo figura ortographica habet. *De hoc dubitatio.* De hoc summo fundamine dubitant nonnulli, fueritne toto spatio, quantum bina occupant ambulacra, stratum, quippe cum hodie destructum adeò sit ut nec vestigia pilastrorum supersint, nisi in exteriori muro, ubi signa arcuum in modum crucis spectantur, cui muro gradus adjecti sunt ad fenestras exteriores. Sed quum de gradibus, tam quibus sedebant spectatores, quàm quibus adscendebatur intus, jam ante facta mentio sit, ad externam faciem transgrediar; quæ quadruplicem ordinem ostendit. *Externus habitus, & ordines structuræ.* Primæ substructionis, juxta terram, modus Doricus est, quamvis in Zophoris nulli triglyphi nec metopæ exsculptæ, neque gottæ in epistylio, vel sub corona sint, ita tamen dicendus: sicuti secundus ordo Ionicus, quanquam columnas striatas non habeat; tertiusque Corinthius, at opere haud segmentato aut figurato factus, exceptis capitulis, sed propter sublimitatem tamen nec ibi egregio. Quartum opus est Compositum, sive Latinum, nempe cujus Romani autores feruntur; recteque dicitur Compositum, præsertim quia mutulos habet in Zophoro, quos in nullo alio operis ordine vides. *Amphitheatrorum extruendi mos.* Sed Colissæum, sicuti haud alibi locorum in Amphitheatris factum, (quum Veronense & Polanum rustico tantum sint opere sive Thuscanico) diversa habet struendi genera, & Romanum seu Italicum omnibus tandem superpositum; *Quid sibi velit ordinum diversitas.* ut nempe constaret, elegantes cultissimosque populos, apud quos ordines illi inventi atque usitati sint, subjunctos esse Romanis omnium illustrissimis. Sed jam videor mihi videre Lectorem ut ruinas respiciat, & in his sortem rerum, omnia mutantem, & sapientes plurima admonentem quæ sacrâ docemur philosophiâ. Manum itaque removeam, & ad Ruinas revertar,

quid

quid ætas noviſſima ( cum Deus otium feciſſet , & florerent in rebus omnibus magnis ) ruinis his cœptitarit breviter expoſiturus.

Et quidem Sixtus Quintus Pontifex Optimus , ac claritate cœptorum nec non effectorum ſuorum Maximus , pro Summo & Paterno animo in Matrem magnam , Romam , nihil aliud circa hanc molem inſtituit , quam , quæ hactenus tantùm ad inſanæ ſtructionis , & multò inſanioris rei teſtimonium fuerat , ut uſum aliquem præberet Vrbi. Plenam igitur telarum illam facere ſtatuerat , & operas inſtituere nunquam parcas lanificas,ut certum & continuum hoc opificium vita æquabilior eſſet civium tenuiorum, & mendici hac re quæritarent victum. Iccirco excolere Coliſſæum habitationibus juſſerat , hoc modo , ut ab interiori parte porticus eſſent contectæ in ordine primo , ſuperiores apertæ , & ad commoditatem operarum inſtructæ , quarum unicuique officina propria & liberalis,cum cameris binis deſtinabatur ; porticus autem patens totum Amphitheatrum extrinſecus cingeret. Ejus rei gratia mercatoribus nonnullis quindecim millia ſcutatorum expenderat , ut ſuſciperent telæ inſtituendæ curam. Ipſe & fontes eo derivare concupivit , jamque terram circa moliebatur , viamque à turri Comitum ad Coliſſæum uſque, ut ei æquam affunderet planitiem ; & dicatæ operi rhedæ ſexaginta cum equis ſuis, centum continuo annitentibus viris ; effectumque jam intra annum ſperabatur. Remanent adhuc veſtigia laboris per Pontificis mortem perempti.

*Vſus operarius Coliſſæi ſuſpenſus.*


Questo è il dissegno della Pianta del Coliseo di Roma nel modo che Papa Sisto. V.
lo uoleua fare accomodare per habitatione, et ponerui dentro l'arte della lana
con tutte le commodità, che appartengono à dette arte, quale uo,
leua introdurre in Roma, et anco farui dentro nel'
mezzo una fontana, come più distintam.te
si narra qua auãti nella descrit.ne di d.to Coliseo.
A. Le quattro Entrate.
B. Le quattro scale per andar di sopra.
C. Le loggie che ueniuano coperte al piano di terra, et di sopra scoperte.
a torno detto Coliseo per la parte di dentro.
D. Le stantie per habitare che ogn'uno haueua d'hauere una Sala è
due Camere.
E. Le loggie che sono in essere à torno per la parte di fora sotto è sopra il piano à
terreno haueua da seruire tutto p li seruitij di d.ta arte della lana.
A
A
A
A
B
B
B
B
C
C
C
C
D
D
D
D
E
E
E
E
19

# AMPHITHEATRVM TAVRI.

*Statilii Tauri moles quo loco fuerit:*

PRimum Romæ mansurum & ex lapide Amphitheatrum diximus Statilii Tauri; quod ille, ut habet Suetonius, hortante Augusto struxerat. Locum diserte præit Dio: *Statilius Taurus Amphitheatrum in campo Martio suis sumptibus absolvit, inque ejus dedicatione munus gladiatorium exhibuit.* Quo magis miror recentiorum Antiquariorum asserta, in ultimis id Esquiliis locantium, prope templum S. Crucis in Hierusalem: quo loco exstantes adhuc pilæ & parietes lateritiam molem testantur; eam scilicet quam P. Victor in regione quinta Esquilina innuit, Castrensis nomine. Sed & ipse nostram illam in regione nona Circi Flaminii claro discrimine posuit. Fuit autem Statilius ille homo novus in Vrbe, at diligentissimus, & clara fortuna; eoque post Agrippam maxime usus est Augustus in Republica administranda, Paterculo fatente, lib. II, & Dione, lib. LIV, *Dein Vrbis & Italiæ gubernatione Tauro injuncta, ab Vrbe profectus est* [Augustus.] Missus idem ab Imperatore in Africam, provinciam recepit: bellatusque contra Dalmatas est, & Actiaca pugna contra Antonium dux terrestrium legionum equitatum hostilem fudit. Domuit & Cantabros, Astures, Vaccæos in Hispania. Cum Augusto octavùm Consule gessit rempublicam, anno quarto post Amphitheatri sui dedicationem, quum pro munere amplissimo populus ipsi concessisset ut Prætorem unum quotannis eligeret. Amphitheatrum autem & Augusti temporibus, & post multa in fama & usu fuisse, probant scriptorum monumenta. Suetonius in Caligula: *Munera gladiatoria aliquot in Amphitheatro Tauri edidit.* De eodem principe Dio: *Post alibi etiam maxima ædificia demolitus, tabulata fixit, contempto Tauri Amphitheatro.* Ambustum autem esse sub Nerone, idem habet lib. LI & LIII. in quo discrepare à Tacito videtur, qui, quum hoc ipsum incendium oculis viderit, lib. XV Annal. scribit, *Solatium populo exturbato & profugo Campum Martis, &c. patefecisse Neronem*, quasi hunc locum, in quo Tauri Amphitheatrum ignis corripuit, intactum flammis vellet.

*Dissentiunt in eo scriptores.*

*Statilii Tauri claritas.*

*Ejus moles quàm celebris fuerit;*

*& quando perierit.*


Nob: Amplißimo
Prudentißimoq;
NICOLAO CORVER,
CONSVLI
ac
SENATORI
REIP. AMSTELÆDAMENSIS,
Novam hanc veteris Amphitheatri
Tauri Statilii Tabulam
D. D. D.
J. Blaeu.
AMPHITHEATRVM
TAVRI STATILII

# AMPHITHEATRVM CASTRENSE.

*De Castrensi venatorio.*

HÆc moles, quam Castrensem diximus, regione Esquiliis commemoratur P. Victori, nunc in ipsis mœnibus, aut pro mœnium munimento, quamvis non magno circuitu, est; atque adsita templo S. Crucis in Hierusalem. Variis quondam ornatam lapidibus dicunt recentiorum opuscula, sed pilæ eo loci adhuc stantes & parietes lateritiam probant. Structorem Lipsius sibi irrepertum fatetur; *& ejus positore.* alii dicunt Statilium, & hanc ipsam fuisse quæ suasu Augusti confecta, facibus Neronis vastata sit, secundum quos facere videtur de qua supra monui in Victore cum Taciti loco discrepantia; sed certi nihil aliud adfertur, gravissimis autoribus abnuentibus. Præter hæc tria visoria, unum in Vrbe cœptum, postea derelictum est: *Cajum aliud incepisse,* Suetonius: *Inchoavit* [Cajus] *Amphitheatrum juxta septa, quod à Claudio omissum.* Alterum à Trajano perfectum dicit Spartianus: *Aliud extruxisse Trajanum.* *Theatrum, quod ille in Campo Martio posuerat, contra omnium vota destruxit* [Adrianus.] Theatrum autem dixit pro Amphitheatro, ut Pausanias, *Theatrum magnum undique circulare.*




*A. Santa Croce in Hierusalem*
*B. B. Le Mura della Città.*

AMPHITHEATRI CASTRENSIS RVDERA.

# DE THEATRIS.

*Nomina & antiquitas hujus loci laſcivi:*

EXecuti ſumus de Venatorio Theatro, jam nunc, ut propoſitum eſt, adjiciamus de altero genere, cui Theatri vocabulum vulgò inhæret, ſicut priori proprium nomen Amphitheatri, quam ſæpe Arenam, hanc verò Scenam, per ſynecdochen, dicimus. Longè antiquior autem is locus eſt, quam Amphitheatrum, unde & Caveæ appellatio, apud Ciceronem & ſcriptores liberâ Republicâ, eundem fere concernit, in Deorum ſpectaculis conſeſſum populo Romano cum conjugibus & liberis præbentem. Theatrum igitur à θεάομαι, ut à *Videre Viſorium* dicitur; Cavea verò ab interiori parte concava & capaci depreſſione. Diu tamen apud Romanos videndi locus extructus non erat: nam ſpectacula cum fierent, circumfuſus adſtabat populus; poſtea, ne viſus turbæ excluderetur, aggeſti ceſpites ſtipanti multitudini loca reddebant editiora. Commodiorem ſibi locum poſteritas gradibus ex ligno factis haud rarò extruxit: atque ita Ludis, quos gentium condiderat idololatria, hic demum conditus locus.

*ejus extruendi cauſæ.*

*Ludorum in Vrbe multiplicatio.*

Et Romanæ quidem Vrbis conditores ac reges per ordinem aliis atque aliis excogitatis Ludis numerum primorum, quos à Lydis tranſvenis ex Aſia in Hetruriam acceperant, creſcente ſemper ſuperſtitione, multum auxerunt. Nam ut eſt apud Cyprianum, *diabolus artifex, quia idololatriam per ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari*: perdita hæc voluptas univerſam ſpectaculorum paraturam peperit, & ad impietatem improbitatemque omnem, immunditiem, ſævitiem & actiones moribus ſuis & communi quoque legi humanæ contrarias adduxit homines. *Hinc ipſi auctores & adminiſtratores ſpectaculorum*, quadrigarii, ſcenici, xyſtici, harenarii illi amantiſſimi, *quibus viles animas fœminæ, aut illi etiam corpora ſua ſubſternunt* *, *propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, ex eadem parte quam magnifaciunt, deponunt, & diminuunt, immo manifeſte damnant ignominia & capitis minutione, arcentes Curia, Senatu, Roſtris, Equite, cæteriſque honoribus omnibus ſimul ac ornamentis. Quibus quanta perverſitas! amant quos multant, depreciant quos probant; artem magnificant, artificem notant.* ut eſt apud Tertullianum, de ſpectaculis. Sed ipſi *Ludi*, quod additur ibidem, *bifariam etiam à primordio cenſebantur, Sacri nimirum & Funebres*, hoc eſt qui dicati *Diis nationum ac Mortuis erant.* Circenſes, eorumque ſpecies, artes, locum, ſupra tractavimus, rebus Scenicis autem cum iſtis & origo communis eſt, & tituli pares, nempe ſecundum ipſam ab initio Ludorum appellationem; ſed & adminiſtratio conjuncta, & apparatus ſunt conſortes, *etiam ex ea parte quæ ad ſcenam ſpectat, nam à templis & aris & illa infelicitate thuris & ſanguinis inter tibias & tubas itur, duobus inquinatiſſimis arbitris, funerum & ſacrorum, deſignatore & haruſpice*, uti idem autor ſanctus recenſet. Cicero, ſeparatis illis quibus officia mortuis facere ſe veteres arbitrabantur, quæ inde dicuntur Munera, Ludorum genera & eorum ſpecies breviſſimè ita comprehendit: *Iam Ludi publici cum ſint Cavea Circoque diviſi, ſint corporum certationes curſu & pugillatione, luctationeve, curriculiſque equorum uſque ad certam victoriam Circo conſtitutis; Cavea cantu, voce, ac fidibus & tibiis, dummodo ea moderata ſint, ut lege perſcribitur.* Verum ea, *quæ voce & modis & organis & lyris tranſiguntur, Apollines & Muſas & Minervas & Mercurios mancipes habent*, quod à Tertulliano perhibetur: & ut idem refert *in artibus quoque ſcenicis Liberi & Veneris patrocinium* eſt, nempe eorum, *quæ privata & propria ſunt ſcenæ, de geſtu & corporis fluxu. Nam mollitiam Veneri & Libero immolant, illi per ſexum, illi per fluxum, diſſoluti.*

Cyprian. ad plebem in Euangelio ſtantem.

Tertullianus libello de Spectaculis.

** Hunc locum ſuprà in Amphitheatro correctiorem videbis.*

*Ludorum diviſio.*

Cicero, lib. 2 de legibus.

*Theatri Numina.*

*Ludi Liberales duplices.*

Theatrum itaque Veneris & Liberi domus eſt, nempe & alios Ludos ſcenicos Liberalia proprie vocabant, præterquam Libero devotos, à ruſticis primo factos ob beneficium, quod ei adſcribunt pro demonſtrata gratia vini, quales & ſunt Dionyſia penes Græcos eidem inſtituta. Duo iſta dæmonia, ebrietatis & libidinis, quibus convenit

*In Theatro præcipuè desectum plebis ad mollitiem spectatum esse.* Tertullianus, citato loco. * *Atellanus, qui ludos Atellanos argumento joculari edit.*

hæc sedes, conspirata & conjurata inter se dicit sanctus Doctor; & hinc non immerito notat Theatrum tanquam Consistorium privatum impudicitiæ, scilicet ubi nihil probatum sit quàm quod alibi non probaretur: *Ita summa* inquit *gratia ejus de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus* * *gesticulator, quam Mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, ut facilius domi quam in Scena erubescant; quam denique Pantomimus à pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit.* Hinc post pauca: *Sin & doctrinam secularis litteraturæ ut stultitiæ apud Deum deputatam aspernamur, satis præscribitur nobis & de illis speciebus spectaculorum, quæ seculari litteratura lusoriam vel agonisticam scenam dispungunt: quod sint Tragœdiæ & Comœdiæ scelerum auctrices & libidinum, cruentæ, & lascivæ, impiæ, & prodigæ.* Ex eodem igitur spiritu Cyprianus, supra citatus, *Pudet,* ait, *referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt; Agentium strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patres familias togatos modo stupidos, inverecundos. Et cum nulli hominum aut generi aut professioni ab improbis isto sermone parcatur, ab omnibus tamen ad spectaculum convenitur.* Idem de pantomimo: *Homo fractus omnibus membris, & vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit, verba manibus expedire, & propter unum nescio quem, nec virum nec fœminam, commovetur civitas tota, ut desaltentur fabulosæ antiquitatum libidines.* Nullum itaque ob finem alium hic locus exstructus quàm ut darentur Fabulæ, recitarentur Comœdiæ nec non Tragœdiæ. Formam non nisi Hemicycli habuit, & præter partes suprà in Amphitheatro explicatas *, Scenam, Proscenium, Pulpitum Chorum, Odeum, Foros, Exostra. Quis verò non miretur illos qui filiarum virginum ab omni spurco verbo aures tuebantur, ipsos eas in Theatrum ad impuras illas voces gesticulationesque deduxisse? Aut quis miretur Theatra, quæ primò subitaria & in tempus fiebant, Censorum jussu statim soluta fuisse? Meritò enim hæc loca non multum probabant, secundum Tacitum, quoniam moribus Civitatis lascivia inde nata atque etiam subinde factiones plurimum adversabantur.

Cyprianus ad plebem in Euangelio stantem.

*Quæ causa struendi Theatrorum,*

* Cuneos, Orchestram, &c. quanquam de Orchestra discrepant.

*Partes Theatri propriæ.*

*quæ causa destruendi.*

# THEATRVM POMPEJI.

* Vide Tacit. lib. 14.

*Pompejanum Theatrum quis posuerit.*

Veneris autem reverentia Theatrum in seculo evasisse, ait Tertullianus. Nam cum Cn. Pompejus * lascivum hunc locum extrueret, ne, sicuti anteà Theatra subinde renata jussu Censorum, quippe moribus consulentium, destrueretur, adjunxit venerationem templi religiosi, quo scilicet lasciviæ illud sacrarium ejusdem dæmonis nomen publicè propositum habuit. Hinc jam citatus noster Doctor, *Pompejus Magnus,* ait, *solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum sed Veneris templum nuncupavit: cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum. ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexit, & disciplinam superstitione delusit.* Dictum igitur Theatrum Pompejanum est, quod Pompejus ipse, aut Libertus ejus, ut nonnulli volunt, extruxit ejus nomini postea traditum; fuitque ex lapide quadrato, (sicuti omnia deinde Theatra in Vrbe, quamvis Capuæ etiam marmoreum factum sit) capiens ad quadraginta hominum millia; præterea sive ab initio ita factum sive ab instauratoribus refectum, tam tenui & apta junctura lapidum, ut non composito opere sed ex unico solido lapide videretur. Ejus vestigia in campo Floræ cernuntur prope Circum Flaminium, in cella vinaria, nec non in equili domus Veranæ. Igne autem vastatum Tiberius olim restauraverat, perfeceratque Caligula; iterum Vulcano consumtum restituit Claudius; vetustate verò longe pòst collapsum refecit Theodoricus rex Gothorum. Neroni hanc molem aliquando opertam auro in unum diem, ut Teridati regi Armeniæ, qui Romam venerat ab Imperatore regni insignia accepturus, in Theatrum ab ipso ducto mirum præberet spectaculum, Plinius * refert. Ejus proscenium dicit Claudianus:

*Pompejana dabunt quantos proscenia plausus!*

Tertullianus, ut suprà.

*Hoc theatrum quomodo animadversionem censoriam evaserit:*

*Ejusdem architectura;*

*Illius pereuntis restauratores.*

* Plinius lib. 33, cap. 3.

Claudianus lib. 2, de Stilicone.

THEA-

# THEATRVM MARCELLI

*Operis hujus occasio & autor.*

POst Pompejanum Theatrum, cognita aliqua hujus loci utilitate, alii similiter ad hæc opera extruenda animum adjecerunt. Ipse Augustus inter Capitolium & Tiberim struxit, eo loco ubi hodie vestigia Theatri sunt, ampliora quàm quæ ex Pompejano supersunt, estque in ruinis ejus extructum palatium Sabellanum. Factum illud ædificium præcipuè opera Octaviæ, sororis Augusti: hinc, quia sedulitate & cura matris multa amplissima ædificia extructa, factum est, ut ipsius nomen cum Marcello filio de operibus aliquibus confusum sit apud scriptores. Consecratum autem ab Augusto immortalitati nominis Marcelli, ob amorem quo matrem & filium prosequebatur; adstructaque porticus eximiæ magnitudinis & elegantiæ, unde templo hodie nomen S. Mariæ in Porticu: constabat duplici ordine, nempe Dorico & Ionico, & ut Vitruvius testatur, tanta fuerat specie ac pulchritudine quanta vix aliud Romæ. Marcellus autem Augusti ex sorore nepos, qui & apud Virgilium immortali nomine cluit, spei clarissimæ adolescens, quippe successurus in imperio, maximo cum desiderio Vrbis aut Orbis decesserat in Bajano.

*Cujus id opera sit factum.*

*Vnde nomen.*

*Locum ad huc videri.*

## THEATRVM BALBI.

*Autori faciundi operis autorem fuisse Augustum:*

CVm Cæsar Augustus Vrbem operibus quam ornatissimam optaret, & Cornelium Balbum Gaditanum virum ditissimum & liberalissimum adhortatus est, ut Theatrum hac faceret: struxit itaque vir magnificus & extruxit, tantæ amplitudinis, ut triginta millia contineret loca. In eodem posuit ex onyce quatuor columnas pretii inæstimabilis. Nonnulli volunt, Balbi nomen ei datum ab ipsius tantum cryptæ vicinitate: sed & in aliis circa hanc molem discrepant antiquarii, non omnibus ei inter Pantheon & Theatrum Pompeji situm addicentibus; apparent tamen sub palatio Ducis Cæsarini vestigia ejus, quæ palatio illi pro fundamentis esse videntur. Blondus Balbum hunc ex Gadibus Hispaniæ ortum asserit; majorem Romæ Consulem dicit Plinius, primumque externorum atque etiam in Oceano genitorum qui usus sit illo honore, quem majores Latio quoque negaverant. Sed nec pœnituit Romam, Tacito monentè, magnis hunc advenam titulis & ornamentis auxisse, quippe qui acerrimè sæpe pro illius gloria & salute dimicarit. Tanto autem divitiarum cumulo præditus erat, ut è vita decedens pene infinitam pecuniæ multitudinem Pop. Romano dividendam reliquerit.

*De loci nomine,*

*ac loco.*

*Balbus unde domo,* Plinius lib. 7. cap. 43. *& quâ fortuna.*

## DE THEATRIS TEMPORARIIS, SCAVRI ET CVRIONIS.

*M. Scaurum & C. Curionem sumptu vel ingenio suprà memoratorum magnificentiam superasse.*

DE perpetuis illis Theatris finiam temporariorum aliquorum enarratione, quæ non tantum Theatris perennibus, sed operibus omnibus, quæcunque in Vrbe aut etiam Orbe universo ad temporis usum aut æternitatis spatium extructa sunt, antestant. Quænam igitur? aut quibus ea rebus? & impensarum cumulo, & artificii portento, Scauri & Curionis Theatra; quæ tantum cæteris Romanis, hoc est insignissimis in Orbe operibus antecellentia memorantur miraculo perfectionis, quantum cætera his ipsis alia quavis ratione fuerint anteponenda. Sed nulla quoque quantumvis firmissimo opere perennitati destinata monumenta, quæ tempus edidit, non tempori cedunt, tandemque iterum abolentur. Tanto magis igitur mireris apparatum perquàm magnificentissimum


THEATRVM MARCELLI.
nunc
PALATIVM SABELLORVM.
I. SCÆNA.
II. PROSCÆNIVM.
III. PVLPITVM.
IIII. ORCHESTRA.
V. PODIA seu CVNEI.
VI. CAVEA.
VII. CORVS.

Scauri in suo Theatro temporario, & vix unum mensem futuro; * aut ingenium Curionis de Scena sua nec altero die mansura. De utrisque ita Plinius: Hic [Scaurus] in Ædilitate sua opus maximum omnium quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ea triplex in altitudinem CCCLX columnarum, in ea civitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragenum pedum. Signa ærea inter columnas, fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum LXXX millia, cum Pompeji amphitheatri toties multiplicata urbe, tantoque majore populo sufficiat large quadringenta millia. Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad H-S millies. Aufert animum, & à destinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliamque connecti majorem insaniam è ligno. C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus apparatuque non posset superare Scaurum, cum jam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus ut nemo postea par esset insaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit: operæ pretium est scire quid invenerit, & gaudere moribus nostris, ac nostro modo nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repente circumactus ut contra starent, postremo jam descendentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis autoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisque in hoc primum? inventorem, an inventum? artificem, an autorem: ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an jubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immortalium generi humano portio, in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Ecce populus Romanus universus velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & seipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis: Vera namque confitentibus populus Romanus funebri munere ad tumulum patris ejus depugnavit universus. Variavit hanc suam magnificentiam fessis turbatisque cardinibus & amphiteatri forma custodita, novissimo die duabus per medium scenis athletas edidit, raptisque è contrario repente pulpitis eodem die victores è gladiatoribus suis produxit. Nec fuit rex Curio aut gentium Imperator, non opibus insignis, ut qui nihil in censu habuerit præter discordiam principum. Hæc Plinius: sed relicta nos Cavea utraque transeamus ad alia Vrbis antiquæ monumenta.

*De Theatro Scauri, ex Plin. lib. 36, cap. 2.*

*Operis hujus luxus,*

*& capacitas,*

*cum cæteris ornamentis.*

*Theatra duo versatilia C. Curionis, ex eodem loco Plinii.*

*Ingenium operis necnon populi Romani notatum.*

*Exitus hujus operis insani.*

*Nota de Curione.*

# DE NAVMACHIA.

NOn ex variis tantum generibus, quæ hactenus enumeravimus, ludorum, sed ab elementis quoque diversis alternata Spectacula voluit ingeniosa voluptas. Igitur post terrestris belli genera, & navalis, quam dixere Naumachiam, specimen frequenter exhibitum est. In Circo ab initio datum esse, Onuphrius probat: atque idcirco nos suprà hoc ipsum spectaculorum genus attigimus: sed in Amphitheatro, in Septis quoque fieri solitum fuit, nec non in mari, aut lacu; & loco demum effosso, qui proprius ejus, & ipse Naumachiæ nomen adeptus est. Eundem jam propositurі rivos quos antea clausimus, ex fontibus authorum repetimus, latius nonnihil deductos; nam & aquas videre placet, & pugnas in aquis, & quæ post alternas effusiones in sicco cochleæ solo, necnon in pontibus Naumachariis edebantur pedestres collusiones, quæque interea accidisse authores subinde commemorant.

*Quibus locis exhibita Naumachia.*

Effodiendi autem inventum Artemisiæ reginæ Cariæ est apud Vitruvium: *Rhodii cum penetrassent intra muros, relictis navibus, Artemisia repente fossa facta in pelagus, eduxit classem ex porta minore in majorem.* Ægyptios autem priores, imo primos omnium in hoc instituto facile repereris, utpote quorum terram, post demigrationem familiarum è Mesopotamia regione, in primis habitatam, fossionibus crebris fœcundam, & ad usum habitatorum aptam redditam, sacræ & profanæ literæ probant. Maximum etiam visum olim & portentosissimum opus Xerxis, quod Atho montem à continente divisisset navigabili alveo, ad Isthmi oram ulteriorem usque continuo: nec minus Semiramidis, quæ Ecbatanam campestribus locis sitam latissimo flumine cinxit; quod per saxosum montem, & cujus recto itinere ascensus stadia viginti quinque explebat, fossâ in ejus profundis percussâ, deducebatur. Neque fuit admiratione minori, C. J. Cæsarem Romæ in Campo Martio in modum cochleæ effossum locum [quod primum omnium legitur] eumque aqua repletum curasse, navali prælio non in mari, [Dio nobis præit, libro XLIII.] nec in palude, sed in terra quam magnificentissime exhibendo: ad quod videndum tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint quam plurimi; id quod antea nobis indicavit Tranquillus in Cæsare, cap. XXXIX, ubi hac Naumachia *Biremes ait & Triremes, Quadriremesque, Tyriæ & Ægyptiæ* [ficto nomine scilicet] *classes, magno pugnatorum numero conflixisse.* Numerum Appianus exprimit, libro II Bellor. civil. *Naumachiam Cæsar exhibuit quater millium remigum, mille bellatoribus utraque parte insidentibus.* Eundem locum Cæsar ipse humo repleturus erat, ut Tranquillus de eo scribit: *Destinabat Martis templum quantum nusquam esset extruere, repleto & complanato lacu, in quo Naumachiæ spectaculum ediderat.* Post ejus mortem verò ex S. C. terra injecta oppletum esse, Dio lib. XLV habet.

*Lib. II, cap. VII.* — *Clarus fossionum usus.* — *Naumachia Cæsaris omnium prima,* — *maximo pugnatorum numero.*

Post hæc Augustus Imperator, Transtiberina regione, in hortis suis Naumachiam, percusso fundo, struxit. Tranquillus in hoc Principe, cap. XLIII, *Edidit*, inquit, *navale prœlium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est; quibus diebus custodes in Urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset.* Idem in Tiberio, cap. LXXII, *Semel triremi usque ad proximos Naumachiæ hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis.* De hac St. Papinius Sylvarum lib. IIII, ad Marcellum:

*Augusti Altera:*

*Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces,*
*Continuo dextras flavi pete Tibridis oras,*
*Lydia quo penitus stagnum navale coërcet*
*Ripa, suburbanis vadum prætexitur hortis.*

Ipsa deinde vetus Naumachia dicta est, ut apud Tranquillum in Tito, cap. VII, *Dedit & navale prælium in veteri Naumachia; ibidem & Gladiatores.* Vetus scili-

*cui nomen Antiqua.*



cet

# NAVMACHIA DOMITIANI.



cet in relatione novorum locorum, quæ posteriores principes struxerunt: nam in Septis, & Amphitheatris frequenter navalia prœlia apparabantur, ut deinceps apparebit. Amplitudinem hujus Naumachiæ ex fragmento, quod apposuimus, quanquam satis turbato cognoveris: *Navalis prœlii spectaculum ........ popul..... in quo loco nunc nemus est Cæsarum cavato longitudine mille & octingentos pedes; in latitudine pedes ducentos, in quo triginta rostratæ naves triremesque plurimæ ...... minores inter se conflixerunt ........ runt præteres remigès millia ....... circiter.* Tacitus ait lib. XII, *Levibus navigiis & minori* [quàm Claudius deinde] *copia edidisse Augustum in hoc loco Naumachiam.* Eidem lib. XIV, & Straboni lib. XIII, nemoris mentio est, navali stagno circumpositi. Pontem ei naumacharium inditum ait Plinius lib. XVI, cap. XXXIX, & cap. sequenti; in quo ponte, postquam concrematum restituerat Tiberius, amplissimam trabem è larice, propter longitudinis & crassitudinis ubique æqualis miraculum, exposuit, quæ ad Neronis principis Amphitheatrum duravit. Fuit hic pons catarhactus Græcis à defluendo, aut erumpendo dictus, forte quod per eum è navi defluant expositi. Sed & in pontibus hic conflixisse gladiatores post Naumachiam putamus, pedestri pugna, qualem in Fucino lacu Claudio imperatori editam postea videbimus. Eusebii Chronicon: *Augustus gladiatorum ludum & navale certamen exhibuit.*

*Pons Naumacharius.*

*Fictæ pugnantium partes.*

Cæsar, ut supra, partibus pugnantium Tyriorum Ægyptiorumque nomina affinxerat, Augustus in sua Naumachia Persicorum & Græcorum. Ovidius, libro artis suæ I:

*Quid modo cum belli navalis imagine Cæsar*
*Persicas induxit, Cecropidasque rates.*
*Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ*
*Venere, atque ingens orbis in urbe fuit.*

Ausonius in Mosella:

*Festa hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis,*
*Jungunt Romanos, finitimosque duces.*

*Neronis prælia navalia prima in hoc loco.*

In hoc loco imperavit & Nero bella navalia, prout legimus in Dione lib. IX: Nero populo epulum dedit intra naves, in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat: Inde media nocte fossa in Tiberim navigavit. De eodem Suetonius, cap VII, *Exhibuit Naumachiam marina aqua, innatantibus belluis.* Et Tacitus lib. XV: *Nero in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. Naves auro & ebore distinctæ, &c.* Seneca ad Lucil. Epistola LXXI: *Secundo Naumachiæ spectaculo unus è Barbaris lanceam, quam in adversarios acceperat, totam jugulo suo immersit.* Titus etiam, eo usque in fama & usu fuit hic locus, in ipso Naumachiam exhibuit, ut à Tranquillo jam antea accepimus: *Dedit & navale prœlium in veteri Naumachia.*

*Titi certamen navale in veteri Naumachia.*

*Neroni alius locus extructus.*

Sed de Nerone perhibent literarum monumenta, quod & sub Vaticani colle, ubi nunc Pertusa porta, Naumachiam exstruxerit: locique undique effossi concavitas etiamnum id indicat. Liber ille de Petri cruce, qui S. Lini nomine circumfertur, eundem respicit *ad locum, qui appellatur Naumachia, juxta Obeliscum Neronis in Monte.* Quem clarius libellus Damasi, de Petro, commonstrat *ad palatium in Vaticano Neronianum, juxta territorium triumphale.* Territorium autem triumphale erat in quo pompa triumphalis imperabatur, & inde per viam procedebat triumphalem usque ad Capitolium; cujus viæ, silicibus stratæ, vestigia circa S. Spiritus Xenodochium adhuc cerni quidam arbitrantur. Fuit autem idem spatium, quod Neronem Tacitus ait clausisse in valle Vaticani, in quo equos regeret. Dio huc intendere videtur, quum Neronem vult cœnitasse nonnunquam in publico, *Naumachia præclusa.* In vita S. Petri describitur ejusdem Templum prope hanc machinam; & S. Leo III hic ædificasse Hospitale dicitur, quod appellabatur ad Naumachiam. Attamen Martialis, cum Stagna Neronis ponit ubi moles Amphitheatri sit erecta, non has aquas respicere videtur, sed de iis sentire, quæ in domo illa amplissima atque aurea hujus Principis stabant. Fuit autem hoc stagnum circumseptum magnificis ædificiis, ad similitudinem urbis, introductæque marinæ aquæ, & belluæ. Calphurnius:

*Ex occasione de territorio triumphali.*

*Nec nobis tantum sylvestria cernere monstra*
*Contigit, æquoreos ego cum certantibus ursis*

*Prospe-*

*Prospexi vitulos, & equorum nomine dignum*
*Sed deforme pecus.*

*Aureliani Naumachia;* De Aureliano Flavius Vopiscus habet, quod Triumpho suo de Zenobia & Tetrico, id est, de Oriente & Occidente, Naumachiam addidit. Omnium autem maxima memoratur Domitiani Naumachia, qua loci extructi capacitate, qua numero navium & bellatorum. *Et Domitiani celeberrima,* Hic primò *in Amphitheatro dedit navale prælium*, verbis Tranquilli, cap. IV. inde vero, ut idem author eo loco addit, *pene justarum classium pugnas, effosso & circumstructo juxta Tiberim Lacu; atque inter maximos imbres prospectavit.* Iuxta Tiberim eam ponit Tranquillus; & Blondus, vestigia ipsius testatus, prope S. Sylvestri templum, viamque Flaminiam, ubi depressis viis vineæ sunt. Ipse vero Domitianus, ut capite sequenti prædictus author habet, hanc Naumachiam construxerat, cinxeratque muris & sedilibus in modum Circi, Podiis ac Menianis sibi invicem adversis, ut vetusti lapides, ac nummi, Naumachiæ hujus figuris insigniti, demonstrant. Ex ejus porrò lapidibus, Circus Maximus, cum latera utrinque ambusta essent, restauratus est. Claritudinem operis hujus evehit Martialis:

*Variis Circi Ludicris abundans,*

*Augusti laudes fuerant committere classes,*
*Et freta navali sollicitare tuba.*
*Cæsaris hæc nostri pars est quota? Vidit in undis*
*Et Thetis ignotas, & Galathea feras.*
*Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus,*
*Et domini Triton ipse putavit equos.*
*Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,*
*Abnuit in liquidis ire pedester aquis.*
*Quicquid & in Circo spectatur, & Amphiteatro,*
*Dives Cæsarea præstitit unda tibi.*
*Fucinus & pigri taceantur stagna Neronis:*
*Hanc norint unam sæcula Naumachiam.*

*novisque animalium cursibus.* Ignotas vero feras vidisse Deas maris, ita accipimus, ut, quod Dio de Nerone, ac Tito, de illo etiam Xiphilinus referunt, & hîc similiter tauri, equi, aliaque id genus animalia, fuerint introducta, quæ in aquis id facerent, quod in terra consueverant, pugnando, currendo, currumque rapiendo, quo non solum per pulveris nebulam, sed undarum quoque spumam, pulvis ipse & bulla Imperator, quasi terrestris nec non æquoreus simul Iupiter perveheretur.

*De Circis & Amph.*

De pugnis quas Princeps hic navibus dedit, sic Dio habet: *Dies festos triumphales egit, quibus crebra certamina exhibuit. Præliis peditum ac deinde equitum commissis in Circo: Tum enim novo quodam loco bello navali facto; in quo non solum omnes fere qui pugnaverunt mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbre & vehementi tempestate repente commota, neminem permisit abire ex spectaculo, & quanquam ipse penulam mutaret, tamen cæteros nihil mutare passus est: qua ex re non pauci in graves morbos inciderunt & mortui sunt; Quare ut consolaretur populum, eidem nocturnum epulum dedit.* *Ludus Luctusque conjuncti.* Sed, ne erres, non perpetuæ presserunt Naumachiam undæ; nunc enim inductis stagnabat, nunc deductis nudabatur aquis, ut subito navales pedestresque pugnæ, summa cum voluptate spectantium, alternarentur. *Varius spectaculi vultus,* Quo te Martialis:

*Si quis ades longis serus spectator ab oris,*
*Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit.*
*Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,*
*Et par unda fretis, hîc modo terra fuit.*
*Non credis, spectes dum laxent æquora Martem;*
*Parva mora est, dices, hîc modo pontus erat.*

Idem in Amphitheatris factitatum, *variis quoque locis.* probat Xyphilinus in Nerone: Theatro quodam spectacula exhibens, primo illud aqua maris implevit, innatantibus piscibus belluisque marinis, ac navale prælium commisit, Persarum cum Atheniensibus bellum: tum derepente aquis exuctis pedites rursus, non modo singulos, sed globos sibi invicem pares objecit. Dio lib. 61: [Nero] aliquando belluis interfectis, ac subito aqua in Theatrum immissa, bellum navale dedit; deinde iterum emissa, præbuit certamen gladiatorum: denuo vero introducta aqua, publice sumptuosa cœna epulatus est. Idem auctor in Tito, jam antea nobis appellatus: Amphitheatro repente aqua impleto, equos taurosque, & alia animalia mansueta impulit, quæ in aquis præstabant, quod in terris docentur: introduxit & homines in navibus. Improvisa verò hac aquarum suffusione pugnas haud feras semper ac funebres, sed innoxias & fere ludicras habuerunt, ut apud Claudianum: *Pugnæ jocantes.*

*Lascivi subito confligant æquore lembi,*
*Lignaque remigibus spument inversa canoris.*

O Hæc

Hæc ferè sunt loca quæ Romæ Imperatores, talium rerum incredibilium nimii cupitores, effodere & extruere curarunt, quibus & veras & jocantes nonnunquam navium pugnas committebant, vel ad voluptatem pœnæ à captivis aut damnatis sumendæ, vel ad juventutis Romanæ fortitudinem acuendam: non enim castris tantum, sed & classibus defendendum aut prorogandum erat imperium; igitur ut navali bello maris jactationem pati, & militiæ rationem nosse condisceret, Naumachia apta & utilis ducebatur.

*Aperiuntur Aquæductus & Cloacæ;*

Sed quum diversissimis per Vrbem locis, ibi nempe in Circo, & hic & alibi in Naumachiis, longeque hinc in Caveis, & inde in Septis adornatum mare; & quamvis altissimum, subito nonnunquam exuctum & vicibus alternis reductum sit, mirum ni miraris unde vis tanta aquarum editoribus tam bene adparuerit, ac quibus supter viarum strata cucurrerit viis. Quod ut tibi demonstremus, amplissime Lector, paululum decedamus à curriculo nostro Neptunio, ad Cloacas & Aquæductus subterraneos: haud brevem nos apud Te gratiam inire sperantes in referanda re stupenda nec obvia multum, sed & apta huic instituto, & cum pleniori ejus explicatione plane colliganda. Nec demittant interea Tethys aut Galathea, tridente procreatum Neptunium pecus, sed Musarum sertis, ceu viridi pampino capreoloque Lyæi, impeditam servent Nymphæ cochleam, aut ab inguine jugalis piscem colligant in cochlea volventem. Nos ipsam originem aquæductuum repetentes, altius deducimur, præeunte Julio Frontino, aquarum olim curatore: qui ab initio testatur, Romam sine aquæductibus fuisse ad annum CCCCXLII, M. Valer. Maximo & P. Decio Murena Coss. Eo tempore scilicet derivari in Vrbem aquas (*rerum optimum*, Pindari sententiâ) cœptas. Populo enim aucto, dilatoque spatio habitationum in colles septem, Tiberis plurimis civium longe erat, nec putei aut fontes nativi, quibus juxta Tiberim utebantur, sufficiebant. Igitur *his* [jam dictis] *Consulibus*, Cassiodorus habet, *per Appium Claudium Censorem* [cui postea cognomen Cæco] *via facta & aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupatur.* Post Appium vero aquæductum tam plurimi deinceps facti, tamque operosi, ut omnem *Flumina per Vrbem visa sint fluere, atque domus propemodum habuerit fistulas & canales, quibus aquam inducat*, Strabonis testimonio: & Plinii: *Siquis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, in balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fateatur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* Hi ductus aquarum Cassiodoro dicuntur *Formæ: In formis Romanis*, ait, *utrumque præcipuum est ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quot enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur! naturales credas alveos soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis tot seculis firmiter potuit sustineri.*

*Quando ductus fieri cœpti sint.*

*Formæ dictæ aliquando.*

Dionysius in tribus operibus quæ maxime Romæ sint miranda, hæc prima ponit: *Mihi sane*, inquit, *magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani imperii Aquæductus, Viæ stratæ, Cloacæ.* Eodem loco numerantur Straboni: & Iulio Frontino ratione utilitatis ante omnia æstimantur Vrbis miracula: *Tot aquarum tam multis necessariis molibus Pyramides videlicet otiosas comparem, aut cætera inertia sed fama celebrata opera?* Idem magnitudinis Romani imperii præcipuum hoc indicium ducit; præsertim quod non in sola Vrbe, sed ejus coloniis plerisque & oppidis fuerint facti. Vsus enimverò aquæductuum maximus erat ad fontes, & publicos lacus, Balneaque & Navales Ludos nostros: quamobrem & Legum custodia, & Magistratuum cura, & Familiarum procuratione exactissima munita fuerant, ut paulo post dicemus. Diversi autem esse generis, ex præcedentibus auctorum memoriis apertissime colligere est: nam aut occultis sub terra cuniculis per effossos montes & viscera terræ adacti, aut supra terram substructione, aut opere arcuato, perfecti erant. Hos tangit Rutilius:

*Ductus diversimodi.*

*Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,*
*Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?*

Vtrosque Frontinus: *Nam vetustate corrumpuntur* [arcuationes] *aut impotentia possessorum, aut vi tempestatum, aut culpa malefacti operis, quod sæpius accidit in recentibus. Minus injuriæ subjacent subterranea, nec gelicidiis,*

*licidiis, nec caloribus exposita. Pilæ quoque ipsæ topho extructæ, sub tam magno onere labuntur.* Qui hodie supersunt Romæ, coctili latere extrinsecus munitas pilas ostendunt. Sed quum plurimi tam subterranei quam supra terram, longo tempore temporumque barbara flamma perditi sunt, suisque ruinis sepulti, sicut ipsa Vrbs Vrbe tota jacet, igitur de multis ex fragmentis unius & alterius præsumimus judicio. Et hodie quidem quamplurima exempla de his rebus Romæ produntur, ut effossa terra ad xxx aut xxxx palmorum profunditatem, eximiæ magnificentiæ aquæductus, copiosissimique fontes reperiantur. Sic cernitur per spiracula Aquæ Virginis profundissimus Aquæductus, qui Procopii testimonium abunde probet, quod nempe tanta & latitudine & altitudine structuræ sint canalium, ut in iis vir equo ire commode possit; ac simul quod Gothi, clam ingredientes subter Pincianam Portam, facile Vrbem cepissent, nisi detecti fuissent. Ante annos autem paucissimos authores sunt, sub Collegii Romani Iesuitarum solo veterem arcuatum aquæductum, ruinis obrutum, inventum esse, cum frontis templi Ignatiani fundamenta egererentur, in finibus campi olim Flaminii, & Martii; sed multo cultiorem pulcrioremque, quam cæteri ex cocto latere conspiciantur. Exteriori enim facie tabulis marmoreis vestiebantur pilæ, antis ad latera Corinthiarum columnarum extantibus, sed paulum reductis, itemque crustatis marmore parastatis. Exinde epistylia, Zophori & coronæ marmoreæ, structumque suprà parietem marmora contegebant, & columnis è marmore striatis statuæ, ut rebatur auctor, fuerant impositæ. Interiori parte easdem pilas Tiburtini lapidis structura solidabat, præstantibus antis opere Dorico, & Epistylium Coronamque sustinentibus. Supra, opus lateritium, qua condebatur Aquæductus, altus circiter sex palmos, tres latus. Arcus inter pilas marmorato obducti, & certis subinde spatiis quædam ampliora, minoribus interstincta intercolumnia. Secundum eos arcus, cum inventas cloacas fossores repurgarent, partem ingentis fistulæ plumbeæ non longe à Pantheo Agrippæ

*Fragmenta ductuum reperta.*

repererunt, eratque fusilibus literis inscriptum: TEMPLO MATIDIÆ; unde consequens est, non longe à Pantheo in regione nona hoc templum fuisse, quo hic aquæductus mittebat. Rivi autem, alii aliis altiores, vel depressiores, ducebantur per canalium structuras, perque fistulas plumbeas, aut ligneos tubos. In tubos cavabantur pinus, piceæ, alni, ut Plinius annotat: quod hæc ligna, si terra obruantur, plurimis annis durare possint. *Cæterum à fonte duci*, eodem authore, *fictilibus tubis utilissimum est, crassitudine binûm digitorum, commissuris pyxidatis, ita ut superior intret, calce viva ex oleo lævigatis.* Ad eosdem Castella fieri, prout res exigat, testatur idem. Castella autem dividicula erant, seu receptacula, in quæ aquæ confluebant, & inde à Castellario, qui erat castellorum custos, certa mensura distributæ in loca destinata effluebant. Currebant vero ad lacus publicos in Vrbe, unde hauriri & derivari amplius possent. Frontinus: *Omni parte Vrbis lacus tam novi, quam veteres plerique binos salientes diversarum aquarum acceperunt; ut si casus alterutram impedisset, altera sufficiente non destitueretur usus.* Plinius de his lacubus, aliisque additamentis aquæductuum meminens: *Agrippa in ædilitate sua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit, præterea salientes centum quinque.* Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur, legeque ita cautum erat, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu abundaret, quam posteri *caducam* vocarunt: & hæc ipsa non in alium usum quam in balnearum aut fullonicorum dabatur, eratque vectigali statuta merces, quæ in publicum penderetur; aliquid & in domos principum dabatur, concedentibus reliquis. Ius dandæ vendendæve aquæ Censorum fuit, quoties in Republica erant; quum non erant, Ædilium Curulium. Tutela singularum aquarum locabatur, eorumque operum probandorum cura penes Consules aliquando, & Ædiles, interdum & penes Censores fuit. Postea tota res ad Curatores aquarum transiit. Primus enim M. Agrippa post ædilitatem quam gessit consularis, operum suorum & munerum veluti perpetuus curator mansit. Inde ab Augusto

*Fistulæ ac Tubi aquarii.*

*Castella.*

*Aqua caduca.*

*Curatores aquarum.*

gusto aquarum Curator nominatus Messala Corvinus. Sub curatoribus duæ familiæ erant, quæ aquis operam præberent: *Familia Publica;* una antiquior, Publica dicta, quam ab Agrippa sibi relictam Augustus publicavit, hominum circiter CCXL. *Familia Cæsaris:* altera recentior, Cæsaris dicta, à Claudio Cæsare, cum aquas in Vrbem perduceret, constituta, hominum CDLX. *Vtriusque ministeria.* Vtraque familia in aliquot ministeriorum species diducebatur: Villicos videlicet, Castellarios, Silicarios, Tectores, aliosque opifices. Commoda Publicæ ex ærario dabantur, quod impendium exonerabatur vectigalium reditu, ad jus aquarum pertinentium. Cæsaris familia ex Fisco accipiebat; unde & plumbum & omnes impensæ ad ductus & castella & lacus pertinentes erogabantur. *Proximi ductus quoto ab Vrbe milliario fuerint.* *Proximos autem ductus*, inquit Frontinus, *id est, qui à sexto milliario lapide quadrato consistunt, maxime custodiendos, quoniam & amplissimi operis sunt, & plures aquas singuli sustinent.* Plures scilicet rivi miscebantur nonnunquam, qui non fontes sed nomina multiplicabant, & qui uno cuniculo veniebat, in binos, trinosque adigebatur.

*Quot numerentur universe.* Numerabat Procopius suo ævo quattuordecim aquæductus. Auctus est numerus P. Victori ad viginti, quorum aliqui adhuc Romæ videntur, per tot secula perennes. *Appia, prima omnium,* Appia ab Appio Claudio deducta Anno Vrbis conditæ CCCCXLII, inter milliarium VI & VIII concepta, passuum amplius undecim millibus derivata, effundebatur prope portam Capenam, & Trigeminam ad Salinas, fluens usque ad Campum Martium. *in ea antiquorum dirigendi ratio.* Hæc, subterraneo labens rivo, post Alfietinam maxime humilis erat, quod, Frontini testimonio, *humiliore directura antiquiores perducerent, nondum explorata arte librandi: vel quia sponte aquas celarent, ne hostis interciperet.* *Anio duplex.* Anio, sive Anien, Vetus & Novus; quorum uterque ex Aniene flumine in Vrbem corrivati. Vetus humilior, quia propius urbem, supra Tybur XX milliario concipiebatur; alia sui parte intra portam Esquilinam per altiores Vrbis tractus distributus erat. Postea vero, quod turbulentus & minus salubris esset, in hortorum rigationem, atque in ipsius Vrbis sordidiora ministeria destinatus est. Effluebat in Salinas, locum Vrbis ad portam Trigeminam. Deduxerunt eum M. Curius, & L. Papyr. Cursor, Censores, anno V. C. CCCCLXXXIX. Cum Aniene novo Rivus Herculaneus, supra illum conceptus, postea conjungebatur: *De rivo Herculaneo.* Anio autem novus Vrbem ingressus, intra portam Esquilinam cum aqua Claudia miscebatur, quam frequenter abactis secum ripis limo turbidus vitiabat; nec minus cæteras, in quarum specus, quod altissime flueret, ab aquariis inducebatur: donec, Nerva Principe, tam Anio, quam reliquæ inter se discretæ fluxerunt.

Ductus Anienis efficiebat passuum LVIII millia DCC, opere omnium altissimo, qua arcuatum attollebatur. de hoc & Claudio ductu Suetonius: *Claudiæ aquæ gelidos, & uberes fontes, eorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est; simulque rivum Anienis novo lapideo opere in Vrbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus.* Claudia bonitate Martiæ proxima, cui altitudine præferebatur, à *Aqua Claudia.* Cajo Caligula inchoatis binis ductibus, à Claudio perfectis per millia passuum XLVI, subterraneo partim & arcuato opere cum Aniene novo perducta est. Plinius: *A lapide quadragesimo* [XXXVIII, juxta Frontinum] *ad eam excelsitatem, ut in omnes Vrbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Claudia post Anienem secundum tenet altitudinis locum, sed post hortos Pallantianos [qui fuerunt ad S. Eusebium, in colle Esquilino] finitis arcubus, cum Aniene novo fistulis per urbem distribuebatur: sed ante, partem sui ad portam nunc Majorem transferebat in Cælium montem. Nero enim extructis arcubus de- *à Nerone deflexa.* duci voluit in Palatium. Quod de ipso Frontinus lib. 2 testatur: *Claudiam opere arcuato assumpsit, exceptam usque ad templum D. Claudii* [per Cælium montem] *perduxit, ut inde distribueretur.* Erant ibi castella, per quæ partim lævorsum in Aventinum, partim in Palatinum dextrorsum demittebatur. Arcuum autem Neronianorum magna pars adhuc visitur, longo tractu intersecantium Cælium: incipientes enim ab ea quam diximus porta, procurrunt ad Basilicam Lateranensem; inde ad idem S. Stephani, quam dicunt Rotundam, ubi olim perhibent fuisse

fuiſſe templum Claudii. *Claudiam*, memorat Caſſiodorus lib. VII, epiſt. VI, *per tantam faſtigii molem ſic ad Aventini caput eſſe perductam, ut cum ibi ex alto lapſu ceciderit, cacumen illud quaſi imam vallem irrigare videatur.* De ſubterraneo hujus aquæ rivo Leander Albertus in ſua Italiæ deſcriptione, *Fieri profecto non poſſe*, inquit, *quin omnino incredibile ſit, niſi oculis uſurpetur operis hujus ratio admiranda. Nec enim quiddam majus excogitari poſſe humano ingenio arbitror, quam quod hic Romani, effoſſis tanto ſpatio montium intimis viſceribus, fecerunt. Ad quæ opera patranda nunc totus orbis infirmus videatur. Martia aqua*, Plinio memorata, *Clariſſima eſt aquarum omnium in toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palma, præconio Vrbis, inter reliqua Deûm munere urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipſe Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum, tranſit Marſos & Fucinum lacum, Romam haud dubie petens. Mox ſpecu merſa, in Tiburtina ſe aperit, IX M. p. fornicibus ſtructis perducta. Primus eam in Vrbem auſpicatus eſt Ancus Martius, unus è regibus. Poſtea Q. Marcius rex in Prætura. Rurſuſque reſtituit M. Agrippa.*

*Martia Aqua.*

*lib. 31, cap. 3.*

*Variæ authoritates de initiis aquæductuum;*

Divertunt aliorum authorum ſententiæ ſuper hac re; nempe quum Anno Vrbis CCCCXLI, Lipſii & aliorum authoritate, initium aquis ducendis factum ſit, Ancum Marcium auſpicatum hujus rei quicquam non fuiſſe; adde, quod eo rege, longe à ditione Romanorum tam ipſe fons, quam regio, ex qua oriri Plinio dicitur, Vrbi ignota fuerint. Diſcrepant item deducendi ratione à Plinio authores, nec unquam ductum Martiæ aquæ à Fucino lacu aduſque Romam fuiſſe perfoſſum, ita ut ſpiramenta etiamdum in montibus aquarum, ſecundum Blondum, apparerent. *Aqua enim Martia*, ait Frontinus, *concipitur Via Valeria ad milliarium* XXXIII. *diverticulo, euntibus ab Vrbe Roma dextrorſum, millium paſſuum trium.* Fucinus Roma majori intervallo diſtat. Pitonius autem amnis, *qui per medium lacum Fucinum*, Vibii verbis, *ita diſcurrit, ut aquæ ejus non miſceantur ſtagno*, cuniculo ſubterraneo exceptus ſua vi ad Sublaquenſem agrum erumpens, aquæ Martiæ creat fontem. Verum à Fucino venire dixerunt eam aquam, quia creſcente eo lacu aqua etiam in Sublaquenſi fluebat uberius: mirum enim olim illius lacus incrementum ac deinde defectus, ut etiam, juxta Strabonem, impletus interdum uſque ad montana, ſubſederit rurſus: igitur quia ſua ſponte inferius Romam petere videbatur, Deorum ope eam aquam Romæ exhibitam dixit Plinius, ſicut Herodotus Donum fluminis Ægyptum appellavit. Albenſem hanc aquam nominat Statius:

*& Martiæ ducendi ratione.*

*Albenteſque lacus, alioque in gurgite fontes.*

Ubi legendum Albenſes: quoniam Alba prope Fucinum eſt; & ab Alba Fucente Albenſis deducitur, ſicut Albanus ab Alba longa, auctore Soſip. Dixit autem Papin. *alioque in gurgite*, quia, cum Romam euntibus ſiniſtrorſum conciperetur Martia, ea parte ob montium præruptas crepidines duci non potuit; verum ſupra Anienem vecta dextra manu, ut etiam ductuum veſtigia indicant, decurrebat. hinc Statius:

——*Per obliquum penitus quæ laberis amnem*
*Martia, & audaci tranſmittis flumina plumbo.*

Et arcum aquæductus curvatum fuiſſe ubi Arſoli nunc ſunt, pro certo traditur nonnullis; ibique plumbeos tubos nuper magna copia eſſe effoſſos; ubi & Via Valeria per montem, verſus Fucinum, directa ſit. Emergebat autem cum Iulia & Tepula ad Viminalem portam, quæ nunc clauſa eſt; & parte ſui poſt hortos Pallantinos in Eſquiliis mixta rivo Herculaneo, dejiciebat ſe per Cœlium. Perducta etiam in Capitolium & Aventinum: ſed poſtquam in hunc & Cœlium montem Claudia à Nerone traducta, excluſa ab his & Martia & Iulia eſt: *Quo fiebat*, inquit Frontinus, *ut quoties defectio aliqua interveniſſet aquæ Claudiæ, celeberrimi colles ſitirent.* Martiam igitur Trajanus ampliore opere his collibus reddidit, & ſuas in Thermas induxit: quare & Trajanam appellatam fuiſſe, non dubitant Fulvius & Marlianus. Ductus ejus cum refeciſſent Auguſtus, aut Agrippa nomine illius, ac poſtea Titus, poſtremo reſtituit M. Antoninus, novumque fontem Antonianum adjecit. Adjecerat enimvero ipſe Auguſtus aquam ejuſdem bonitatis, quæ ab ejus nomine Auguſta dicta. Et cum aliæ aliis uſibus dicarentur, Martia tota potui propter ſalubritatem ſerviebat.

*Martia, ſplendore & rigore gratiſſima.*

*Dicta Trajana.*

*Aqua Virgo.* Nobilissima item Aqua Virgo fuit, ita *appellata*, secundum Frontinum, *quod* *Lib. 31, cap. 3.* *quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc Virginem pictam* *Varia nominis deductio.* *ostendit.* Dissentiunt cum Frontino de causa nominis Plinius: *Agrippa & Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo* II *millia passuum, Prænestina via. juxta & Herculaneus rivus, quem refugiens Virginis* *lib. 7. epist. 6.* *nomen obtinuit.* Et Cassiodorus: *Currit aqua sub delectatione purissima: quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur.* Frontinus Agrippam, post tertium Consulatum suum, deduxisse Virginem *Agrippæ opera uno anno multa.* perhibet, C. Sentio, Sp. Lucretio Coss. Anno Vrbis DCCXXXV. adsentit Dio, & Plinius: *Agrippa in Ædilitate sua* [quam post Consulatum accepisse, eodem cap. XV, lib. XXXVI, clarum fit] *adjecta Virgine Aqua, cæteris corrivatis atque emendatis, lacus* DCC *fecit, præterea salientes* CV, *Castella* CXXX, *complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa* CCC *ærea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore* CCCC, *eaque omnia annuo spatio.* Loca ejus rivi describit Frontinus: *Arcus Virginis initium habent sub hortis Lucullianis*, [hi erant in Colle Hortorum] *finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum.* Vbi enim desinebant arcus, ibi emergebant aquæ. Disturbaverat arcus hos Cajus Cæsar, nimirum quia Amphitheatrum juxta septa inchoaverat; restituit Claudius. Ipsam demonstrat Ovidius:

*Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,*
*Hic ubi Virginea campus obitur Aqua.*

Virginem Aquam præstitisse tactu, Martiam haustu, auctor est Plinius: sed hac pridem intercepta illa Romæ sola *Virginis aquæductus hodie reparatus.* præcellit. Dilapsam enim aliquot retro seculis Nicolaus V, deinde Sixtus IV, deinde Pius IV, Pontifices Maximi, restituerunt, novis fontibus additis: quibus nunc non solum publicos, sed & privatos in usus per Vrbem totam distributa est. Per Aquæ Virginis spiracula, haud longe à Porta Pinciana Romæ, proditum est haud pridem memoria, cerni adhuc profundissimum aquæductum; per quem Gothi clam ingredientes subter Pincianam Portam facile Vrbem cepissent, nisi detecti fuissent, ut in scriptis est Procopii. Latos enim, atque elatos in tantum hos cuniculos fornicesque diximus supra, ut equo vir ire oportune per illos posset; aut, secundum Strabonem Amasenum, nonnulli spatium currui fœni onusto transeundi præbuerint. Alsietinum quoque ductum videamus, qui latius nos digressos nostrum prope institutum reducat. *Augusta aqua, quæ & Alsietina.* Hunc, omnium humiliorem, providisse Augustum, Frontinus auctor est lib. I: *Quæ ratio moverit Augustum providentissimum Principem, producendi Alsietinam aquam, quæ vocatur Augusta, non satis perspicio, nullius gratiæ, imò & parum salubrem, & nusquam in usus populi fluentem, nisi forte quum opus Naumachiæ aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret; hanc proprio opere perduxit, & quod Naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus & privatorum Transtiberim usibus ad irrigandum concessit.* Sed sine numero fere fontes reliqui sunt, à viris magnificis & imperatoribus deducti; ex quibus, secundum Curatorem nostrum sæpius laudatum, *pars unius Juliæ Castellis* CCLII, *montis Esquilini usibus effusa.* Vltimus qui novos struxerit ductus in Vrbe, M. Aurelius Imperator proditur; post eum de nullo liquet: *Postrema ductuum fortuna.* varii tamen ex Cæsaribus ductus vetustate collabentes instaurarunt, aquasque interceptas restituerunt, aut in colles antea sitientes derivarunt, unde nova deflexis nomina sunt indita, ut Trajanæ, quæ Martia pridem. Idem princeps Anienem novum, ne scilicet flueret lutulentus ac turbidus, excipi jussit non ex flumine, sed lacu, ubi purior erat lympha. Accipe postremò Papin. Statium lib. I, Silv. V. numeros illis suos explentem

——*Præcelsis quarum vaga molibus unda*
*Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.*

istos verò crypticos tangentem ænigmate LXXII Cæcilium Symposium:

*Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,*
*Alveus est modicus, qui ripas non habet ullas,*
*In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.*

His, Lector, inductis meatibus per totam Vrbem, per Hippodromos, per Caveas & Septa, per loca dissita strepebant rivi, subitoque qua manus ducebat, sequebantur: nec minus, quum Imperatoris nutus jubebat, celerrime emittebantur.

Exugen-

*Cloacæ, cui cœptæ primum.* Exugendis autem humoribus Cloacæ factæ erant, receptacula omnium Vrbis sordium. Hos primum rex quintus Romanorum *Tarquinius fodere cœpit*, ut habet Dionysius, *quibus in Tiberim corrivatur quicquid aquarum est per vias.* & de eodem rege Livius: *Infima Vrbis loca forum circa aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas, Cloacis è fastigio in Tiberim ductis siccat.* *Quibusque locis.* Divisit rex quos auspicatus erat in ductus tres, sub montibus Capitolino, Palatino ac Cœlio: qui vero sub Aventino est, ab ipso non factus, *Auctæ deinde.* quanquam mons iste cum tribus jam enumeratis incolebatur; postquam autem Servius Tullius & Viminalem, Quirinalem, & Esquilinum colles adjecerat habitandos, sub reliquis his structæ sunt Censoribus Cloacæ, Flacco scilicet & Catoni: quod affirmat Livius: *Opera*, inquit, *deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus sternendos lapide, detergendasque qua opus esset Cloacas; in Aventino, & in aliis partibus, qua nondum erant, Censores faciendas locaverunt.* *Amplitudo eximia.* Firmitatem necnon capacitatem earum aperit Strabo lib. V: *Cloacæ, quibus Civitatis sordes in Tiberim eluerentur, duro cameratæ lapide pervias carris stramentorum semitas reliquerunt.* Plusculis eas describit Plinius, senibusque visas admirandas prædicat, & *operum omnium dictu maximum, suffossis montibus atque Vrbe pensili, subterque navigata. à M. Agrippa in ædilitate post Consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti; insuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus; & tamen obnixa firmitas resistit. Trahuntur moles internæ tantæ, non succumbentibus causis operis; pulsant ruinæ sponte præcipites, aut impactæ incendiis; quatitur solum terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Prisco annis* DCCCC *propè inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum est: cum id opus Tarq. Prisc. plebis manibus faceret, essetque labor incertum longior an periculosior, passim conscita nece, Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea posteaque remedium invenit ille rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda civibus, simul & feris volucribusque laceranda. Quamobrem pudor Rom. nominis proprius, qui sæpe res perditas servavit in præliis, tunc quoque subvenit, sed illo tempore imposuit, tum erubescens cum puderet vivos, tanquam puditurum esset extinctos. Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem fœni large onustam transmitteret.* *Luculente enarrat eas Plinius.*

Auget firmitudinis admirationem, quod ab iis per plurimorum seculorum spatia variæ ædificiorum stupendorum moles, Circi, Amphitheatra, Templa, publicæ domus, totæ aut partem magnam tolerantur ac sustinentur; quod juxta authores supra laudatos probat Andreas Fulvius lib. I de mirabilibus Vrbis. *Cloacarum miraculosa firmitudo.* Et privatæ domus singulæ suas cloacas habuisse postquam Galli Vrbem ceperant, incenderantque, & cives superantes domicilia reædificare cœperant, Livius innuit: *Festinatio* [ædificia ponendi] *curam exemit dirigendi vicos, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres Cloacæ primò per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Vrbis sit occupatæ magis quam divisæ similis.* *Et multitudo innumera.* *Septem* verò *corrivatis amnibus*, Plinius supra intelligit septem præcipuas Cloacas, ex numero scilicet Vrbis montium. *Minores magnas subeuntes.* Ii enim meatus, præter alios minores, in magnam unam Cloacam præcipui concurrebant; & instar tot fluminum fuere, per plana Vrbis loca delati. Deductæ vero non solum in Tiberim, quod Livius de Tarquinio affirmat; sed postea, quæ aliis sunt structæ, in campum extra montes. *Quo se exoneraverint omnes.* Magnificentiam horum operum & sumptuum in ipsa amplitudinem Dionysius loco in initio citato proponit: *Dici vix potest quàm admiranda opera* [cloacæ sint.] *Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquæductus, Viæ stratæ, & hæ Cloacæ, reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem; quam vel hinc licet conjicere, quod, ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando Cloacas, & non transmittentes aquas, Censores mille talentis purgandas locaverint:* hoc est, sexcentis millibus aureorum. *Cultus earum magnificentissimus.* Repurgatæ etiam his temporibus quædam ex antiquis Cloacis, & serviunt usui, præsertim aliis conjunctæ, recentiori memoria structis. *Nonnullus & hodie usus.* Inter quas maximam nuper utilitatem,

&

& commodum Civibus præbuit, quæ à Gregorio XV paucis abhinc annis à Tiberi inchoata, & Vrbano Pontifice ad Pantheum usque, inde ad viam Flaminiam & ultra, Collem Pincium versus & Quirinalem est deducta. Hæc magno civium commodo Vrbis planitiem subeuntes aquas magna ex parte exhausit: subsederuntque in puteis; exsiccatisque cellis vinariis, terræque solo, humor, qui subter stagnabat, in fluvium evectus est. Reperta tunc perampla Agrippæ, ut creditur, Cloaca, quæ secundum fundamenta Panthei producta flectebatur versus Quirinalem: eratque lata palmos sedecim, elata tredecim. Circa hanc aliæ quoque reseratæ, minus amplæ, nec æquali profunditate, quarum nonnullæ aquis qua dabatur exitus redundabant: altæ sex septemve palmos, tres ferme aut quatuor latæ. Hæ vero tot seculis in terra obrutæ, nec minus illæ quamvis novissimis extructæ, antiquam tamen magnificentiam referunt luculentissime, & Cassiodori verbis mirificis eximie respondent: *Splendidæ*, inquit ille, *Romanæ civitatis Cloacæ, tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios, quasi montibus concavis clausos, per ingentia stagna decurrere. Videas structis navibus per aquas rapidas, non minima solicitudine, navigari, ne præcipitato torrenti, marina possint naufragia sustinere. Hinc ô Roma singularis quanta in te sit potest colligi magnitudo: quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire.*

*Miracula veterum, recentiorumque Cloacarum monstrata.*

Ergo vidisti, cupide Lector, quibus viis incredibilibus tam stupenda vis aquarum tam subito manum Editorum ad bella nunc navalia ducentem, nunc pro libidine vicibus alternis reducentem sequi potuerit. Vidisti & quasi naturales alveos, ære perenniores, regalique situ pyramidum, augustalique sumptu magnificarum domuum celebriores obstupuisti, ac sponte fateris, pauca in Vrbe, pauciora in orbe Romano ædificia invenire esse, quæ ad Cloacas, aut ad Aquæductus aliquid possint esse. Sed redire habemus illuc unde divertimus: & quum in Vrbe Naumachias omnes percurrerimus, ad eas quæ extra fuerunt proficiscemur. Nam in lacubus, etiam in litore maris haud raro commissæ sunt. Eamus igitur ad Fucinum, de quo Tranquillus: *Claudius emissurus Fucinum Lacum Naumachiam ante commisit, qua classis Sicula, & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui è medio lacu per machinam emerserat.* Et Tacitus: *Inter lacum Fucinum amnemque Lyrim, perpetuo monte, quo magnificentia operis à pluribus viseretur, lacu in ipso Claudius triremes quadriremesque, & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, & gubernantium artes, impetusque navium: prælio soliti in ratibus Prætoriarum cohortium manipuli, turmæque astiterunt, ante positis propugnaculis, ex quibus catapultas balistasque tenderent. Reliqua lacus classiarii rectis navibus obtinebant: ripas, & colles, ac montium edita in modum Theatri, multitudo innumera complevit. Sed perfecto spectaculo, apertum aquarum iter, & incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media: eoque tempore interjecto altius effossi specus; & contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam: quin & convivium effluvio lacus appositum.* Lollius Actiacas pugnas in litore maris Adriatici, ad quod paterna rura habebat, & ibi cum fortibus rebus otia sua miscebat, concelebrasse fertur Horatio:

*Naumachiæ extra Vrbem.*

cap. XXI.

Lib. XIII.

Lib. I, Epist. XVIII.

*Partitur lintres exercitus; Actia pugna*
*Te duce per pueros hostili more refertur.*
*Adversarius est frater, lacus Adria; donec*
*Alterutrum velox victoria fronde coronet.*

Apud Ausonium in Mosella,

*Tales Cumano despectat in æquore ludos*
*Liber, sulphurei circum juga consita Gauri,*
*Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi.*
*Cum Venus Actiacis Augusti læta triumphis*
*Edere lascivos fera prælia jussit amores.*
*Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes*
*Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces,*
*Aut Pompejani Mylasena pericula belli*
*Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ*
*Innocuos ratium plausus, pugnæque jocantes.*
*Naumachiæ.*

Tantum de hoc certamine & ejus locis ex proditis memoria monumentis collegisse sufficiat: quod si consentire quis suis studiis crediderit, facile, credo, fautor Neptunium utroque

——*Laudabit pollice Ludum.*

FINIS.

# INDEX PRIMÆ SECTIONIS ADMIRANDORUM ITALIÆ.

## DE CIRCIS.


Circus Maximus. *Pag.* 5
Ejusdem Circi reliquiæ. *inter* 6 & 7
Circus Flaminius. 19
Circus Caracallæ. 23


## DE OBELISCIS.


Obeliscus Flaminius, à Sixto V, Pont. Max. basi & apice decoratus. *ante* 125
Idem absque ullis ornamentis. *ante* 133
Obeliscus Sallustius, nunc Ludovisius. *ante* 145
Obeliscus Pamphilius veluti in platea Agonali ab Innocentio X. P. M. erectus à parte Orientali. *ante* 151
Idem à parte Occidentali. *ibid.*
Quatuor præcipuorum totius Terræ fluminum Imagines. *ibid.*
Idem absque ornamentis. *ante* 157
Obeliscus Barberinus, olim Veranus. *ante* 203
Obeliscus Lateranensis cum basi & apice, nec non iis destitutus, uti eum Dominicus Fontana primum delineavit. *ante* 221
Idem juxta Archetypum à P. Athanasio Kirchero S. I. evulgatum. *ante* 233
Obeliscus Monticelius. 253
---- Medicæus. 257
---- Mahutæus. 259
---- Vaticanus. 262
---- Exquilinus. 268
Obelisci Vaticani translatio, duabus figuris majoribus expressa. *ante* 271
Obeliscus Vaticanus, ejusque locus quo stetit ante translationem, ut & octo meliores eum transferendi modi à variis Architectis & Ingeniariis propositi. *ante* 277
Machinæ ligneæ, sive Castelli ad transferendum Obeliscum à Dominico Fontana inventi, delineatio, cum variis instrumentis translationi inservientibus. *ante* 283
Campus Sanctus; ergatarum in eodem dispositio, ut & in Sacrario, nec non quatuor Obelisci latera cum suis ferramentis, & affixis trochleis. 289
Obelisci in Castello penduli & versus terram descendentis delineatio. 293
Castelli omnibus numeris absoluti in prospectu delineatio. 295
Ichnographia Sacrarii cum demisso jam Obelisco, formaque trahæ cui incumbebat, &c. 297
Latus aggeris versus Meridiem, uti munitum, & Obeliscus in eo, modusque quo propellebatur. 301
Mons munitus circa castellum, quod ei ad elevandum Obeliscum erat impositum. 303
Trium laterum Obelisci cum suis trochleis, &c. delineatio. 305
Castelli facies aperta cum Obelisci interius attracti apice, rudentibusque eum sustinentibus. 307
Ergatarum in ipsa area ad erigendum Obeliscum dispositio. 309
Modus Supplicationis celebratæ, ad purgandum Obeliscum, & crucem consecrandam. 311
Obeliscus in area D. Petri positus. 313


## DE AMPHITHEATRIS & THEATRIS.


Amphitheatrum Titianum. 5
---- Ruinæ. 7
Ichnographia Colisæi, veluti Sixtus V. P. M. illud reædificare instituerat. 23
Amphitheatrum Tauri. 25
Amphitheatrum Castrense. 27
Theatrum Marcelli. 31
Naumachia Domitiani. 41


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

[illegible]

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Tabla
Número

№ A
32-4